ORIGINES
ET
ANTIQUITATES CHRISTIANÆ

FR. THOMÆ MARIÆ
MAMACHII

ORD. PRÆDIC. THEOL. CASANATENSIS

ORIGINUM
ET
ANTIQUITATUM
CHRISTIANARUM
LIBRI XX.

TOMI QUINTI PARS I.



ROMÆ MDCCLV.

IN TYPOGRAPHIO PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI
SUPERIORUM FACULTATE.


[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]ATH[illegible]

[illegible]


AD REV. P. MAG. F. FERDINANDVS DAVILA
Ex Praef. Prov. Peruanae Ord. Praed.
In Règia Vniv. S. Marci Doct.
Archiep. Limani Synod.
Examinator. &c.

REVERENDO ADMODUM PATRI MAGISTRO

F. FERDINANDO DAVILÆ.

ORDINIS PRÆDICATORUM

PROVINC. PERUVIANÆ S. J.B. EXPRÆFECTÓ

IN REGIA UNIVERSITATE S. MARCI DOCTORI,

ARCHIEPISCOPI LIMANI, ET EPISCOPORUM PAZENSIS, ET CUZQUENSIS EXAMINATORI SYNODALI &c.

VIRO CLARISSIMO.

F. THOMAS MARIA MAMACHIUS FELICITATEM.

CUM partem alteram Libri IV. ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM explicare aggressus essem, ad eamque disputationem, quæ est de summo Petri Apostoli

in

in Christiana republica principatu venissem; etsi plane intelligebam, esse me de re certa imprimis, atque testata scripturum, quæ cujusquam præsidio non egeret; quod tamen plerosque fore prospiciebam, aut tam male in romanam ecclesiam animatos, ut Scripturarum, Patrumque loca, quibus uterer, contorquere, atque implicare, quam meæ, communique orthodoxorum sententiæ assentiri mallent; aut tam infestos, tamque inimicos mihi, ut meam vel argumentandi, vel scribendi rationem reprehendendam arbitrarentur; cogitandum de patrono judicavi, qui & ingenio, perspicientiaque veri de genere hoc omni cognoscere, & quæ recte constituta videret, doctrina, virtute, dignitateque tueri, si vellet, posset. Sed ut primum nunciatum de Te mihi fuit, quantus vir, quo ingenii acumine, qua eruditione, qua existimatione religionis, virtutisque præstares; qualemque Provinciam, quam late patentem, atque illustrem sapienter,

ter,

ter, integre, ſevere ſumma & tua, & Ordinis gloria moderatus eſſes, ſtatui equidem ei cogitationi modum, decrevique Tibi quidquam tale ne ſuſpicanti quidem volumen hoc quintum, qualecumque tandem eſſet, inſcribere; plane confidens futurum, ut quod eſſes ſingulari tua, de qua jam multa acceperam, comitate, humanitateque probaturus, ejuſdem, ſi ex uſu eſſet, patrocinium, defenſionemque ſuſcipere non gravarere. Atque ut paucis dicam de ingenio, de doctrina, deque eruditione ſingulari Tua, quotus quiſque in iſtis regionibus eſt, non Dominicanorum modo, ſed etiam aliorum, quem lateat, quos jam uſque ab adoleſcentia in omni genere diſciplinarum progreſſus feceris, quot in ſcholis quanta frequentia auditorum Philoſophiæ, Chriſtianæque religionis decreta explicaveris, ut veneris in Doctorum regiæ univerſitatis ſocietatem, præcipuamque cathedram occupans Summam fueris Theologicam ſancti Thomæ incre-

dibili

dibili tua, noſtrumque omnium laude interpretatus? Tam enim illuſtre nomen, tantamque exiſtimationem doctrinæ peperiſti Tibi, ut cum finibus ea contineri nequiverit Peruvianorum, producta, atque ad Italiam uſque propagata ſit, utque Archiepiſcopum Limanum, Epiſcopoſque Pazenſem, atque Cuzquenſem, Te ut *examinatorem* in ſuis dioeceſibus *ſynodalem* dicerent, ſic Antoninum Bremondium Magiſtrum Ordinis prudentiſſimum, ſapientiſſimumque impulerint, ut unum Te omnium maxime Collegii ſancti Thomæ rectorem renunciaret, mihique auctor vehementer eſſet, ut volumen hoc quintum Antiquitatum Tibi offerendum, dedicandumque putarem. In interrogandis autem iis, qui initiandi ordinationibus ſacris eſſent, frequenteſque ad Te ventitarent facturi periculum eruditionis ſuæ, inque recte inſtituenda ſtudiorum ratione, rebuſque Collegii adminiſtrandis ita es verſatus, tuam ut omnes ſapientiam,

rerumque maximarum comprehenſionem laudarent; prudentiam vero, fidem, ſeveritatem ſingulari cum lenitate, comitateque conjunctam, virtutem, providentiam admirarentur. Iſtis tot ornamentis animi, ac tanta iſta in graviſſimis muneribus fungendis cura Tua, & diligentia ita Patres, ſocioſque reliquos devinxiſti Tibi, ut Te univerſi in comitiis, ſumma conſenſione, cunctiſque ſuffragiis Provinciæ, quam aliquamdiu vicaria poteſtate rexeras, anno demum MDCCXLVIII. præfecerint: ſcilicet ei Provinciæ, quæ noſtrorum hominum longis itineribus, ſummis laboribus, ſanguine ipſo deducta ab humili ita excrevit ad ſummum, ut par ampliſſimis, nulli vero ſecunda eſſe videatur. Nam cum primum illis ſpes inferendi in Americam chriſtiani nominis affulſiſſet, ſociis, amicis, patria ipſa, qua rem nullam habere in terris poterant cariorem, valere juſſis, in regiones a noſtra tam magnis locorum intervallis disjunctas

commigraverunt, cumque magna incommoda, gravesque calamitates perpessi essent, atque in vitæ extrema se interdum pericula conjecissent, ac, præter cives perplures, ipsum Imperatorem Peruvianorum ad veram religionem adduxissent, institutis demum Parœciis, Monarchiæ sancti Petri, Pontificumque Maximorum ecclesiasticæ eodem illo tempore in orbe novo fines amplificaverunt, quo eam in Europa Lutherani, Calviniani, Zuingliani, Sociniani que funditus delere conabantur. Ac Sancti quidem Ludovici Bertrandi, Ludovici Veri, Vincentii Valverdii, Antonii Valdiviezii, Francisci Cordubæ, utque reliquos, qui sane permulti fuerunt, mittam, Johannis Carcezii tam egregia sunt in hoc genere merita erga Ecclesiam Catholicam, Regesque Hispaniarum, ut commendata memoriæ hominum sempiternæ, linguis omnium gentium celebrari pergant. Nam cum in istis regnis præclare fundamenta jecissent Orthodo-

xæ religionis, illud potiſſimum conſequuti ſunt, ut flos inde Americæ primus ſanctitatis Roſa Virgo, cujus tanta eſt ubique gentium fama, atque celebritas, ut fingere quiſquam vix, optare autem ne vix quidem majorem poſſit: tum Vincentius Vernedus, cujus vitæ, atque virtutum acta, quaſi periiſſent, a vobis deplorata, Joſephus Leyba diligentiſſimus Provinciæ procurator in Noſtro, aliiſque Romanis Tabulariis conquiri fecit, inventaque Advocato, qui conſideraret, dedit, in eamque ſpem venit fore, ut initium aliquando illius cauſſæ agendæ fiat: inde Johannes Maſſias, Martinuſque Poreſius orirentur, de quorum virtutibus cum Sacra Rituum Congregatio ſemel, atque iterum ex jure cognoverit, facile nobis pollicemur, eſſe a BENEDICTO XIV. Pontifice Maximo brevi ex ſententia conſtituendum. Ad iſtius igitur tantæ, tamque illuſtris provinciæ gubernacula, quæ tot ſanctitatis exempla, quod ſingulare eſt, ex primo, al-

tero , tertioque Ordine ſibi ad imitandum propoſuiſſet, inſigniſque tot gloriæ monumentis , laudumque ornamentis eſſet , cum etſi ſummo dolore Tuo, incredibili tamen Prædicatorum , omnium cœtuum , populi Peruviani univerſi voluntate , lætitia, gratulatione acceſſiſſes, non demiſiſti animum , Te ut obrui tanquam fluctu , ſic magnitudine ſineres negotiorum ; ſed quod eam Tibi reipublicæ Dominicanorum partem commiſſam animadvertiſſes, quæ cum optimis præceptis, inſtitutiſque abundaret, recteque adminiſtrata fuiſſet, tum ſi minus facile, at augeri ſaltem aliqua ratione, amplificarique ſtudio Tuo, cura, vigilantiaque poſſet ; ita es in arduis quibuſque rebus verſatus , ut quæ difficilia ceteris atque gravia, eadem Tibi eſſe facillima, atque leviſſima viderentur. Itaque dediſti operam, ut majorem in modum ſtudia litterarum a noſtris excolerentur , vindicaretur S. Thomæ Collegium in eam, quæ ipſi, caſu neſcio quo,

dere-

derepta fuerat, libertatem; Virique Apostolici ad Indos propagandi latius Evangelii caussa proficiscerentur. Quinetiam ut sacrorum ædificiorum amplitudine, elegantia, majestate veræ religionis cultum in Provincia augeres, Limanum S. Mariæ Magdalenæ templum terræmotus impetu funditus eversum longe magnificentius a fundamentis rursum extrui, signis, statuisque B. Virginis, & Sanctorum Ordinis ornari, sacraque suppellectili ditari curasti: inque prædio suburbano, quod Palpa vocant, restitutis servorum ædibus, Basilicam Deo Optimo Maximo fecisti, ac dedicasti, ut Barbarorum illorum, si qui alieni a sacris, atque ab institutis Christianorum essent, animi commoverentur, atque ut Nostroruu hortatu, ac monitis, sic externo apparatu rerum, aspectuque ceremoniarum a superstitione liberarentur. Sed longus essem si omnia abs Te egregie inventa, cœpta, perfecta vellem describere, quæ publicis Peru-

vianæ Provinciæ monumentis mandata, nulla umquam oblivione deleri poterunt. Hoc breve dicam: me, qui nactus patronum tanto ingenio, tanta doctrina, tanta religione ſim, magnumque fructum ceperim laboris mei, ſi, quod fidei tuæ committitur, volumen hoc quintum probaveris, fructum eſſe longe maximum percepturum. Vale.

PRÆFATIO

PRIOREM *Libri Quarti de Personis, dignitatibusque sacris Partem cum plene, cumulateque, ut arbitror, perfecissem, ac de altera ingressus essem hoc volumine scribere, vix ea, quæ sunt de potiore administrandæ, regendæque christianæ reipublicæ ratione attigeram, cum animadverti, in magnum me, atque gravem imprimis incidisse locum, qui a Protestantibus diu multumque vexatus, a Catholicis autem Scriptoribus tractatus uberrime, neque copiose explicari, si in instituto manere; neque, si effugere multorum reprehensionem vellem, perstringi breviter posse videretur. Quum enim mecum jam usque ab eo tempore, quo cœpi de Originibus, Antiquitatibusque Christianis agere, paucis, quoad ejus facere possem, quæ mihi proposita essent ad illustrandum, complecti constituissem; verebar, ne si rem, cetera utilem, magnique in Christiana republica momenti non ornassem, dicam; sed narrando fuse, lateque persequutus essem, non ii solum succenserent mihi, qui cum ab se historiam perscribi putent, tum Casanatensem Theologum majorum instituta, leges, consuetudines, mores exponere conantem, sermonibus, qui sunt de Pontificis Maximi auctoritate, quasi aut novi sint, aut alieni, illigari nolunt; quorum ego hominum cavillationes, σαρκασμοὺς, minas pendo, ut debeo, nihili; verum etiam existerent aliqui, qui me, si iis in rebus omnibus multus essem,*

essem, quas usui futuras existimarem, numquam esse scribendi finem facturum defenderent. Contra non dubitabam, plerosque fore, qui si nonnullam in describendis ceremoniis, ritibus, vestibus ipsis, calceisque veterum; in maximis certe quaestionibus, quibus velut initiis, ac fundamentis esse res summas excitatas perspicerent, multam operam ponendam judicarent, difficilemque quamdam temperantiam in eo postulari dicerent, quod semel jam missum coerceri reprimique non posset, atque in re eo meliore, quo major sit, mediocritatem quaerendam non arbitrarentur. Igitur cum diu multumque cogitavissem, qua ratione & retinerem institutum meum, & satisfacerem iis, qui tam magnis, tamque multis rebus, modum constitui oportere inficiarentur, sic demum agere decrevi, ut qui nostra legerent, hi quidem certe brevitatem magis, quam monumentorum, quibus ecclesiae auctoritas nititur, copiam, sententiarumque perspicuitatem desiderarent. Si namque in explicandis locis ceteris, quibus nihil difficultatis, utilitatis autem parum inest, nullo est modo ferenda brevitas, ex qua obscuritas oriatur, multo minus in eo genere ferenda est, quod cum difficile sit, latissimeque pateat, paucis sane verbis neque tractari dilucide, neque pro dignitate expediri potest. Quamobrem episcopatuum ubique gentium institutorum decora, seriem, numerum descripturus, cum ab Romano, qui longe omnibus antecellit, sumendum exordium, ostendendumque esse, quemadmodum ei ceteri subjiciantur, intellexissem, ut ordine, distincteque agerem, mihique ad formam gubernandae ecclesiae demonstrandam pararem viam, quaerendum imprimis duxi, quinam majorum sententia, optimus regendae reipublicae modus esset. Cumque multis & Philosophorum, & Patrum testimoniis confirmassem, eas esse potiores respublicas, quae non a populis, neque a principibus, sed a singulis tenerentur, eo demum adductus disputando sum, ut illius, quam Christus suo sanguine instituerit, auxerit, ornarit, rationem praestantissimam, adeoque non democraticam, neque aristocraticam, sed monarchiam esse oportere efficerem. Quoniam vero fuisse aliquos noveram, eosque de Protestantium quidem sectis, qui ut esse evincerent rationem administrandae ecclesiae popularem, quibusdam sacrorum Bibliorum, majorumque

que

que nostrorum locis abuterentur, non esse ante contra aristocratiæ, quam fingunt, ecclesiasticæ defensores pugnandum censui, quam esset locis iisdem cumulatissime satisfactum. Ad aristocraticos porro, qui pares in administranda, gubernandaque ecclesia episcopis, presbyterisque partes tributas arbitrarentur, alacri tendebam animo, sic paratus, ut nullum vetus monumentum, quod pretii alicujus esset, nobis ab Lutheranis, Calvinianis, Protestantibusque ceteris ferrem objici, quod non mea opera illustratum pateret. Quamobrem non Scripturarum modo, Patrumque, sed etiam Historicorum, quæ aut afferri ab iis, aut indicari viderem, loca explicavi, ut potui, diligenter, accommodateque ad veram, atque germanam auctorum sententiam, scriptoresque novos, qui conjuncti nobiscum communionis societate fuissent, ab invidia liberavi, in quam ab adversariis per summam injuriam fuisse vocatos animadverteram. Consecuta autem adversus eos disputatio est, qui in episcoporum ordine nullum esse, qui divino jure ceteris auctoritate præcedat, censerent, ut omnis illa, quæcumque tandem esset, de aristocratica Hierarchia tolleretur contentio. Cumque a Protestantibus Tertulliani, ac Cypriani testimonia quædam implicari, rapique in pejorem partem cognossem, explicatis iis, quæ accepta ex Tertulliano, contorqueri in orthodoxos solerent, in Cyprianicis, quibus haud parum ut obscuritatis, ita etiam difficultatis inesset, consistendum mihi aliquamdiu esse, demonstrandumque putavi, prioris capitis paragraphi III. *numero primo, quid illud sit: „ Universum orbem unam diœcesim, unumque in ecclesia esse episcopatum, cujus a singulis in solidum pars teneatur „. Quibus expositis, constitutisque rebus, progressus inde sum ad alterum paragraphi ejusdem numerum, fallique eos vehementer ostendi, qui auctore Cypriano „ unumquemque Episcopum, si de servanda religione agatur, universalem pastorem esse, antistitemque orbis christiani universi „ dicerent. Descendi mox ad numerum tertium, iisque confutatis, qui Cypriani ætate „ hanc sibi concessam esse credidisse episcopos auctoritatem, pugnarent, ut exceptis controversiis de religione, fas sibi esse de re quacumque, non reddita cuiquam mortalium ratione, quemadmo-*

dum ipsis placuisset, decernere ,,: ad eam veni tractationem, quæ est de Apostolis, omnesne Cypriani aliorumque Patrum sententia ex institutione Servatoris Christi ,, pares potestate fuerint, an unus eorum aliquis delectus maxime sit, qui principatum in eo Collegio obtineret ,,. Quam cum sacrorum Bibliorum Novi Testamenti, Patrumque, qui ea fuissent interpretati auctoritate evolvere aggressus essem, in eumque epistolæ Pauli ad Galatas incidissem locum, in quo post Jacobum nominatur Cephas, impulsus amicorum hortatu sum, ut ΠΑΡΕΡΓΟΝ *adversus Johannem Harduinum de Cepha, an idem fuerit ac Petrus perscribere. Nam is auctor contra Clementis Romani in priore epistola ad Corinthios num.* XLVII. *contra Irenæi, contra Tertulliani, Patrumque fere omnium, contra Pauli denique ipsius seriem verborum atque sententiarum, sequutus Clementem in Hypotyposibus, nonnullosque alios, quorum longe est levior in hisce rebus existimatio, Cepham nescio quem introduxit, qui e numero non esset Apostolorum. Eo autem perfecto, atque absoluto* ΠΑΡΕΡΓΩ, *redii ad controversiam de Monarchia. Qua quæstione non Patrum consensione modo, traditioneque majorum, quæ libris continetur ecclesiarum, sed Scripturarum etiam auctoritate diremta, oppugnatisque iis, qui illustrem Evangelii Matthæi de ædificata in ecclesiæ Principe republica populi Christiani locum, aliorsum atque Christus Servator voluerit, freti obscuris veterum quorumdam, implicatisque sententiis, accipere auderent, accessi ad trita illa, ac pervulgata Cypriani, Ambrosiique dicta de pari honore, ac dignitate Apostolorum, utque essent intelligenda, etsi breviter, satis tamen, nisi meus me fallit amor, aperui, ut debui, accurate. Quinetiam, quod acturum me aliquando promisissem de iis, quæ turbata in hoc genere ab Apostata Spalatensi fuissent, fidem, quod tempus monebat, liberaturus, interjeci adversus ea disputationem sane longam; qua proposita significatione verborum Christi de tradita principi Apostolorum pascendarum ovium potestate, declaratisque* ῥητοῖς *veterum, quibus idem ille Apostata confidisset, a pagina* CLXVI. *ad* CCXI. *caussam defendi Catholicorum, sicque argumentorum conclusi sententias, ut cum neque*

aristo-

aristocraticam, neque democraticam esse oportere demonstravissem, monarchicam esse efficerem gubernandæ ecclesiæ rationem. Sed cum fuisse aliquos accepissem, quorum, tametsi omnes pro ecclesiastica monarchia certarent, pars tamen democratia, atque aristocratia, pars aristocratia esse illam temperatam contenderet; quumque eorum postremis, quamquam & Catholicis, & verbis se, non autem reipsa contra nos pugnare ajentibus, nihilo secius vix; primis vero ne vix quidem assentiri possem: instituendus ea item de re sermo paragrapho quarto capitis ejusdem prioris fuit. Ac monarchia quidem reipublicæ populi Christiani, cui neque democratia, neque aristocratia admixta sit, ut adversus Richerium, reliquiasque Quesnellianorum, sic adversus eos, qui æquiores nobis aut haberentur, aut non haberentur solum, sed etiam essent, a pagina CCXII. *ad* CCLXXXII. *cum veterum scriptorum, tum novorum ut Petavii, ut Maucleri, ut Orsii argumentis firmata, ventum ad paragraphum quintum est, qui de Petro principe Christianæ monarchiæ a Christo constituto inscribitur. Monarchico enim administrandæ regendæque ecclesiæ genere demonstrato, illud esse videbatur reliquum, ut quinam dictus primus omnium princeps, atque monarcha a Christo fuisset, ostenderetur. Quod si ex illis majorum testimoniis, quibus ab uno gubernari remChristianorum publicam oportere statueram, Petro primum eam principatus, & dignitatem, & potestatem fuisse tributam, manifestum erat; tamen series ipsa rerum, atque institutus ordo exhortabatur, ut id etiam decretum orthodoxæ religionis, quod ceterorum, quæ sequerentur origo, & caput esset, distincte, fuseque exponerem, sacrorumque Bibliorum Novi Testamenti locis, ac Patrum omnium* I. II. III. *atque insequentium seculorum, librorumque liturgicorum ut occidentis ita quoque orientis ecclesiarum consensione, & monumentis iis, quæ reperta in cryptis urbis fuissent, confirmarem; depulsisque & multis, & prima specie gravibus argumentis hæreticorum, ab injuria vindicarem. Quia vero extremum quorumdam adversariorum in Paulo locatum esse præsidium animadverteram, quem saltem unum dicerent parem omnibus rebus fuisse Petro, hos equidem facile una cum illis coerceri, re-*

 pri-

reprimique judicavi posse, qui cum monarchiæ ecclesiasticæ susceptam ab se fuisse defensionem affirmarent, tum monarchas initio duos, qui caput unum constituerent, Petrum, Paulumque fuisse Christianæ reipublicæ divinitus datos vociferarentur. Itaque sequutus numerus paragraphi ejusdem quinti decimus est, quo in numero, præstantior ne Petrus Paulo auctoritate fuerit, quæritur. Atque in hoc controversiæ genere expediendo, optimum factu esse duxi, si priore loco historiam descripsissem eorum, quæ dicta, gestaque ab adversariis contra fuissent; tum claves, etsi omnes Apostoli episcopi fuerint, tamen, majorum sententia, Petro datas aliis communicandas, *adeoque Apostolum Paulum, qui Episcopus item fuerit, loco, munere, atque ordine æqualem Petro fuisse demonstravissem; constituissemque deinceps Patrum, majorumque omnium auctoritate, eum, etiam si socius Petri in fungendo episcopatu Romano fuisset, atque hoc quidem pacto par fuisset Petro, nihilo secius neque Romanum episcopum revera fuisse, neque quod gravissimum est, monarcham, atque Pontificem omnium ecclesiarum. Subsequutum autem alterum est caput de caussis, quæ majores nostros impulerunt, ut imagines Petri ad lævam, Pauli ad dexteram collocandas arbitrarentur, ut nec prætermitterem quidquam eorum, quæ ab inimicis catholici nominis objicerentur, Paulo aut æquatum olim, aut postpositum fuisse Petrum pugnantibus; & eruditis viris, quamobrem, cum potior existimaretur dextera, icones Petri ad lævam fuissent collocatæ quærentibus, satisfacerem. Sententiarum enim, quas ab Allatio, ab Raynaldo, a Batellio, Bonarrotioque numeratas legimus, cum tam variæ, tamque discrepantes inter se sint, fieri, ajunt, posse, ut nulla; ut vero plus una vera sit, fieri omnino non posse. Quare ut ordine omnem ejus loci quæstionem complecterer, partitus sum caput idem secundum in paragraphos tres, quorum est prior de antiquioribus monumentis Petrum ad dexteram exhibentibus, Paulum ad lævam. Quem paragraphum, cum in partes sex divisissem, sic processi, ut primo loco in cœmeterialibus vitris, quod genus monumentorum omnium antiquissimum est, Petri imagines semper dexteram, tum in æneis lucernis, laminisque, quæ vitris, succedunt; post in marmoribus; inde in picturis,*

ctturis; deinceps in musivis; postremoque in eburneis tabulis modo mediam, modo dexteram, modo lævam occupare partem, propositis exemplis docerem. De his autem tabulis cum orationem instituissem, rem lectoribus & utilem, & gratam facturus, Triptycon vetus eburneum, quod anno MDCCXLVIII. *a viro clariss. P.M.F.Thoma Pio Schiara Primo Bibliothecæ Casanatensis Præfecto collega tunc meo emi curaveram; cui sane Triptyco Iambi aliquot, iconesque Christi, Deiparæ, Præcursoris, Petri, quatuorque aliorum Apostolorum, sex sanctorum episcoporum, martyrum decem insculptæ sunt, edidi, multisque animadversionibus illustravi. Priore vero paragrapho absoluto, ad alterum feci gradum, ostendique brevi, numquam stabili usu obtinuisse, præterquam in Bullis Pontificum Maximorum, ut in monumentis ecclesiarum, sive ficta, sive sculpta, picta, musivoque opere perfecta fuissent, Paulus semper ad Petri dexteram cerneretur. Contuli me deinde ad tertium, propositisque initio multorum de ratione pingendorum, sculpendorumque Petri imaginum ad Pauli sinistram sententiis, eum quoque distribui in partes quatuor, quarum prima paucis illorum explosi opinionem, qui apud Græcos, Latinos, Hebræosque dexteram olim fuisse potiorem constituissent; altera autem eorum & errores, & nugas depuli, qui aut fraude Græcorum, aut modestiæ Petri indicandæ, aut habitæ rationis inspicientium caussa factum putarunt, ut idem Apostolus Pauli latus sinistrum tegeret; tertia Johannem Lucium virum alioqui eruditissimum oppugnavi, qui sibi facile persuaserat, ante Leonis Tertii P. M. ætatem Romæ habitam fuisse a Christianis honorationem lævam; quarta quid statuto ea de re opus esse censerem, exposui: ut quoniam in nummis Imperatorum, inque ceteris veterum sive ethnicorum, sive christianorum monumentis hominem digniorem, præstantioremque, si dextera aliquid agens exhibeatur, lævam occupare cernerem, Petri quoque dexteram aliquid agentis iconas propter majorem & auctoritatem, & dignitatem, poni ad Pauli lævam sæpe consuevisse; dextera autem nihil agentis, aut perraro poni consuesse crederem, aut numquam. Addidi mox alteri huic caput tertium; quod est de Titulis honorum Beati Petri, quod hinc etiam consequens esse perspi-*

perſpicerem, eum Apoſtolum Principem a Chriſto, atque monarcham fuiſse eccleſiæ conſtitutum. Hoc labore perfunctus nonnihil operæ in eos quoque conſumendum cenſui, qui conceſso etiam principatu Petri, cum is Romam numquam advenerit, nihil nos pro Pontificis in chriſtiana republica poteſtate pugnantes proficere jactarent poſse. Quamobrem caput perfeci de itinere, deque martyrio Petri, quartum. Sed quum reperirentur permulti, atque ii quidem omnes de numero Proteſtantium, qui etſi Principem Apoſtolorum Romam veniſse, in eaque Urbe martyrio functum fuiſse confiterentur, illoſque qui contra dicerent, non refellerent modo, ſed etiam deriderent, eum tamen epiſcopum fuiſse Romanum pugnaciſſime negarent, quintum adjunxi caput, quod de epiſcopatu Petri Romano inſcriptum eſt. Atque hæc capita quinque pars tomi hujuſce quinti prior complectitur: cui pars altera, ſi per valetudinem licuerit, ſequenti accedet anno, qua omnis Primatis eccleſiæ privilegiorum, Patriarchatuum, Hexarchatuum, Metropoleon, Epiſcopatuum deſcriptio continebitur.

NOS

NOS
FR. VINCENTIUS MARIA
FERRETTI
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR,
AC TOTIUS ORDINIS PRÆDIC. HUMILIS VICARIUS, ET PROCURATOR GENERALIS, ET SERVUS.

HArum ferie, noftrique auctoritate officii facultatem, quantum in nobis eft, concedimus tibi Ad. R. P. M. Fratri Thomæ Mariæ Mamachio Provinciæ noftræ Romanæ Theologo Cafanatenfi, ut poffis typis mandare Tomum V. operis, cui titulus: *Originum, & Antiquitatum Chriftianarum libri* XX. a te compofitum, de mandato noftro revifum, & approbatum a duobus Ordinis Noftri Theologis, videlicet ab admodum Reverendo P. Magiftro *F. Johanne Thoma de Boxodors Provinciali Terræ Sanctæ, & focio noftro*, & ab Ad. R. P. M. F. *Thoma Pio Schiara Bibliothecbæ Cafanat. Præfecto*, fervatis de jure fervandis. In nom. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ fuper Minervam die 15. Septembris 1755.

FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI
Vicarius, & Procur. Generalis Ord.

Regift. pag. 19.

Fr. Thomas Ignatius Natta S.T. Mag. & Socius.

AP-

APPROBATIONES

PRO confirmato nobis a Reverendiſſimo Patre Vicario Ordinis munere, & hunc quintum probamus *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum* tomum; quod in eo perinde atque in prioribus auctor Clariſſimus, & in rebus recte, & in oratione graviter nobis eleganterque verſari videatur.

Dat. Rom. in Con. S. M. S. M. die 15. Septembris 1755.

F. Jo. Thomas de Boxadors Ord. Præd. Provincialis Terræ Sanctæ, Reverendiſs. Vicarii, & Procuratoris Generalis Ord. Socius.

Fr. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Caſanatenſi Bibliothcæ Præfectus,

JUſſu Reverendiſs. P. F. Auguſtini Orſi S. P. A. M. Ord. Præd. legi volumen quintum celeberrimi operis: *Originum & Antiquitatum Chriſtianarum*, a cl. viro P. M. F. Thoma Maria Mamachio compoſitum, quod quum non modo nihil contineat, quod Chriſtianæ Religionis dogmatis, moribuſque repugnet, ſed omni potius eruditionis genere refertum, incredibilique dicendi vi, facilitate, atque elegantia conſcriptum ſit, cenſeo illud in commune noſtræ Religionis totiuſque litterariæ Reip. commodum, atque utilitatem typis vulgari poſſe.

Datum Romæ in ædibus S. Hieronymi Charitatis die 15. Septembris 1755.

Joſephus Catalanus Presbyter Oratorii S. Hieronymi Charitatis.

INDEX

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

LIBER QUARTUS

De Episcopatibus ubique gentium constitutis.

LIBRI IV. PARS ALTERA

CAPUT PRIMUM.

Qua-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Ord. Prædic. Reverendiſs. P. Mag. Sacr. Pal. Apoſt. Soc.

ORI-

ORIGINUM, ET ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

LIBRI QUARTI PARS ALTERA

DE EPISCOPATIBUS UBIQUE GENTIUM CONSTITUTIS.

PARS est altera libri quarti Originum, & Antiquitatum Christiarum de Episcopatibus ubique gentium institutis. Quo quidem in genere argumenti vix quemquam arbitror versari diligenter posse, qui non satis explorate cognoverit, quæ series, qui gradus, quæ dignitates sint in Ecclesia constitutæ Episcoporum. Etsi enim omnes imponendarum manuum, consecrandorumque Presbyterorum, regendorumque suorum cœtuum auctoritate præstant, esse tamen in eorum ordine aliquos, qui honore, amplitudineque ceteris antecellant, tam est clarum, tamque perspicuum, ut negari nullo modo posse videatur. Nam a Primate Christianæ reipublicæ, a Patriarchis, ab Exarchis, a Metropolitis administrari Ecclesiam, nemo est tam insigniter impudens,

qui aut negandum, aut in dubium vocandum putet. Quamobrem, ut dilucide, accurateque de Episcopatibus dicam, priore quidem loco de Primate universæ Ecclesiæ ostendam, ullus ne sit, qui sit, quid in Christiana republica juris habeat; tum de Patriarchatibus, num in iis numerare Romanum oporteat? Quam is late continuaretur? Quot Exarchatus, quot Metropoles, quotque Episcopatus suis finibus contineret? Quibus explicatis, demonstratisque rebus, de Alexandrino, de Antiocheno, de Constantinopolitano, de Hierosolymitano, ceterisque Patriarchatibus, qui post fuerunt instituti, sic, eamdem methodum sequutus, agam, nihil ut quisquam a me, quod ad rem maxime pertineat, prætermissum fuisse arbitretur.

CAPUT PRIMUM.

De Primate Universæ Ecclesiæ.

SEd inquirendum imprimis est, quæ, majorum sententia, fuerit a Christo Servatore præscripta administrandæ Christianæ reipublicæ ratio. Nisi enim Monarchiamne, an Aristocratiam, Democratiamve præscripserit, demonstratum sit, unum esse Ecclesiæ Primatem oportere, intelligi profecto non poterit.

§. I.

Ea est a Christo præscripta gubernandæ Christianæ reipublicæ ratio, quam ille cognorat ceteris esse præstantiorem.

COncedendum autem est, eam fuisse Christo Servatori probatam administrandæ Ecclesiæ rationem, quam esse ceteris potiorem sciret. Quum enim summa illum & cognitione rerum, & bonitate præstare constet, viderit quidem necesse est, quod est sapientiæ, delegeritque, quod est

est bonitatis, optimam, præstantissimamque administrandæ, regendæque Ecclesiæ rationem. Nulla est autem caussa, cur in rebus reliquis, ita ut is, quem sibi proposuerat, finis postulabat, fecisse quod optimum esse (1) cognorat, censeamus Deum, in forma autem, rationeque gubernandæ Ecclesiæ non item. Immo vero si magna operum divinorum, Ecclesiæ quidem certe haud minor habenda ratio est, cum certum sit, missum a Patre Filium in mundum fuisse, ut eam suo sanguine constitueret (2).

§. II.

Quam esse majores nostri judicarint præstantiorem administrandæ Christianæ reipublicæ rationem.

I. Intelligo autem fuisse, (3) esseque hoc etiam tempore plerosque, atque eos quidem e numero Protestantium, qui Monarchiæ Aristocratiam, Democratiamque anteferendam esse arbitrarentur. Sed hi cum non ratione, auctoritate

1 Confer Athenagoram *Legat. n.* XVI. *pag.* 310. *edit. Veneta an.* 1747. & *n.* XXV. *p.* 324. Tatianum *Orat. advers. Græcos n.* XIX. *pag.* 276. *edit. ejusd.* & Lactantium *lib. de Opificio Dei cap.* III. *pag.* 77. *tom.* II. *opp. edit. Paris. an.* 1748. quo loco sic statuit: „ Considerans „ conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, ut non dicam potuisse, quia „ Deus potest omnia; sed necesse est, ut providentissima illa majestas id efficeret, quod erat „ melius, & rectius. Libet igitur interrogare istos divinorum operum reprehensores, quid „ in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant „? Non dissidet ab Lactantio Augustinus, cujus hæc est in eo libro, quem contra *Adversarium legis, & Prophetarum* scripsit, sententia *lib.* I. *cap.* XIV. *n.* XX. *pag.* 558. *edit. Paris. Mon. S. Maur. an.* 1688. „ Usque „ adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vi„ disse non putet? Aut putet vidisse, & credat facere noluisse? Aut voluisse quidem, sed „ minime potuisse? Avertat hoc Deus a cordibus piorum „. Consule Dionysium Petavium *lib.* V. *Theologicor. Dogm. cap.* VI. *tom.* I. §. VII. *seqq. pag.* 338 *Edit. Paris.* Atque est illud *cap.* I. *Geneseos v.* 31. perspicuum: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, hoc est, ut interpretes explicare solent, *optima*.

2 *Act. Apost. cap.* XX. *v.* 28. „ Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiri„ tus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

3 Uldaricus Zuinglius *Fascic.* I. *Contempl. Isaiæ Prophetæ*, ut est apud Coccium in Thesauro Catholico *lib.* VII. *Art.* II. *pag.* 791. *tom.* I. *Edit an.* 1619 *Quis non dicturus est*, inquit, *Aristocratiam, atque Democratiam longe præstantiorem esse Monarchia?* Martinus Bucerus *Enarrat. in cap.* V. *Evang. Matth. pag.* 54. *edit an.* 1553. „ Hæc utinam perpenderent ii, *inquit*, qui nescio quas Monarchias somniant, quæ „ numquam fuere, nec optandæ bonis sunt, eo quod nemo, qui est humanæ sapientiæ, & „ vir-

auctoritateque majorum, sed præjudicata opinione, odioque in Ecclesiam Romanam ducerentur, in eas tam ineptas, tamque absurdas sententias inciderunt, quæ ne ethnicis quidem Philosophis probarentur. Contra veteres quique, ac multi etiam novi scriptores, qui Orthodoxam colerent religionem, Philosophisque accurate de republica disserentibus assentirentur, Monarchiam ceteris regendorum humanorum cœtuum rationibus præferri oportere constituerunt. Atque uti omni me invidia liberem, describam breviter decreta veterum Christianorum de Monarchia.

II. Etsi vero explicanda primum omnium notio Monarchiæ esset, quoniam tamen actum a nobis de hoc genere argumenti alio loco est, nulla est caussa, cur esse rursum agendum videatur. Itaque eorum, qui liberi sint, nullaque ejusmodi adstricti necessitate, ut certis quibusdam, destinatisque opinionibus teneantur, clamo, postulo, atque imploro fidem, ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid sit majorum judicio de Monarchia existimandum. Ac eos profecto, qui novis rebus studerent, modo verum confiteri voluissent, repugnare Calvino, atque Zuinglio coegisset antiquissimorum, doctissimorumque hominum in maxima

„ virtutis angustia, vel unam civitatem probe satis gubernare queat, a provehenda, „ asserendaque Christi religione principes, & respublica, propterea quod illi adversatur „ potestas superior, deterrent. Profecto qui in unum transferre hominem conatur pote„ statem, quam quidem Deus, ut rebus humanis maxime conducebat, dispartitus est in „ plurimos, is ordinationi Dei resistit, ut D. Paulus scripsit. Nihil quidem foret Mo„ narchia optabilius, si quisquam esset, qui unus posset sapere pro tam multis, hoc est si „ quis Deo similis princeps posset haberi „. Quibus ille verbis, cum similis esse quisquam hominum Deo non possit, Monarchia Polyarchiam esse potiorem statuit. Zuinglio assentitur Calvinus in IV. *Institutionum libro cap.* VI. §. IX. *pag.* 296. *tom.* IX. *opp. Edit. an.*1667. *& cap.*XX. §.VIII.*pag.*199. Non discrepant Hieronymus Wolfius in adnotationibus ad Isocratis Nienclem, quo loco copiose contra Monarchiam disputat, iique, quorum aliquos Gretserus refellit *Defens. Bellarm. lib.*1. *cap.*1. *&* II. *De Rom.Pont. pag.*213. *seqq. Edit. opp. an.* 1737. *tom. opp.* IX. Daniel Chamierus Panstr. *Cathol. lib.* IX. *cap.* VIII. *num.* XIV. *pag.* 303. *tom.* II. *edit. an.* 1626. negat, *Monarchiam aut absolute reliquis formis præstare, aut utilem esse Ecclesiæ gubernandæ*. Samuel Maresius *tom.*1. *Theol.* Elenchticæ *Controv.* VI. *pag.* 196. *edit. Groningæ an.* 1648. Monarchiam ceteris esse modis gubernandæ reipublicæ potiorem facile concedit, etsi Monarchiam universalem uni homini, imprimisque Romano Pontifici competere neget posse. Johannes Gerhardus *in Confess. Catholica Doctrina tom.* II. *opp. edit. Jenensis an.* 1660. *lib.* II. *Art.* III. *cap.* I. quod est *De Monarchico regimine Ecclesiæ num.* VI. *pag.* 421. nihil per se ipse statuit, unum satis sibi esse putans: non omnibus ita cum Romanis convenire, ut Monarchiam esse arbitrentur ceteris regendæ reipublicæ rationibus potiorem.

maxima re tanta consensio. Nam Justini Martyris, atque Philosophi, quem vixisse constat Antoninorum temporibus, in Cohortatione ad Græcos (1) sententia est, multorum esse principatum plenum periculorum. Quamobrem Monarchicam gubernandæ reipublicæ rationem ceteris esse præstantiorem. Cyprianus autem in libro, quem de vanitate Idolorum (2) scripsit, regni societatem aut cum fide cœpisse umquam,

1 *Pag. 20. num.* XVII. *edit. opp. Paris. an.* 1742. quo loco hunc Homeri ex Iliade. *B.* versum 206. describens, qui sic habet:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω

Non bonum multorum principatus. Unus Princeps esto,

statuit: ὅτι δὲ οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, ἀλλὰ τοὐναντίον κακὸν, ἔργῳ δηλῶσαι προύθετο, πολέμους τε αὐτῶν διὰ τὸ πλῆθος, καὶ μάχας, καὶ στάσεις, καὶ κατ' ἀλλήλων ἐπιβουλὰς διηγούμενος· τὴν γὰρ μοναρχίαν ἄμαχον εἶναι συμβαίνει: „ Quod autem non bonum sit multorum principatus, sed potius contra malum, opere demonstrat, dum sibi proposuit eorum bella propter multitudinem, & pugnas, & seditiones, & mutuas insidias enarrare. Nam Monarchiam sine pugnis esse convenit „. Daniel Chamierus *loc. cit.* §. LII. *p.* 310. Justinum non de variis reipublicæ administrandæ modis, sed de uno Deo agere scribit, propterea quod multorum sit noxius principatus. Atque sic quidem Martyrem velle: administrari recte nequire rempublicam, in qua plures sint, quibus *absoluta* auctoritas competat. Itaque si duo sint, pluresve reges, maximam in regnum invehi partem incommodorum. Nam dissensiones continuo oriri, cædesque, ut Remi, Romulique exemplo constat. De regni autem societate, non de Aristocratia, Democratiaque Justinum disserere, in quibus postremis duobus administrandæ civitatis modis nihil inest eorum, quæ ab eo reprehenduntur. At enim Ethnici *absolutam* auctoritatem Diis minime tribuebant. Alios enim aliis rebus præfectos ajebant, conciliaque nescio quæ narrabant, in quibus de universitate rerum ab divis constitui consuesse fabulabantur. Hæc igitur portenta Poetarum refellens Justinus, eique generi principatus Monarchiam præferens, satis indicat Monarchiam Aristocratiæ, ac Democratiæ præstare. Si qui autem sunt, qui bella, dissensionesque tam facile in republica ex Monarchia, quam ex Aristocratia, Democratiave existere putent posse, næ hi vehementer errant, qui non intelligant, unum, qui imperium teneat, continere facilius homines in officio solere, quam plures, quorum sint studia persæpe, voluntatesque dissentientes.

2 *Pag.* 10. *edit. opp. Amstelod. an.* 1700. „ Unus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando umquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia, & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompejus, & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hoc tantum de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus: Multo magis mundi unus est rector, qui universa quæcumque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat „. Huic item Cypriani loco tenebras conatur Chamierus loco modo indicato, noctesque obducere. Nam de regni societate disputari a Cypriano defendit, de republica vero qualibet, ut de Aristocratia, Democratiaque, non item. Quasi vero cum dissidere inter se Cæsar, atque Pompejus cœperunt, quæ sunt dissidia commemorata a Cypriano, sublata esset Romanorum respublica. Exempla autem de apibus, deque animantibus, quibus idem utitur Cyprianus, quis eo pertinere neget, ut demonstretur, Monarchiam esse ceteris reipublicæ gubernandæ modis præstantiorem?

umquam, aut sine summa perturbatione reipublicæ desiisse negat; statuitque cum rex apibus, rectorque armentis unus sit, unum item esse in republica principem oportere. Estque jam horum simile, quod habet Lactantius in I. Institutionum libro (1). Sed Eusebii Cæsareensis insignis est de Monarchia in Evangelica Demonstratione locus. Nisi enim in unius hominis ditionem provinciæ, regionesque, quæ diversis regibus parebant, venissent, dissensiones, turbas, cædes, bella denique impedimento fuisse futura confirmat, quo minus tam late religio Christiana propagaretur. Id vero ille acceperat ab Origene, qui paucioribus verbis eam est in libris contra Celsum Epicureum complexus sententiam. Idem est etiam auctor Eusebius in Oratione de laudibus Constantini (2): Monarchiam longe ceteris gubernandæ reipublicæ modis præstare. Nam multorum pari honore, potestateque præditorum imperium factionem potius, quam principatum appellandum putat. Nec vero secus Athanasius in ea, quam edidit contra Gentes, ora-

1 *Cap.* III. *pag.* 10. *tom.* I. *opp. edit. Parif. an.* 1748. „ Quis dubitet potentissimum esse „ regem, qui totius orbis habeat imperium? Neque immerito, cum illius sint, quæ ubi- „ que sunt omnia, cum ad eum solum omnes undique copiæ congerantur. At si plures par- „ tiantur orbem, minus certe opum, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam „ portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo Dii, si plures sint, minus valebunt, „ aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfectior natura potest esse in eo, in „ quo totum est, quam in eo, in quo pars exigua de toto est .... si partiti sunt inter se offi- „ cia, eodem revolvitur res, ut ex iis quilibet sufficere omnibus nequeat .... Non vident, „ qui Deos multos esse credunt, fieri posse, ut aliqui diversum velint, ex qua re disceptа- „ tio inter eos, & certamen oriatur: sicut Homerus bellantes inter se Deos finxit, cum „ alii Trojam capi vellent, alii repugnarent. Unius igitur arbitrio mundum regi necesse „ est. Nisi enim singularum partium potestas ad unam providentiam referatur, non poterit „ summa ipsa constare, unoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie per- „ tinet, sicut ne res quidem militaris, nisi unum habeat ducem, atque rectorem. Quod si „ in uno exercitu tot fuerint Imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot „ alæ, primum nec instrui poterit acies, unoquoque periculum recusante, nec regi faci- „ le, aut temperari, quod suis propriis consiliis utantur omnes, quorum diversitate plus „ noceant, quam prosint. Sic in hoc rerum naturæ imperio, nisi unus fuerit, ad quem „ totius summæ cura referatur, universa solventur, & corruent. Dicere autem multorum „ arbitrio regi mundum tale est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes, „ quoniam multa, & varia sunt ministeria membrorum, ut singulos corporis sensus singulæ „ mentes regere credantur „.

2 Confer testimonia Origenis, Eusebii, Ambrosii, Hieronymi, & Augustini, quæ indicavi *lib.* II. *hujus operis par.* I. *cap.* II. §. II. *pag.* 214. *tom.* I. Estque eorum simile, quod

oratione (1), multitudinem principum id efficere dicens, ut nullus esse princeps videatur (2), monarchiam anteponit polyar-

quod s. Leo Pontifex in priore de ss. Petro, & Paulo Apostolis sermone scribit, *cap. II. pag. 79. edit. opp. Venet. an.* 1741. Nam habet hoc modo: „ Deus bonus, & justus, & omnipotens, qui misericordiam suam humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit, voluntariam semper errantium caecitatem, & proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio, & altiori pietate miseratus est, mittendo verbum suum aequale sibi atque coaeternum. Verbum igitur caro factum ita divinam naturam naturae univit humanae, ut illius ad infima inclinatio nostrae fieret ad summa provectio. Ut autem hujus inenarrabilis gratiae per totum mundum diffunderetur effectus, Romanum regnum divina providentia praeparavit, cujus ad eos limites incrementa producta sunt, quibus cunctarum undique gentium vicina, & contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, ut multa regna uno confoederarentur imperio, & cito pervios haberet populos praedicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. Haec autem civitas ignorans suae provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Unde quantum erat per diabolum tenacius illigata, tantum per Christum est mirabilius absoluta. Nam cum duodecim Apostoli accepta per Spiritum sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet „.

1 *Cap.* III. *pag.* 657. *&* 658. *H. E. & lib. de Vit. Constant. edit. Taurin. ann.* 1746. „ Noster Imperator, *inquit*, tamquam solis jubar, homines locorum spatiis longissime remotos, Caesarum suorum praesentia, quasi quibusdam radiis ex se procul emissis illustrat. Ac nobis quidem, qui orientem incolimus, sobolem plane se dignam attribuit, alteram vero ex filiis alteri hominum parti, aliam rursus alibi, tamquam faces quasdam, & luminaria ex sua luce diffusa partitus est. Fortissimos deinde quatuor Caesares, quasi quosdam equuleos uno imperialis quadrigae copulans jugo, & caelestis consensus, atque concordiae habenis eos devinciens, ipse sublimia veluti auriga incitat, atque impellit, universum terrarum orbem, qui solis illustratur radiis, percurrens, ubique praesens, & omnia inspectans. Denique caelestis imperii imaginem sursos oculis in caelum defixis ad primitivi illius exemplaris similitudinem res mortalium regit, monarchiae Dei adumbrata quadam effigie roboratus. Hoc enim summus universorum rex soli omnium, quae in terra sunt, animantium, humano generi indulsit; *Quippe haec regia potestatis lex est, quae omnes unius imperio subjacere decernit. Porro imperium singulare supra omnes status, & administrationes eminet. Etenim multorum aequali inter se potestate praeditorum dominatio, quae huic opposita est, turba potius, & tumultus dici debet.* Νόμος γὰρ οὗτος βασιλικῆς ἐξουσίας ὁ τὸν κατὰ πάντων μίαν ἀρχὴν ὁριζόμενος. Μοναρχία δὲ τῆς πάσης ὑπερέχει συστάσεώς τε καὶ διοικήσεως. ἀναρχία γὰρ μᾶλλον, καὶ στάσις ἡ ἐξ ἰσοτιμίας ἀντιπαρεξαγομένη πολυαρχία.

2 Athanasius *Oratione contra Gentes num.* XXXVIII. *pag. 36. seq. tom. 1. part. 1. opp. edit. Paris. an.* 1698. „ Si civitatem ex multis, & diversis hominibus pusillis, & magnis, divitibus, & pauperibus, senibus, & adolescentibus, viris, & mulieribus compositam praeclare administrari, & regi cerneremus, illosque, qui eam componunt, tametsi diversos, concordes tamen inter se esse, neque divites adversus pauperes, neque majores contra minores, aut juniores contra senes pugnare, sed omnes aequaliter pacem habere, si haec inquam videremus, plane intelligeremus ὅτι ἄρχοντος παρουσία *Principis praesentiam* hujus concordiae caussam esse, etiamsi eum oculis non intueremur. Etenim ubi ordo non est, sed confusio, argumento est, nullum ibi moderatorem esse, at ubi τὸν ἡγεμονεύοντα

Polyarchiæ. Hieronymus (1) quoque apum, aliarumque quarumdam animantium exemplis usus, multorum imperio unius principatum præfert. Neque minus in hoc genere accuratus, ac diligens Johannes fuit, is, qui ob elegantiam, copiamque orationis Chrysostomus (2) est a majoribus

„ οὕτω τὰ δείκνυσι *rectorem ostendit* .... Si plures mundo præessent, ordo ille servari non „ posset, sed omnia confusione, & perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad „ suum arbitrium traheret, & adversus alium pugnaret. Namque ut multos Deos nullos „ Deos esse diceebamus, οὕτως ἀνάγκη τὴν πολυαρχίαν ἀναρχίαν εἶναι, *ita necesse est, ut* „ *Polyarchia*, (seu *multorum principatus*) fit *Anarchia*, seu *nullius principatus*. Cum „ enim alter alterius imperium everteret, nullus certe esset, qui imperaret, & dominaretur, nemo, qui regeret, & gubernaret. Ubi autem nullus rector est, illic necessario „ nullus ordo est, sed tantum confusio. Contra vero multorum, & diversorum unus ordo, „ & consensus ἕνα καὶ τὸν ἄρχοντα δείκνυσι *& unum principem ostendunt*,,. Assentitur Synesius in ea, quam de regno inscripsit, Oratione *pag.* 19. *edit. Paris. an.* 1640. „ Monarchiam, *inquit*, Tyrannis invisam reddit, ζηλωτὴν δὲ ποιεῖ βασιλεία· καὶ Πλάτων „ αὐτὴν θεῖον ἀγαθὸν ἐν ἀνθρώποις καλεῖ, *amabilem autem reddit regnum. Et Plato ipsam* „ *divinum bonum appellat*,,. Ducta deinde ex divinis rebus similitudine subdit: „ idem „ autem ipse, quod divinæ sortis est particeps, omni fastu docet, arrogantiaque vacare „ oportere. Neque enim Deus quasi in scena seipsum ostentans, aut prodigiis, ac terrificia rebus editis, sed tacita quadam via gradatim contendens, juste humana moderatur, „ iis omnibus adesse paratus, quæ natura sunt ad participandum idonea. Hoc modo sentio regem commune omnibus bonum, nec insolentem esse debere &c.

1 *Epist.* xcv. *al.* iv. *pag.* 775. *tom.* iv. *opp. edit. Martianai*: „ Etiam muta animalia, & „ ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues unam sequuntur ordine litterato. Imperator unus. Judex unus Provinciæ. Roma ut condita est, „ duos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ utero „ Esau, & Jacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, „ singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi unus „ gubernator. In domo unus dominus. In quamvis grandi exercitu unius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit „ oratio, ut doceat te non tuo arbitrio dimittendum &c.,, Hæc ille ab Gregorio Nazianzeno acceperat, qui tricesimæ quintæ Orationis initio scribit: *pag.* 562. *tom.* 1. *opp. edit. Colon. an.* 1690. „ Tres antiquissimæ de Deo sententiæ sunt, *anarchia*, *polyarchia*, *&* „ *monarchia*. Ac duæ quidem priores ab ethnicis lusæ sunt, & sane ludantur. Nam & quod „ nullius imperio gubernatur, confusum est, ac perturbatum. τό τε πολύαρχον στασιῶδες, „ καὶ οὕτως ἄναρχον, καὶ οὕτως ἄτακτον. *Polyarchicum autem factionibus, dissidiisque* „ *obnoxium est, atque ita sine principatu, atque ita inordinatum*. Ambo enim illa „ eodem tendunt, nimirum ad statum ordinis omnis expertem, hæc autem (nempe Polyarchia) ad solutionem. Perturbatio quippe solutionis meditatio est. ἡμῖν δὲ μοναρχία τὸ „ τιμώμενον. *At nobis monarchia honoranda est*.

2 *Homil.* xxxiv. *in* 1. *epist. ad Corinth. num.* iii. *pag.* 313. *tom.* x. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri an.* 1732. „ Ideo quasi ab uno capite totum generis humani corpus colligavit. Et quia in principio duo quidem videbantur esse, vide quomodo illos conglutinet, & in unum cogat per connubium. *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem* „ *suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una &c.* Deinde ut „ aliud quidem subjiceretur, aliud imperaret. τὸ γὰρ ὁμότιμον οἶδε πολλάκις μάχας „ εἰσάγειν. Οὐκ ἀφῆκε δημοκρατίαν εἶναι, ἀλλὰ βασιλείαν. *Nam paritas honoris solet* „ *sæpe pugnas inducere. Non sivit democratiam*, hoc est, *populare imperium esse, sed* „ *regnum*.

bus appellatus. In homilia enim, quæ tricesima quarta in priorem epistolam ad Corinthios est, populari imperio anteponit regnum. Theodoritus (1) autem iisdem permotus argumentis, quibus niti, ac fidere Justinum diximus, Monarchiam vocat omnium optimum gubernandarum rerum publicarum modum. Longum est de ceteris, qui aut eodem, quo Theodoritus, aut aliquo post tempore floruerunt, dicere. Rationum autem momenta, quibus usi veterrimi Poetæ, Philosophique (2) fuerunt, ut potiorem esse Polyarchia Monarchiam efficerent, cum in civili republica plurimum valeant, quid est, quod valere in Ecclesiastica non possint?

Atque sunt ea quidem breviter explicata ab Arnisæo in secundo de Republica libro (3). Vetus autem opinio est,

„ *regnum*, hoc est Monarchiam „. *Et homil.* xxxiv. *in epist. ad Hebræos num.* 1. *pag.* 311. *tom.* xii. *opp. edit. ejusd.* „ Malum quidem est anarchia, & argumentum multarum calamitatum, ac principium perturbationis, & confusionis. Maxime vero in Ecclesia id tanto perniciosius est, quanto principatus ejus major est ac sublimior. Nam sicut si chori coryphæum, & ducem sustuleris, non erit amplius chorus congruus, & ordinatus; & si a phalange exercitus amoveris imperatorem, non erit amplius ordinata acies; & si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges: ita etiam si a grege pastorem abstuleris, omnia evertisti.

1 Theodoritus *Therapeuticees*, seu libri *de curandis Græcorum Affectionibus serm.* III. qui est *de Angelis tom.* IV. *opp. edit. Paris. an.* 1642. *pag.* 506. „ Nullius, *inquit*, & multorum principatum ut rem noxiam accusantes, monarchiam suscipimus, & Homericam sententiam laudamus, quæ hujusmodi legem instituit: *Haud bona res multi domini, rex unicus esto, unicus Dominus*. Hæc autem ego non frustra jactito, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀνθρωπίνων δεικνύναι τὰ θεῖα πειρώμενος. *Sed ut ab humanis rebus divina demonstrem*. Quare Theodoritus in humanis rebus præstare Monarchiam Polyarchiæ putavit.

2 Non est opus, multa ut e Philosophis, Oratoribus, Poetisque antiquis repetam. Nobis enim propositum est, non ethnicorum dictis, sed ss. Patrum sententiis agere. Quod si quis de opinionibus veterum Philosophorum cognoscere volet, is consulat Jodocum Coccium *Thesaur. Catholic. lib.* VII. *de Hierarch. Ecclesiast. art.* II. *pag.* 794. *seq. edit. Colon. an.* 1619. Jacobum Gretserum *Defens. Controv. Rob. Bellarm. lib.* I. *cap.* II. *de Rom. Pont. pag.* 316. *tom.* II. *edit. ann.* 1609. Nicolaum Mariam Pallavicinum Soc. Jesu Theologum Opere inscripto: *Difesa del Pontificato Romano, e della Chiesa Cattolica, ove si dimostrano la Sovranità, la Infallibilità, la Santità, e altre sublimi doti del Principato Apostolico &c. Lib.* I. *cap.* I. *seq. pag.* 3. *seqq. tom.* I. *edit. Rom. an.* 1687. Michaelem Mauclerum Parisinum Doctorem in opere: *De Monarchia Divina Ecclesiastica, & seculari l.* IV. *c.* I. *seqq. pag.* 109. *seqq. edit. Paris. an.* 1622. & Nicolaum Sanderum, ut innumerabiles alios prætermittam, *l.* II. *cap.* II. *de Vis. Monarch. p.* 111. *seqq.* Sed permultos eorum, qui Monarchiam præferendam ceteris gubernandæ reipublicæ formis putarunt, numerat Henningius Arnisæus *lib.* II. *de Republica cap.* VII. *pag.* 930. *edit. an.* 1636.

3 Loco modo indicato *pag.* 934. Est enim principio animadvertendum, vitio quidem hominum in quasque reipublicæ gubernandæ rationes invehi incommoda facile posse, sed

in

eaque jam doctissimorum hominum firmata consensu, Monarchiam non successione filiorum modo in Principum parentum locum, sed etiam *electione* posse consistere. Immo vero fuerunt aliqui, quos summa Philosophiæ laude floruisse intelligo (1), qui *electione* Principis potius, quam successione Monarchicam administrandæ reipublicæ formam conservari posse defenderent. Fieri enim interdum ajebant, ut prudenti patri, cui summæ curæ publica felicitas fuisset, filius imprudens succedat, qui sua, non civitatis commoda consectetur, quod sane damnum longe ab republica abesse arbi-

in alias plura, in alias pauciora. Quamobrem si qua est harum rationum ceteris præferenda, ea quidem est, quæ minore agitari parte incommodorum potest. Minoribus autem incommodis Monarchiam, quam Aristocratiam, Democratiamque premi posse, certum est. Quamquam non illud quærimus, quæ vitio aliquorum mala in civitate oriantur, sed quæ sit ceteris potior regundæ communitatis, administrandæque forma. Nihil autem est iniquius, quam, ut ait Isocrates in ea, quam paullo ante indicavimus, oratione *pag.* 27. τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφέρειν *hominum malitiam ad res transferre*. Quo magis Monarchia est Oligarchiæ, Polyarchiæque anteferenda, cum longe sit facilius reperire unum aliquem sapientia, virtuteque illustrem virum, quam multos, qui moderentur rempublicam. Itaque recte est ab Dione dictum in quarto, & quadragesimo libro Historiarum *pag.* 241. *edit. an.* 1606. ῥᾷον τι γὰρ ἕνα τινὰ χρηστὸν, ἢ πολλοὺς εὑρεῖν. *Facilius enim unum quempiam bonum, quam multos reperire*. Quare cum Trajanus in convivio ab amicis petiisset, ut decem viros nominarent, quos esse dignos principatu arbitrarentur, mox addidit: Ἐννέα δέομαι μαθεῖν. Τὸν γὰρ ἕνα, τουτέστι Σεβηριανὸν, ἔχω. *Novem ex vobis audire cupio. Nam unum habeo, nempe Severianum*. Xiphil. *epist. Dion. lib.* LXIX. *pag.* 795. *edit. ejusd.* atque e novis Bodinus in II. *De republica libro c.* VI. *pag.* 216. *edit. an.* 1586. (Aristotelem *lib.* III. *Politicor. cap.* XV. *pag.* 452. *tom.* II. *opp. edit. Aurel. Allobrog. an.* 1606. secutus) rejicit, ut inanem, & commenticium, optimorum statum, propterea quod aut pauci fere optimi reperiantur, aut si qui usquam reperiri possint, multo esse soleant pauciores, quam Aristocratia postulet. Nam quod aliqui opponunt, plus multos videre, quam unus videat, leve est. Etenim cum pars maxima multitudinis imperita sit rerum, ea quidem in consessu vincet, nocebitque maxime reipublicæ, quod nemo sit, qui errantem turbam emendare, reducereque in viam possit. Illud quoque accedit, quod in tanto hominum numero servari æqualitas nequeat. Itaque factiones persaepe existunt, cumque alter alteri præcellere conatur, vitiari pecunia, aut dominandi cupiditate potest, perdereque suffragiis amicorum rempublicam. Atque in multitudine quidem plus temeritatis, quam prudentiæ inesse liquet. Igitur cum respublica Romanorum in extremum esse casum deducta videretur, unius Appii Claudii consilio, auctoritateque restituta est. *Cic. in Brut. cap.* XIV. Quod ipsum de Camillo, deque Fabio dicere possumus, quorum sunt res præclare gestæ descriptæ ab Livio *lib.* V. *Histor. cap.* 17. *seqq. pag.* 351. *seqq. tom.* I. & *lib.* XXII. *cap.* XVIII. *seqq. pag.* 92. *seqq. tom.* II. *edit. Lips. an.* 1735. Quod si rex neque perspicere ipse per se, neque intelligere omnia potest, ei malo commode sane medebitur, si prudentium virorum consilio utatur. Neque enim Principem civitatis talem volumus, quem nunquam egere putemus aliorum consilio. Nihilosecius præclarius cum republica agetur, si is unus, quam si plures imperio potiantur. Nam ut in navi, ita etiam in civitate, si plures ad clavum sedeant, sibi mutuo sunt impedimento, quo minus res bene, feliciterque procedant. Sed omnes Monarchiæ utilitates persequi longum est.

1 Aristot. *lib.* III. *Politicor. cap.* XIV. *pag.* 449. *seq. tom.* II. *opp. edit. ejusd.*

arbitrabantur, cui jus eſſet eligere, quem ſibi utilem futurum putaret, regem. Perfacile namque eſſe liberis, recteque inſtitutis civibus unum aliquem in tanta hominum multitudine reperire, quam multos & ſapientes, & probos viros, ad quos ſummam totius imperii deferant.

§. II.

Majores noſtri non Democraticam, neque Ariſtocraticam, ſed Monarchicam a Chriſto fuiſſe præſcriptam putarunt gubernandæ Eccleſiæ rationem.

QUum igitur majores noſtri Monarchiam ceteris adminiſtrandæ reipublicæ rationibus potiorem eſſe ſtatuerint, ſequitur, ut Eccleſiam, quæ ſocietas, communitas, ac reſpublica quædam a Chriſto Servatore optime inſtituta ſit, Monarchiam eſſe arbitrarentur. Nam hæreticos, qui Ariſtocratiam fortaſſe, Monarchiam autem nullo modo eſſe defenderent, nihil moror. Quid enim cum iis agas, qui odio, malevolentiaque permoti, atque ab Eccleſia Catholica ſejuncti in abſurdas, eaſque inter ſe diſcrepantes ſententias inciderunt? Matthiæ namque Flacii Illyrici ſententia eſt, ſummum jus, poteſtatemque penes Eccleſiam univerſam eſſe (1), quare nominari ſacrorum Antiſtites oportere non ſuffragiis Clericorum modo, ſed etiam Laicorum. Ex qua re intelligitur, eorum aliquos, qui Lutheri partibus ſtuderent, Democraticam eſſe judicaſſe, quam Chriſtus Servator inſtituit, regendæ, adminiſtrandæque Eccleſiæ rationem. Contra Brentius in Prolegomenis (2) adverſus Sotum, ſummam

1 Matthias Flacius Illyricus in Centuriis Magdeburgenſibus *Cent.* 1. *lib.* II. *cap.* VII. *pag.* 507. *ſeqq.* *edit. ann.* 1560. etſi eſt de ratione gubernandæ Eccleſiæ, quæ primo ſeculo, cum Apoſtoli viverent, obtinebat, implicate loquutus, tamen in eo libro, quem *Demonſtrationem de Electione Præſulum, & Epiſcoporum &c.* inſcripſit, ſic agit, ut claves *ad totam Eccleſiam, & omnes pios, & non ad Papam, ſoloſque ſpirituales fuiſſe a Chriſto translatas* contendat, *pag.* 34. *Appendicis ad Catalog. teſtium veritatis, qui ante noſtram ætat. Pontifici Romano &c. reclamarunt, edit. Argentinenſis an.* 1562.

2 Scribit autem Brentius *in epiſt. ad Chriſtophorum Ducem Wirtembergenſem, quæ exſtat tom.* II. *Antidotor. Profeſſor. Tubingenſ. edit. Francofurt. an.* 1561. hoc modo: » Sic

mam principibus civitatum imprimis tribuit auctoritatem, quos esse nobilissima Christianæ reipublicæ membra censet. Verum ut ceteros prætermittam, quorum esse numerum sane magnum intelligo, Johannes Conradus Dannhaverus in octava (1), quæ est de Hierosolymitano Apostolorum concilio, disputatione, administrandæ Ecclesiæ formam Aristocraticam, eamque jam sacrorum esse Ministrorum pugnat. Non discrepant ab Dannhavero Jahannes Angelus Politianus (2), & Johannes Paulus Hebenstreitius (3), quorum non minor fuit in confirmandis Lutheranorum dogmatibus diligentia. At Johannes Laurentius Moshemius vir quidem excellenti ingenio, sed eadem imbutus superstitione Lutheranorum, in Institutionibus Majoribus Historiæ Ecclesiasticæ, nullam a Christo fuisse præscriptam regendæ Christianæ reipublicæ formam, putat (4). Jam vero Aristocraticis illis, quorum est paullo ante facta mentio, Calvinum parasse liquet ad oppugnandum Orthodoxæ religionis de Monarchia decretum viam (5). Daniel autem Chamierus pro Aristocratia

„ Sic in priore capite προχειρόμενον dico: ostendemus divina clementia adjuti, quod non „ ad Prælatos illos tantum, immo ne quidem ulla ex parte ad ipsos, quippe qui non sine „ Ecclesiæ membra, sed præcipue ad pios principes, & ad eos, qui tam ex ministrorum „ Ecclesiæ numero, quam ex reliquo hominum, qui doctrinam Christi agnoscunt, cœtu, in „ consilium adhibentur, pertinet de doctrina religionis agnoscere, & judicare.

1 *Artic.* IV. §. XXVII. *pag.* 168. *edit. Disput. Theologicar Lipsiens. an.* 1707. „ Rectius, „ *inquit*, sentire putamus eos, qui multos in hoc concilio (Apostolico) præsides fuisse sta„ tuunt, de quo vide Dn. Hulsemannum *Breviar. cap.* XVIII. *th* 10. quo hoc ipso de„ monstrarent, Ecclesiæ regimen in his terris non Monarchicum, sed Aristocratico analo„ gum futurum esse. Non loquimur autem hic de omnibus requisitis formæ Aristocraticæ; „ neque enim ministri Ecclesiam in his terris regentes absolutam potestatem habent, sed „ limitatam solummodo, dependentem a summo Monarcha Christo. Verum de forma ari„ stocratica analogice sic dicta, hoc est de ejusmodi regimine, & præsidentia in Ecclesiis, „ convenientiam quamdam cum forma aristocratica habente, & hanc optamus, & defen„ dimus ex hoc concilio &c.

2 *Polit. Christ. contra Bellarminum edit. Hamburg. an.* 1614.

3 *Dissert. de forma regiminis in Ecclesia* §. XIX *p.* 29. *edit. Jenensis an.* 1703.

4 *Sec.* I. *sect.* I. *part.* II. *cap.* II. §. V. *pag.* 116. *edit. an.* 1739. Confer quæ dixi *tom.* IV. *hujusce operis pag.* 271.

5 *Lib.* IV. *Institut. cap.* XI. §. VI. *pag.* 326. *tom.* IX. *opp. edit. Amstelod. an.* 1667. Sed propositis Calvini verbis intelligi poterit, quis illius fuerit de Aristocratia error. „ Ejusmodi, *inquit*, potestas non penes unum erat, ut pro sua libidine quidvis ageret, „ sed penes consessum seniorum, qui erat in Ecclesia, quod in urbe est senatus. Cypria„ nus cum meminit per quos suo tempore exerceretur, adjungere solet totum clerum Epi„ scopo.

tia (1) in opere, quod Panstratian inscripsit, differens multa peccat. Hunc est sequutus Fridericus Spanhemius (2), quo sane viro neque acriorem Orthodoxorum hostem quemquam, neque impudentiorem fuisse scimus. Nam de Danæo (3), de Junio, de Sibrando, de Witakero, de Forbesio, de Sutlivio, de Beza, de Saravia, deque ceteris hæreticis Scotis, Batavis, Gallis (4), Germanisque quid dicam? qui etsi verbis pro Aristocratia pugnent, re tamen vera

„ scopo. Sed alibi quoque demonstrat, sic præfuisse clerum ipsum, ut plebs interim a cognitione non excluderetur .... Verum hæc erat communis, & usitata ratio, ut per senatum Presbyterorum Ecclesiæ jurisdictio exerceretur „. Ex qua re intelligitur ita Calvinum sensisse, ut alicubi Aristocratiam olim, alicubi contra Democratiam Ecclesiasticam invaluisse diceret, quorum rationum neutram improbat, quamquam in aristocraticam propendere videatur.

1 *Lib.* IX. *cap.* II. *tom.* II. §. V. *pag.* 289. *&* *cap.* VIII. *pag.* 301. *seqq.* Labitur præterea Chamierus, qui priore loco §. IV. neminem Lutheranorum, quod sciret, pro Democratia certasse, scribit. Nam si Illyrici verba considerasset, neque Sanderum, neque Bellarminum idipsum Illyrico tribuentes reprehendisset.

2 Fridericus Spanhemius *in Chamiero contracto, sive in Panstratiæ Catholicæ Danielis Chamieri Epitome lib.* IX. *cap.* II. *pag.* 426. *edit. Genev. an.* 1645.

3 Danæus *respons. ad* II. *controversiam Bellarmini cap.* IV. *&* V. *pag.* 218. *seq. edit. an.* 1606. *tom.* I. quo loco multa, ut Chamierus, & Spanhemius, impudenter, ac summa qua erat, confidentia turbat. Hunc pluribus refellit Jacobus Gretserus Defens. Bellarm. *tom.* II. *lib.* I. *de Rom. Pont. cap* IV. *seqq. pag.* 431. *seqq. edit. Ingolst. an.* 1609. Junium autem, Witakerum, Sibrandum, Sutlivium, atque Saraviam nominat, refutatque ibidem Gretserus *cap.* VIII. *pag.* 436. Neque ab iis discrepat Balthasar Bebelius *Antiquit. Eccles. sec.* III. *art.* IV. §. V. *pag.* 323. *edit. an.* 1669. Ac Theodorum quidem Bezam pro Aristocratia pugnasse, auctor est in Apologia libri sui contra Bezam *cap.* III. Saravias. Scribit enim hoc modo: „ Tanta est naturæ vis, ut vincat etiam eos, a quibus impugnatur. Æqualitatem inter Ecclesiæ Pastores, qui Apostolis successerunt, Dominus Beza esse oportere, aliique plures cum eo hodie contendunt, & eminentiam auctoritatis Episcoporum damnant tyrannidis „. Sed qui curandum censebant, ut ne quis eam tolleret æqualitatem (nam hoc modo pertrahere ad se multos posse Christianorum arbitrabantur) iidem dominandi cupiditate permoti æqualitatem funditus sustulerunt. Mox enim Saravias subdit: „ Cum ipsi interim æqualitatem, quam profitentur, minime observent, nec enim, ut maxime velint, possunt. Verum quidem illud est: *naturam expellas furca licet, usque recurret*. Constat enim ipsum Dominum Bezam collegis suis esse longe superiorem, & Johannes Calvinus, dum vixit, plus auctoritatis in suos collegas habuit, quam hodie Angliæ primas in Coëpiscopos exerceat „. Est autem animadvertendum, Sutlivium *lib.* I. *cap.* V. non ita pro Ecclesiastica Aristocratia certare, ut eam nihil habere monarchiæ censeat. Nam *proxime* tantum Politiam Ecclesiæ ad Aristocratiam *accedere*, *&* *huic esse similiorem, quam regno* putat, propterea quod Anglus esset, regemque primas in Ecclesia obtinere partes vellet. Forbesius denique *Instructionum Historicarum Theologicarum lib.* XVI. *cap.* I. *pag.* 702. *edit. an.* 1702. eamdem, atque Sutlivius, tuetur sententiam. Eodemque fere pertinent, quæ Witakerus *in* IV. *controversia quæst.* I. *cap.* I. *seqq. pag.* 518. *seqq. tom.* II. *opp. Theologicor. edit. Aureliæ Allobrogum an.* 1610. turbat.

4 Anglicanorum Pseudo-Reformatorum opinio de Politia Ecclesiastica constat potissimum ex eo libro, qui inscribitur: „ Doctrina, & politia Ecclesiæ Anglicanæ a Principibus Eduardo sexto, Regina Elisabetha stabilitæ, & a .... Jacobo Magnæ Britanniæ Rege con-

vera ita ut fieri in hominum turba ſolet, qui omnia ſuo ingenio, privatoque, ut ajunt, ſpiritu metiuntur, ſumma inter ſe animorum contentione, diſſenſioneque certant. Atque his quidem acceſſit Marcus Antonius de Dominis (1) Archiepiſcopus Spalatenſium, qui cupidus rerum novarum, cum ad Britannos publicandorum ſuorum de Chriſtiana republica dogmatum cauſſa transfugiſſet, poſtque facti pœnitens Romam revertiſſet, erroremque, in quem inciderat, deteſtatus eſſet, tum quod rurſum cum hoſtibus Orthodoxæ religionis agere cœpiſſet, in ſancti Angeli arcem conjectus eſt, ubi diem obiit ſupremum. Quinetiam fuiſſe aliquos video, qui cum verbo ſe Catholicos eſſe confiterentur, re quidem ipſa hæreticis in hoc genere conſentirent. In his fuit Edmundus Richerius (2), qui ſe pro Eccleſiaſtica Monarchia pugnare ſcripſerat, quamquam ſic eſt omnem de Monarchia quæſtionem complexus, ut ſtetiſſe ab Democraticis videretur. Ac fuerunt profecto, qui eodem in errore verſari Dupinium dicerent, cujus exſtant de Antiqua Diſciplina Eccleſiæ Diſſertationes (3). Sed Johannes Paulus Hebenſtritius Lutheranus de Sorbona diſputans vehementer errat. Quum enim publicatum ab ea fuiſſe anno 1611. pro Eccleſiaſtica Ariſtocratia Decretum ſcribit, aut impudenter mentitus, aut aliorum

continuatæ, quibus ejuſdem Eccleſiæ Apologia præfigitur, *pag.* 299. *edit. Londin. an.* 1617. In confeſſione Gallica Hæreticorum Calvinianorum *Articulo* xxx. ut eſt apud Chamierum *lib. eodem* IX. *Panſtrat. cap.* II. §. v. *tom.* II. *pag.* 289. ſic habetur: „ Credimus, omnes veros paſtores, ubicumque locorum collocati fuerint, eadem, & æquali inter ſe poteſtate eſſe præditos; ſub unico illo capite, ſummoque, & ſolo univerſali Epiſcopo Jeſu Chriſto, ac proinde nulli Eccleſiæ licere ſibi in aliam imperium, aut dominationem vendicare „. De Scotis, Belgis, Germanis, ceteriſque omnibus extra Angliam Calvinianis, cum res ipſa ex eorum teſtimoniis, quos ſupra numeravimus, conſtet, tum obſervatum a Gretſero eſt *lib. eod. cap. eod. pag.* 436. quem Lector conſulat.

1 Hunc nos paullo poſt confutabimus, indicabimuſque loca ex libris *De republica Chriſtiana*, quibus is error continetur.

2 Richerii quoque ſententiam opportune poſt confutabimus. Interea confer Petavium *lib.* III. *de Hierarch. Eccleſiaſt. cap.* XIV. *ſeqq. edit. Pariſ. pag.* 879. *ſeqq.*

3 In hujus erroris ſuſpicionem vocatus Dupinius eſt, propterea quod *Diſſert.* VI. *De Antiqu. Eccleſ. Diſciplin.* §. 1. *pag.* 384. *edit. ann.* 1686. ſcripſerit: „ Nemo eſt, qui non ſtatim intelligat, illum ſupremam habere poteſtatem, qui poteſtatem ipſam habet ſecundum originem, & virtutem; eum vero poteſtatem non habere ſupremam, qui tantum poteſtatem habet ab alio ſibi commiſſam, quoad uſum. Patet autem ex dictis poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe penes Eccleſiam, Romanum autem Pontificem, ceteroſque Prælatos eam accipere ab Eccleſia quoad uſum tantummodo „. Idem *Diſſert.* III. *cap.* 1. *pag.* 246. dixerat: Haud dubium eſſe debet, quin primo, & præcipue toti Eccleſiæ ligandi, ac ſolvendi poteſtas ſit data, a qua in ejus miniſtros derivatur.

rum dictis assensus, imprudens, atque oscitans hallucinatus est (1). Nihil enim simile umquam ex Sorbona profectum constat. Quod si nostrum aliqui Scriptores Gallos (qui Monarchicam gubernandæ Ecclesiæ formam Aristocratica temperatam esse (2) dixerunt) Aristocraticis revera consentire argumentando efficere conati sunt, nemo tamen inventus

1 Quid actum an. 1611. ab Academia Parisiensi Sorbona fuerit, multis describit Jacobus Benignus Bossuetius Episcopus Meldensis *Def. Prop. Cler. Gall. p.* II. *l.* VI. *c.* XXIV. *seqq. ed. Amst. an.* 1745. *t.* I. Sed tantum abest, ut eidem Academiæ probatum fuisse de Ecclesiastica Aristocratia errorem affirmet, ut palam confiteatur, Sorbonam contra Edmundum Richerium egisse, qui pro Aristocratia pugnaverat in eo libello, quem de *Ecclesiastica & Politica potestate* inscripserat *cap.* V. *p.* 27. *tom.* I. *& Defens. lib.* IV. *cap.* I. §. VII. *pag.* 9. *tom.* II. *edit. Colon. ann.* 1701. quamvis eodem *cap.* V. Monarchicum esse Ecclesiæ regimen dixerit. Atque Sorbonæ quidem hoc fuit *an.* 1612. *die* I. *sept.* Decretum. *pag.* 77. *Append. ad tom.* II. *opp. Richerii de Eccles. & Polit. Potest. edit. Coloniensis ann.* 1701. ,, Magister noster Edmundus Richer velut libellum quemdam Apologeticum pro se ipso ,, palam omnibus audientibus perlegit, cujus exemplum manu propria obsignatum obtulit ,, honorando magistro nostro Roguenant tunc temporis Decano, qui juxta editionem re- ,, gum in ipsis expressam proposuit honorandis magistris nostris, ut de novo sindico eli- ,, gendo sententiam ferrent, ac ea quidem pene omnium sententia fuit, ut gratias agen- ,, das censerent ipsi magistro nostro Edmundo Richer ob res præclare in sindicatu gestas, ,, EXCEPTO LIBRO, CVI TITVLVS EST, DE ECCLESIASTICA, ET POLITICA POTESTATE, NEC ,, NON ETIAM LIBELLO ISTO APOLOGETICO AB EODEM IN IPSIS COMITIIS PERLECTO, QVEM ,, QVIDEM IMPROBARVNT, ET DAMNARVNT, ADIECTA INTERMINATIONE, VT SI EVVLGARE- ,, TVR EIVSMODI LIBER APOLOGETICVS, DICTVS MAGISTER NOSTER AVCTOR ILLIVS LI- ,, BELLI EX IPSA EXPVNGERETVR FACVLTATE ,,. Quid? Si Perronius Archiepiscopus Senonensis, Episcopique ejus Provinciæ *ann.* 1612. libellum eumdem censura notandum judicarunt ,, ob multas, quas continet propositiones, expositiones, & allegationes erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas ,,? *Tom.* XXI *Conciliorum edit. Venet. pag.* 1735 Idem est ab Aquensi Concilio *an.* 1612. Confer. XXI. *tom. Concilior. edit. ejusd. Venet. an.* 1733. *pag. eadem & lib.* III. *operis* Card. Perronii inscripti *Les Ambassades, & Negociations pag.* 693. *seqq. edit. Parif. an.* 1623. Sorbonam denique pro Ecclesiastica Monarchia semper, imprimisque XVII. Ecclesiæ seculo certasse cum ex aliis permultis, tum imprimis ex opere Maucleri Doctoris Sorbonici constat, cujus operis hæc est inscriptio: *De Monarchia divina, Ecclesiastica, & seculari Christiana edit. Parif. an.* 1622. Nam fuit illud quidem Academiæ probatum, quæ res Saussayi, Isamberti, Hovisieri, Frogeri, Billaudi, de Amore, Chartoni, & Bandeli testificatione liquet. *Ibid. in Approbat.* Immo vero quo tempore publicatus libellus Richerii fuit, magna est orta inter Doctores Sorbonæ dissensio, cum alii defendendum, alii proscribendum arbitrarentur. Decretum autem nullum de Aristocratia Ecclesiastica, qui partes tuebantur Richerii, Academiæ nomine ediderunt. Consule Andream Duvalium *part.* I. *Operis de suprema Romani Pontificis in Ecclesiam potestate. Anteloq. pag* 408. *tom* III. *Biblioth. Pontif. Roccaberti edit. an.* 1698. Extremum est, ut animadvertam, Richerium revocasse, ac sponte quidem, quam de Potestate Ecclesiæ in eo libello defenderat, opinionem. Vide *Acta retractationis apud Duvalium ibid. in præf. pag.* 406. *& tom.* I. *op. Richer. p.* IV. *edit. an.* 1701.

2 Confer Josephum Augustinum Orsium Virum doctissimum *lib.* VII. *De Rom. Pontif. Auctorit. Dissert. qua Ecclesiastica Monarchia forma, seu ratio explicatur, cap.* II. *tom.* III. *p.* II. *pag.* 583. *seqq. an.* 1740. *& Odoricum Raynaldum ad an.* 1441. *num.* X. *&* XII.

ventus eſt, qui eos, rejecta Monarchia, palam pro Ariſtocratia pugnaſſe defenderet. Sed hæc alias.

Age nunc videamus quibus teſtibus noſtra omnis nitatur de Eccleſiaſtica Monarchia ſententia. Sed antequam rem ipſam aggrediar, ſtatuendum eſt, quibus in rebus Ariſtocraticis, Democraticiſque nobiſcum conveniat: ne qua in diſputatione confuſio, perturbatioque oriatur. Atque illud imprimis commune noſtrum, adverſariorumque decretum eſt, aliquam eſſe oportere adminiſtrandæ, regendæque Eccleſiæ rationem. Niſi enim ita ſe res haberet, non Monarchiam modo Chriſtianam rempublicam dicere non liceret, ſed ne Ariſtocratiam quidem. Id vero plerique Calvinianorum, & Lutheranorum numquam ferent, qui ita ſunt animis inſtituti, ut cum pro Ariſtocratia certent, tum nullum uſquam ſuorum fuiſſe confirment, qui palam Democraticam eſſe gubernandæ Eccleſiæ rationem confiteretur (1). Alterum eſt decretum: πνευματικὴν *ſpiritalem* eſſe, non *politicam* Eccleſiæ regendæ (2) formam. Tertium denique: *Regem atque Monarcham Eccleſiæ abſolutum*, ut dicimus, liberumque unum eſſe Chriſtum Servatorem (3). Quare cum de Monarchia Eccleſiæ diſputationem noſtri inſtituunt, non illud quærunt, ſit ne præter Chriſtum in Eccleſiaſtica repu-

1 Ita quidem Chamierus *lib.* IX. *tom.* II. *cap.* II. *num.* IV. *pag.* 289. Spanhemius *lib.* IX. *cap.* II. *pag.* 426. *num.* IV. & Danæus *ad* III. *controverſiam cap.* VI. *pag.* 220. *tom.* I. Reſponſ. *ad Bellarm. edit. Genev. an.* 1596. Immo vero ne Eraſtiani quidem omne *regimen* tollendum exiſtimant. Confer quæ dixi *tom.* IV. *pag.* 75. *ſeqq.*

2 Id etiam præter ceteros confirmat Joh. Franciſcus Buddæus *lib.* II. *Iſagoges Hiſt. Theol. cap.* V. *tom.* II. *edit. Lipſ. an.* 1727. §. III. *pag.* 740. Idem fere habetur in Apologia Auguſtanæ *confeſſionis Art.* XIV. *pag.* 294. *ſeqq.* & *in Articulis Smalcaldicis pag.* 351. *ſeqq.* Hoc vero non Lutherani modo, ſed etiam Calviniani, Anglique Epiſcopales facile concedunt, quod cum ex Calvinianorum libris, quos paullo ante indicavimus, conſtet, tum etiam ex Anglorum Epiſcopalium *dictis* colligitur, qui etſi Regem caput eſſe Eccleſiæ ſuæ defenderent (Vide ſup. *pag.* 77. *tom.* IV.) tamen jus circa ſacra penes Epiſcopos eſſe ajebant. Quibus item eſt a Presbyterianis repugnatum, qui Presbyteriis id eſſe juris concedendum exiſtimarent. Quod ſi orti poſtea e numero Presbyterianorum viri, quos independentes vocant, fuerunt, qui Eraſto, de quo ſupra *tom.* IV. *pag.* 76. *ſeq.* diximus, aſſentirentur, Magiſtratuique ſummam in Eccleſiaſticis rebus poteſtatem tribuerent (*Georg. Horn. Hiſt. Eccl. Period.* III. *Art.* III. §. XXI. *pag.* 428.) tamen numquam πνευματικὸν *ſpirituale*, ſeu Eccleſiaſticum *regimen* cum civili confundendum cenſuerunt. Sed de re certa non eſt, ut copioſius eſſe differendum putem.

3 Non enim negare poſſunt adverſarii, quod extat in primo capite Evangelii Lucæ de Chriſto: *Et regni ejus non erit finis*. Vide *ſup. pag.* 12. *n.* 1. & *pag.* 13. *n.* 4.

publica quiſquam, qui *abſoluto*, *liberoque* Regno potiatur; ſed an ullus ſit, qui genus illud Monarchiæ obtineat, quod cadere in miniſtrum, & diſpenſatorem poſſit.

His conſtitutis rebus, ſit ne Majorum ſententia Democratica adminiſtrandæ Eccleſiæ forma, deinceps demonſtrandum eſt. Igitur in populari republica, quam δημοκρατίαν Græci vocant, magiſtratus a plebe conſtituuntur, leges jubentur, a conſulum rectorumve ſententia ad populum appellatur, ac ſi ipſi populo videatur, privari ii, qui magiſtratum gerunt, non dignitate modo, ſed etiam vita poſſunt. Nihil autem horum convenit in Chriſtianorum rempublicam. Errant igitur, qui Democraticam eſſe putant adminiſtrandæ Chriſtianæ Reipublicæ rationem. Ac locum quidem ſacrorum Bibliorum indicare nullum poſſumus, quo plebi tribuatur poteſtas conſtituendorum Antiſtitum. Extaret vero is locus, ſi populo dicendorum Epiſcoporum, Presbyterorumve jus eſſet. Contra in ea Epiſtola, quæ eſt a Paulo ad Titum (1) ſcripta, Epiſcopo eligendi, conſtituendique Præſides ſacrorum poteſtas datur. Jam vero, qui primi omnium rexerunt Chriſtianorum cœtum, a Chriſto Servatore, non a populo fuerunt Apoſtoli conſtituti (2). Quid? ſi, confitente Baſnagio, iidem ipſi Apoſtoli eos ſibi ſucceſſores crearunt, quos aptos rei bene gerendæ fore putabant, quin ſibi populi ſuffragium expetendum, requirendumque (3) arbitrarentur? Eſt enim auctor Irenæus in tertio contra hæreſes libro (4), Linum a Petro Romæ fuiſſe creatum Epiſcopum. Quinetiam Tertullianus (5) in eo ope-

1 *Epiſt. ad Tit. cap.* I. *v.* 5. „ Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt „ corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

2 Matth. *cap.* X. *v.* 2. Marci *cap.* VI. *v.* 7. Lucæ *cap.* VI. *v.* 13. *ſeqq.*

3 Confer epiſtolam II. S. *Pauli ad Timotheum cap.* I. *v.* 6. Sed non eſt opus ut in re perſpicua explicanda, demonſtrandaque diligentius verſemur. Baſnagius *ad an.* 68. §. XVI. *&* *ad an.* 70. §. XX. Johannes Laurentius Moshemius *Hiſt. Eccl. ſec.* I. *p.* II. §. XIII. *pag.* 178. *edit. an.* 1739. „ Ego, *inquit*, nihil dubito aſſeverare, ſublatis nondum Ser- „ vatoris noſtri legatis (hoc eſt Apoſtolis) uſu invaluiſſe, ut in majoribus coetibus unus „ rempublicam ſacram cum auctoritate quadam moderaretur. Confer quæ de Epiſcopis ab Johanne Evangeliſte in Aſia creatis dixi *tom.* IV. *pag.* 17. *not.* I.

4 *Cap.* III. *pag.* 176. *edit. Venet. an.* 1734.

5 *Cap.* XXXII. *pag.* 213. *edit. opp. Venet. an.* 1748., quo loco hæreticos ſuorum temporum accuſans: „ Edant, inquit, origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcopo-

re, quod eſt de Præſcriptionibus hæreticorum, Clementem a Petro Romanorum, ab Johanne autem Polycarpum fuiſſe Smyrnenſium Antiſtitem creatum tradit. Idem eſt ab Euſebio (1) traditum de Timotheo, de Tito, deque Dionyſio Areopagita Epiſcopis conſtitutis a Paulo. Multa ſunt exempla horum ſimilia in Hiſtoria, quæ opportune in eo libri hujus capite deſcribentur, quod erit de miniſtrorum electionibus.

Jam de judiciis Præſulum Eccleſiaſticorum quid dicam? a quibus neque eſt ad populum appellatum umquam, neque inventus quiſquam aliquando eſt, qui appellari jure poſſe defenderet. Ac ne fando quidem auditum eſt, aut *ſolutum* plebis juſſu eorum aliquem fuiſſe, quem *ligandum* ſacrorum præſides judicaſſent, aut, ſi controverſia de religionē eſſet, populum decreviſſe, ſtandumque Epiſcoporum ſententiæ non putaſſe. Sed multa ſæpe ab iis, qui ſacris publice præeſſent, de religione, de ritibus, de diſciplina in Conciliis vel explicata, vel conſtituta ſunt, quibus ſi qui e populo repugnare auſi fuiſſent, næ illi parem noxæ pœnam tuliſſent (2). Quid? ſi multis ſacrorum Bibliorum locis, majorumque noſtrorum teſtimoniis effici ad veritatem plane poſſit, nihil minus convenire Chriſtianæ plebi, quam ad judicia Eccleſiaſtica cum poteſtate docendi, ſtatuendique accedere (3)? At ſi democratica ratio regendæ Chriſtianæ Reipublicæ eſſet, numquam id juris fuiſſet ademtum plebi.

Quam-

„ ſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus „ aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, „ habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos „ deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Johanne collocatum refert, ſicut „ Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem; perinde utique & ceteræ exhibent, „ quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant „. Eadem fere habet Irenæus in *tertio adverſus Hæreſes libro*, *cap.* III. *n.* IV. *pag.* 176.

1 *Lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* IV. *pag.* 81. *ſeq. edit. Taurinenſis an.* 1746.

2 Conſtat id quidem ex actis Conciliorum, quorum etſi maximum eſſe numerum videmus, tamen nullum reperimus, ex quo vel conjectura aſſequi liceat, jus eſſe populo de controverſiis Eccleſiaſticis ſententiam dicere.

3 Id vero demonſtrabimus in ea, quæ erit de Conciliis, diſputatione *p.* IV. *hujuſce libri*.

Quamobrem qui *claves* (1), hoc eſt auctoritatem gubernandorum, continendorumque in officio Chriſtianorum cœtuum præcipuam Eccleſiæ univerſæ, præſidibus autem ſacrorum, ut miniſtris, inſtrumentiſque competere arbitrantur, hi quidem certe magno in errore, magnaque in ſententiarum perverſitate verſantur. Nam ſi ita ſint animis inſtituti, ut quam communitas per ſe ipſa obtinet, eam derivari, trajicique in Præfectos Eccleſiæ poteſtatem putent, adeo ut ſola his functione, ſoloque, ut ajunt, miniſterio attributo, ſummum ſibi jus populus, ſummamque auctoritatem retineat, tam ſunt in vitio, quam qui aut Petro datas divinitus claves, aut Epiſcopos a Spiritu Sancto regendæ Eccleſiæ cauſſa fuiſſe conſtitutos neget. Quæ ſane res, quoniam ſatis explicata alio loco eſt (2), nunc omittatur.

Nihil de legibus dico, quas neque juſſu populi latas umquam, neque abrogatas, ſi cui minus probarentur, conſtat. Quare non eſt opus, ut exempla proferam Apoſtolorum, utarque in re non dubia teſtibus non neceſſariis (3).

Tertium, quod eſſe Democratiæ proprium diximus, cadere in Eccleſiam nullo modo poteſt. Neque enim aut accuſatum apud populum aliquando quemquam miniſtrorum, aut de gradu, ac dignitate dejectum legimus, cujus tamen rei Apoſtoli, Patreſve alicubi meminiſſent, ſi data plebi conſtituendorum, judicandorumque Sacerdotum poteſtas fuiſſet. Nam quod a Clemente in priore ad Corinthios Epiſtola ſcriptum ferunt, privatos ſacerdotiis a populo fuiſſe eos, qui auctoritate ſua abuti viderentur, non eſt ad rem. Nam etſi Corinthii, ſeditione facta, eos, qui extremo fere priore ſeculo præcipuas obtinebant in ſuo cœtu partes, vexarunt, prohibendoſque exiſtimarunt, ne deinceps officio fungerentur, tamen reprehenſi graviter a Clemente

 ſunt,

1 Confer locum Joh. Franciſci Buddei *tom.* IV. *hujus Operis pag.* 261. *n.* 2. & locum Richerii *tomo eodem pag.* 262. *not.* 1. Sed detorqueri in alium ſenſum Richerii ſententiam poſſe fatetur Petavius *lib.* III. *de Hier. cap.* XIV. §. II. *ſeq.*

2 *Tom.* IV. *pag.* 261. *ſeqq.*

3 *Vide Act. Apoſt. cap.* XV. *verſ.* 6. *ſeqq.*

ſunt, quod id ſibi arrogare auſi fuiſſent, quod proprium Præſulum Eccleſiaſticorum eſſet. Quemadmodum enim plebs de gradu jure dejeciſſet, quos neque conſtituiſſet ipſa, neque conſtituere potuiſſet? Eſt vero auctor Clemens, poteſtatem miniſtrorum conſtituendorum non populo, ſed Apoſtolis a Chriſto Servatore fuiſſe tributam. Ex qua re ſequitur, jus illud, exactis Apoſtolis, non in plebem, ſed in eorum ſucceſſores manaſſe. (1)

a Clem. Ep. ad Corinth. I. *n.* XLII. *pag.* 89. *tom.* I. *Epiſtolar. Rom. Pontific. edit. Pariſ. Coutantii*. „ Apoſtoli, *inquit*, nobis evangelizaverunt a Domino Jeſu Chriſto, Jeſus „ Chriſtus a Deo ..... Itaque acceptis mandatis (Apoſtoli) & certo perſuaſi per reſurrectio„ nem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in fide confirmati per verbum Dei cum Spiritus Sancti „ plenitudine, & ſecuritate ..... Prædicantes per regiones, ac Urbes, primitias earum „ ſpiritu cum probaſſent, in Epiſcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, con„ ſtituerunt... Καὶ τί θαυμαστὸν, εἰ οἱ ἐν Χριστῷ πιστευθέντες παρὰ Θεοῦ ἔργον τοιοῦτο „ κατέστησαν τοὺς προειρημένους; Et quid mirum, ſi in Chriſto credentes, in hujuſmodi Dei „ munere prædictos conſtituerunt? „ Rurſum *n.* XLIV. *pag.* 30. „ Apoſtoli quoque noſtri, „ *inquit*, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum cognoverunt, futuram eſſe de nomine „ Epiſcopatus contentionem. Eam igitur ob cauſſam perfectam præcognitionem adepti, „ prædictos conſtituerunt, ac deinceps futuræ ſucceſſionis hanc tradiderunt regulam, ut „ cum illi deceſſiſſent, miniſterium eorum ac munus alii probati viri exciperent. Τοὺς „ οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων, ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν. Qui igitur ab „ illis, aut deinceps ab ALIIS VIRIS EXIMIIS CONSTITUTI SUNT συνευδοκησάσης τῆς ἐκ„ κλησίας πάσης, καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινο„ φροσύνης, ἡσύχως, καὶ ἀβαναύσως μεμαρτυρημένους τε πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων, τού„ τους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβάλλεσθαι τῆς λειτουργίας, conſentiente Eccleſia uni„ verſa, & ovili Chriſti humiliter, quiete, liberaliterque miniſtrarunt, ac longo „ tempore præclarum ab omnibus reportarunt teſtimonium, hos cenſemus de officio inju„ ſte dejici „. Conſtituendorum igitur Sacerdotum auctoritatem non plebi Clemens, ſed eximiis illis viris, quos nominat, quoſque Præſides fuiſſe ſacrorum conſtat, conceſſam defendit. Nam ſi populo tribuiſſet, non, conſenſione plebis, dixiſſet modo, ſed etiam conſtitutione creari Presbyteros, atque Antiſtites conſueſſe. *Num.* XLVII. *pag.* 32. eos, qui ſeditionis auctores fuerant, accuſans: „ turpia ſunt, *inquit*, dilecti, & valde turpia, „ & Chriſtiana converſatione indigna audire firmiſſimam, & antiquam Corinthiorum Ec„ cleſiam propter unum aut alterum hominem contra Presbyteros ſeditionem movere „. Itaque nefas fuiſſe populo Corinthio in Presbyteros inſurgere, eoque magis, quo unius, alteriuſque hominis cauſſa concitata ſeditio fuiſſet. Quid? ſi populum ſubditum eſſe Epiſcopis oportere ſcribat? at ſubditus non eſſet, ſi penes eum poteſtas eſſet ſumma regundæ, adminiſtrandæque Eccleſiæ. *Num.* enim LVII. *pag.* 37. ſcribit hoc modo: „ Vos ergo, qui „ ſeditionis fundamenta jeciſtis, ſubditi eſtote Presbyteris. & correptionem ſuſcipite in „ pœnitentiam, flectentes genua cordis veſtri μάθετε ὑποτάσσεσθαι *diſcite ſubjici* depo„ nentes arrogantem, ac ſuperbam linguæ veſtræ jactantiam „. Quinetiam vitio Corinthiis Clemens dedit, quod ii, qui in Clerum adlecti non fuerant, quoſque Juvenes appellat, miniſtros, calumnia, invidiaque permoti, de gradu dejici curaſſent. Confer quæ ſcripſi *tom.* IV. *hujus op. p.* 360. *num.* I. Quamquam illud erat ab adverſariis oſtendendum, plebis ne rogatu ab Epiſcopis Antiſtites illi Eccleſiarum Provinciæ, Eccleſiæve Corinthiacæ, (vide *tom.* IV. *hujus op. pag.* 355. *ſeqq.*) an ſolius populi auctoritate a miniſterio deturbati fuerint. Ego vero cum omnium ſeculorum hanc fuiſſe conſuetudinem videam, ut ſi

invisus

Est illud etiam incredibile, tam ineptos majores nostros, tamque imperitos rerum fuisse, ut eum Christo Servatori administrandæ Ecclesiæ modum probatum vellent, quem esse omnium postremum arbitrarentur. Basilius (1) enim, Chrysostomus (2), Ambrosius (3), Hieronymus (4) quibus perspecti multitudinis mores erant, cum summam levitatem, vimque esse plebis turbulentam, & periculosam statuerent, nullum certe putarunt esse imperio populari deterius.

Cujusmodi præterea esse eam populi Christiani in Ecclesia potestatem dicemus, quam neque natura ipse, neque Dei beneficio consequutus sit? Natura enim imperio potiri quis-

invisus populo Episcopus provinciæ fuisset, is in conventu a finitimis Antistitibus de gradu dejiceretur; petentibus Ecclesiis, a sacrorum Præsidibus fuisse eos Præsules, Presbyterosve (ne forte seditione res Christiana majus detrimentum caperet) in ordinem redactos arbitror. Quod si adversarii contra pugnent, monumentis veteribus, non verbis pugnent necesse est. Nam eos, qui consensum Ecclesiæ requiri a Clemente, ut quis Antistes sacrorum dicatur contendunt, nihil moror. Constitui namque ab eximiis viris Antistites, non a populo scribit Clemens. Ex qua re perspicuum est, consensum a constitutione distingui, atque eum quidem populo concedi, hanc Præsulibus tribui oportere. Alioqui jus etiam Ethnicis esset Episcopos constituere, quod Paulus in epistola ad Timotheum 1. *cap.* III. *v.* 7. scripserit: „ Oportet (Episcopum) & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, ne in opprobrium „ incidat, & in laqueum diaboli „. Nam si idem est consentire, ac constituere, quod consensum requirat Clemens; idem erit constituere, ac bonum testimonium ab iis, qui foris sunt, hoc est ethnicis, habere, propterea quod idipsum testimonium Paulus postulet. Qua re quid dici potest obtusius?

1 S. Basilius *homil.* VIII. *in Hexaemer.* ἀκρισία δήμου *inopia judicii plebis* multa, eaque maxima in rempublicam incommoda invecta fuisse scribit, *tom.* I. *opp. pag.* 74. *num.* IV. *edit. Paris. Monach. s. Mauri an.* 1721.

2 S. Joh. Chrysost. *homil.* III. *al.* II. *in Joh. pag.* 24. *num.* IV. *seq. tom.* VIII. *opp. edit. Paris. Montfauconi an.* 1728. „ Quid, *inquit*, censes esse multitudinem? Ignavam sine „ dubio, & desidem esse dices. εἰ δὲ λέγοις, ὅτι πολλοί, καὶ συνεστηκότες τινὲς εἰσι, „ διὰ τοῦτο μάλιστα αὐτῶν καταφρονεῖν ἐχρῆν· εἰ γὰρ καθ' ἑαυτοὺς ὄντες εἰσὶν εὐκα- „ ταφρόνητοι, ὅταν πολλοὶ γίνωνται μειζόνως τοῦτο συμβαίνεται. *Sin dixeris, multos esse,* „ *& in unum coactos: ideo maxime contemnendi. Nam si singuli contemtu digni, plu-* „ *rimi congregati longe magis despiciendi erunt.* Multorum enim insipientia, collecta „ multitudine, augetur. Quapropter si singulos seorsim quis duxerit, emendare poterit, „ simul coactos non facile, eo quod insipientia sit major, & illi instar pecorum agantur, „ mutuamque sequantur sententiam „.

3 S. Ambrosius *lib.* V. *in Hexaemer. cap.* XXI. *pag.* 106. *n.* LXVIII. *edit. Paris. Monach. s. Mauri an.* 1686. *to.* I. „ Non imperitæ multitudinis vulgari clamore signatur (Rex), quæ „ non merita virtutis expendit, NEC PUBLICÆ UTILITATIS EMOLUMENTA RIMATUR, SED „ MOBILITATIS NUTAT INCERTO „.

4 In Matth. *cap.* XXI. *pag.* 143. *tom.* IV. *part.* I. *opp. edit. Paris. Martianæi an.* 1706. „ Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque in morem fluctuum, diversorumque ventorum huc illucque trahitur. Quem nunc quasi Prophetam „ venerantur, & colunt, postea contra eum clamant „.

quisquam, quod ad jus naturæ minime pertineat, nullo modo potest. Quod si quis hoc esse genus auctoritatis, pugnet, divina voluntate populo Christiano datum, is mea quidem sententia Cataphrygibus assentietur, qui esse, nescio quæ, in decretis orthodoxæ religionis ponenda dicerent, quorum in sacris Bibliis, traditionibusque Ecclesiarum commemoratio esset nulla (1). Atque est quidem iis, qui sextum nobis Evangelii Matthæi, & quartum ac decimum Actorum Apostolicorum caput objicerent, hujusce libri parte superiore (2) cumulatissime satisfactum. Qui autem Matthiam suffragio plebis in Senatum fuisse adlectum Apostolorum contendunt, cum in eam nos, quæ alterius est loci, quæstionem vocent, tum ita disputant, nihil ut agere videantur. Est enim nobis, quod supra monuimus, opportuno loco, ac tempore de ministrorum electionibus differendum. Quamquam eos, qui præfici sibi aliquem poscerent, jure fuisse suffragii potitos, quibus tandem argumentis (tacente Luca (3), a quo est uno descripta Apostolorum historia) demonstrabitur? Sed fac suffragio populi cooptatus Matthias in ordinem Apostolorum sit: an erit consequens, democraticam esse oportere gubernandæ Reipublicæ Christianæ formam? Nam constitutis Imperatoribus quis umquam neget, μοναρχικῶς fuisse administratam populi Romani Rempublicam? Imperatores vero suffragiis plerumque militum fuisse creatos constat (4). Non igi-

1 Neque enim in sacris Bibliis usquam legimus, fuisse populo docendi, pascendi, regendi, ligandi, solvendique potestatem datam. Immo vero *Gregem* semper, qui regi, pascique debeat, populum vocari ab Evangelistis perspicuum est. Confer extremum caput *Evang. Johann. cap.* XXI. *v.* 15. *Matth. c.* XVI. *v.* 19. & *c.* XVIII. *v.* 18. & *Actor. c.* XX. *v.* 28. Vide quæ scripsi *tom.* IV. *pag.* 262. *seqq.*

2 *Tom.* IV. *pag.* 166. *seqq.*

3 *Act. cap.* I. *v.* 12. *seqq.*

4 Sozomenus *lib.* VI. *hist. cap.* VI. *pag.* 208. *seqq. edit. Taurin.* „ Cum Jovianum mori „ contigisset, *inquit*, exercitu Romano, & iis, qui præcipuas dignitates gerebant, con- „ silium ineuntibus, omnium suffragiis Valentinianus eligitur Imperator. Qui cum insi- „ gnia imperii suscepisset, vociferantibus militibus, ut alterum sibi imperii consortem „ adjungeret, vestri quidem, inquit, arbitrii fuit, commilitones, ut me Imperatorem ve- „ strum eligeretis. Sed postquam elegistis, id quod petitis, mei quidem arbitrii est, non „ vestri. Et vos quidem quiescere decet, me vero, ut qui sim Imperator, quid agendum „ sit, spectare „.

igitur monarchica esse desineret regendæ illius reipublicæ ratio, in qua exercitui, plebive eligendi, creandique Principis potestas esset. Quare si datum populo Christiano jus dicendorum Ecclesiæ Præsulum fuisset, hac tamen una ratione numquam efficeretur, aut esse oportere, aut fuisse aliquando dominatum in Christianorum Republica popularem.

Quo minus ferendi sunt ii, qui vel impudentia, si consulto; vel temeritate, si casu, Cypriani testimoniis abutentur. Nam quod ille sua se sponte fecisse (1) confessus est, nihil ut, dissentiente plebe, de Ecclesiasticis rebus decerneret, hoc adversarii detorserunt, ut factum necessitate quadam legis fuisse videretur. Ac Cyprianus quidem hoc apud se, cum primum est Episcopus Carthaginensium appellatus, statuisse scripsit; decernere autem Antistites de Ecclesiæ rebus, inconsulto populo, nihil posse, neque scripsit, neque caussa erat ulla, cur scriberet.

Quin etiam est eorum maximo in errore sententia, qui cum in Ambrosii Epistolis (2) Auxentium imbutum superstitio-

1 Abutuntur adversarii testimonio s. Cypriani, quod exstat *epist.* xvii. *al.* x. *pag.* 38. *edit. Oxon.* estque hujusmodi: „ Interim temerarii, & incauti, & tumidi quidam inter „ vos, qui hominem non cogitent, vel Deum timeant, scientes quoniam, si ultra in „ iisdem perseveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim „ prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud confessores ipsos, & apud plebem uni- „ versam caussam suam &c. „ At hi non animadvertunt, esse in epistola quadam, quæ Democratiam, quam ipsi finxerunt, Ecclesiasticam funditus evertant. Pagina enim 36. scribit hoc modo: „ Diu patientiam meam tenui fratres carissimi.... sed cum quorumdam „ immoderata, & abrupta præsumtio temeritate sua & honorem Martyrum, & Confesso- „ rum pudorem, & plebis universæ tranquillitatem turbare conetur, tacere ultra non „ oportet, ne ad periculum & plebis pariter, & nostrum taciturnitas nimia procedat. „ Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, quando aliqui de Pre- „ sbyteris nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, „ neque NUNC SIBI PRÆPOSITUM EPISCOPUM COGITANTES, quod numquam omnino sub „ antecessoribus factum est, cum contumelia, & contemtu Præpositi totum sibi vendicent? „ Atque utinam non contra fratrum nostrorum salutem sibi omnia vendicarent. Contume- „ liam Episcopatus nostri dissimulare, & ferre possum, sicut dissimulavi semper, & pertuli; „ sed dissimulandi nunc locus non est „. Hæc ille. At Cypriani loca de Episcoporum auctoritate, quæ jus omnino democraticum tollunt, descripsimus *tom.* iv. *pag.* 412. *seq.* Quinetiam *tom. eodem pag.* 433. *not.* 1. locum *ex epist.* xiv. *al.* vi. protulimus, ex quo facile intelligi potest, Cypriano hoc fuisse proprium, ut plebem de Ecclesiæ rebus consuleret, id vero non fuisse ulla aut divina, aut Ecclesiastica sancitum lege.

2 S. Ambrosius *epist.* xxi. *al.* xxxii. *pag.* 910. *seqq. tom.* iii. *opp. edit. Mon. s. Mauri Ven. an.* 1751. ad Valentinianum II Augustum de Auxentio scribens (qui Auxentius cum Mercurinus ante appellaretur, ut auctoritate plus apud suos valeret, immutavit nomen, sese-

ne Arianorum *refugisse* Mediolanensium *examen*, legerint, quarto jam seculo plebem de religionis decretis judicium ferre

seseque Auxentium vocari fecit, quod apud Arianos Mediolanenses magna esset Auxentii ejus factionis Episcopi, qui non diu ante perierat, existimatio. *Vide sermon. epist.* XXI. adjunctum *num.* XXII. *pag.* 921. *ibid.*) negat imprimis fas esse laico judicium de rebus Ecclesiæ, ac religionis ferre: *num.* II. ,, Augustæ memoriæ pater tuus, *inquit*, non so- ,, lum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In caussa fidei vel Ecclesiastici ,, alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; ,, hæc enim verba rescripti sunt; hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. ,, Quinetiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda caussa, ,, etiam hoc voluit ad Episcopale judicium pertinere. *num.* IV. Quando audisti clemen- ,, tissime Imperator in caussa fidei laicos de Episcopo judicasse? Ita ergo quadam adula- ,, tione curvamur, ut SACERDOTALIS JURIS SIMUS IMMEMORES, ET QUOD DEUS DONAVIT ,, MIHI, HOC IPSE ALIIS PUTEM ESSE CREDENDUM? Si docendus est Episcopus a laico, ,, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat. Episcopus discat a laico. ,, At certe si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera temporum retractemus, quis ,, est, qui abnuat in caussa fidei, in caussa inquam fidei EPISCOPOS SOLERE DE IMPERA- ,, TORIBUS CHRISTIANIS, NON IMPERATORES DE EPISCOPIS JUDICARE. *num.* V. Eris Deo ,, favente etiam senectutis maturitate provectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille ,, EPISCOPUS SIT, QUI LAICIS JUS SACERDOTALE SUBSTERNIT. Pater tuus, Deo favente, ,, vir maturioris ævi, dicebat: NON EST MEUM JUDICARE INTER EPISCOPOS. *num.* VI. ,, Quales autem elegerit (*Auxentius*) judices, possumus existimationi relinquere, ,, quando eorum nomina timet prodere. Veniant plane, si qui sunt, ad Ecclesiam. Audiant ,, cum populo, non ut quisquam judex residcat, sed UT UNUSQUISQUE DE SUO AFFECTU ,, HABEAT EXAMEN, ELIGAT, QUEM SEQUATUR. Agitur de illius Ecclesiæ Sacerdote. Si ,, audierit illum populus, & putaverit melius disputare, sequatur fidem ejus, non invi- ,, debo. *num.* XV. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici, quod majores fecerunt ,, mei. Si conferendum de fide, SACERDOTUM DEBET ESSE ISTA COLLATIO, sicut factum ,, est sub Constantino augustæ memoriæ principe. *serm. adjunct. epist.* XXI. *num.* XXVI. ,, *pag.* 922. Hæc ego, fratres, coram ipso Auxentio, apud vos plenius disputarem; sed ,, certus, non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen, & gentiles quosdam quatuor, ,, aut quinque ferme homines elegit cognitores sibi, si tamen aliquos elegit, quos vel- ,, lem adesse in cœtu omnium, non ut de Christo judicent, sed ut majestatem audiant Chri- ,, sti. Tamen illi jam de Auxentio pronunciaverunt, cui tractanti quotidie non credide- ,, runt ,,. Hæc ille. Quæ igitur tanta est adversariorum impudentia, ut iis locis Ambro- sii abutantur, quibus eorum omnis labefactatur de Ecclesiastica Democratia opinio? Principio enim Ambrosius, cautum a Valentiniano seniore fuisse scribit, ne quis de religione, deque ordine Ecclesiastico judicaret, qui munere impar esset, hoc est, qui Sacerdotis, nempe Episcopi dignitate haud excelleret. De qua re consule etiam Sozomenum *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* VII. *pag.* 209. *edit. Taur.* Deinde, ne quis hoc humanitate, atque clementia Imperatoris, non lege divina constitutum fuisse putet, subdit, ne fando quidem auditum esse, *Laicos de Episcopo in fidei caussa judicasse*; seque jam numquam passurum, ut alii cuiquam jus crederet, quod sibi datum divinitus fuisset. Quare laicum ab Episcopo, non Episcopum ab laicis doceri oportere. Tum ut omnes intelligant, non ceteris laicis modo non esse fas de caussis religionis cognoscere, sed ne Imperatori quidem, statuit: In caussa fidei Episcopos solere de Imperatoribus, non Imperatores de Episcopis judicare. Post Antistites eos reprehendit, qui laicis *jus Sacerdotale substernere* auderent. Inde ut magis magisque constet, non voluntate Imperatoris, sed auctoritate Dei dereptam laicis, attributamque iis, qui sacris præessent, potestatem de religione, rebusque sacris cognoscendi esse; verba Valentiniani senioris recitat, quæ sunt hujusmodi: *Non est meum judicare inter Episcopos*. Est autem hæc paullo copiosius persequutus loco modo indicato Sozomenus: ἐμοὶ μὲν, ἔφη, μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πο-

λυ-

ferre conſueſſe dixerunt. Ambroſius enim his verbis privatum indicavit cujuſque Chriſtiani ſenſum, publicum autem de religione judicium, cui auctoritas ineſſet, nullo modo. Sed ut populus, ita qui principatum obtinet in civitate, poteſtate Eccleſiæ gubernandæ caret. Qua de re ſatis alio loco diximus (1).

Itaque rejectis democraticis, iiſque præterea, qui præcipuam in cœtu Chriſtianorum civilis Magiſtratus dignitatem eſſe defenderent, ſequitur, ut errorem coarguam Ariſtocraticorum, doceamque, jus regendi univerſi populi Chriſtiani ſummum eſſe penes Epiſcopos omnes non poſſe, penes Presbyteros autem multo minus. Non enim ſolos eſſe rectores Eccleſiarum Epiſcopos; ſed his etiam, in fungendo munere, Presbyteros, quos Epiſcopis pares faciunt, conjungi oportere Ariſtocratici (2) arbitrantur. Ac de excellenti quidem

λυπραγμονεῖν. οἱ δὲ ἱερεῖς, οἷς τοῦτο μέλει καθ' ἑαυτοὺς ὅπου βούλονται συνίτωσαν. *Mihi quidem in populo conſtituto*, inquit, *nefas eſt talia curioſius ſcrutari. Sacerdotes autem, ad quos id pertinet, ſeorſim ubicumque voluerint, conveniant.* Adempta igitur laicis de rebus religionis, atque Eccleſiæ cognoſcendi poteſtate, meminit Ambroſius judicum, quos Auxentius delegiſset, atque ferre quidem æquo animo ſeſe dicit, ut in Baſilicam veniant, non judices futuri, ſed auditores, ſequanturque Epiſcopum, quem velint. His ergo rebus ab Ambroſio contra Democratiam Eccleſiaſticam conſtitutis, quid eſt, quod adverſarii ſermonem Epiſtolæ huic ab eodem ſanctiſſimo viro adjunctum opponant? Denique *Sacerdotum eſſe debere collationem* de divinis, Eccleſiaſticiſque rebus Ambroſius ſtatuit, non laicorum. Ex qua re perſpicuum eſt, examen plebis, quod refugiſse Auxentium ſcribit, non publicum de rebus divinis judicium, ſed ſenſum plebis de religione fuiſse, quæ plebs, cum recte inſtituta eſset, norat quæ in Synodo Nicæna fuerant adverſus Arianos de divinitate filii ab Epiſcopis declarata, ac definita, adeoque in errorem ſe ab Auxentio induci non patiebatur.

1 Tom. IV. hujus Opp. *pag.* 79. *ſeq.*

2 Martinus Lutherus, qui cum prima hæreſeos fundamenta jacere cœpiſſet, multa Epiſcopis, ipſique Pontifici Maximo conceſſit, quæ eis nos jure divino competere credimus, ita deinde percitus in Eccleſiam Orthodoxam odio, atque inſania quadam fuit, ut non magis viros, quam mulieres fungi munere miniſtrorum poſſe diceret. *Lib. quem de inſtituendis miniſtris Eccl. ad Senatum Pragenſem ſcripſit*, *pag.* 581. *ſeq.* & 584. *verſa edit.* Jenenſis *an.* 1557. quo loco: „ Verum hæc omnia, *inquit*, de jure communi Chriſtianorum diximus. Nam cum omnium Chriſtianorum hæc ſint omnia (uti probavimus) communia, nulli licet in medium prodire auctoritate propria, & ſibi arripere ſoli, quod omnium eſt. Arripe ſane id juris, & exequere, ubi nullus eſt, qui ſimile jus habeat. Verum hæc communio juris cogit, ut unus, aut quotquot placuerint communitati eligantur, vel acceptentur, qui vice, & nomine omnium, qui idem juris habent, exequantur officia iſta publice.... Aliud enim eſt jus publice exſequi, aliud jure in neceſſitate uti. Publice exequi non licet niſi conſenſu univerſitatis ſeu Eccleſiæ. In neceſſitate utatur quicumque voluerit „. Ita ille poſtquam omnibus, ac ſingulis attribuit poteſtatem harum rerum adminiſtrandarum *pag.* 582. *verſa*, coarctat (nulla habita divini juris, quod eſt commen-

tus,

Episcoporum, qui Presbyteris divina institutione præstant, digni-

tas, ratione) sua ipsius auctoritate, quod tam late patere affirmarat, iisque solum adscribit, qui constituti ab Ecclesia ministri essent. Addit deinde *pag.* 585. *versa*: „ Reliquum „ est aut permittere Ecclesiam Dei perire sine verbo, aut oportere, conventu facto, com„ munibus suffragiis ex suo gremio eligere unum, vel quotquot opus fuerit, idoneos, & „ orationibus, ac manuum impositionibus universitati commendare, & confirmare, at„ que eos tum pro legitimis Episcopis, & ministris verbi agnoscere, & colere „. Eodem recidunt, quæ scribit in *admonit. ad Ecclesiasticos Augustæ congregatos an.* 1530. *p.*268. *Histor. Comitior. ann.* 1530. *Et* Francoford. *ann.* 1576. Atque huc sane spectant, quæ leguntur in *Confess. Lutheranorum Augustana an.* 1730. *artic. precip. cap.* XIV. *pag.* 14. *Syntagm. confess. edit. Genev. an.* 1654. *& t.* 1. *opp. Philippi Melanthonis edit. Wittemberg. an.* 1562. Et in confessione saxonica scripta anno 1551. ut Synodo Tridentinæ exhiberetur, *apud Melanth. ibid. pag.* 132. *seq. Et in syntagm. confessionum parte* II. *pag.* 70. *tit. de Ecclesia. edit. an.* 1654. *& pag.* 87. *tit. de vita Monastica*: *& in Confess.* Wirtembergica *an.* 1552. *edita ibid. pag.* 119. *seq. tit.* de *Ordine*. Philippus item Melanthonus cum alibi interdum, tum in *Apolog. confess. Aug.* quæ non solum extat in ejus operibus, sed etiam in *corpore doctrinæ Christianæ* (hoc est Lutheranæ) *edit. Lips. an.* 1561. *cap. de Ecclesia pag.* 131. *& cap. de Potestate Ecclesiastica pag.* 227. Neque vero, quod Episcopos nominet, assentitur nostris. Idem enim sentit ac Lutherum sentire paullo ante vidimus. Nam Episcopis quidquam esse divino jure attributum, quod in Presbyterum cadere non possit, negat, ut argumentando colligere ex illius *respons. ad* XVIII. *Articulum inquisit. Bavaricæ ibid. p.* 806. licet. Eadem fere habent Centuriatores Magdeburgenses *Cent.* I. *lib.* II. *cap.* VII. *pag.* 507. *seqq. tom.* 1. *edit. Basil. an.* 1560. *& Cent.* II. *lib.* II. *c.* VII. *pag.* 26. *seqq.* quo loco Episcopos, si quid plus auctoritatis consequuti sunt, qua Presbyteris in administranda Ecclesia antecellerent, id non divina, sed humana voluntate consequutos arbitrantur. Georgius Callixtus in *epitom. Theolog. part.* II. *pag.* 290. *seq. edit. Brunsvic. an.* 1634. Atque hujusmodi sunt ministri, quos Johannes Brentius *in Epist. ad Principem* Wirtembergensem appellat. Est ea Epistola præfixa *tom.* II. *Antidot. & Apolog. script. a Professor. Tubingens. edit.* Francoford. *an.* 1561. In eodem errore versantur Jacobus Beurlinus *refutat. primæ partis Sotici scripti &c. tom.* II. *Apolog. script. Tubingensium in annot. in cap.* LXV. *pag.* 93. Jacobus Heerbrandus *refutat. sec. partis Sotici scripti cap.* IX. *ibid. pag.* 172. *seq.* atque, ut innumerabiles alios prætermittam, Matthæus Vogelius in *Thesauro Theologico Tubingæ an.* 1596. *edit. cap.* XI. *pag.* 437. *seqq.* ubi etsi superintendentes Lutheranorum nominat, nihil tamen his tribuit, quo esse ministris ceteris jure divino potestate superiores, excellentioresque videantur; Johannes Gerhardus *Confess. Cathol. lib.* II. *part.* II. *Art.* VI. *De Clericis cap.* II. *pag.* 12. *seq. & cap.* III. *pag.* 17. *seq. tom.* III. *edit. ann.* 1661. Gaspar Zieglerus in libro inscripto: *Superintendens ad normam constitutionum Ecclesiasticarum in Electoratu Saxoniæ descriptus: edit* Wittembergensis *an.* 1712. Johannes Franciscus Buddeus in *Dissert. de orig. & potest. Episc.* quam *volumine* IV. *hujusce operis* confutavi, *& in Isagoge Historico-Thologica lib.* II. *cap.* IV. §. XI. *pag.* 841. *edit. an.* 1727. quo loco, hanc esse suæ Ecclesiæ sententiam confitetur: „ Inter eos, qui Ecclesiæ præsunt, intuitu dignitatis, nullum intercedere discrimen, adeo„ que hactenus Presbyteros, ac Episcopos æquales esse; nihil tamen obstare, quo minus „ jure humano inæqualitas quædam introducatur, & uni ex verbi divini ministris inspe„ ctio in reliquos committatur, simulque ἐξοχὴ quædam tribuatur. Nec improbamus, quod „ in veteri Ecclesia... Neque objici, *inquit*, nobis potest, quod Episcopatus in Ecclesia „ nostra abrogatus sit... Non tantum enim eam potestatem, qua in Ecclesia Apostolica „ Presbyteri gavisi sunt, verbi divini ministris relinquimus, sed quibusdam etiam ἐξοχὴ „ quædam, ac inspectio in reliquos tribuitur, qui *superintendentium*, aut *præpositorum*, „ aut *inspectorum* nomine veniunt, quamquam & alicubi *Episcopi* appellitentur „. Huic accedit Salomon Deilingius Superintendens Lipsiensis *part.* IV. *Miscellan. sacror. exercitat.*

VI.

dignitate, alias (1). Nunc partes ne Presbyteris ullæ ſint in gubernanda Eccleſia tributæ, diſquirendum eſt.

Quum igitur varii cœtus ſint, qui junctim univerſam, ſejunctim autem conſiderati, ſingularem quique exhibent, conſtituuntque Eccleſiam; quam tandem illis adminiſtrare jus ſit, videamus, univerſamne, an ſingularem quampiam, an nullam. At Presbyteris ſimplicibus aut ſingulis, aut congregatis poteſtatem fuiſſe divinitus univerſæ reipublicæ Chriſtianæ gubernandæ datam, neque Sacrorum Bibliorum, neque majorum teſtimoniis, neque ſuperiorum temporum exem-

VI. *de Novit. Regimin. Monarch. in Eccleſ. obſervat.* II. *pag.* 429. *edit. Lipſ. an.* 1747. Neque ab eo admodum diſcrepat Henricus Benzelius in *Diſſertation. in Academia Lundenſi habit. Meletem. Hiſtorico Teologico de ſucceſſione Epiſcopor. canonica &c. pag.* 563. *ſeq. edit. Francof. & Lipſ. an.* 1745. Ab Lutheranis non admodum diſſident Waldenſes Boemi, quorum fuit an. 1535. Ferdinando Regi oblata *Confeſſio*, extatque in *Syntagmate Confeſs. fidei pag.* 176. *ſeqq. edit. Genev. an.* 1654. *Si* enim diſſiderent, nunquam ab Luthero *ibid. pag.* 209. & a Bucero *In ſcript. duobus adverſis Latomo cap. de Eccleſ. Auctor. pag.* 159. *& in ſyntagm. modo indic. pag.* 212. tot laudibus celebrati fuiſſent. Ac ſi ſupremus eorum Eccleſiæ curator, qui Collegio virorum præſidet, quibus corrigendorum fratrum, excommunicandorumque poteſtatem ineſſe ferunt, a ſuperintendentibus Lutheranorum diſcrepaſſet, jureque divino ceteris eminere exiſtimaretur, vereor, ut Buceri, ac Lutheri ſententiis condemnatus eſſet. Conſentiunt Helvetii Pſeudo-Reformati, quorum confeſſioni anno 1566. conditæ ſubſcripſerunt Miniſtri Tigurini, Bernenſes, Glaronenſes, Baſileenſes, Scaphuſienſes, Abbatiſcellenſes, Sangallenſes, Curiæ Rhetorum, & apud confœderatos eis, & ultra alpes, Milhuſii item, & Biennæ, quibus ſeſe adjunxerunt Genevenſes, & Neocomenſes. His deinde, ubi vulgata confeſſio eſt, acceſſerunt Pſeudo-Miniſtri Poloni, qui in Zathorienſi, & Oſlvicecenſi ducatu agebant, Pſeudo-Miniſtri Scoti, Debrecini Hungari, qui poſtremi eam recudi una cum aliquot articulis anno 1567. curarunt, & Johanni II. Regi inſcripſerunt, atque his verbis ſuum eſſe errorem cognitum omnibus voluerunt: „ Omnes Eccleſiæ miniſtri, qui in Conventu ſancto ad XXIV. Febr. an. 1567. Debrecinum „ convocato eis, & ultra Tibyſcum, inter reliquas confeſſiones recepimus, & ſubſcripſi„ mus Helveticæ Confeſſioni an. 1566. editæ, cui & Eccleſiæ Genevenſis Miniſtri ſubſcri„ pſerunt „. *Cap.* igitur XVIII. *ejus Confeſs. pag.* 40. *edit. Genev. ſyntagm. Confeſſion. an.* 1654. hæc leguntur: „ Data eſt autem omnibus in Eccleſia Miniſtris una, & æqualis po„ teſtas ſeu functio. Certe ab initio Epiſcopi, vel Presbyteri Eccleſiam communi opera „ gubernaverunt. Nullus alteri ſe prætulit, aut ſibi ampliorem poteſtatem, dominiumve in „ Coepiſcopos uſurpavit „. Mitto de Johanne Calvino, qui ſimilia habet *lib.* IV. *Inſtit. cap.* III. *num.* VIII. *cap.* IV. §. II. *ſeqq. & cap.* X. §. VI. *tom.* IX. *opp. edit. Amſtel. an.* 1667. *& in confeſſione fidei nomine Eccleſiarum Gallicarum vigente bello ſcripta, ut coram S. C. M. & illuſtriſs. Princip. German. atque ordinib. in Comitiis Francofordienſibus ederetur an.* 1562. *Inter ejus ep. p.* 406. *edit. Genev. an.* 1576. de Daniele Chamiero *Panſtrat. Cathol. l.* X. *c.* V. *p.* 345. *t.* II. *edit. Genev. an.* 1676. *de* Friderico Spanhemio *in Chamiero contract. lib.* X. *cap.* X. *pag.* 461. *edit. Genev. an.* 1643. de Pſeudo-ſynodis Nationalibus falſarum Eccleſiarum reformatarum Galliæ *an.* 1559. *Act.* I. *ſeqq pag.* I. *ſeqq. t.* I. *edit. Hagenſis an.* 1710. deque aliis ejuſmodi Synodis, de Dallæo, de Turretinis, de Friderico Spanhemio filio, de Picteto, ceteriſque Calvinianis ſive Gomariſtis, ſive Remonſtrantibus dicere, ne ſim longior, quam oporteat.

1 *Tom.* IV. *hujus operis pag.* 317. *ſeqq.*

exemplis conſtat. Quod autem neque ſcriptum ab Apoſtolis, neque traditum a Patribus, neque confirmatum exemplis eſt, id eſſe divinitus cuiquam tributum, ſuſpicari qui poſſumus? Ac de ſingulis Presbyteris diviſim, quos ea poteſtate carere dixi, qui a me diſſentiat, invenio prorſus neminem. Quare dicam de congregatis. Nam de his eſſe aliquos Proteſtantium intelligo, qui repugnent. Locum igitur illum aut Sacrorum Auctorum, aut Patrum mihi indicari volo, ex quo intelligatur, jus eſſe Presbyteris, qui in unum locum convenerint, vel de religione, vel de communi diſciplina, ritibuſque decernere. Indicatus autem nullus uſquam ab adverſaris eſt; qui ſane, quum Monarchiam Eccleſiaſticam omni ope, ac ſtudio evertere conarentur, ſi ullum reperiſſent, prætereundum ſilentio non putaſſent. Quod ſi qui aliquando ad Synodos Oecumenicas, in quibus de communi Chriſtianorum ſalute agebatur, Presbyteri venerunt, hi profecto canones, Epiſcoporum, a quibus miſſi fuerant, nomine, probarunt interdum, ſuo numquam.

Quod autem ſtatutum de *univerſa* eſt, idem eſt de *ſingularibus* Eccleſiis ſtatuendum. Ut enim nullam in Scripturis, majorumque noſtrorum libris de Eccleſia univerſa a Presbyteris jure divino gubernanda mentionem fieri video, ita ne de ſingulari quidem (1).

At eſt, inquiunt, lex a Chriſto Servatore (2) lata de accuſando apud Eccleſiam homine, qui in noſtrum quemquam peccaverit, eoſque contemſerit, qui ut reſipiſceret, veniamque peteret, hortarentur. Epiſcopum vero indicari Ec-

1 Adjutores eſſe oportere Epiſcoporum Presbyteros in adminiſtranda Eccleſia, ut quid cere, concioneſque ad populum de rebus divinis habere, Parœcias, quæ eis tributæ fuerint, moderari debeant, fateor; gubernatores autem Eccleſiæ. Ita ut nullum habeant jure divino antiſtitem ſuperiorem, excellentiorem, præſtantioremque, non item. Qua de re ſatis eſt comm. IV. hujuſce operis in eo, quod eſt de poteſtate Epiſcoporum, capite diſputatum.

2 Abutitur hoc Matthæi teſtimonio Chamierus *lib.* x. *cap.* v. *Panſtratiæ num.* 11. *pag.* 345. *tom.* II. Sed mirum fortaſſe videbitur, Calvinianos, Lutheranoſque, in quibus Johannes Franciſcus Buddeus, & Bohemerus numerari debent (qui Eccleſiaſticos inſectantur, propterea quod nomen ſibi attribuerint Clericorum, quaſi ad hæreditatem Jeſu Servatoris Chriſtiani cæteri non pertineant) ſubito mutata ſententia ſolis Presbyteris *Eccleſiæ* appellationem dare. Sed hi, modo Catholicos oppugnent, non æque curant, quid ſit ex eorum decretis conſequens.

Ecclesiæ nomine, cum hoc vocabulum convocationem, collectionemque significet, concedi nullo modo potest. Quare Johannes Chrysostomus, quique eum sequutus est, Euthymius, ea voce non *Præsidem* unum, sed *Præsides* cœtus indicari censent. Ita fit, ut Bellarminus, qui plane quam essent ipsi Scripturæ novi Testamenti repugnantes perspexerat, dissimularit illum Matthæi in Evangelii capite decimo octavo locum, eaque tantum testimonia explicaverit, quæ minus difficultatis habere viderentur.

Sed qui ita disputant, næ hi quæ recte sunt constituta, calumniando pervertere conantur. Quid enim negotii Bellarmino Matthæi locus de Ecclesia exhibere poterat, quem ille a majoribus sapienter explicatum norat? Quod si hunc prætermittens, alia est ille scripturæ loca interpretatus, non eo fecit, quo ejus explicandi modum inveniret nullum, sed quo in ea re frustra sese consumturum operam prospexisset, quæ ut non magno adjumento nostris pro Ecclesiastica Monarchia pugnantibus, ita ne detrimento quidem esset. Fac enim Presbyterorum, Episcoporumque conventum Servator Christus significarit Ecclesiæ nomine, an est continuo consequens, nullum in Ecclesia esse oportere, qui supremam obtineat auctoritatem? Atque illud, antequam de vera ejus loci interpretatione statuam, quæro, de futura ne Ecclesia Christus idem Servator loquutus tunc fuerit, an etiam de illa, quæ cum ipse in terris ageret, vigebat? Ego vero cur τὸ *dic Ecclesiæ* spectare ad primordia Christianismi non possit, nullo modo prorsus intelligo. Quis enim credat, eum, qui tunc alterum affecisset injuria, nec corripi debuisse, neve adhibitis testibus moneri, neve apud Ecclesiam accusari; neve si accusatus, dicto audiens non fuisset, haberi in numero Ethnicorum? Spectat ergo is locus ad Ecclesiam, quæ tunc, cum Christus in terris versabatur, florebat. Quid igitur? Eritne quisquam tam impudenter insolens, ac temerarius, qui Christi tempore Aristocraticam fuisse pugnet gubernandæ Ecclesiæ, administrandæque formam? Quum autem nemo unquam sit Christianorum, qui sic esse statuendum putet,

ipsi

ipſique Lutherani, atque Calviniani, qui pro Ariſtocratia certant, Chriſtum Monarcham univerſæ Eccleſiæ eſſe confiteantur; relinquitur, ut Eccleſiæ nomine in eo Evangelii Matthæi loco aut Præſides, moderatoreſque ſingulares ſingularium cœtuum indicentur, quæ quidem mihi probatur interpretatio; aut ſi quidquam aliud indicetur, ne id quidem Monarchiæ Eccleſiaſticæ obeſſe poſſit. Nam ſi poſſet, *ἀριστοκρατικῶς ariſtocratice* Chriſti tempore adminiſtrata fuiſſet Eccleſia, quod ne adverſariis quidem placet. Equidem Præſides, ut dixi, ſacrorum indicatos fuiſſe a Chriſto (c.XVIII. Matth.) defendo, qui cum Eccleſias moderentur, ac repræſentent (1) tum appellari commode poſſunt *Eccleſia*. Plures autem in quo-

1 Si enim Presbyteri, qui in unum locum de rebus Eccleſiæ deliberaturi, atque conſtituti convenerint, auctore Chemiero, propterea quod cœtum, qui fidei eorum, curæque creditus fuerit, *repræſentent*, Eccleſia dici commode poſſunt, cur non item præſes Eccleſiæ, ſive *Epiſcopus*, qui perinde ſuam Eccleſiam exhibet, appellari eodem non poteſt nomine? Atque Chriſtum eos indicaſſe τῆς ἐκκλησίας vocabulo conſtat, quibus data ligandi ſolvendique poteſtas eſſet *Matth. cap.*XVIII. *v.*18. cœtumque ipſum, quem moderarentur, repræſentarent. Quare Paulus in priore ad Corinthios epiſtola ab ſe traditum ſatanæ Corinthium graviſſimi ſceleris reum ſcribit. „ Omnino, *inquit v.* 1. *ſeq.*, auditur inter vos for„ nicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat... ego quidem „ abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam JUDICAVI UT PRÆSENS ὡς παρὼν „ eum, qui ſic operatus eſt, in nomine domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & „ meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu tradere hujuſmodi ſatanæ„. Quid? ſi c.XIII. *epiſt.* II. *v.* 1. *ſeqq.* „ Ecce tertio, *dicat*, venio ad vos. In ore duorum, vel trium teſtium „ ſtabit omne verbum. Prædixi, & prædico ut præſens, & nunc abſens, iis, qui ante pec„ caverunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam „. Itaque ſi hanc ſibi aſſumſit Apoſtolus auctoritatem, indicio eſt, unum, apud quem accuſatus frater, deprehenſuſque reus ſceleris, ac judicatus denique fuiſſet, intelligi poſſe *Eccleſiæ* nomine. Neque vero is ſum, qui congregari olim ſolitos, reoſque flagitii reprehendere conſueſſe, ut multorum objurgatione ſeipſum ille reſpiceret, veniamque peteret, negem. Confer *epiſt.* I. *Pauli ad Corinth.* & *epiſt.* II. *cap.* II. *v.* 6. ubi de inceſtuoſo Corinthio agens: *ſufficit illi*, inquit, *objurgatio hæc, quæ fit a pluribus*. Nempe a pluribus objurgatus peccator eſt, unius autem judicio traditus ſatanæ. Tertullianus de Congregationibus Chriſtianorum ſui temporis ſcribens: *Apol. cap.* XXXIX. *pag.* 119. *edit. Veneta an.* 1748. *in Append.* „ Ibi„ dem, *inquit*, etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Nam & judica„ tur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu, ſummumque futuri judicii „ præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut a communione orationis, & conventus, & „ omnis ſancti commercii relegetur. Præſident probati quique ſeniores honorem iſtum non „ pretio, ſed teſtimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei conſtat „. Sed hæc etſi tum fieri, idque jam recte, ſolerent, nihil tamen catholicis afferre detrimenti poſſunt. Neque enim quiſquam eſt, qui decipi quidquam de Epiſcoporum auctoritate putet, propterea quod ſynodos Diœceſanas interdum habeant, cumque parœcis de ſtatu Eccleſiæ, cui præſunt, agant, unaque ſtatuant, quæ ad cultum virtutis, rectamque non inſtitutionem morum ſolum, ſed etiam cœtus adminiſtrationem conferre videantur. Quis enim eſt tam ineptus, tamque imperitus rerum, qui cum Parœcos ad ſynodum convenire intelligat, horum eſſe

quoque cœtu Præsides Sacrorum, seu Episcopos creare non licet. Quare majores nostri, ut Cyprianus (1), ut Chrysostomus

esse existimet, Ecclesiæ Romanæ sententia, auctoritatem Episcopi auctoritati parem? Quare si in consessu eorum caussæ, Tertulliani tempore, agitabantur, qui rei sceleris fuissent, negandum continuo non est, iis, qui considerent, unum aliqem præfuisse, qui reliquis esset jure divino præstantior. Sed de Tertulliani sententia multis volumine quarto hujus operis disputavimus *pag.* 421. *seqq.* Quo magis miror Salomonis Deilingii superintendentis Lipsiensis incredibilem confidentiam, qui *parte* IV. *observationum sacrarum*, *&* *Miscellanearum Exercitatione sexta, quæ inscribitur: De novitate regiminis Monarchici in Ecclesiam universam observ.* II. §. II. *pag.* 431. *edit. an.* 1747. Tertulliano teste *probatorum seniorum* vocabulo non pastores modo, sed pios etiam laicos intelligi oportere scribit. Nam qui sibi perspicua veterum testimonia afferri ad Monarchiam comprobandam postulat, is nunc pro Democratia potius, quam Aristocratia pugnans, *laicos*, quasi essent ab Tertulliano in consessum introducti, nominat, quorum tamen nusquam est ab Tertulliano facta, eo ipso in loco, quo Superintendens abutitur, mentio. Atque Tertullianus, qui in Apologetico laici ne, an Ecclesiastici in consessu essent, non satis explicate dixit; in Libro tamen de Exhortatione Castitatis *cap.* VII. *pag.* 502. *edit. Ven. ann.* 1748. *differentiam inter ordinem*, *&* *plebem*, *consessumque ordinis* nominans, eos consedisse judicandorum laicorum caussa indicat, qui cooptati in ordinem fuissent Ecclesiasticorum. Vide quæ *t.* IV. *pag.* 421. *notat.* 2. scripsimus. Quinetiam quum idem sit auctor Tertullianus *l. indic. Apol. probatos seniores*, quorum meminit, *honorem* hunc obtinere non *pretio*, sed *testimonio* consuesse, loquutus de *Ecclesiasticis* fuerit necesse est, quos in id collegium *testimonio* adlectos fuisse scimus. Nam Alexander Severus, qui vivo fortasse Tertulliano, potitus imperio Populi Romani fuit, apud Spartianum *in vita pag.* 997. *edit. an.* 1671. *de testimonio* loquens „ grave sibi esse, *ajebat*, quum id Christiani, & Judæi facerent in prædicandis SA„ CERDOTIBUS, QUI ORDINANDI SUNT, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortu„ næ hominum committerentur, & capita.

1. Cyprianus *epist.* LXVIII. *al* LXVII. *ad Stephanum pag.* 176. *edit. Oxon. an.* 1682. scribit hoc modo: „ Cui rei (*agit autem de Marciano Arelatensi Novatianorum patrono*) „ nostrum est consulere, & subvenire, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ „ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram rigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis „ erigendis, & curandis vulneratis bonitatis, & misericordiæ divinæ medicinam non de„ negemus „. Cum autem *nostrum est* &c. dicit, Episcopos intelligit, qui *libram Ecclesiæ tenerent*. *Rursum epist.* LXVI. *al* LXIX. *ad Florentium pag.* 168. „ Dominus in Evan„ gelio, *inquit*, cum eum loquentem discipuli derelinquerent, conversus ad duodecim di„ xit: *numquid & vos vultis ire?* respondit ei Petrus dicens: *Domine ad quem ibimus?* „ *verba vitæ æternæ habes &c.* Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ec„ clesia, Ecclesiæ nomine docens, & ostendens, quia etsi contumax, ac superba obaudire „ volentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia „ plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in „ Ecclesia esse, & ECCLESIAM IN EPISCOPO, et si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia „ non esse „. Quid est autem *Ecclesiam esse in Episcopo*, nisi Episcopum Ecclesiam repræsentantem appellari posse Ecclesiam? Quod ut magis magisque constet, demonstreturque nomine Ecclesiæ, quæ cognoscere de eorum, qui accusati sceleris fuerint, caussa debeat, Episcopos intelligi oportere, animadvertendum est, Cyprianum in *Epistola ad Lapsos* XXXIII. *al.* XXVII. *pag.* 66. constitutam super Episcopos Ecclesiam dicere, a quibus potestate ligandi, atque solvendi prædictis omnis actus ipsius Ecclesiæ jure divino gubernetur. „ Do„ minus noster, *inquit*, cujus præcepta metuere, & observare debemus, Episcopi hono„ rem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: *Ego tibi* „ *dico, quia tu es Petrus, & super illam petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* inde per „ temporum, & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, UT

ECCLE-

ſtomus (1), ut Auguſtinus (2), ut alii, qui de Epiſcopis hunc eſſe locum intelligendum (3) exiſtimant, unum in unaquaque Eccleſia Epiſcopum eſſe oportere teſtantur (4). Nam quod

„ ECCLESIA SUPER EPISCOPOS CONSTITUATUR, ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ PER EOSDEM „ PRÆPOSITOS GUBERNETUR „. Confer *Epiſt.* LIX. *ad* Cornelium *al.* LV. *pag.* 126. *Epiſt.* ad Stephanum LXXII. *p.* 198. ubi: „Habet, *inquit*, in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ „ arbitrium liberum unuſquiſque præpoſitus. (*Præpoſiti* autem nomine vocat *Epiſcopum*) „ rationem actus ſui Domino redditurus „. *Ep.* LV. *al.* LII. *ad* Antonianum *p.* 110.

1 Chryſoſtomus *homil.* LX. *al.* LXI. *in* Matthæum *num.* 11. *pag.* 607. *tom.* VII. *opp. edit. Pariſ. an.* 1727. εἰπὲ, inquit, τῇ ἐκκλησίᾳ, τουτέστι τοῖς προεδρεύουσιν. *Dic Eccleſiæ, hoc eſt præſidibus*. Hoc loco abutuntur Chamierus, atque Spanhemius locis ſupra indicatis, propterea quod Chryſoſtomus non *præſidi*, ſed *præſidibus* dixerit. Sed non animadverterunt, eo conſilio ſcriptum ita ab Chryſoſtomo fuiſſe, ut multarum Eccleſiarum præſides, ſeu Epiſcopos, non ut in una Eccleſia multos fuiſſe præſides indicaret. Id enim ne ſomniare quidem poterat is, qui Epiſcopum unum Eccleſiæ ſingulari cuique præeſſe ſciret. Itaque paullo poſt, cum non de multis, ſed de ſingulari quapiam Eccleſia ageret, oſtenderetque quibus datæ a Chriſto claves fuerint (his enim, qui clavium obtinerent poteſtatem indicatos a ſervatore Jeſu fuiſſe Eccleſiæ nomine paullo ante diximus) ſcripſit hoc modo: *pag.* 608. *num. eodem* οὐκ εἶπε τῷ προέδρῳ τῆς ἐκκλησίας, δῆσον τὸν τοιοῦτον, ἀλλ' ἐὰν δήσῃς, *non dixit* PRÆSIDI ECCLESIÆ *liga hunc*, *ſed ſi alligaveris &c.* Viden' ut unum unius Eccleſiæ præſidem nominet? De Epiſcopo igitur hunc locum Matthæi intellexerit Chryſoſtomus neceſſe eſt, non de pluribus, qui Eccleſiæ præſiderent.

2 Confer *lib.* I. *de Civitate Dei cap.* IX. *pag.* 8. *ſeq. tom.* VII. *opp. edit. Antuerp. ann.* 1710. Etſi autem locum Matthæi non indicet, tamen quis arguere debeat peccantem oſtendit, ut qui eam tribuat Epiſcopo auctoritatem. Conſule etiam *lib.* XIX. *de Civ. Dei cap.* XIX. *pag.* 426. *& enarr. in Pſal.* CXXVI. *pag.* 1069. *n.* 3. *tom.* IV. *opp. edit. ejuſdem*. Mitto cetera ne ſim longus.

3 Conſule Origenem *tom.* XIII. *commentar. in Matthæum pag.* 336. *vol.* I. *opp. edit. Rothom. Huet. an.* 1668. & quæ in eum locum adnotavit Petrus Daniel Huetius *vol.* II. *in not. pag.* 60. *& pag.* 45. *ſeq.* Vide præterea Apoſtolicas Conſtitutiones *l.* II. *c.* XXXVII. *ſeq. pag.* 250 *ſeqq. edit. Amſtel. an.* 1724. Sed de hac re non eſt, cur multis diſputandum putem. Nihil enim tam eſt clarum, tamque perſpicuum, quam Patres in ea ſententia fuiſſe, ut jure divino Epiſcopus presbyteris eſſe dignitate, auctoritateque præſtantiores defenderent. Confer *tom.* IV. *hujus operis pag.* 351. *ſeqq.*

4 S. Cyprianus *Epiſt.* LV. *al.* LII. *ad* Antonianum *in Collect. autem epiſtolar. Roman. Pontif. inter* Cornelianas X. *edit. Conſtantii Pariſ. ann.* 1721. *pag.* 164. *ſeq. num.* 8. „ Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Civitate Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum „ pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, ideſt cum locus Petri, & gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret. Quo occupato de „ Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato, quiſquis jam Epiſcopus fieri „ voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ „ non tenet unitatem. Quiſquis ille fuerit, multum de ſe licet jactans, & ſibi plurimum „ vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et, cum poſt primum ſecundus ESSE NON „ POSSIT, quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debeat factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed „ nullus eſt „. *Epiſt. item* XLIV. *al.* XLI *ad Cornelium inter Cornel.* I. *ibid. pag.* 126. „ Epiſcopo, *dicit*, ſemel facto, & collegarum, ac plebis teſtimonio, & judicio comprobato alium conſtitui nullo modo poſſe „. Conſule *Epiſt.* VI. *Cornelii Papæ ad Cyprianum* quæ inter Cyprianicas eſt XLIX. *al.* XLVI. *num.* 2. *ibid pag.* 138. *Epiſt.* IX. *ad Fabium Antiochenum num.* 3. *pag.* 150. Eadem omnino habent Johannes Chryſoſtomus *Homil.* I. in

quod Proteſtantes plerique a Presbyteris, Epiſcopiſque adminiſtrandas una eſſe, gubernandaſque Eccleſias quaſque contendunt, inane eſt. Factum id enim aliquando Epiſcoporum fuiſſe voluntate oſtendent, divina vero inſtitutione, non item. Quod cum manifeſtum per ſe ſit, tum ex eo etiam Matthæi teſtimonio concludi, efficique poteſt. Apoſtolos enim Chriſtus eo in loco Eccleſiæ vocat nomine (quibus ligandi, ſolvendique tribuit poteſtatem) adeoque ſucceſſores etiam Apoſtolorum. Cumque ſucceſſores ſint Apoſtolorum Epiſcopi, qui nullum habent in cœtu, cui præſunt, auctoritate parem, ſequitur, ut in ſingulari etiam cœtu, unus Epiſcopus, qui inſtituendo, docendo, regendo, adminiſtrando ſuam ſingularem Eccleſiam exhibet, Eccleſia appelletur. Quod ſi id nomen Epiſcopum ſuam Eccleſiam exhibentem indicat, quid eſt, quod indicare nequeat Pontificem, qui ut regit, ac moderatur, ita etiam exhibet univerſam? Quare Matthæi locus ut Epiſcopis pares Presbyteros in ſingularibus cœtibus regendis non efficit, ita ne Pontifici quidem in adminiſtranda, gubernandaque Eccleſia univerſa. Miror autem quid ſit, quod cum Calvinus, ac Beza hunc Matthæi e capite XVIII. locum ad Synagogam, non ad cœtum Chriſtianorum; aliique de grege Proteſtantium ad Principem reipublicæ pertinere defenderent: tum Chamierus, qui Calvinum (1), Bezamque (2) admiraretur, atque ſuſpiceret, tam eſſe clarum, tamque perſpicuum *τὸ dic Eccleſiæ* putarit, ut hoc uno Bellarminum pro Eccleſiaſtica Monarchia pugnantem, perſtrictum, convictumque erroris fuiſſe arbitraretur. Nam quod, auctore factionis Calvinianæ magiſtro, de Synagoga intelligi non modo poteſt, ſed etiam debet, quid eſt, quod implicare eum

in epiſt. ad Philipp. num. 1. *pag.* 194. *tom.* XI. *opp. edit. Pariſ. Montfauc an.* 1734. & & aliis in locis, quos deſcribit Pearſonus *vindiciar. Ignatianar. part.* II. *cap.* XII. *p.*422. *tom.* II. *Patr. Apoſtol. edit. Amſtel. an.* 1724. Ambroſiaſter, cujus ipſe teſtimonia attuli *tom.* IV. *hujus operis p.* 443. *ſeqq.* Hieronymus *lib. eodem tom.* IV. *pag.* 473. *ſeqq.* Eadem refert Pearſonus *ibid. pag.* 423. *ſeq.* Mitto de Epiphanio, Auguſtino, aliiſque dicere, ne longior ſit oratio, quam oporteat.

1 Calvinus Harmon. *Evang. ad cap.* XVIII. *v.* 17. *Matth pag.* 279. *edit. Rob. Steph. Ann.* 1555.

2 Beza *in Matth. cap.* XVIII. *v.* 17. *pag.* 68. *verſa edit. Pariſ. an.* 1556. quamquam hic ſuam non tam aperte promat ſententiam.

potuerit, qui non de Synagoga Judæorum, sed de Christianorum Ecclesia ageret, quæreretque, Monarchica ne, an Aristocratica sit illius regendæ, atque gubernandæ forma.

Scio autem esse aliquos, qui parem in administranda Ecclesia fuisse Episcoporum, Presbyterorumque simplicium auctoritatem pugnent, idque ut efficiant (1), testimoniis Lucæ, Pauli, Polycarpi, Irenæi, Tertulliani, Hieronymi, aliorumque veterum abutantur. Sed quoniam explicata quarto hujusce operis volumine copiose hæc sunt (2), nulla est caussa, cur esse rursum explicanda videantur. Nam quod de Eutychio Alexandrino Deilingius scribit, etsi nullius momenti est, propterea quod Arabs ille neque doctrina, neque auctoritate, neque vetustate cum Ignatio, ceterisque, quos Tom. IV. laudavi, Patribus sit comparandus, tamen expendendum breviter est, ne quid a me quisquam prætermissum esse, quod ad rem pertineat, arbitretur.

Itaque de Eusebio Renaudotio viro eruditissimo hæretici conqueruntur (3) quod invectus acriter in Eutychium fuerit

1 Deilingius *ibid. obs.* II. *pag.* 429.

2 *Pag.* 331. *seqq.*

3 Salomon Deilingius *Observ. sacror. part.* IV. *exercit.* VI. *observ.* 2. *pag.* 433. *seq.* Ejusdem est Deilingii error gravissimus de Hieronymo. Ab hoc enim Episcopos institutos divinitus fuisse scribi, animadvertit, auctos autem dignitate, qua Presbyteris antecellant, non item. Nam id dignitatis genus, Hieronymo auctore, non divino jure, sed consuetudine niti Ecclesiarum. Displicuisse hanc tanti Doctoris sententiam Bellarmino de *Clericis cap.* XIV. Joh. Cabassutio *in notit. Eccles. sec.* II. *diss.* XIII. *pag.* 44. Petavio *t.* IV. *Teolog. Dogm. edit. Amstelod. pag.* 165. Johanni Morino *de sacris Ordinibus exerc.* III. *cap.* III. aliisque, quos gnathones vocat §. I. p. 433. Confer, si licet, ejus §. III. *pag. eadem*. At immerito, ergit, nunc demum eam displicere, quæ extremo quarto seculo vulgata, ne Damasum quidem, quo cum Hieronymus aliquamdiu vixerat, offendit. Non enim esse credibile, omnes totius orbis Episcopos æquo tum animo id fuisse laturos, si factam amplissimo ordini ab Hieronymo putassent fuisse injuriam. Ego vero miror Deilingium, neque eruditione, neque peritia linguarum, neque rebus ceteris ita præstantem, ut ullo modo cum iis, quos nominat, comparari possit, ausum fuisse eos *Gnathones* dicere. Atque ii sunt Lutherani scriptores scilicet, qui cum nostros contumeliosissimis verbis lacerant, tum nimium esse in scribendo acres catholicos conqueruntur. Sed missa hæc facio. Non enim de contumelia, sed de Hieronymi opinione instituta a nobis est quæstio. Nego igitur eam displicuisse Bellarmino, Petavio, Morino, Cabassutio, ceterisque, qui caussam Episcoporum, defensionemque susceperunt. Neque enim id cuiquam displicet, quod explicari facile posse intelligit. At Hieronymi loca ita ab illis, atque etiam a me ipso explicata sunt, ut nostrum dogma constituant, Protestantiumque errorem funditus evertere videantur. Vide quæ scripsi *tom.* IV. *hujusce operis pag.* 473. *seqq.* Falsum autem est, quod Deilingius addit, *eminentiam* Episcoporum, auctore Hieronymo, *consuetu-*

fuerit (1) de primordiis Alexandrinæ Ecclesiæ differentem, statuentemque ad tertium usque seculum non ab Episcopis, sed a Presbyteris duodecim, quorum fuisset a Marco Evangeliste constitutum collegium, deligi, consecrarique Patriarcham consuevisse. Eoque magis inique actum ab Renaudotio fuisse ajunt, quod cum Eutychium, ut barbarum, atque ab antiquis scriptoribus dissidentem, & novum (ut qui seculo demum Ecclesiæ decimo scripserit) contemsisset, insectatusque Seldenum, atque Procokium (2) fuisset (quod alter eorum Origines Eutychii partim imperitia linguæ, partim dolo, ac fraude (3) ex arabicis malis latinas fecisset deteriores, alter Annales ejusdem Eutychii ita esset interpretatus, nihil ut immutarit eorum, quæ turbata ab Seldeno fuerant, ne quid de amici existimatione deripere videretur) tum Severum Aschmoninensem sequutus in absurdas, interque se discrepantes opiniones inciderit. Nam oblitus, sic enim ajunt, eorum, quæ ante constituisset: ubi de Juliano, qui undecimus Alexandrinorum Antistes fuit, loquutus est, nullum *eo tempore Episcopum Alexandriæ mansisse scripsit*. Immo vero traditum ab Severo fuisse confessus est: *Post obitum Theonæ congregatos Alexandriæ Sacerdotes, & plebem, manus imposuisse super Petrum filium ejus spiritualem, & discipulum, Sacerdotem, eumque collocasse in solio Patriarchali Alexandrino juxta Theonæ mandatum*

suetudine humana, non divina institutione niti. Non enim de Episcoporum ordine, ac dignitate Hieronymus, quam certe divini omnino juris esse, ut quarto volumine *p. ead. seqq.* ostendimus, sed de sollicitudine externa loquitur, quam ad Episcopum præcipue jure divino, ad solum autem Episcopum omnem sollicitudinem non tam jure divino, quam Ecclesiastico pertinere docet. *Quare Episcopos magis consuetudine, quam dispositione Dominica Presbyteris esse majores*, scribit, nempe in eo quod attinet *ad omnem sollicitudinem ad Episc. delatam*.
„ Paullatim, *inquit*, ut dissensionum plantaria evellerentur AD UNUM OMNEM SOLLICITUDI-
„ NEM esse delatam. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei, qui sibi præ-
„ positus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispo-
„ sitionis dominicæ veritate Presbyteris esse majores. *Tom.* IV. *opp. edit.* Paris. *Martian. pag.* 413. *part.* 1. Quod si Hieronymus potestate, dignitateque Episcopos Presbyteris pares esse dixisset, incurrisset profecto in Damasi, ceterorumque Orthodoxorum offensionem, ut incurrit Aerius, quem ob eam hæresim fuisse damnatum liquet. Qua de re vide quæ dixi *t.* IV. *loc. indic.* Longe igitur discrepans ab errore Aerii fuerit necesse est Presbyteri Stridoniensis sententia.

1 Renaudotius *Hist. Patriarch. Alexandr. in Marco Evang. pag.* 7. *seqq. edit. Paris. an.* 1713.

2 Renaudotius *ibid. & pag.* 12.

3 *Ibid. pag.* 12.

tum anno decimo Diocletiani Imperatoris. Qua in re quis non videat contineri quidpiam, quo confirmari Seldeni sententia possit de Presbyteris Patriarcham non eligentibus modo, sed etiam *ordinantibus*? Neque id solum Renaudotius nullo modo, sed ne illud quidem animadvertit, quod ex Severo, cum de Damiano trigesimo quinto Patriarcha ageret, descripsit: *Anno*, videlicet, *octavo Patriarchatus Damiani Acephali ex eorum reliquiis, qui a Petro Moggo secessionem fecerant, cum apud illos quatuor tantum Sacerdotes superessent, habitis inter se consiliis, seniorem quatuor illorum Sacerdotem, nomine Aristocham, Episcopum ordinasse*. Quibus ex verbis Deilingius intelligi posse arbitratur, Renaudotium, qui Presbyteris jus *ordinandorum* Episcoporum negaverit, ne cogitantem quidem Severo adjunxisse fidem, qui Patriarchas in Ecclesia Alexandrina a Presbyteris ipsis constitutos, *ordinatosque* fuisse defenderet.

Ego vero etsi magni Renaudotium faciam, tanti non facio tamen, ut eum si errasset, quidquam detrimenti afferre Ecclesiæ Catholicæ potuisse putem. Sed cum hominem summa linguarum orientalium peritia, singularique eruditione præstantem injuria fuisse ab inimicis orthodoxæ religionis reprehensum intelligam, breviter illius caussam sic agam, ut eum, ademta Eutychio, iisque, qui hunc pessime fuissent interpretati, sequutique, fide, & animadvertisse ostendam, quæ ab Severo disputata essent, & integra, non detruncata, ut factum ab Deilingio est, protulisse, & diligentem dedisse operam, ut ne quis implicata scribendi Arabum ratione imprudens deciperetur. Atque est illud certissimum, Ecclesiæ universæ de jure *ordinandi* sententiam non ab eo uno scriptore, qui cum inter barbaros ageret, tum imperitus antiquitatum, doctrinarumque Ecclesiasticarum esset, sed a Patribus, a canonibus, librisque Liturgicis cœtuum Christianorum repeti oportere. Seldenus autem, cum nihil se reperire, nisi illum Hieronymi (1) de Presbyteris, Epi-

1 Selden. In Præf. *p. v. seqq. edit. Londin. Orig. Eutych. an.* 1642. & *p.* 132. *n.* XIX.

Episcopisque involutum, obscurumque locum, in majorum monumentis posse perspiceret, quo caussam tueretur Presbyterianorum; nulla antiquæ disciplinæ, nulla majorum, nulla ritualium librorum habita ratione, Eutychii (1) & novi (2) & barbari, & inepti hominis testimonio (3) suum, sociorumque suorum errorem confirmari posse existimavit, qui Episcopos olim Alexandrinos a Presbyteris fuisse consecratos censent. Ac de Patrum quidem auctoritate, de canonibus, librisque Ecclesiasticis Alexandrinorum alias (4). Quod autem rem maxime continet, est: si ab Alexandro, qui Synodo Nicænæ interfuit, immutata ratio (5) eligendi Episcopi Alexandrinorum, cautumque fuit (quod Eutychius mentitur) ne deinceps a Presbyteris duodecim Patriarcha, quasi id non esset necesse, ex eorum numero crearetur, Ariani profecto, qui ab Alexandro summopere diffidebant, (6) ubi aliquot diebus post Alexandri interitum, Athanasium

1 Confer quæ scripsi *tom.* IV. *pag.* 503. *seq.* Vapulat item Eutychius ab Josepho Simonio Assemano viro doctissimo *tom.* I. *Bibliothec. Orient. pag.* 498. & *pag.* 506. *edit. Rom. an.* 1719.

2 Nam obiit an. 939. Æræ Christianæ, qui annus 328. Hegiræ Muhamedanorum fuit, Consule Herbelotum *Biblioth. Orient. ad v. Autisious edit. Paris. an.* 1697. *pag.* 153.

3 Confer quæ scripsi supra *tom.* IV. *pag.* 505.

4 Vide quæ disputavi *ibid. pag.* 505. *seq.* 507. 509.

5 Ita quidem habet Eutychius, ut est in Seldeniana editione supra indicata *pag.* XXX. & in Procockiana *Annalium tom.* I. *pag.* 331. *edit. Oxon. an.* 1658. „ Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris XII. usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo trecentorum, & octodecim. Is autem vetuit, ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent, & decrevit, ut mortuo Patriarcha convenirent Episcopi, qui Patriarcham ordinarent. Decrevit item, ut vacante Patriarchatu, eligerent ex quacumque tandem regione, sive ex duodecim illis Presbyteris, sive aliis, virum aliquem eximiun perspectæ probitatis, eumque Patriarcham crearent.

6 Confer Epiphan. *Hæres.* LXIX. *n.* XI. *p.* 735. *tom.* I *opp edit. Paris. an.* 1622. quo in loco, Athanasium tunc Diaconum Alexandri fuisse, cum potitus Episcopatu est, scribit. Ἀθανάσιος ὁ μακαρίτης ὢν τότε διάκονος Ἀλεξάνδρου. *B Athanasius, qui tunc erat Diaconus Alexandri.* Adeundi præterea Socrates *lib.* I. *hist. Eccl. cap.* VIII. *pag.* 17. *edit. Taurin. ann* 1737. Sozomenus *lib.* I. *cap.* XVII. *pag.* 33. *edit. ejusd.* S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* XXI. *pag.* 376. πᾶσαν τὴν τῶν βαθμῶν ἀκολουθίαν διεξελθὼν, inquit, τὴν τοῦ λαοῦ προεδρίαν πιστεύεται. *Ad omnem graduum ordine progresso, populi præsulatus concreditur* Athanasio. Gregorium sequutus Theodoritus *lib.* I. *cap.* XXVI. *Histor. Eccl. pag.* 53. *edit. Taurin. an.* 1748. *In singulis Ecclesiastici ordinis gradibus summa cum admiratione versatum fuisse* Athanasium narrat. Itaque Samuel Basnagius in *Annal. ad an.* 326. *num.* XV. *pag.* 732. *edit. Roterod. an.* 1706. Presbyteris eum ab Alexandro adgregatum existimat. Sed cum Epiphanius distincte Athanasium Diaconum tunc fuisse tradat,

nasium Diaconum, a quo sibi metuendum norant, electum consecratumque Episcopum intellexerunt, hunc certe contra disciplinam veterem a Marco Evangeliste institutam in Sedem Alexandrinam invasisse dixissent, petiissentque ab Imperatore, ut is ob eam caussam, non ob inanes (1), falsasque

dat, ac Diaconatus *ibidem* Theodoritus, non presbyteratus mentionem fecerit, sit ita, ut eum ordine per inferiores gradus ad Diaconatum pervenisse, atque hoc pacto intelligendos Gregorium, ac Theodoritum esse putem. Eoque magis in eam inducor sententiam, quo Athanasium videam ita de se fuisse loquutum, ut ab Diaconatu se ad Episcopatum fuisse translatum innueret. *Apol. contra Arian. num.* VI. *pag.* 128. *edit. opp. Paris. an.* 1698. Quare diligentissimus Tillemontius ab Diaconatu ad Episcopatum translatum Athanasium statuit, *In vit. s. Athan. art.* 11I. *tom.* VIII. *Mem. Hist. Eccl. edit. Paris. ann.* 1702. Huic præiverat Baronius ad an. CCCXXVI. *num.* VI. Neque repugnat Caveus *script. Eccl. Hist. Litter. pag.* 190. *edit. Oxon. an.* 1740.

1 Nam ut Synodi Alexandrinæ anno 340. celebratæ auctoritate constat, Ariani Imperatori scripserant: „ Post obitum Alexandri Episcopi, cum pauci quidam Athanasii mentio„ nem facerent, seu aut septem Episcopos, clam & in obscuro loco ipsum ordinasse „. *Apud Athanas. Apolog. contra Arian. tom.* 1. *opp. edit. ejusd. pag.* 128. *num.* VI. Quod si immutata disciplina Alexandrinæ Ecclesiæ a Marco tradita, Alexandri jussu, fuisset, a duodecim Presbyteris deligi Episcopum debuisse Athanasium Ariani scripsissent, non a majore numero Episcoporum. At Patres, qui Synodo ipsi interfuerunt, accusationem Arianorum repellunt, his verbis. *Ibid.* „ Nos autem cum tota civitate, & universa provincia „ testes sumus, totam multitudinem, omnemque Catholicæ Ecclesiæ populum, quasi uno cor„ pore, uno animo congregatum, exclamasse, vociferatum esse, ac Athanasium suæ Eccle„ siæ Episcopum petiisse. Hoc publicis votis Christum rogabant, hoc nos diebus, nocti„ busque plurimis facere adjurabant... Quod autem ex nobis (Episcopis) quamplurimi „ sub omnium conspectu, & omnibus præ gaudio acclamantibus, ipsum ordinarint, nos „ testes sumus, qui ordinavimus, & fide quidem digniores iis, qui tunc aberant, & jam „ talia mentiuntur „. Fortasse vero prætermisissent hæretici de *Diacono* contra instituta Alexandrinorum Episcopo creato dicere, Synodique Alexandrinæ Patres satis se accusatoribus fecisse putassent, si expetitum a plebe Athanasium, & ab Episcopis consecratum fuisse respondissent? Atque Gregorius Nazianzenus, cujus est certe longe gravior auctoritas Eutychii fide, *Orat.* XXI. *pag.* 377. *tom.* 1. Sic igitur, *inquit*, atque ob eas caussas totius populi suffragiis... APOSTOLICO, ET SPIRITUALI MODO AD MARCI THRONUM EVEHITUR. Viden, ut *Apostolico* modo fuisse Athanasium Episcopum creatum dicat? *Apostolico* certe, ut qui non solum apud ceteras valuisset jam inde ab ætate Apostolorum, sed etiam in Alexandrina Ecclesia. Quod si non esset is modus ab Apostolis repetendus, *Apostolicus* profecto non fuisset, neque Arianis opponi potuisset, si contrariam consuetudinem invectam Alexandriam a Marco fuisse intellexissent. At is *Apostolicus* modus qualis tandem fuit? Nempe ut petente plebe a *multis* Episcopis Provinciæ *ordinarentur* Episcopi. Atque hoc sane pacto consecratum Athanasium Episcopum fuisse Alexandrinorum, ex Epistola Synodica *Alex. Synod.* quam paullo ante indicavi, liquet. Neque vero credibile est, unam Ecclesiam Alexandrinam morem ab Apostolis introductum omisisse, quo Ecclesiæ ceteræ uterentur. Cyprianus autem *Ep.* LXVII. *al* LXVIII. *p.* 172. *edit. Oxon.* „ Propter quod diligenter, *inquit*, „ de traditione divina, & Apostolica observatione observandum est, & tenendum, quod apud „ nos quoque, & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebran„ das, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ proximi qui„ que conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente „. Sed quid multis est opus? Epiphanius *Hær.* LXIX. *num.* XI. *pag.* 735. hanc item consuetudinem invaluisse Alexandriæ sci-

ſaſque criminationes, quas invidia, odioque permoti excogitaverant, de dignitate dejiceretur. Sed cum numquam id ab Arianis, aliiſque hæreticis, ſchiſmaticiſque, quorum erant in Ægypto permulti, objectum Athanaſio fuerit, maneat neceſſe eſt, nihil in eo genere fuiſſe immutatum ab Alexandro, rejiciendaque eſſe in fabulas, quæ Eutychius miſcuit, turbavitque in Originibus. Eoque magis in ſententia confirmor, quo videam Epiphanium ſcriptorem & æqualem fere temporum illorum, & Eutychio diligentiorem, ſic de Athanaſio agere (1), ut nihil novi in eo Epiſcopo conſtituendo, immo vero omnia, ut vetus Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudo ferebat, eveniſſe tradat. Atque eſt etiam illud graviſſimum, quod Eutychius de nomine Patriarchæ jam uſque a ſancti Marci temporibus uſurpato ſcribit (2). Nemo eſt enim tam ignarus, tamque imperitus Chiſtianarum rerum, qui, non Marci ætate dico; nam id omnino fieri non poteſt: ſed altero, tertioque etiam Eccleſiæ ſeculo eam vocem in uſu apud noſtros ſive Europæos, ſive Aſiaticos, ſive Africanos fuiſſe arbitretur (3). Quamobrem recte

ſcribit. „ Verum cum hæc ſit, *inquit*, Alexandriæ conſuetudo, ut poſt Epiſcopi mortem „ ſucceſſor non diutius differatur, ſed ſubinde pacis tuendæ gratia ſubrogetur, ne aliis „ hunc, aliis illum amplectentibus prælia ἐν τοῖς λαοῖς IN POPULIS & contentiones exi- „ ſtant „. Tempore igitur, quo electus Athanaſius eſt, ea conſuetudo inoleverat. Nam de Athanaſio loquitur Epiphanius. Non igitur tum primum introducta ab Alexandro eſt. Quare mentitur Eutychius, qui ab Alexandro Epiſcopo hanc fuiſſe conſtitutam diſciplinam cenſet. Sed de *antiquo ritu electionis, & ordinationis Epiſcoporum Alexandrinorum* confer Bollandianos *in ſerie Patriarch. Alex. cap.* 1. *in Marco Parerg.* 1. *pag.* 9. *ſeqq. tom.* 1. *Act. Ss. Jun. menſ. edit. Antuerp.* Johannem Antonium Bianchum *Ord. Min. Della Poteſtà, e della Politia della Chieſa tom.* III. *lib.* I. *cap.* II. §. XVII. *num.* V. *ſeqq. pag.* 213. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1745. eoſque ſcriptores, *quos tom.* IV. *pag.* 505. *ſeqq.* nominavi. Idem argumentum, ut Hammondum, alioſque Epiſcopales Anglos prætercam, perſequitur Pearſonus *p.* I. *Vindiciar. cap.* XI. *pag.* 334. *ſeqq. tom.* II. *Apoſt. PP. edit. Amſtel. an.* 1724.

1 Vide *not. ſuperior.*

2 *Pag* XXIIX. *origin. edit.* Seldeniana *Londin. an.* 1642.

3 Confer quæ ſcripſi *tom.* IV. *hujus opp. pag.* 552. *ſeqq. not.* 1. *ſeqq.* Vidit hoc Seldenus *ibid. pag.* 5. *ſeqq.* Itaque ad Hadriani Imperatoris epiſtolam confugit, cujus eſt a nobis in IV. *volum. pag.* 550. *num.* IV. & *tom.* I. *p.* 140. facta commemoratio. Sed cum Berterium *lib.* II. *Pathanon. cap.* I. & Joſephum Scaligerum *lib.* III. *canon. pag.* 297. de Patriarcha Iudæorum cum ex epiſtola Hadriani locum de Patriarcha Iudæorum intelligere videret, contra vero Iſaacum Caſaubonum, & Salmaſium in *not. ad Vopiſcum* de Chriſtianorum, ancipitem ſe hærere dixit. Quaſi vero non ſatis conſtet, eſſe ea ſcripta de Iudæorum Patriarcha ab Imperatore.

recte, ſapienterque a Petavio (1), Natali (2) Alexandro, Renaudotio (3), aliiſque actum contra Seldenum, & Procokium eſt, quorum alter partim imperitia linguæ, partim hæreſeos tuendæ cauſſa, alter ne quid de Seldeni exiſtimatione detraheret, ita ſunt in Originibus Eutychii in latinam linguam convertendis verſati, ut non modo, quæ turbata a ſcriptore Arabe fuerant, probarint, ſed novos etiam errores invenerint (4) invexerintque in Eccleſiæ Orientis hiſtoriam. Quod ſi veritatis, non ſectæ amore permoti oſtendere voluiſſent, ne novos quidem Arabas ab antiquis Patribus diſſidere, Severi libros latinos facere curaſſent, qui Severus, ut accuratior ſcribendo, ita propenſior fuit ad Alexandrinorum veterum, ceterorumque Chriſtianorum orthodoxorum ſententiam (5). Renaudotium autem non animadver-

1 Petav. *lib. 1. de Hierarchia cap.* XIII. *num.* XVIII. *pag. 727. tom.* III. *Theolog. Dogm. edit. Pariſ. an.* 1644.

2 *Hiſtor. Eccleſiaſt. ſecul.* IV. *Diſſert.* XLIV. §. XXVI. *pag. 741. tom.* IV. *edit. Luc. an.* 1750.

3 *Renaudot. vit. Patr. Alex. in Marco pag. 7. ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1713. Confer etiam Bollandianos, & Bianeum, *loc. ſupr. indic.*

4 Vide quæ diſputavi *tom.* IV. *pag. 509. ſeqq.* Immo vero, quod Eutychius ſcribit, *nullus erat in Provincia* Epiſcopus, Seldenus, & Procokius ita vertunt, ut nullum dicant ad Demetrium uſque in *Provinciis* Ægypti Epiſcopum fuiſſe. Seld. §. 22. *p.* 147. Procokius *Annal. tom. 1. pag. 332. edit. Oxon. an.* 1658. Fuiſſe autem Epiſcopos ipſo etiam ſecundo Eccleſiæ ſeculo, diu ante Demetrium in Ægypto, conſtat ex *Epiſtol. Hadriani Imperatoris apud Flav. Vopiſc. in Saturnino pag. 719. tom.* II. *Hiſt. Auguſt. ſcriptor. edit. Lugd. Batav. an.* 1671. ubi hæc habentur: „ Ægyptum, quam mihi *laudabas*, Serviane cariſſime, totam didici levem . . . Illi, qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt, & devoti „ ſunt Serapi, qui ſe Chriſtianos Epiſcopos dicunt „. Integrum locum attuli ſupra *tom.* I. *pag.* 140. Etſi autem plena calumniæ hæc epiſtola eſt, tamen Epiſcopos in Ægypto plures ante medium etiam ſeculum ſecundum floruiſſe demonſtrat. Quid? Si Photius ex Pamphili Martyris, Euſebiique Apologia *Biblioth. Cod.* CXVIII. *pag. 298. edit. Rotomag. an* 1653. *Synodum fuiſſe coactam* ἐπισκόπων *Epiſcoporum*, *& aliquorum Presbyterorum contra Origenem?* Erant igitur in Provinciis Ægypti ea ætate Epiſcopi. Quo magis impudentiam Blondelli miror, qui *Apolog. Hier. lib.* VIII. *in Addend. pag. 199. Origenem Presbyterorum decreto ex Photii* ſententia *pulſum* ſcribit. Nam Photius ab ἐπισκόποις id factum, & *aliquot presbyteris*, καὶ τινων πρεσβυτέρων tradit: Sed non eſt, cur pluribus hoſce ſcriptores hæreticos refellam, quos a proteſtantibus Anglis, quos Epiſcopales vocant, egregie confutatos ſciam, imprimiſque a Pearſonio *ibid. pag. 342. ſeqq.*

5 Apud Renaudotium enim *in vit. Patr. Alex. in Marco pag.* 9. de Cerdone, qui tertius poſt Marcum Epiſcopus Alexandrinorum fuit, loquens: „ Sacerdotes, & Epiſcopi, „ qui ejus vices in provincia adminiſtrabant, *ſcribit*, ſtatim atque audierunt Melianum „ diem ſuum obiiſſe, Alexandriam convenientes, habito cum orthodoxa multitudine con- „ ſilio, ad eligendum ſucceſſorem, ſorte jacta, Cerdonem, in quem ceciderat, patriarcham „ conſtituiſſe „. Confer, quæ ibidem perſequitur Renaudotius.

veritiſſe, quæ cum Catholicorum decretis pugnare viderentur, tum falſum eſt, quam eſt falſum aut integra allata, aut recte explicata Severi teſtimonia fuiſſe ab Deilingio. Locus enim Severi, quem Deilingius (1) deſcribit: *Quod nullus ab eo tempore Epiſcopus Alexandriæ manſerit*, ſic habet, ut ab Renaudotio refertur (2): *Sedit* (Julianus XI. Patriarcha) *annis decem, & poſt illum Patriarcham nullus Epiſcoporum Alexandrinorum in Urbe manſit, ſed ſecreto egrediebantur, & ordinationes Sacerdotum diverſis in locis faciebant, exemplo Marci Evangeliſtæ*. Quæ res, ut cum decretis Catholicorum hominum pugnet, non video. Neque enim Severus ſcribit, conſecrari ex eo tempore Epiſcopos a Presbyteris conſueſſe, quod nunc quærimus, ſed Epiſcopos extra Urbem latuiſſe, cumque ſe opportunitas rei bene gerendæ obtuliſſet, e latebris prodiiſſe, *ordinatiſque* Sacerdotibus, proſpexiſſe commodis, utilitatibuſque Eccleſiarum. Id vero tantum abeſt, ut nobis detrimento eſſe, ac damno poſſit, ut orthodoxorum potius dogma confirmet, jus *ordinandi* Epiſcopo tribuentium. Si enim Epiſcopi Presbyteros *ordinaturi* ex receſſibus, latebriſque erumpere conſueverant, quanto id magis conſecrandorum Antiſtitum cauſſa feciſſent? Nam qui Presbyteris *ordinandorum* Presbyterorum facultatem concedendam non putabant, iidem multo minus conſecrari a Presbyteris primi ordinis Sacerdotes, hoc eſt Epiſcopos poſſe putaſſent. Neque ferendum eſt, quod Deilingius addit, Renaudotium impeditum partium ſtudio non animadvertiſſe, quæ hoc ipſo Severi loco continerentur (3). Non enim ſolum animadvertit Renaudotius, ſed etiam, ut is eſſet locus intelligendus, quum harum rerum peritiſſimus haberetur, & eſſet, luculenter imprimis, atque, ut par erat, graviter oſtendit (4).

1 Deiling. *ibid. pag.* 434.
2 Renaudot. *ibid pag.* 18.
3 Deilingius *ibid. pag.* 434. *ſeq.*
4 Renaudotius *ibid. pag.* 19. „Quod ſcribit Severus, nullum ab eo tempore Epiſcopum „ Alexandriæ manſiſſe, non ſatis accurate dictum videtur. Illud opinor intelligendum eſt, „ quod perſecutionum metu, quæ deinde fuerunt graviſſimæ, urbe excedere coactus fuerit. „ Id porro de Patriarcha intelligendum docet Eutychius, qui cum de Theona ageret, ait: „ Chri-

Atque is ipse Renaudotius ut hunc de Juliano, ita alterum Severi locum de Petro Martyre, quo Deilingius confidenter abutitur, illustravit (1). Jam vero quod de Aristocha hæretico Deilingius (2) objicit, quale tandem est? Severus enim instigante diabolo factum tradit, ut hæretici Presbyteri tres quartum Aristocham nomine Antistitem (3) constituerint. Id vero aut cum Catholicorum hominum communi doctrina pugnare, aut crimini dari Renaudotio oportere quis credat?

„ Christiani autem Alexandrini in speluncis, & domibus clam orabant, metu Romanorum „ ne ipsos trucidarent, neque manifesto se exibebat Patriarcha in Alexandria. Itaque Epi- „ scopus plebem suam vicatim visitare, & consolari cœpit, tum etiam Sacerdotes, & alios „ Ecclesiæ ministros ordinare, qui in persecutione fidelibus auxilio esse possent „. Confer quæ sequuntur. Hinc plane intelligitur, non Renaudotium, qui diligenter, ut constat, in hoc genere argumenti versatus est; sed Deilingium *partium studio* impeditum non animadvertisse, quæ alioqui perspicua, atque manifesta erant.

1 Renaudotius in *Petro Mart. Patriarcha pag. 54.* „ Cum Severus, *inquit*, scribit „ (Petrum) ordinatum a Theona moribundo fuisse, ita illud accipiendum est, ut successo- „ rem sibi designaverit, id enim a multis sanctis Episcopis factum. Nam aliter auctor ipse „ sibi contradiceret; qui post obitum Theonæ scribit, *congregatos fuisse Alexandriæ Sa-* „ *cerdotes, & plebem, manusque imposuisse super Petrum filium ejus spiritualem, & di-* „ *scipulum Sacerdotem, eumque collocasse in folio Patriarchali Alexandrino juxta Theo-* „ *næ mandatum, anno* 10. *Diocletiani Imperatoris*. Ne quis autem suspicetur esse quid- „ quam illis in verbis præsidii ad confirmandam Seldeni de Presbyteris Patriarcham ordi- „ nantibus opinionem, animadvertendum est, laicos quoque manus imposuisse censendos es- „ se, quod nemo sane Ecclesiasticæ disciplinæ vel leviter peritus existimabit. Habent enim „ canones Apostolicos, quorum auctoritatem ne vel suspicione quidem levissima lædi pa- „ tiuntur, in quibus ordinari Episcopum a tribus saltem Episcopis constitutum legitur, „ quod & omnes Ecclesiæ religiosissime observant. *Pag 55.* Simplicissima igitur loci hujus, „ & aliorum similium interpretatio est, quod Arabes impersonalia verba, impersonalem- „ que orationem per pluralem tertiam exprimere solent: quod anglicæ linguæ, & teutoni- „ cæ dialectis, tum aliis etiam plerisque vulgaribus commune est. Itaque *imposuerunt illi* „ *homini manus* idem est, ac si diceretur, *imposita sunt illi manus*, nempe ab illis, ad „ quos jus ordinandi pertinebat; ut pari sensu sæpe legimus, *convenerunt in Ecclesiam* „ *Sacerdotes cum Episcopis, & plebe, liturgiamque celebraverunt*: nempe illi, qui „ eam celebrare ex ordinis sui munere debebant, & poterant, in reliquorum præsentia. „ Tam facile quippe demonstratu est, laicos Missam celebrasse, quam Sacerdotes, aut Epi- „ scopos ordinasse „. Animadverterat ergo Renaudotius, quod eum Deilingius animadvertisse negat. Quod si Episcopos ab Severo nominari hoc loco Deilingius inficietur, sciat Sacerdotum, quos appellat, vocabulo, non Presbyteros modo, sed etiam Episcopos Severum judicavisse. Nam est ea vox utrorumque communis, quod nemo ignorat.

2 Deilingius *ibid. pag.* 425.

3 Severus apud Renaudotium in *Damiano* XXXV. *Patriarch. p.* 145. „ Anno, *inquit*, „ octavo Patriarchatus ejus, Acephali ex eorum reliquiis, qui a Petro Moggo secessionem „ fecerant, cum apud illos quatuor tantum Sacerdotes superessent, DIABOLO INSPIRAN- „ TE (*hæc Severi verba* DIABOLO INSPIRANTE *consulto prætermisit Deilingius*) habitis „ inter se consiliis statuerunt, ut unum ex se Episcopum crearent, ne perirent prorsus, „ quandoquidem jam dudum absque Episcopis erant. Habitabant autem in orientali parte „ Ægypti, atque ita seniorem quatuor illorum Sacerdotum nomine Aristocham ordina- „ verunt tres reliqui.

dat? Nemo enim umquam fuit Catholicorum, qui hæreticos *inſpirante Diabolo* ſimilia interdum auſos fuiſſe inficiaretur. De Renaudotio hoc breve dico. Non fuiſſe ab eo Severi de Ariſtocha illuſtrandum locum, qui ſatis eſſet perſpicuus, nihilque contineret, quod adverſari Romanæ Eccleſiæ dogmati videretur. Quamobrem caſtigandus Deilingius eſt, qui cum fraude tacitus præteriſſet, quæ ſibi eſſe contraria noverat, cumque nec cogitaret, qua de re ageretur, neque quo teſtimonia Severi ſpectarent intelligeret, eodem alios accuſavit, quo ipſe eſſet accuſandus, crimine. Sed de Presbyteris ſatis dictum eſt.

Sequitur ut explicem, paresne Epiſcopos omnes dignitate, auctoritateque eſſe, majores noſtri putaverint, an unum aliquem inter eos excellere oportere, cui ceteri ut capiti conjungi, utque primati, atque Monarchæ Eccleſiæ univerſæ parere debeant. Igitur ut in ſuperioribus, ita in hoc genere quæſtionis hæreticos ab Catholicis diſſidere intelligo. Nam qui Proteſtantes pro Eccleſiaſtica Ariſtocratia pugnant (1), iidem (ſi Epiſcopales Anglos excipias) cum *ſuperintendentes*, ſeu *Epiſcopos* humano jure, non divino conſtitutos exiſtiment, tum omnes auctoritate, poteſtateque ita eſſe æquales defendunt, ut horum neminem eſſe ſtatuant, qui reliquos ut caput, Paſtorque *univerſalis* regat, ac moderetur. Angli autem, qui ordinem eſſe Antiſtitum Eccleſiaſticorum divinitus inſtitutum (2) cenſent, Metro-

1 Horum nos quidem aliquos numeravimus *hoc in vol. pag.* 11. *ſeqq.* Iis addi poſſunt Johannes Gerardus *tom.* 11. *pag.* 409. *ſeqq.* Deilingius *exerc.* VI. *obſerv.* 1. *pag* 421 *ſeqq.* Henricus Benzelius *Syntagm. diſſert. tom.* 1. *Meletem. de Succeſſ. Epiſcop. apud Evangel. p.* 527. *edit. Francofurt. & Lipſ. an.* 1743. utque innumerabiles alios prætermittam, Daniel Tilenus *in not. & Animad. diſp. Rob. Bellarm. de ſummo Pontif. lib.* 1. *cap.* VIII. *pag.* 42. *ſeqq. edit. Sedanenſis an.* 1619.

2 Hæc omnium hæreticorum ratio ſemper fuit, ut cum damnari ſe ab Eccleſia omnium magiſtra viderent, ſchiſma conflarent, primatemque ullum eſſe divino jure in cœtu Chriſtianorum univerſo oportere inficiarentur, ſive Epiſcoporum auctoritatem divina inſtitutione, ſive humana conſuetudine niti defenderent. At mitto equidem de Neſtorianis, de Monophyſitis, aliiſque dicere, quorum adhuc extant in Oriente reliquiæ. Nam hi quamquam Epiſcopis ſuis parent, tamen unum eſſe in Chriſtiana Republica univerſa primatem, ſi non verbo, re tamen vera negant. Quod ipſum eſt de Græcis Schiſmaticis ſtatuendum, quorum errorem diligenter exponam in ea, quæ eſt de Primatu Romani Pontificis, quæſtione. Interea ſa-

tropolitas quidem humana consuetudine in cœtus Christianorum commodum introductos, ferre se posse affirmant: *primatem* vero, ac *Monarcham*, qui sub aspectum cadat, divina lege universæ Ecclesiæ datum, nullo modo. Atque hi, quum tyrannidem, ut jactabant, Pontificum declinare se velle dicerent, Ecclesiasticam potestatem contra jus, & fas omne regiæ subdiderunt. Itaque, quod nunquam aut a Christo Servatore præscriptum, aut a majoribus traditum est, Regem Britannicarum Ecclesiarum caput, supremumque moderatorem appellaverunt, qui de ritibus (1), de disciplina, de

ea satis fuerit indicasse hoc loco, quæ Dositheus Patriarcha Hierosolymorum majorum gentium Schismaticus adnotat ἐν τῷ *sciendum* (nam ἰστέον Græcum id sonat) quod post indicem capitum τοῦ Τόμου τῆς Ἀγάπης Tomi charitatis scripsit, *edit. Moldo Valachiæ an.* 1698. Is igitur Monarchicam, sed *tyrannicam* esse jactat Romani Pontificis potestatem. Immo vero *ex Confessione fidei Ecclesiæ Schismaticæ Orientis* a Patriarchis Nectario Hierosolymorum an. 1662., & Parthenio Constantinopolitano an. 1643. probata *Quæst.* LXXXIII. *seq. p.* 133. *seqq. edit. an.* 1695. liquet, Græcos Schismaticos hujus ætatis in eo errore versari ,, ut Ecclesias omnes, quotquot certis locis continentur, particulares esse censeant, ut E-
,, phesinam, ut Philadelphiensem, ut Laodicenam, ut Antiochenam, ut Hierosolymitanam,
,, ut Romanam, ut Alexandrinam, ut ceteras etiam, illamque matrem reliquarum dici,
,, quæ prima omnium Christi præsentia ornata fuit (hoc est Hierosolymitanam)... Quam-
,, quam Reges deinde dederint primos honores antiquæ, & novæ Romæ ob majestatem impe-
,, rii ,,. Ex qua re intelligitur Schismaticos illos ita esse animis comparatos, ut divina institutione nullum esse ceterorum Antistitum Præsulem caput, atque magistrum, arbitrentur. Quare *Quæst.* LXXXV. *p.* 138. *versa* addunt: ,, μόνος ὁ χριστὸς εἶναι κεφαλὴ τῆς ἐκκλη-
,, σίας κατὰ τὴν διδασκαλίαν τοῦ ἀποστόλου... διατὶ ἂν λέγωνται καὶ εἰς τὰς ἐκκλη-
,, σίας οἱ προεστάμενοι αὐτῶν ἀρχιερεῖς κεφαλαὶ αὐτῶν, τοῦτο πρέπει να γροικᾶται πῶς
,, αὐτοὶ εἶναι τοποτηρηταὶ τοῦ χριστοῦ εἰς τὴν ἰδίαν τοῦ καθ' ἕνας ἐπαρχίαν, καὶ κεφαλαὶ
,, μερικαί. Solus Christus est caput Ecclesiæ secundum doctrinam Apostoli... Quia si di-
,, cuntur & in Ecclesiis iis præfecti *Principes Sacerdotum* (hoc est Episcopi) capita ipsarum,
,, hoc debet intelligi, quod ipsi sint Locumtenentes Christi unusquisque in sua ditione, &
,, capita particularia ,,. Nos autem cum Christum caput esse Ecclesiæ confiteamur, ejus tamen locum in terris a visibili *secundarioque*, ut dicimus, capite Romano Pontifice teneri dicimus, quem proinde Pontificem *Vicarium* Christi merito appellamus. Id cum Schismatici ferre non possint, *particularia capita* ponunt, *universale* autem, quod sub aspectum cadat, divina institutione hominibus præpositum, omnino nullum.

1 Pseudo-synodus nationalis Cleri hæretici Anglorum ann. 1562. congregata de Regis potestate sic statuit, ut est in libello inscripto: *Doctrina, & Politia Ecclesiæ Anglic. &c. edit. Londin. an.* 1617. *pag.* 306. ,, Cum Regiæ Majestati summam gubernationem tribui-
,, mus omnium statuum, sive illi Ecclesiastici sint, sive civiles, & in omnibus caussis; non
,, damus Regibus nostris aut verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem (quod etiam
,, injunctiones ab Elizabetha Regina nostra nuper editæ apertissime testantur) sed eam tan-
,, tum prærogativam, quam a sacris Scripturis, & a Deo omnibus piis principibus vide-
,, mus semper fuisse attributam, hoc est, ut omnes status, atque ordines fidei suæ com-
,, missos, sive illi Ecclesiastici sint, sive civiles, in officio contineant, & contumaces, ac
,, delinquentes gladio civili coerceant ,,. Sed quod Pseudo-synodus coarctavit, id latius Anglorum sententia, patere ostendunt, quæ in *formula juris jurandi*, quo ministri Ecle-

de religione decerneret. Quæ res cum eorum teſtimonio, tum etiam exemplis conſtat.

Atque horum quidem omnium, qui Epiſcopos quoſque pari poteſtate præſtare, nullumque eſſe eorum, qui ceteris ut caput, & Monarcha præſit, exiſtimarent, opinio non modo nullis ſacrorum Bibliorum locis, ſed ne teſtimonio quidem aliquo majorum oſtendi, efficique poteſt. Quod autem ſcriptum, traditumque nuſquam ab Auctoribus ſacris, Patribuſve eſt, quis id credat haberi in dogmatum religionis Chriſtianæ numero oportere? Ac ſi Epiſcopis par adminiſtrandæ univerſæ Eccleſiæ jus eſſet, id ſane juris aut diviſi obtinerent, aut in Syodis congregati.

Non ſinguli diviſim. Nam data his omnibus tantum eſt ſingularium adminiſtrandarum (1) cura; univerſæ vero non

cleſiaſtici Proteſtantes ſuam Regi obligant fidem, continentur. Sic enim habet: „ Ego A. „ B. palam teſtor... quod majeſtas Regia unicus eſt ſupremus gubernator hujus Regni, om„ niumque aliorum ſuæ majeſtatis dominiorum, ac territoriorum tam in OMNIBUS SPIRITUA„ LIBUS, SIVE ECCLESIASTICIS REBUS, AUT CAUSSIS, quam in temporalibus, & quod nul„ lus extraneus princeps, perſona, prælatus, ſtatus, & potentatus habet, AUT HABERE „ DEBET ULLAM JURISDICTIONEM, POTESTATEM, SUPERIORITATEM, PRÆEMINENTIAM, „ VEL AUCTORITATEM ECCLESIASTICAM, SIVE SPIRITUALEM INFRA HOC REGNUM, & „ proinde renuncio penitus, & rejicio omnes extraneas juriſdictiones, poteſtates, ſuperio„ ritates, & auctoritates, & promitto, me deinceps fidem, & veram obedientiam regiæ „ majeſtati, ejuſque hæredibus, ac legitimis ſucceſſoribus præſtiturum „. Extat *ibidem pag.* 276. & inter opera Jacobi Regis edita ab Jacobo Montacutio Wintonienſi Pſeudo-Epiſcopo *Londini an.* 1619. *In Apolog. pro juramento fidelitatis pag.* 258. De ritibus, ac diſciplina quod dixi, liquet ex inſcriptione libri editi publica auctoritate Londini *an.* 1617. qui liber inſcribitur. „ Doctrina, & Politia Eccleſiæ Anglicanæ a Beatiſſimæ memoriæ Prio„ cipibus Eduardo tertio, Regina Elizabetha ſtabilitæ, & a religioſiſſimo, & potentiſſimo „ Monarcha Jacobo magnæ Brittaniæ &c. Rege continuatæ quibus ejuſdem Eccleſiæ Apu„ logia præfigitur pro ſua diſceſſione in utraque a graviſſimis Romanæ Eccleſiæ corruptelis, „ tyrannide, Idololatria, erroribus, & quod ad Concilium Tridentinum non acceſſerit „. Londini *an.* 1617. Nempe ſtabilitam ab Eduardo Rege, & ab Elizabetha Regina fatetur Auctor, non politiam, ſeu diſciplinam modo, ſed doctrinam etiam Eccleſiæ Anglicanæ. Atque in *Politia ejuſdem Eccleſiæ cap.* 113. *pag.* 290. *Auctoritatem*, ſcribit, *agnoſci ab Anglicana Eccleſia ſupremam... circa perſonas Eccleſiaſticas, aut in illis eligendis, & nominandis ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica, aut manuum impoſitione ſacrandis, aut in pœnis ſtatuendis, & infligendis* (quamvis non ipſum per ſe Regem manus imponere arbitretur). Huc autem ſpectant, quæ congerit Gilbertus Burnetus in *Hiſtor. Reform. Eccl. Anglic. ad an.* 1531. *pag.* 65 *ſeq. tom.* 1. *edit.* Genev. *an.* 1689. *& ad an.* 1533. *pag.* 80 *ſeqq. & ad an.* 1534. *pag.* 84. *ſeqq. & pag.* 91. *ſeqq. & ad an.* 1535. *pag.* 103. *ad an.* 1547. *pag.* 17. *tom.* II. *an.* 1548. *pag.* 51. *an.* 1550. *pag.* 112. *an.* 1559. *ſeqq.* Confer Sanderum *lib.* VI. *de viſibili Monarchia Eccl. cap.* 1. *&* IV. & Boſſuetium *Hiſtor. Variat. Eccl. Proteſt. lib.* VII. *num.* II. *pag.* 283. *ſeqq num.* IV. *pag.* 284. *ſeq. edit. opp. Venet. an.* 1738. *tom.* XI. *& num.* LXXVI. *pag.* 330. *ſeq. & lib.* X. *n.* XI. *pag.* 465. *ſeqq.*

1 Spanhemius Chamierum ſecutus *lib.* X. *tom.* II. *Chamiers Contracti cap.* VIII. §. XIII.

non item. At ne congregati quidem. Nihil enim plus auctoritatis tributum iisdem est congregatis (1), quam singulis.

§. XIII. *pag.* 465. „ Distinguendi, *inquit*, ab Apostolis Episcopi. Quia illis singulis „ commissæ erant omnes Ecclesiæ; his vero tantum singulis singulæ, juxta Petrum: *Pascite, qui penes vos est, gregem Dei* „. Eodem fere spectant, quæ scribit Daniel Tilenus *In Disput. Rob. Bell. Polit. lib.* I. *cap.* VIII. *pag.* 44. *edit. Sedan. an.* 1619.

1 Quod si, sublato *Monarcha visibili* Ecclesiæ, aliqua est auctoritas major Episcopis congregatis tributa, hanc Protestantes Scripturarum, majorumve testimonio demonstrent necesse est. Nam contumeliis nihil umquam efficient. Scio Chamierum, eique obsequentem Spanhemium: *non posse singulos Episcopos, quod omnes*, scribere (*Spahem. ibid.*) Clerique Romani ad Cyprianum Epistolam commemorare, quasi ea ipsis subsidio sit. Est vero hæc Cleri Romani ad Cyprianum scribentis *Epist. inter Cyprianicas* XXX. *al.* XXXI. *pag.* 58. sententia: „ Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti prius, „ Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, „ Diaconis, confessoribus pariter, ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem. „ Perquam enim nobis & invidiosum, & onerosum videtur, non per multos examinare, „ quod per multos commissum videatur fuisse, & unum sententiam dicere, cum tam grande „ crimen per multos diffusum notetur exisse; quoniam nec firmum decretum potest esse, „ quod non plurimorum videbitur habuisse consensum „. At hinc colligi non potest, plus potestatis inesse pluribus, qui capite, seu Antistite careant, qui ceteris congregatis auctoritate præstet. Nam iidem Clerici Romani paullo ante dixerant: „ Quamquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum, & temporum difficultates constitutus, „ QUI OMNIA ISTA MODERETUR, ET EORUM, QUI LAPSI SUNT, POSSIT CUM AUCTORITATE, ET CONSILIO HABERE RATIONEM „. Uni ergo Episcopo Fabiani successuri eam auctoritatem tribuunt; tametsi, ne sine consilio quidquam ab eo decretum diceretur, id sibi videri opportunum affirment, ut Episcopis, Presbyteris, Diaconis &c. congregatis, omnium consensione, quid facto esset opus, decerneretur. Quod ni ita esset, ipsi per se convocatis Episcopis, Presbyteris, Diaconisque, quos memorant, de lapsis tulissent sententiam, quin *Successorem* Fabiani expectandum adjungerent, *qui omnia ista moderaretur, & eorum, qui lapsi essent, posset* CUM AUCTORITATE, *& consilio habere rationem*. Atque est illud præterea animadvertendum, *auctoritatis* meminisse Clerum ubi de successore Fabiani scripsit, ubi vero de ceteris ad consilium congregatis, non item. Ex qua re intelligitur, Episcopos quidem omnes in suis privatis Ecclesiis (Cleri Romani sententia) obtinuisse eam, quæ ipsis competeret, potestatem; Romanum autem non in Romana solum Episcopalem, sed etiam in aliis Pontificiam habere auctoritatem. Quare nihil de his rebus decerni statuique, nisi ab electo Romano, posse. Neque vero necesse fuisse, ajunt Romani, ut ea synodus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque cogeretur, quasi ipse per se Pontifex controversiam de lapsis dirimere nequiret. Immo vero etsi potuisse indicene Antistitem Romanum id facere, tamen sibi placere narrant, ut communicatis consiliis res tanta constitueretur, propterea quod homines pervicaces plus moveri plerumque soleant multorum consensu, quam unius decreto, qui neque auditis, neque consultis ceteris rem suo arbitratu gerere videatur. Quamquam reipsa tantum ponderis Pontificis constitutioni, quanta synodi decretis insit. Nec vero quisquam est nostrum, qui satius neget esse, Pontificem consiliis etiam uti aliorum, quam uno suo. Nam Presbyteros esse Episcoporum *consiliarios*, adjutoresque, majores nostri scripserunt. Confer Ignatium *Epist. ad Polycarp. n.* VI. *pag.* 75. *edit. Londin. an.* 1646. *& ad Ephesios num.* IV. *pag.* 91. *& ad Magnesios n.* VI. *pag.* 127. *& num.* VII. *pag.* 129. *& ad Philadelphienses num.* IV. *pag.* 151. *& n.* VII. *pag.* 157. quo loco Synedrium, hoc est concilium, Episcopi consessum Presbyterorum, atque Diaconorum vocat. πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα θεοῦ, καὶ συνέδριον τοῦ ἐπισκόπου: *omnibus*, inquit, *pœnitentibus dimittit Dominus*,

gulis. Non ergo par est eorum omnium potestas in regenda universa Ecclesia. Quod si Episcopis singularium Ecclesiarum gubernandarum solum auctoritas inest, neque est in eorum ordine quisquam ceteris dignitate, potestateque præstantior; quemadmodum singuli divisim, ita omnes junctim collegam aut errantem, aut improbum coercere, punireque non poterunt. Quis enim castigari se, reprimique sinat ab iis, quorum nemini subsit, quosque moderatores esse videat cœtuum aliorum, non sui? Atque feret ille quidem ab eo, quem divino jure constitutum esse universæ Ecclesiæ pastorem, atque œconomum credat, non coargui modo se, sed spoliari etiam dignitate; a privatis autem, sibique æqua-

minus, si pœnituerint in unitatem Dei, & concilium Episcopi. *Et ad Trallianos n.* II. *pag.* 171. *& num.* III. *pag.* 173. *& num* VIII. *pag.* 181. Eodem recidunt, quæ scribit Polycarpus Episcopus Smyrneorum *in Epist. ad Philipp. ibid. pag.* 229. *Polycarpus*, inquit, *ὁ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι, & qui cum ipso Presbyteri*. Itaque in Constitutionibus, quæ Apostolicæ inscribuntur *l.* II. *cap.* XXVIII. *pag.* 244. *edit. PP. Apostolic. Amstelod. an.* 1724. *σύμβουλοι τοῦ ἐπισκόπου Consiliarii Episcopi* Presbyteri appellantur. Quod si Episcopos ad consilium vocare tempus postulet, id quidem multo esse opportunius fatemur. Nam auditis præfectis singularibus singularium Ecclesiarum, nemo erit tam impudens, qui quidquam actum imprudenter a Pontifice putet. Quæ cum ita se habeant, non sunt tamen ejusmodi, ut Pontificem statuere quidquam inconsultis Episcopis, Presbyteris, Diaconibusque non posse efficiant. Nam si liberum id quidem Episcopo est, multo magis Pontifici Romano. Liberum autem esse Episcopo, satis est clare, manifesteque scriptum a Cypriano. Hoc enim ille secum jam usque ab initio Episcopatus sui constituisse scribit, nihil ut sine consilio Presbyterorum, sua privatim sententia gereret. Quod si secum id constituit, jam indicat, liberum sibi fuisse non constituere, si voluisset. Alioqui non constituisse quidem se, sed coactum auctoritate Christi, aut Presbyterorum &c. privilegiis fuisse scripsisset. Sunt autem verba Cypriani hujusmodi: *Epist.* XIV. *al.* VI. *ad Presbyteros, & Diaconos suos pag.* 33. *edit. Oxon. an.* 1682. „Ad id vero, quod scripserunt mihi compresbyte„ri nostri ... solus rescribere nihil potui, quando a primordio Episcopatus mei statuerim, „nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere„. Iam vero quod libere Cyprianus fecit, hoc Spanhemius, Chamierus, & Deilingius *observ.* III. *exerc.* VI. *§* IV. *observationum sacrarum p.* 441. contorserunt, ut factum necessitate quadam legis videretur. Mosis, & Maximi Presbyterorum verba huc pertinere defendit Deilingius, quæ sic habent *Ep.* XXX. *p.* 63. „Animadvertimus, te congruente censura & eos digne objurgasse, „qui memores delictorum suorum pacem a Presbyteris per absentiam tuam festinata, & præ„cipiti cupiditate extorsisse t, & illos, qui sine respectu Evangelii sanctum Domini canibus „& margaritas porcis tanta facilitate donassent; cum grande delictum, & per totum pene „orbem incredibili variatione grassatum, non oporteat, nisi, ut ipse scribis, caute mo„derateque tractari consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confessoribus, „& ipsis stantibus laicis„. At hi Presbyteri quid deceat, quidque opportunius, non quid omnino necesse sit, indicant. Nam convenire idipsum Cyprianus scribit *Epist.* XIX. *pag.* 42. Quod de Cornelii Pontificis electione Deilingius addit, cum ad disputationem, quæ est *de electionibus*, pertineat, nunc omittatur. Redeo ad Pontificem. Hunc de rebus Ecclesiæ decernere solum posse, ut qui Petro Princip Apostolorum successerit, non Patrum testimoniis modo, sed sacrorum etiam Bibliorum auctoritate, alio loco demonstrabo.

qualibus, numquam teret. Quare optimatibus, hoc est Episcopis, ita in Christianorum Republica constitutis, ut nemo inter eos sit gradu, auctoritateque major, qui jus reliquis scribere, qui nimis improbos ab scelere deterrere, qui pœna coercere pertinaces possit; ea erit in Ecclesia rerum omnium perturbatio (1), ut cum cuique Antistiti, quod placet, impune sentire, prædicare, facere liceat, nullus reperiatur Schismatum,, incommodorumque tollendorum modus. Quinetiam, si sublato visibili Monarcha, capiteque Ecclesiæ, jus regendæ rei Christianorum publicæ universæ omnium gentium Episcopis in unum locum congregatis, seu œcumenicæ acephalæ Synodo tribueretur, cum vel temporum difficultate, vel pecuniæ, sumtusque caussa illæ ipsæ Synodi haberi perraro possint, Ecclesia omnis quam diutissime magno omnium detrimento careret (2) moderatore. Quamquam est illud Scripturarum, Patrumque testimoniis firmatum Ecclesiæ orthodoxæ dogma, non hominum arbitrio, sed voluntate, institutioneque Dei unum aliquem esse deligendum, qui loco Servatoris Christi Rempublicam Christianorum gerat.

Sed

1 Nihil hæc se movari Tilenus scribit *loco supra indicato num. 5. pag. 44. Nam Aristocratiam esse regimen rectoribus non destitutum, inter quos esse aliquem ordinem*. Quasi vero hoc genus Aristocratiæ simile sit Aristocratiarum civilium. At Protestantes, modo respondeant, non æque curant recte ne, an perverse respondeant. Nam qui Episcopos singulos singulis Ecclesiis ita præesse arbitrantur, ut unus eorum in alterum nullam habeat potestatem, iidem nunc conversis rebus ea omnes potestate præstare jactant. Ac si nemo est Episcoporum, qui jus alterius Episcopi coercendi obtineat, qui tandem fieri potest, ut junctim permulti id habeant, quo carent singuli? Id enim nisi sacrorum scriptorum, Patrumque dictis efficiatur, extorqueri a nobis, ut concedatur, non potest. Sed hujusmodi dicta nullis profecto reperient. Nec abuti eis Aristocratiæ civilis exemplo licet. In civili enim optimates non uni alicui oppido singuli, sed universæ reipublicæ, ipsisque etiam collegia præfecti sunt; in Ecclesiastica vero non item, si iis, contra quos agimus, credendum est. At ordo, inquiunt, est aliquis inter rectores Ecclesiæ constitutus. Sed a quo est, obsecro, constitutus? Ab Ecclesia ne? Verum Ecclesia una in alteram nihil obtinet auctoritatis, quod nobis facile Protestantes dabunt. Quid si ne una, ita ne plures quidem? si igitur nec plures, quo tandem modo hæ sibi unam aliquam repugnantem subdent? An a Christo, atque Apostolis? Id vero Patrum est traditionibus, scripturarumque locis ostendendum. Ostendi autem ab adversariis, ut dixi, nunquam poterit. Nam si posset, ostensum jamdiu fuisset ab iis, qui tantum temporis, diligentiæque in hoc genere consumserunt.

2 Respondet Spanhemius *ibid.* §. xv. *pag.* 465. Ecclesiæ rem nullam esse ab singularibus distinctam. Itaque quamdiu singulæ recte administrentur, nihil esse supremo magistratu opus. Ac singulos quidem Pastores audire: *Pascite gregem, qui in vobis est*. II. Si quæ caussæ ali-

Sed Proteſtantes, qui Eccleſiæ Monarcha, & capite

aliquando poſtulant, tum cogi optimates oportere, ut fit in civili republica. Tunc vero ſingulis Epiſcopis publicum bonum curare, jus eſſe, ut eſt a Cypriano animadverſum. At id ſane perraro accidere. III. Si cogi concilia, cum hæ cauſſæ poſtulent, non poſſint, eſſe tunc Deo rei exitum commendandum, idque jam doceri ab Innocentio I. Pontifice. Sed primum reſponſionis genus, cum inane eſt, tum omnem ſupremum magiſtratum tollit e civili republica. Nam etſi nihil in hominum vita *abſtractum* a ſingularibus rebus eveniat (*abſtractio* enim, quam vocant, mente fieri poteſt, re non poteſt) tamen pleræque res, idque jam ſæpe, requirunt, ut ſit aliquis, qui vigilet, curetque, ne quid ſocietas in quam venerit, detrimenti capiat. Nam fieri haud raro ſolet, ut moderatores non recte officio fungantur. Hos vero, ſublato magiſtratu ſupremo, quis demum reducet ad ſanitatem? Quid ſi errores ſerpere primum clam, tum manare latius, ac denique erumpere in plures Eccleſias ſoleant, nec concilia ob temporum difficultatem congregari queant, Epiſcopique minus ſint in iis tollendis, inque eorum auctoribus coercendis cauti, ac diligentes? An mederi his malis poſſumus, nullus cum ſit, qui & hæreticos reprimat, & Epiſcopos, ut ſint diligentes, cogat? Latius cum eſſet hæreſis Nicolaitarum diſſeminata, Antiſtiteſque aliqui exterminare hæreticos e ſuis cœtibus, magno Eccleſiarum Aſiæ damno, neglexiſſent, niſi Johannes, qui conſtitutus a Chriſto Apoſtolus fuerat, ſaluti Chriſtianorum proſpexiſſet, ecquod concilium tam difficili Eccleſiæ tempore haberi potuiſſet? Confer *Apocalypſ. cap.* II. *v.* 14. *ſeq.* 20. *ſeq. & cap.* III. *v.* 9. Tribus autem primis Eccleſiæ ſeculis, cum tam multi errores nati fuiſſent, opuſque fuiſſet magiſtratu ſupremo, qui eos damnaret, caveretque, ne quis iiſdem inficeretur, quæ umquam habitæ Synodi Oecumenicæ ſunt? Epiſcopi autem, qui eos tam late propagatos videbant, quemadmodum diſperſi eos evertere, hæreticorumque audaciam reprimere potuiſſent, ſi Antiſtites ſinguli, diviſique in alias Eccleſias nullam obtinuiſſent poteſtatem? Nonne provocatum jam inde ab antiquiſſimis temporibus ad Romanam Eccleſiam eſt, ut quod ea decreviſſet, id ratum adverſus hæreticos haberetur? Tradita igitur Romanis Pontificibus (quorum catalogum texere Patres eam ob cauſſam adverſus hæreticos diſputantes conſueverant) eſſe judicabant Eccleſiæ gubernacula. Irenæus ecce *lib.* III. *contra hæreſes cap.* III. *num.* II. *pag.* 175. *edit. Maſſueti Venet. an.* 1734. „ Sed quoniam, *inquit*, valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; MAXIMÆ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam PROPTER POTIOREM PRINCIPALITATEM NECESSE EST OMNEM CONVENIRE ECCLESIAM, HOC EST EOS, QUI SUNT UNDIQUE FIDELES „. Sed Tertulliani, Auctoriſque Libri de Trinitate, & ejus, qui carmina Tertulliano olim tributa perſcripſit, Cypriani, Euſebii, Optati, Epiphanii, Auguſtini, aliorumque deſcribam, ubi de Primatu Romani Pontificis agam. Nunc ut promiſeram, pauca de republica civili dicam. Igitur quis non videat, Spanhemii reſponſis omnem eſſe ex republica ſupremum magiſtratum tollendum. Nam ſi nihil eſt ſupremo magiſtratu in Eccleſia opus, quod res nulla in ea ipſa eveniat *abſtracta* a ſingularibus, ne in civili quidem erit opus republica, cum numquam in hac quidquam contingat a *ſingularibus abſtractum*, atque diſtinctum. Jam vero nobis ut primum, ita alterum reſponſum Spanhemii negotium exhibet omnino nullum. Nam quod cogi oportere Synodum, ſi e re ſit Eccleſiæ ſcribit, quale ſit, ipſe viderit; cogi autem ſemper, cum neceſſitas poſtulet, poſſe, quibus tandem argumentis efficiet? Ecquod enim concilium primis tribus Eccleſiæ ſeculis, cum Simoniani, cum Nicolaitæ, cum Carpocratiani, cum aliæ generis ejuſdem peſtes hæreticorum ſævirent? Ecquod contra Appollinarianos quarto ſeculo, ecquod, delendæ Pelagianorum hæreſeos cauſſa, quinto celebrari potuit? At non minus eorum dogmata pernicioſa fuerant,

visibili, ut dicimus, constituto, nova quæque decreta, quæ ipsi

runt, quam fuerint decreta Nestorianorum. De Cypriani *Epist.* LXVIII. *al.* LXVII. *ad Stephanum pag.* 176. *seqq. edit. Oxon.* qua Spanhemius *l. c.* Rigaltius *in not.* Felius *in not. ad eamd. Epist.* abutuntur, erit paullo post opportunior dicendi locus. Ridiculum autem est, quod *ibid.* ait Spanhemius, Arium Presbyterum Alexandrinum accusatum a Meletio, fuisse depositum ab Alexandro Episcopo Alexandrinorum, quin is expectandam esse duxerit Oecumenicam Synodum. Quis enim fuit unquam Orthodoxorum, qui ab Episcopo, præsertim qui Antistites Provinciæ in subsidium vocarit, sibi subjectum, obfirmatumque in errore Presbyterum deponere non posse arbitraretur? Ejusdem fere est generis, quod addit de Cyrillo Alexandrino, qui Nestorio Constantinopolitano restiterit. Nam oppugnari a singulari Episcopo alter singularis Episcopus verbo, atque scriptis potest, judicari, nisi subditus sit, dejicique de sede non potest. Qua de re illustris est Johannis Chrysostomi in Epistola ad Innocentium Pontificem Romanum locus, *num.* 3. *seqq. tom.* 1. *Epistolar. Roman. Pontific. edit. Coustantii pag.* 778. ubi „ Neque, *inquit*, consentaneum est, ut qui in Æ„ gypto sit, eos, qui in Thracia sunt, judicet „. Confer *notat. Coustantii in eum locum pag.* 773. *seq.* Denique quod tertio loco scribit Spanhemius, si cogi Synodi nequeant, esse tunc rerum exitum Domino commendandum, multo est levius, quam sint illa superiora. Neque enim persuadere cuiquam potest, eum a Christo fuisse institutum regendæ Reipublicæ Christianæ modum, ut cum maxime caussæ postulent, neque concilia cogi queant, nemini dirimendarum controversiarum, pacisque restituendæ potestas insit. Nam quod ad Innocentium Pontificem attinet, non est ad rem. Non enim ille id sibi juris datum divinitus negavit esse, ut Chrysostomo satisfaceret. Sed cum essent aliqui, quos, nisi celebrata Synodus Oecumenica fuisset, prospiceret fore, ut pertinacia, & maleficio non desisterent, jus quidem suum est persequutus, de concilio autem, quod petebant, cum multa essent impedimento, quo minus haberi posset, expectandum, reique exitum Deo commendandum, ita ut sapientem Pontificem decebat, dixit. Confer Sozomen. *lib.* VIII. *H. E. cap.* XXVI. *p.* 333. *edit. Taurin. an.* 1747. *& Constantium tom.* 1. *Epistolar. Romanor. Pontif. Epist. Innoc. primi septim. num.* IV. *pag.* 799. ubi „ Necessaria, *inquit*, est cognitio Synodi, „ quam & jampridem congregandam esse diximus. Ea enim sola est (*nempe tam difficili* „ *tempore Ecclesiæ*) quæ hujusmodi tempestatum motus sedare possit. Quare, ut consequa„ mur, utile fuerit interim horum malorum medicinam a voluntate Dei magni, & Christi „ ipsius Domini nostri expectare „. At idem ipse Innocentius, ad quem Johannes Chrysostomus, tamquam ad Ecclesiæ universæ primatem scripserat, ut ejus caussam, defensionemque susciperet (quod post videbimus) Innocentius inquam *in Epist.* ad Victricium Rotomagensem *cap.* III. *pag.* 749. apud Coustantium *ibid.* ubi de litibus inter Clericos cujusvis ordinis concitatis ab Synodo Episcoporum Provinciæ judicandis scripsit, tum „ sine „ præjudicio, *inquit*, Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis debet reverentia custo„ diri „. Consule ejusdem Pontificis Epistolam *ad universos Episcopos in Toletana Synodo constitutos cap.* 1. *pag.* 764. *& Epist. ad Exsuperium Toletanum cap.* 1. *pag.* 790. *Epist. ad Rufum Thessalonicensem pag.* 816. *& Epist.* XVII. *ad Episcopos Macedoniæ cap.* 1. *pag.* 830. ubi: „ Adversi, *inquit*, Sedi Apostolicæ, ad quam (*a vobis*) relatio missa, „ quasi CAPUT ECCLESIARUM, currebat, aliquam fieri injuriam „. *Et Epist. ad Decentium Eugubinum cap.* 1. *pag.* 855. *Epist. ad Episcopos, qui Carthaginiensi Concilio adfuerunt cap.* 1. *p.* 888. *& Epist.* XXX. *ad Concilium Milevitanum p.* 896. ubi: Diligenter, *inquit*, „ & congrue Apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem præter „ illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo MANET OMNIUM ECCLESIARUM) super anxiis rebus „ quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti, QUAM TOTO SEMPER „ AB ORBE MECUM NOSTIS ESSE SERVATAM. Verum hæc missa facio; neque enim hoc ve„ stram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmastis, NISI SCIENTES, QUOD „ PER OMNES PROVINCIAS DE APOSTOLICO FONTE PETENTIBUS RESPONSA SEMPER EMA„ NENT? præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror OMNES FRATRES, & COEPISCO„ POS,

ipsi probent, everti, labefactarique intelligunt; ita ut fit, ubi nulla est certa investigandæ, dijudicandæque veritatis nota, in diversas, pugnantesque abducuntur sententias. Itaque pars quidem eorum soli Christo summam potestatem concedens, Episcopos (1) omnes pari & dignitate, & auctoritate valere statuit; pars summum jus penes Concilium (2) esse, idque jam Lucæ testimonio constare, arbitratur. Lucam enim *Actorum* xv. (3) capite, cum congregatos Apostolos, senioresque fuisse narrasset, ut de controversiis Antiochenorum cognoscerent, tum sententiam scripturos ita fuisse loquutos dicere, ut sese Spiritui Sancto conjungere viderentur. Quamobrem nisi hæc sit, nullam esse summam in Ecclesia auctoritatem. At qui Protestantes Synodos tanti faciunt, iidem, etsi singulis Apostolis omnium, singulis tamen Episcopis, nullo omnino excepto, non omnium esse defendunt, sed singularium Ecclesiarum regendarum potestatem datam (4).

Nos vero, quemadmodum Christum *summum*, *absolutum*, *liberum* Christianæ Reipublicæ Regem, atque Monarcham fatemur esse, ita constitutum unum aliquem in Ecclesia, Dei quidem institutione, fuisse contendimus, qui cum sub aspectum cadat, tum non *absolutam*, ac *liberam*, sed, loco Servatoris Christi, Monarchicam, qualis in ministrum, dispensatoremque competere possit, auctoritatem obtineat. Quare qui summam nobis Christi potestatem, quasi nostrum cuiquam non placeat, opponunt; partim injuria, partim imperitia opponere videntur. Nam injurium est, id alicui, ac si neget, objicere, quod ille non modo patiatur, sed etiam omnino velit. Quis autem fuit unquam Ca-

„ POS NOSTROS, NONNISI AD PETRUM, ID EST SUI NOMINIS, ET HONORIS AUCTOREM RE-
„ FERRE DEBERE, VELUT NUNC RETULIT VESTRA DILECTIO, QUOD PER TOTUM MUNDUM
„ POSSIT ECCLESIIS OMNIBUS IN COMMUNE PRODESSE „. Confer *ep.* XXXII. *ad Aurelium Carthaginiensem pag.* 904. *& epist.* XXXVII. *ad Felicem Episcopum Nucerinum pag.* 910. ubi Romanum Pontificem *caput*, *& apicem Episcopatus appellat*.

1 Tilenus *ibid.*

2 Spanhemius *ibid.* §. X. *pag.* 464. *seq.*

3 *V.* 28. *visum est Spiritui Sancto, & nobis.*

4 Spanhemius *ibid.* §. XIII. *pag.* 465.

Catholicorum, qui eam Christi potestatem non magnopere defendere conaretur? Est autem illud ab adversariis imperitissime dictum de *summa*, cum non de *summa* illa, *absoluta* ac *libera* sit; sed de maxima, quæ cadere in ministrum possit, auctoritate contentio. Hoc igitur potestatis genus, cum nullis Scripturarum locis, nullo veterum testimonio labefactari; multis vero contra, quod paullo post efficiam, demonstrari possit; constituto Imperio, potestateque illa Christi Servatoris *summa* concessa, vicaria item Pontificis auctoritas consistat, necesse est. Quæ namque inter se non pugnant, cur componi, unaque consistere nequeant, nullo modo prorsus intelligo. Cujusmodi autem est illud, quod de pari dignitate, auctoritateque Episcoporum Protestantes jactant? An singulos Episcopos universæ Ecclesiæ pari potestate præfectos arbitrantur? Minime. Nam id Apostolis fortasse, ut præcipuis architectis fundamentum ponentibus concedunt (1); Episcopis vero, quicumque hi tandem sint, nullo modo. Singulis ergo Episcopis si Ecclesiarum singularium administrandarum fuisse tributam auctoritatem dixerint; qui fieri posse existimant, ut cui unius singularis cœtus cura commissa est, is in alterius possessiones invadat, ac non de ovibus solum, sed de pastoribus etiam, quos nemo ipsi subdiderit, sententiam, ut judex, ferat? Principibus enim variis in urbibus constitutis, quorum unus alii non subsit, quis credat, ab horum pluribus aut dispersis, aut congregatis de doctrina, de moribus, de fortunis, de capite & civium, qui in eorum ditionem numquam venissent, & principis esse judicandum? Duces ne Ferrariensium, Mantuanorum, Parmensium, Mutinensium, Urbinatum vel domi quique suæ agentes, vel coactos in unum locum de Etruscorum Duce decernere quidquam posse defendent? Quod si negant, quid est, quod Episcopis, *ordinariisque ministris*, quos vocant, singulari Ecclesiæ præfectis, de alio cœtu, deque alterius Episcopi caussis, qui creditus eorum fidei, curæque non fuerit, cognoscere statuereque

1 Tilenus *ibid.*

reque licere putent? Si autem omnibus Episcopis, quibus nemo sit divina institutione præstantior, de omni Christianorum republica, adeoque de caussis aliorum Episcoporum cognoscere, sententiamque ferre jus esse responderint, quibus id tandem majorum testimoniis, aut rationum momentis ostendere se posse confident? Singulos enim pastores singulis Ecclesiis præfectos fuisse, in majorum monumentis sæpe (1) legent, universæ autem Ecclesiæ, numquam.

Qui vero summam potestatem penes concilium *ἀκέφαλον carens capite*, quo in concilio nemo sit, aut esse possit ceteris auctoritate major, næ hi vehementer errant. Nam Lucæ de Synodo Hierosolymitana verba, in quibus Chamierus, atque Spanhemius sui esse erroris præsidium locatum censent, ad rem profecto non pertinet. Etsi enim Lucas Apostolos senioresque scripsisse ad Antiochenos Christianos narret (visum Spiritui Sancto, ipsisque, qui convenerant fuisse, nihil esse oneris imponendum iis, qui abjecta superstitione Deorum ad sacra Christianæ religionis accesserant, præter quædam, quæ tunc necessaria putassent) satis tamen indicat, in eo concilio, si non Petrum (qua de re mox equidem videro) at Apostolos saltem, qui aderant, præcipuas partes obtinuisse (2). Atque Adversarii quidem Apostolos omnes pari auctoritate fuisse præditos arbitrantur, adeo ut cum omnibus Ecclesiis præsiderent, tum alter eorum in alterum nihil posset; id autem genus auctoritatis in Apostolorum successores Episcopos manasse negant (3). His enim impositum esse ajunt singularium Ecclesiarum, non omnium administrandarum onus. Atque ego quod mihi ab illis nunc datur, accipio. At hæc cum ita sint, qua demum confidentia concilio abutuntur Apostolorum de Christianis Antioche-

1 Confer quæ paullo ante descripsi *pag.* 320. *seqq.* *hujus vol.*

2 Nam primo loco ab Luca nominantur Apostoli. *Cap.* xv. *v.* 6. tum Petrus primus omnium sententiam tulisse dicitur *v.* 7. *seqq.* Hoc audito multitudinem tacuisse *v.* 12. Postremo affirmasse Jacobum, consentanea sacris Bibliis esse, quæ Petrus statuerat, accommodasseque suam ad Petri sententiam, proposuisseque, quid novis Christianis imponendum judicaret, atque ita fuisse ab Synodo factum, ut Petrus, postque eum Jacobus censuerant.

3 Spanhemius *ibid.* §. xiii. *pag.* 465.

tiochenis non circumcidendis Spiritus Sancti instinctu loquentium? Nam si Apostolis, ut qui universis cœtibus præessent de controversiis inter Antiochenos Christianos natis cognoscere jus fuit, non sequitur, esse id juris etiam Episcopis concedendum, quibus credita sit singularium, non omnium cœtuum regendorum cura.

Venio, ut ante promiseram, ad Petrum. Ajo præsedisse hunc Synodo, finemque imposuisse controversiis Antiochenorum. Quum enim Apostoli, senioresque ad concilium de Mosaicæ legis cæremoniis deliberaturi venissent, quæsissentque, observandæ ne ab Ethnicis, qui Christo paruerant, an prætermittendæ essent, ac Petrus delectum sese ab Deo fuisse (1), qui gentes ad veram (2) Religionem adduceret, eisque quid facto esset opus ostenderet, affirmasset, tum sententiam de omittendis cæremoniis Mosaicæ legis ab Ethnicis, qui Christianam Religionem amplexi fuissent, dixit; virosque, qui aderant, ut sibi acquiescerent, (3) permovit. Id autem nisi ab eo, qui primas in Sy-

1 Lucas *ibid.. seq v. 6.*

2 Quemque Apostolorum per se, quin Synodus haberetur, potuisse controversiam de legis ritibus, quæ tunc orta erat, dirimere, certum est. Synodus quinta habita *ann. 553. collat.* VIII. *pag.* 168. *tom.* III. *Concilior. edit. Paris. Harduini.* „ Licet Sancti Spiritus „ gratia & circa singulos Apostolos abundaret, ut non indigerent alieno consilio ad ea, quæ „ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod movebatur, si oporteret gentes „ circumcidi, definire, priusquam communiter congregati, divinarum Scripturarum testi„ moniis, unusquisque sua dicta confirmaverunt „. Confer Gregorium Magnum *lib.* XI. *Ep.* XLV. *al.* XXXIX. *ad Theoctistam t.* II. *opp. p.* 1129. *seq. edit. Paris. Monach. s. Mauri* ubi de Petro agens „ certe etiam Petrus, *inquit*, potestatem regni cælestis acceperat, quæ„ que in terra ligaret, vel solveret, essent in cælo ligata, vel soluta ... Et tamen idem „ APOSTOLORUM PRIMUS ... querelæ fidelium NON EX POTESTATE, sed ex ratione respon„ dit, caussam per ordinem exposuit ... Si ergo PASTOR ECCLESIÆ APOSTOLORUM PRIN„ CEPS, ... non dedignatus est in caussa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere, „ quanto magis nos peccatores &c.

3 Actorum *cap.* XV. *supra indic. v. 7.* sic Petrus loquitur: „ Viri fratres, vos scitis quo„ niam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit PER OS MEUM AUDIRE GENTES VERBUM E„ VANGELII, ET CREDERE ... Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervi„ ces discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus &c. „. Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* XXI. *pag.* 574. *edit. Veneta an.* 1748 „ Sed & in illa discep„ tatione, *inquit*, custodiendæ novæ legis, PRIMUS OMNIUM PETRUS SPIRITU INSTIN„ CTUS, ET DE NATIONUM VOCATIONE PRÆFATUS, *& nunc inquit* &c. Hæc sententia & „ solvit, quæ omissa sunt legis, & alligavit, quæ reservata sunt „. Quis autem hæc Tertulliani, etsi tunc Montanistæ, verba capendens, omnem ejus decreti vim ex Petro præcipue profectam confitebitur? Assentitur Tertulliano sanctus Hieronymus *epistola* LXXV. *al.* XI. *inter*

Synodo partes obtinuisset, impetrari potuisse, quis credat? Præfuerit ergo ei Concilio Petrus necesse est.

Sed intelligo, esse aliquos de Protestantium quidem grege, qui Tertulliani, Cypriani, Hieronymi de pari *jurisdictione*, quam vocamus, potestateque Episcoporum locos sibi explicari peterent; quibus certe breviter, ut potero, satisfaciam. Quod ut fieri ordine, dilucideque possit, quid iis testimoniis hæretici contineri putent, explicandum est. Itaque Tertullianum in ea fuisse opinione defendunt, ut Ecclesiam nullam esse primam, eumque, qui se Episcopum Episcoporum appellari ferret, contemni oportere, arbitraretur. Nam in singulari, *qui de Præscriptionibus hæreticorum* inscribitur (1) libro: „ Tot, & tantæ Eccle- „ siæ, *inquit*, una est illa ab Apostolis prima, ex qua om- „ nes, SIC OMNES PRIMÆ, ET OMNES APOSTOLICÆ dum „ unam omnes probant unitatem „. In libro quoque (2) *de Pudicitia*. „ Audio, *inquit*, edictum esse propositum, & „ quidem peremtorium, Pontifex scilicet Maximus, quod „ est Episcopus Episcoporum edicit: *ego & mœchiæ, & for-* „ *nicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. O edictum, cui „ adscribi non poterit bonum factum. Et ubi proponetur „ liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum ja- „ nuis „. His enim idem verbis usus nunquam fuisset, nisi contemnendum eum, qui Pontificis Maximi, Episcopique Episcoporum appellationes sibi arrogabat, existimasset. Ac Protestantes quidem, non minus esse perspicuam, scribunt, Cypriani sententiam. In libro enim, quem inscripsit *de unitate* (3) *Ecclesiæ* „ Hoc erant utique, *inquit*, & ceteri „ Apostoli, quod fuit Petrus, PARI CONSORTIO PRÆDITI „ ET HONORIS, ET POTESTATIS, sed exordium ab unitate „ pro-

inter Augustinianas tom. 11. opp. pag. 130. *edit. Antuerp. an.* 1700. *ubi principem hujus decreti Petrum fuisse scribit, legem post Evangelium non esse servandam*. Adeundi Melchior Canus *lib.* VI. *locor. Theologicor. cap.* III. Josephus Augustinus Orsius *lib.* I. *de Auctor. Rom. Pontif. cap.* VI. *art.* II. *pag.* 39. *seqq. tom.* I. *P.* I. *edit. Rom. an.* 1739.

1 *Cap.* XX. *pag.* 208. *seq. edit. Veneta an.* 1748.

2 *Cap.* I. *pag.* 555.

3 *Pag.* 107. *seq. edit. Oxon. an.* 1682.

„ proficiſcitur, ut Eccleſia una monitretur; quam unam „ Eccleſiam etiam in cantico canticorum Spiritus Sanctus „ ex perſona Domini deſignat, & dicit: una eſt columba „ mea... Hanc Eccleſiæ unitatem, qui non tenet, tenere „ ſe fidem credit?.. Quam unitatem firmiter tenere, & „ vindicare debemus maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præ- „ ſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum, atque „ indiviſum probemus... Epiſcopatus unus eſt, cujus a „ ſingulis in ſolidum pars tenetur „. Quod ſi Apoſtoli id fuerunt, auctore Cypriano *quod Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis*, pari item *conſortio honoris*, ac *poteſtatis* excellant Epiſcopi omnes neceſſe eſt, quos idem Cyprianus ſucceſſores eſſe teſtatur Apoſtolorum. Quo magis videri ſibi Proteſtantes jactant, ſanctum Martyrem fuiſſe ad æqualitatem inter Præſides ſacrorum conſtituendam propenſiorem, cum uſus his vocibus fuerit, quæ in foro adhiberentur: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*, ut indicaret, Epiſcopatum ita ab Epiſcopis obtineri, ut non partem illius aliquam, ſed omnem ſinguli pleno, ut ajunt, jure obtineant. Quæ ſane res, niſi ad Epiſcoporum omnium parem in adminiſtranda Chriſtiana republica auctoritatem ſpectet, quo tandem ſpectet, demonſtrandum eſt. At eſſe id omnino difficile Proteſtantes putant. Atque Cyprianum ſimilia horum in Epiſtolis ſcripſiſſe dicunt. Nam in quarta, ac quinquageſima (1) ſic habere: „ A Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa. Item Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus „. In octava autem ac ſexageſima: „ (2) Etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo, & paſſione quæſivit, colligere, & fovere debemus „. Atque Cyprianum tam fuiſſe in ſententia confirmatum addunt, ut arbitraretur ferendum omnino neminem, qui ſe ceteris Epiſcopis præferre auderet. Quamobrem

1 *Al.* LII. *ad Antonian. pag.* 112.
2 *Al.* LXVII. *ad Stephanum pag.* 178.

obrem in Synodo Carthaginiensi, (1) hanc eum habu isse ad collegas orationem : „ Neque quisquam nostrum Episcopum „ se Episcoporum constituit , aut tyrannico terrore ad „ obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando ha„ beat omnis Episcopus pro licentia libertatis , & potesta„ tis suæ arbitrium proprium , tamque judicari ab alio non „ possit , quam nec ipse potest judicare ; sed expectamus „ universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus , „ & solus habet potestatem & præponendi nos in Eccle„ siæ suæ gubernatione , & de actu nostro judicandi „ . Idipsum vero fuisse ab eo ad Antonianum scriptum : „ Ma„ nente concordiæ vinculo , & perseverante Catholicæ Ec„ clesiæ individuo sacramento, actum suum disponit, & di„ rigit unusquisque Episcopus rationem propositi sui do„ mino redditurus „ . Assentiri autem Cypriano Romanum Clerum . Sic enim Presbyteros , Diaconosque Romanæ Ecclesiæ laudasse eumdem ipsum Episcopum Carthaginiensem , propterea quod etsi „ bene (2) conscius sibi animus , & „ Evangelicæ disciplinæ vigore subnixus , & verus sibi in „ decretis cælestibus testis effectus , soleat solo Deo judice „ esse contentus , nec alterius aut laudes petere , aut accu„ sationes pertimescere , tamen geminata sint laude condi„ gni , qui cum conscientiam sciant soli Deo debere se ju„ dici , actus tamen suos desiderant etiam ab ipsis suis fra„ tribus comprobari „ . Postremus est Hieronymi locus ex Epistola ad Evagrium , quo Protestantes tolli Pontificis primatum censent . Est vero hujusmodi : „ (3) Ubicum„ que fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii , sive Con„ stantinopoli , sive Rhegii , sive Alexandriæ , sive Tanis , „ ejusdem meriti , ejusdem est & sacerdotii. Potentia divi„ tiarum , & pauperpatis humilitas vel sublimiorem , vel „ inferiorem Episcopum non facit . Ceterum omnes Apo„ stolorum successores sunt „ .

1 *Pag. 220. edit. ejusd.*
2 *Epist. inter Cyprianicas xxx. al. xxxi. pag. 56. edit. ejusd.*
3 *Ep. ci. al. 85. ad Evagrium, seu ad Evangelum T. iv. opp. p. 803. ed. Martianæi Paris.*

Equidem Proteſtantibus, quod eram pollicitus, ſatisfacturus, nihil iis in locis, quos deſcripſi, contineri oſtendam, quod obeſſe Orthodoxorum de Monarcha Eccleſiæ univerſæ decretis poſſit. Ordiar autem ab Tertulliano. Is cum omnes Eccleſias *primas, apoſtolicaſque eſſe, dum unam omnes probant unitatem*, ſcripſit, non eo ſcripſit, quo nullam eſſe inter eas, cui ſit a Chriſto tributus principatus, putaret; ſed quo eas, quæ cum Principe omnium Eccleſia conjunctæ ſint, ac unitatem proinde colant, doctrinamque ſequantur Apoſtolorum, *primas, Apoſtolicaſque dici* aliquo modo poſſe arbitraretur. Igitur appellari eas quidem voluit non ipſas per ſe, ſed ob *conjunctionem* cum Eccleſia Principe, quæ centrum eſt unitatis, *Primas*; *Apoſtolicas* vero non quod ab Apoſtolis inſtitutæ ſint, ſed quod doctrinam colant Apoſtolorum, quam *Apoſtolicæ* in ceteras propagarunt. Quare *primas* eas dici, ut quæ participes *communionis*, *pacis*, dogmatum Eccleſiæ principis ſint, cumque cœtibus ab Apoſtolis collectis, & inſtitutis ratione doctrinæ conveniant. Neque eos eſſe Proteſtantes exiſtimo, qui cum ſua confirmare auctoritate Tertulliani conentur, tum eum pugnantia loquutum fuiſſe ſtatuant. Tertullianus autem in eo ipſo, qui *de Præſcriptionibus hæreticorum* inſcribitur, libro, eſſe aliquas Eccleſias confitetur, quæ cum ab Apoſtolis fundatæ, confirmatæque in fide fuerint, Apoſtolicæ appellantur. Jam vero traditum ab eodem præterea eſt, Eccleſias, quæ cum *Apoſtolicæ* non ſunt, tum *Apoſtolicis* aſſentiuntur, cumque eis *communicant*, haberi oportere in numero orthodoxarum. Negat igitur omnes Eccleſias appellandas eſſe Apoſtolicarum vocabulo. Quapropter cum ibidem omnes Eccleſias *Apoſtolicarum* appellat nomine, *communicationis* cum *Apoſtolicis* cauſſa appellat. Scribit autem ille hoc modo (1):,,Statim igi-
,, tur Apoſtoli ... per Judæam conteſtata fide in Jeſum Chri-
,, ſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profecti,
,, eamdem doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulga-
,, ve-

1 *Lib. de Præſcript. Hæret. cap. xx. pag. 208. ſeq. edit. Venet. an. 1748.*

„ verunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civita-
„ tem condiderunt, a quibus traducem fidei, & semina
„ doctrinæ CETERÆ EXINDE ECCLESIÆ MUTUATÆ SUNT, &
„ quotidie mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, AC PER HOC ET
„ IPSÆ APOSTOLICÆ DEPUTANTUR, UT SOBOLES APOSTOLI-
„ CARUM ECCLESIARUM. Omne genus ad originem suam
„ censeatur necesse est. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ una est
„ illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima,
„ & Apostolicæ, dum una omnes probant unitatem, dum est
„ illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, &
„ contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio re-
„ git, quam ejusdem Sacramenti una traditio .... Quid
„ autem (Apostoli) prædicaverint, idest, quid illis Chri-
„ stus revelaverit, & hinc præscribam non aliter probari
„ debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli con-
„ diderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt,
„ voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, con-
„ stat proinde omnem doctrinam, quæ CUM ILLIS ECCLE-
„ SIIS APOSTOLICIS, MATRICIBUS, ET ORIGINALIBUS
„ conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem,
„ quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Chri-
„ stus a Deo accepit. Superest ergo uti demonstremus, an
„ hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus, de
„ Apostolorum traditione censeatur, & hoc ipso an cete-
„ ræ de mendacio veniant. COMMUNICAMUS CUM ECCLE-
„ SIIS APOSTOLICIS, quod nulli doctrina diversa „. Idem
paullo post, quam de Petro Apostolo, deque hæreticis qui-
busdam, qui primis seculis Ecclesiam exagitaverant, dispu-
tavit „: Edant, *inquit* (1) *auctores errorum* origines Ecclesia-
„ rum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum
„ ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille
„ Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris,
„ qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit aucto-
„ rem, & antecessorem. Hoc enim modo ECCLESIÆ APOSTO-
„ LICÆ CENSUS suos deferunt, sicut SMYRNÆORUM ECCLE-

H 2 „SIA

1 *Ibidem cap. XXXII. pag. 213.*

" SIA POLYCARPUM ab Johanne conlocatum refert, ſicut
" ROMANORUM CLEMENTEM A PETRO (1) ORDINATUM ITI-
" DEM .... Confingant tale aliquid hæretici .... Ad hanc
" itaque formam probabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet
" nullum ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis auctorem ſuum pro-
" ferant, UT MULTO POSTERIORES, QUÆ DENIQUE QUO-
" TIDIE INSTITUUNTUR, TAMEN IN EADEM FIDE CONSPI-
" RANTES NON MINUS APOSTOLICÆ DEPUTANTUR PRO
" CONSANGUINITATE DOCTRINÆ.(2) Age jam qui voles,cu-
" rioſitatem melius exerce in negotio ſalutis tuæ..PERCUR-
" RE ECCLESIAS APOSTOLICAS, APUD QUAS IPSÆ ADHUC
" CATHEDRÆ APOSTOLORUM SUIS LOCIS PRÆSIDENT, A-
" PUD QUAS IPSÆ AUTHENTICÆ LITTERÆ EORUM RECI-
" TANTUR ſonantes vocem, & repræſentantes faciem u-
" niuſcujuſque. Proxima eſt tibi ACHAIA? HABES CORIN-
" THUM. Si non longe es ex Macedonia, HABES PHILIPPOS,
" HABES THESSALONICENSES. Si potes in ASIAM TENDERE,
" HABES EPHESUM. SI AUTEM ITALIÆ ADJACES, HABES RO-
" MAM, UNDE NOBIS QUOQUE AUCTORITAS PRÆSTO EST,,. Ex his Tertulliani verbis, quis tam eſt hebes, ac ſtolidus, qui aliquas fuiſſe Eccleſias non intelligat, quæ jure quodam ſuo, atque, ut dicere ſolemus, *proprie* Apoſtolicæ appellarentur, propterea quod ab Apoſtolis inſtitutæ, imbutæque doctrina Chriſti Servatoris eſſent; ceteras vero, quæ a ſucceſſoribus Apoſtolorum, aliiſque, qui poſt floruerunt, fundatæ ſunt, ob eam unam cauſſam vocari Apoſtolicarum appellatione poſſe, quod velut *ſoboles Apoſtolicarum eſſent, communicarent cum Apoſtolicis, doctrinamque Apoſtolicarum, Matricum, Originalium, cujuſmodi erant Romana, Epheſina, Smyrnenſis, Philippenſis, Teſſalonicenſis*, Eccleſiarum conſectarentur? Igitur ſi is auctor *Apoſtolicas omnes Eccleſias* appellans, non id effecit, aut voluit, quo minus eſſent ſingulares quædam Eccleſiæ, quæ *proprie* vocarentur hoc nomine; ne *principatum* quidem Romanæ ademerit, neceſſe eſt, etſi ceteras *pri-*

1 De primo, qui Petro Apoſtolo in Eccleſia Romana ſucceſſerit, agam paullo poſt veterum auctoritate, quoad ejus fieri poterit, diligenter.

2 *Cap.* XXXVI. *pag.* 215.

primarum vocabulo indicaverit. *Primas* enim vocarit oportet, non quod *primæ proprie* exiſtimarentur, ſed quod conjunctæ cum prima ſocietate doctrinæ, & *communionis* eſſent. Quamquam non is ego ſum, qui *primarum* appellatione eas, quæ principatum obtinerent, Tertullianum indicaſſe putem. Nam is *primam* vocat, quam nos *primitivam*, (1) quæ ex Apoſtolis, eorumque diſcipulis conſtabat, dicimus. De *primatu* autem idcirco dixi, quod aliquos (2) eſſe viderem, qui *primas* eaſdem, atque *præcipuas*, ſeu *principes* eſſe, auctore Tertulliano, defenderent. Sed quamvis ille hoc loco *prima* vocabulo eam, quæ Apoſtolorum ætate florebat, Eccleſiam ſignificavit, tamen cum in eodem de *Præſcriptionibus Hæreticorum* libro, tum in aliis ſtatuit, Romanæ Eccleſiæ principatum in Chriſtiana Republica concedendum. Nam ubi capite viceſimo ſecundo (3) de Petro loquutus eſt, nihilque eum, *ædificandæ Eccleſiæ petram dictum, claveſque regni Cælorum, & ſolvendi, atque ligandi poteſtatem conſequutum*, latuiſſe dixit, capite demum *triceſ. ſexto* (4). „ Si Italiæ, *inquit*, adjaces, „ habes Romam, unde nobis quoque AUCTORITAS præſto „ eſt. ISTA QUAM FELIX ECCLESIA! CUI TOTAM DOCTRI- „ NAM APOSTOLI CUM SANGUINE SUO PROFUDERUNT; UBI „ PETRUS PASSIONI DOMINICÆ ADÆQUATUR; UBI PAULUS „ JOHANNIS EXITU CORONATUR; UBI APOSTOLUS JOHAN- „ NES, POSTEAQUAM IN OLEUM IGNEUM DEMERSUS, NI- „ HIL PASSUS EST, IN INSULAM RELEGATUR. VIDEAMUS „ QUID DIDICERIT, QUID DOCUERIT, CUM AFRICANIS „ QUOQUE ECCLESIIS CONTESSERARIT. UNUM DEUM NO- „ VIT &c. „. Quæro autem quid illud ſit: *unde nobis præſto eſt auctoritas*? Nam ſi dignitatis eſt (5) *auctoritas* nomen, ut olim

1 *Ibid. cap.* xx. *pag.* 208. „ Omne genus, *inquit*, ad originem ſuam cenſeatur, ne- „ ceſſe eſt. Itaque tot, ac tantæ Eccleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes „. Aſſentitur Rigaltius *in not. action. ad id. Tert. cap.*

2 In hac enim opinione verſatur Joh. Tellus *in not. ad lib. Cypr. de unit. Eccleſ. pag.* 108. *ſeq. edit.* Opp. *Cypr.* Oxon. *an.* 1682.

3 *Pag.* 209.

4 *Pag.* 215.

5 Multa de voce *auctoritatis* diſputat Juſtus Henningius Bohmerus *in Diſſertationibus*

juris

lim apud Romanos fuiſſe liquet, jam *dignitas* Eccleſiæ Romanæ major dignitate ceterarum Eccleſiarum, præſtantiorque fuerit, neceſſe eſt. Sin autem *decretum*, *ſententiamque* ſignificat *auctoritas*, quid erit aliud ex Tertulliani teſtimonio conſequens, quam ad decretum ſententiamque Romanæ Eccleſiæ ſua, quamque Eccleſiam accommodare dogmata oportere? Ceteris enim Eccleſiis, quas nominat, ut Epheſinæ, ut Smyrnenſi, ut Philippenſi, ut Theſſalonicenſi, ut Corinthiæ, etſi Apoſtolicis, hanc tamen dignitatem, auctoritatemque numquam attribuit. Attribuiſſet autem, ſi pares dignitate, auctoritateque fuiſſe judicaſſet. Age vero quamobrem hæc Romanæ auctoritas, Tertulliano teſte, inſit, conſideremus. *Felicem* eam eſſe confirmat. Cur autem? Quia *totam ei doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*. Qui tandem Apoſtoli? Scilicet Petrus imprimis, quem ædificandæ Eccleſiæ petram, ac ligandi ſolvendique poteſtatem con-

juris Eccleſiaſt. Antiqui. Diſſertat. VII. *quæ eſt de differentia inter ordinem Eccleſiaſticum, & plebem num.* III. §. XIV. *pag.* 306. *ſeqq. edit. Halenſis ann.* 1729. Sed is auctor, cum Lutheranis partibus ſtuderet, abuſus Juris Romani ſcientia eſt, ſignificationeſque ejus vocabuli contorſit, ut decreto Eccleſiæ, non divino jure Eccleſiaſticum ordinem fuiſſe inſtitutum, Tertulliani quidem ſententia, demonſtrare poſſet. At de eo Tertulliani loco actum a nobis volumine ſuperiore *pag.* 425. *ſeq.* ſatis diligenter, ac vere fuit. Ac liquet ſane dignitatis indicium fuiſſe *auctoritatis* nomen. Nomina enim Senatorum, qui Senatus conſulto ſcribendo aderant, auctoritates appellabantur. Cælius apud Ciceronem *lib.* VIII. *ad Familiar. Epiſt.* VIII. *pag.* 260. *edit. Genev. Oliveti*. „ Senatus conſultum, quod tibi miſi, „ factum eſt, auctoritateſque perſcriptæ „. Quæ verba Gronovius de nominibus Senatorum intelligi oportere cenſet. Et Cicero in tertia Philippica *cap.* V. *pag.* 429. *edit. ejuſdem tom.* VI. dignitatem hac voce ſignificat, aut poteſtatem. „ Tantus eſt, *inquit*, conſenſus „ municipiorum, coloniarumque Provinciæ Galliæ, ut omnes ad *auctoritatem* hujus Ordi- „ nis (*Senatorii*), majeſtatemque populi Romani defendendam conſpiraſſe videantur. Confer, quæ idem auctor in extrema Philippica tertia ſcribit. Sed non eſt otium omnes ejus Scriptoris locos indicare; neque eſt neceſſe, quum plena ſint lexica, imprimiſque illud, quod eſt vulgatum a Stephano, ejuſmodi exemplorum. Redeo ad Tertullianum. Is præſentiam ejus, qui rei alicui veluti præſideret, auctoritatem appellavit. Quare de Ethnicis agens, qui imitari judaicum jejunium viderentur, quique quamvis famelici eſſent, tamen ante veſperi, ſeu veſperuginis exortum nullum attingere cibum audebant *lib. de jejuniis cap.* VI. *pag.* 553. „ Judaicum certe jejunium, *inquit*, ubique „ celebratur, cum omiſſis templis per omne litus, quocumque in aperto aliquando jam „ preces ad Cælum mittunt, & licet cultu, & ornatu mœroris munus infament, tamen fi- „ dem abſtinentiæ adfectant, & ſtellæ AUCTORITATEM demorantis ſuſpirant „. Ecque obſecro hæc *auctoritas* ſtellæ eſt, niſi *præſidentis ſtellæ præſentia*? Decretum præterea, ſanctionemque *auctoritatis* nomine fuiſſe appellatam conſtat. Qua de re multis Bohmerus loco ſupra indicato diſſerit. Vide *leg. unic. Cod. Theod. de Centurion.* & *leg.* I. *Cod. Theod. de his qui condit. propr.* & *leg p. n. c. de in integr. reſtit. min.* Sed de variis ſignificationibus ejus vocabuli plura collegit Barnabas Briſſonius *de verb. ſign. ad v. auctoritas*.

consequutum dicit. Inde Paulus, post Johannes. Inest igitur hæc tanta Romanæ Ecclesiæ auctoritas, quasi hæres sit doctrinæ Petri. Ita fit, ut hac ipsa auctoritate convinci, reprimique posse Tertullianus existimet errorem, audaciamque hæreticorum. Itaque cum Valentinianis, Marcionitis, Cerdonianis, aliisque pestibus generis ejusdem pugnaturus, inquirendum maxime esse statuit, quid ea *docuerit*, quidque cum Africanis Ecclesiis *contesserarit*. Atque idem est auctor Tertullianus, iis Ecclesiis adhærendum imprimis esse, quarum Apostolus laudavit scientiam. „ (1) Sed & illas reco„ gnoscant, *inquit*, de quarum fide, & scientia, & con„ versatione Apostolus gaudet „. Romanam autem hoc potissimum Paulus commendat nomine in iis litteris, quas ad Ecclesiam eamdem scripsit. *Quoniam*, (2), inquit, *& ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia*. Quid si ut jus remittendorum criminum, ita principatum Ecclesiæ Romanæ Catholici, vivo Tertulliano, concedere solerent, ipseque adeo cum orthodoxus esset, librumque de Præscriptionibus adversus hæreticos scriberet, in ea sententia versaretur? Nam si Ecclesiæ *propinquæ Petro* jus ligandi, solvendique sibi, Petri caussa, competere affirmabant, multo id magis Ecclesiæ tributum ab Orthodoxis hominibus fuerit necesse est, *cui totam doctrinam Petrum profudisse* arbitrabantur. Age vero quam potestatem Petro a Christo fuisse datam Tertullianus, etsi Montanista, confessus sit, quamque Orthodoxi Romano Pontifici tribuerent, videamus. His enim constitutis rebus, facile quisque intelliget, quæ ipsius Tertulliani, cum Catholicus esset, fuerit in celebri de Præscriptionibus libro de Romani Pontificis privilegiis, auctoritateque sententia. Nam cum ad Cataphrygas transfugisset, eaque oppugnare, ut hæretici semper consuerunt, conaretur, quæ Orthodoxi defenderent, jam ipse per se demonstrarit necesse est, quid tum sentiret, cum conjunctus nostris societate doctrinæ, ac religionis esset. Is igitur in libro de Pudicitia, quem pro

1 Cap. XXVII. pag. 212.
2 Paulus *Epist. ad Rom. cap.* XV. *v.* 14.

pro Cataphrygibus adversus Catholicos, probro Psychicos appellatos, scripsit (1) imitatus impudentiam hæreticorum, qui contra Ecclesiæ Monarchiam pugnant., Exhibe, *inquit*, &
,, nunc mihi, Apostolice, Prophetica exempla., & agnoscam
,, divinitatem, & vindica tibi delictorum ejusmodi remit-
,, tendorum potestatem. Quod si disciplinæ solius officia
,, sortitus es, nec imperio præsidere, sed ministerio, quis
,, aut quantus es indulgere? Qui neque Prophetam, nec
,, Apostolum exhibens, cares ea virtute, cujus est indul-
,, gere. Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta do-
,, nandi. Hoc ego magis & agnosco, & dispono, qui
,, ipsum Paracletum in Prophetis novis habeo dicentem,
,, potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne &
,, alia delinquant.. De tua nunc sententia quæro, unde
,, hoc jus Ecclesiæ usurpes. Si quia DIXERIT PETRO DO-
,, MINUS, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi*
,, *dedi Claves Regni Cælestis, vel quæcumque alligaveris, vel*
,, *solveris in terra, erunt alligata, vel soluta in Cælis*, idcir-
,, co præsumis & ad te derivasse solvendi, & alligandi po-
,, testatem, IDEST AD OMNEM ECCLESIAM PETRI PROPIN-
,, QUAM, qualis es evertens, atque commutans manife-
,, stam Domini intentionem personaliter hoc Petro confe-
,, rentem? *Super te*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, &*
,, *dabo tibi Claves*, non Ecclesiæ; *& quæcumque solveris,*
,, *vel obligaveris*, non quæ solverint, vel alligaverint; sic
,, enim & exitus docet. In ipso Ecclesia extructa est, idest
,, per ipsum. Ipse clavem imbuit... sic & in illa discepta-
,, tione custodiendæ nec ne legis, primus omnium Petrus
,, spiritu instinctus, & de nationum vocatione præfatus,
,, & *nunc*, inquit, *cur tentastis dominum de imponendo jugo*
,, *fratribus, quod neque nos, neque patres nostri sufferre va-*
,, *luerunt? Sed enim per gratiam Iesu credimus nos salutem*
,, *consequuturos, sicut & illi*. Hæc sententia & solvit, quæ
,, omissa sunt legis, & alligavit, quæ reservata sunt. Adeo
,, nihil ad delicta fidelium capitalia. Potestas solvendi, &
,, alli-

1 Tertull. *De Pudic. cap. xxi. pag. 574.*

„ & alligandi Petro emancipata. Cui si præceperat Dominus etiam septuagies delinquenti in eum fratri indulgere; utique nihil postea alligare, idest retinere mandasset, nisi forte ea, quæ in Dominum, non in fratrem quis admiserit... Quid nunc & ad Ecclesiam, & quidem tuam, Psychice? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet, aut Apostolo, aut Prophetæ. Nam & Ecclesia proprie, & principaliter ipse est spiritus „. Itaque Catholici omnes uno ore contra impiam Montani sectam, dimittendorum scelerum, ac ligandorum solvendorumque, quæ liganda, solvendaque viderentur, facultatem Ecclesiis a Christo tributam ajebant, iisque imprimis Ecclesiis, quæ Petro propinquæ essent, & in quas potestas ab Jesu Servatore Petro tributa manasset. Cumque in Petro *ædificatam Ecclesiam, eique Claves Regni Cælestis* tributas, & primatum concessum scirent, mirabile certe non est, si hæc omnia in Ecclesiam a Petro eodem institutam, suoque sanguine consecratam competere putarint. Quod si hæc decora soliusPetri propria, quin in successores manaverint, fuisse Tertullianus contendit, agit ille quidem more hæreticorum, ea, quæ Catholicis probentur, quibusque ipsi erroris convincantur, audacter negantium. Constituta autem Tetulliani de *auctoritate* Petri sententia, quam *auctoritatem* in Ecclesiam Petri propinquam manasse Orthodoxi pugnabant, sequitur, ut quemadmodum Petrus Doctor Ecclesiæ, ac petra, seu caput claves regni cælorum est consequutus, ita Ecclesia Petri propinqua eamdem obtineat, Catholicorum, qui ætate Tertulliani florebant, judicio, non potestatem modo, sed etiam dignitatem. Atque ut omnes intelligant, eam, qua ornatus Princeps Apostolorum a Christo fuerat, Petro vita functo, in Successores Romanos Pontifices primatus auctoritatem, consentientibus Catholicis secundi, tertiique seculi, permanasse, (1) exponam hac de re Tertulliani luculentissimum testimonium. Habet autem ille, de Antistite Romanorum loquens, in eo, qui de Pu-

1 Confer quæ scripsi *tom. 1 v. hujus operis pag. 296. not. 5.*

dicitia inscribitur, libro, hoc modo (1): „ Audio etiam „ edictum esse propositum, & quidem peremptorium. PONTIFEX SCILICET MAXIMVS, QUOD EST EPISCOPUS EPISCOPORUM, edicit, ego & mœchiæ, & fornicationis „ delicta pœnitentia functis dimitto. O edictum, cui „ adscribi non poterit bonum factum! Et ubi proponetur „ liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, „ sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc IN „ ECCLESIA LEGITUR, ET IN ECCLESIA PRONUNCIATUR, „ ET VIRGO EST. Absit a Sponsa Christi tale præconium „. His autem verbis quis non videat reprehendi ab Tertulliano Catholicos, eumque imprimis, quem ipsi vocare Episcopum Episcoporum, & Pontificem Maximum consueverant? Cur autem illi his nominibus usi essent, nisi primas inter Episcopos Romanum Antistitem obtinere partes putassent? Ac Romanum Antistitem hoc loco ab Tertulliano indicari, cum demonstratum a nobis supra est, tum ex eo ipso de Pudicitia libro constat (2). Nam præter Romanam, quæ unquam alia Ecclesia fuerit, quæ & *propinqua*, ut Tertullianus loquitur, *Petri* esset, & sibi delatam, quam is Apostolus obtinuerat, potestatem, diceret, ne suspicari quidem possum. Itaque is locus Tertulliani de Pontifice Maximo, quem nobis Protestantes opponunt, tantum abest, ut nobis noceat, ut potius magno sit ad veritatem declarandam, demonstrandamque præsidio. Non enim me movet, quod Montanistæ hæretici (quo ex grege Tertullianus erat) sed quod Orthodoxi ejus ætatis homines prædicabant, ac tuebantur. Quamquam Montanistæ Pontificis Epistolas, quas sibi favere putabant, pluris quam cujusque alterius Episcopi Epistolas penderent. Itaque quum sparsum, nescio quo casu, in vulgus fuisset, a Pontifice Maximo datas litteras pacis ad Ecclesias Asiæ, quæ infectæ, imbutæque erant superstione Cata-

1 Tertull. *cap.* 1. *de Pudic. pag.* 555. *edit. Venet. an.* 1748.
2 Vide quæ disputavi *tom.* IV. *pag.* 296. *not.* 5.

Cataphrygarum, easque deinde opera Praxeæ renovatas fuisse, qui eidem Pontifici demonstrasset, quam id esset discrepans ab decretis, sententiisque Pontificum superiorum, graviter Tertullianus, acerbeque tulit. Quamobrem initio libri, quem adversus Praxeam edidit (1): „ Iste, *inquit*, primus „ ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romæ, homo & „ alias inquietus, insuper de jactatione Martyrii inflatus, „ ob solum, & simplex, & breve carceris tædium, quan- „ do etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profe- „ cisset dilectionem Dei non habens, cujus charismata quo- „ que expugnavit. Nam idem tunc EPISCOPUM ROMANUM „ agnoscentem jam Prophetias Montani, Priscæ, & Maxi- „ millæ, & ex ea cognitione pacem Ecclesiis Asiæ, & Phry- „ giæ inferentem, falsa, & de ipsis Prophetis, & Ecclesiis „ eorum adseverando, & Præcessorum ejus auctoritates „ defendendo, coegit & litteras pacis revocare jam emis- „ sas, & a proposito recipiendorum Charismatum cessa- „ re. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romæ procuravit, „ Prophetiam expulit, & hæresim intulit; Paracletum fu- „ gavit, & Patrem crucifixit „. Ita ne vero indigne hoc Praxeæ factum passus Tertullianus fuisset, si de alio quopiam Antistite sermo fuisset? Deinde maximam sane illius Episcopi potestatem, tamque late patentem fuisse indicat, ut non contineretur angustiis Europæ, sed ad Asiam usque extenderetur. Quid enim ejus litteras Asiani quæsissent, qui tam longe ab Asia distaret? De re autem, quam Tertullianus narrat, non æque curandum censeo. Sive enim nondum palam Montanus hæresim vulgarat, quod visum Baronio (2), & Rigaltio est, sive Pontifex, quisquis ille fuit (3) (ma-

 gnam

1 *Cap.* 1. *pag.* 501.

2 Ad an. CLXXIII. n. III. *seq.* Huic assentitur Rigaltius in notationibus ad locum modo indicatum Tertulliani.

3 Magna est inter scriptores de Pontifice, quem hic indicat Tertullianus, deque litteris, quas ab eo emissas narrat, dissensio. Quod ad primum attinet, sunt aliqui, qui de Eleutherio, alii contra, qui de Zephyrino intelligi Tertulliani verba oportere statuant. Nam Valesius in *notationibus ad* v. *Eusebii Hist. Eccles. librum cap.* III. *pag.* 184. *edit. Taurin.* & Massuetus Monachus Congregationis *Benedict. s. Mauri dissert. Praev. in Irenaeum pag.* 80. *edit.*

gnam enim de illo ortam esse inter historicos video alterca-
tio-

edit. opp. Iren. Paris. Eleutherium fuisse putant. At Baronius ad *an.* 173. *n.* IV. Anicetum indicatum ab Tertulliano fuisse suspicatur. Coustantius *in Epistolar. Romanorum Pontificum collectione tom.* I. *in Eleutherio* §. I. Victori id acceptum a Cataphryga Tertulliano referri censet. Non discrepat Ludovicus Furius, quem Pagius auctorem sequitur in *crit. Baron. ad an.* 171. *num.* III. Denique non desunt, qui Zephyrinum earum litterarum auctorem fuisse defendant. In his autem Samuel Basnagius enumeratur *Annal. Polit. Ecclesiast. num.* VII. *pag.* 206. *tom.* I. Ego vero, si vera Tertullianus narret, Zephyrinum ab eo fuisse, non alium quemquam indicatum, idque confutatis breviter aliorum opinionibus, demonstrari facile posse arbitror. Non igitur Baronio assentior, quum hæresim Montani anno Soteri IV. cœpisse consket, eu Eusebio in Chronico *pag.* 172. *edit. an.* 1604. ut recte est a Coustantio ibidem animadversum. Quemadmodum igitur litteras pacis eorum caussa dare Anicetus potuit, qui Sotero præcesserat? At ne Soter quidem. Nam quum hujus primum tempore Cataphrygæ extiterint, ab antecessoribus certe illius reprimi nequiverunt, quare Tertullianus numquam dixisset, *inductum Pontificem a Praxea defendente auctoritates præcessorum ejus*, ut litteras revocaret. Quid? si nec ipse Eleutherius? Huic enim unus præcesserat Soter, sub quo orti Montanistæ fuerant, quamobrem præcessorem ejus Pontificis, qui litteras pacis revocarit, Tertullianus nominasset, non *præcessores*. Mea igitur sic est ratio. Ab Sotere primum fuisse Montanistarum decreta confixa, ac reprobata. Nam auctor libri, qui *Prædestinatus* inscribitur *l.* I. *Hæres.* XXVI. *apud Sirmond. t.* I. *opp. edit. Paris. an.* 1696. *p.* 475. Soter, inquit, *contra* Cataphrygas *scripsit*. Etsi autem falsum est, librum ullum ab eo Pontifice adversus Montanistas editum fuisse, tamen decretum aliquod ab eodem vulgatum fuisse ex loco modo indicato Tertulliani plane liquet. Non enim Præcessores ejus Pontificis, qui litteras pacis dedisset, Praxeas adducere, ac defendere potuisset, nisi quidquam Soter scripsisset. Nisi forte velis Eleutherium primum contra Montanistas ad Ecclesias Asiæ scripsisse aut ipsum per se, aut hortatu Lugdunensium, de qua re paullo post videro; deinde Victorem; postremoque Zephyrinum, cui hæretici Montanistæ testati fuerint, se idem atque Ecclesiam Catholicam sentire, has litteras pacis Ecclesiis Asiæ concessisse, quas postea Praxeæ consilio usus revocarit. Ac de Cataphrygibus quidem aliquid a Victore fuisse scriptum, etsi sunt, qui evinci ex libro I. Optati Milevitani *p.* 9. *edit. ann.* 1702. putent, errant tamen, nam de Victorino Petavionensi Optatus agit, non de Victore Romano. De Eleutherio loquitur Eusebius *lib.* V. *Histor. Ecclesiast. cap.* III. *pag.* 163. *seq.* & de Sotero Prædestinatus. Quamobrem aut Victor is fuit, qui litteras, ut Tertullianus testatur, dedit, aut Zephyrinus. Victorem autem dedisse non censeo. Nam etsi auctor libelli de Hæresibus, qui libellus post opusculum Tertulliani de Præscriptionibus ex Agobardi Codice, poni in editionibus operum ejusdem Tertulliani solet, *Victorinum* nescio quem corroborasse hæresim Praxeæ affirmet, tamen non sequitur, hunc Victorinum eumdem atque Victorem fuisse. Ac ne in cogitationem quidem cadere scriptori orthodoxo, qualis ille fuit, poterat, a Victore Pontifice confirmatam hæresim eorum fuisse, qui Deum Patrem fuisse passum mentirentur. At hanc hæresim Praxeæ fuisse constat. Quare miror, Pagium in eam tam absurdam incidisse sententiam. Itaque suspicor, si quis umquam fuit Pontifex, qui pro Montanistis recte de religione, ut ab aliquibus acceperat, sentientibus litteras ad Asiæ Ecclesias scripserit, postque, eorum perfidia cognita, revocarit, is mea quidem opinione Zephyrinus fuit, cujus *antecessorum*, hoc est Eleutherii, atque Soteris, qui contra eos hæreticos scripsissent, auctoritatem Praxeas defendit. Venio ad alterum caput, de quo me dicturum promiseram. Valesius l. c. litteras ab Eleutherio scriptas rogatu Lugdunensium de recipiendis ab Ecclesiis Asiæ Montanistis, sed statim hortatu Praxeæ revocatas censet. Contra Massuetus *l. indic.* non ut Montanistas Ecclesiis Asiæ Eleutherius commendaret, sed ut avocaretur ab eorum communione rogasse arbitratur. Neutrum Eusebius scribit. De pace enim Ecclesiarum Asiæ ad Eleutherium scriptum a Lugdunensibus, & Viennensibus Galliæ Martyribus Eusebius refert, contra Montanistas vero, aut pro Montanistis, non meminit. Posse adversus Montanistas nonnihil fuisse editum ab
Eleu-

tionem) iis crediderat, qui ipsum nihil a Cataphrygis absui di, falsique doceri certiorem fecerant, sive tabulam Tertullianus scripserat, parvi refert. Hoc certum est, neque peccatum quidquam ab eo Pontifice fuisse, neque ab hæreticis ipsis habitam illius auctoritatem ceterorum Antistitum auctoritati parem (1).

Descendo ad Cyprianum. Sed ut distincte, atque ordine ostendam, quæ fuerit ejus de Episcoporum potestate sententia, dividam hanc omnem disputationem in partes quatuor, quarum hanc esse priorem volo.

I. *Quid*

Eleutherio innuit Tertullianus, *auctoritates* Præcessorum aut Victoris, aut Zephyrini commemorans. Scio Natalem Alexandrum omnem illam Tertulliani narrationem in fabulis ponere. *Dissert. I. in Histor. Ecclesiast. sec. III. tom. IV. Hist. Eccl. edit. Luc. an.* 1750. *p. 43. seq.* Neque est id minus verisimile. Constat enim multa Catholicis fuisse a Tertulliano afficta, quæ ab illis minime perpetrata essent. Sed sit vera narratio sic. Ea certe nihil de existimatione Pontificis, atque auctoritate detrahit. Quare Baronius *ibidem num.* IV. „ Accidit id quidem, *inquit*, alias sæpe, & inter alia plura exempla illud est perspicuum, „ quod in præsentiarum menti occurrit. Eustathius Sebastenus hæreticus Romam veniens „ cum suis ad Liberium Papam, fidei Catholicæ sinceram professionem edens, dolose com„ munionem surripuit, rediensque gloriose de Romanæ Ecclesiæ communicatione se extu„ lit, sed reclamantibus Orientalibus, & qualis adhuc esset Eustathius declarantibus, „ rursum sic cognitus ab Ecclesia pulsus est, atque damnatus „. Confer cetera, nolo enim esse longus.

1 Non discrepant ab his, quæ idem ipse Tertullianus animadvertit *in* IV. *contra Marcionem libro* „ In summa, *inquit cap.* V. *pag.* 415. si constat id verius, quod prius, id „ prius, quod & ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit, id esse ab Apo„ stolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod „ lac a Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatæ sint correcti. Quid legant „ Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii, QUID ETIAM ROMANI DE PROXIMO SONANT, „ QUIBUS EVANGELIUM ET PETRUS, ET PAULUS SANGUINE QUOQUE SUO SIGNATUM RE„ LIQUERUNT. Habemus & Johannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin ejus Mar„ cion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Johannem stabit aucto„ rem. Sic & ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas jam „ Apostolicas, sed apud universas, quæ illis de societate Sacramenti confœderantur „. Hæc ille. Ex quibus facile intelligitur, & singularem quamdam auctoritatem fuisse ab eo Ecclesiæ Romanæ tributam, cum non eodem modo de ceteris ac de Romana loquatur, immo vero præclaro semper eam elogio ornare pergat; & non omnes Ecclesias, illius sententia, sed eas tantum Apostolicas esse constet, quæ fuerunt ab Apostolis constitutæ.

I.

Quid illud sit: universum Orbem unam esse Diœcesim, unumque in Ecclesia Episcopatum (cujus a singulis in solidum pars teneatur) constitui oportere.

Itaque Cyprianum ita fuisse interdum loquutum, ut unam esse universum orbem diœcesim putasse videretur, constat. *Nam in* LV. *Epistola,* quam *ad Antonianum* (1) scripsit: ,, Cum sit, *inquit*, a Christo una Ecclesia per totum mun- ,, dum in multa membra divisa, item Episcopatus unus ,, Episcoporum multorum concordi numerositate diffu- ,, sus,,. Quinetiam in libro, quem inscripsit de *Unitate Ecclesiæ*:,, Primatum fuisse datum, *affirmat*, Petro, ut (2) una Chri- ,, sti Ecclesia, & Cathedra una monstretur. Et pastores esse ,, omnes, & gregem unum ostendi, qui ab Apostolicis om- ,, nibus unanimi consensione pascatur, utque Ecclesia ,, Christi una monstretur,,. At quid sibi hisce verbis Cyprianus voluerit, disquirendum est. Igitur cum ille unam a Christo Servatore Catholicam Ecclesiam (3) fundatam, atque

1 *Pag.* 112.

2 *Pag.* 107. *seq.*

3 S. Cyprianus *ibid. pag.* 103. *seqq.* ,, Hoc eo fit fratres dilectissimi, dum ad veritatis ,, originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cælestis doctrina servatur. Quæ si ,, quis consideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio ,, est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, ,, inquit, quia tu es *Petrus*, *& super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*, *& portæ inferorum non vincent eam*. *Et tibi dabo Claves Regni Cælorum*, *& quæ ligaveris* ,, *super terram*, *erunt ligata & in cælis*. Et iterum eidem post resurrectionem suam di- ,, cit: *pasce oves meas*. SUPER UNUM ÆDIFICAT ECCLESIAM SUAM. Et quamvis Apostolis ,, omnibus parem potestatem tribuat, & dicat, *sicut misit me Pater*. *& ego mitto vos*, ,, *accipite Spiritum Sanctum*, *si cui remiseritis peccata*, *remittentur illis*, *si cui tenueritis* ,, *tenebuntur*, TAMEN UT UNITATEM MANIFESTARET, UNITATIS EJUSDEM ORIGINEM ,, AB UNO INCIPIENTEM SUA AUCTORITATE DISPOSUIT. Hoc erant utique & ceteri Aposto- ,, li &c. *ut supra pag.* 55. Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem cre- ,, dit?.. Quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus MAXIME Episcopi, qui in ,, Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus.. ,, Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, ,, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi ,, radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum ,, &

que stabilitam, eique Primatem unum præfectum (1) fuisse sci-

,, & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis ,, copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divi- ,, sionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit, ,, a fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic Ecclesia Domini luce perfusa per orbem ,, totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec uni- ,, tas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, pro- ,, fluentes largitur, rivos latius expandit, UNUM TAMEN CAPUT EST, ET VIRGO UNA, ET ,, UNA MATER FŒCUNDITATIS successibus copiosa.

1 Idem Cyprianus in eodem libro *edit. Baluziana Venetiis anno 1728. curata p.397.* sic habet: ,, Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio prædi- ,, ti & honoris, & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, & PRIMATUS PETRO ,, DATUR, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur... Qui Ecclesiæ renititur, ,, & resistit, qui cathedram PETRI, SUPER QUAM FUNDATA EST ECCLESIA, DESERIT, IN ,, ECCLESIA SE ESSE CONFIDIT?,,. Rigaltius in *notat. ad hunc locum pag. 180. edit. opp. Cypr. ann. 1666.* male fuisse de Cypriano meritos putat eos, qui eum *primatum fuisse Petro datum* contextui addiderint, in paralogismum Carthaginiensem Episcopum incidisse nolentes quidem certe confirmarunt. Fellus Rigaltium accusat, quod Cypriani locum non restituerit. Nihil enim tale, quod ad *primatum Petri* pertineat, in Cypriani libro legisse ait, *Spirensem*, *Remboldum*, *Erasmum*, *Griphyum*, *Gravium*, aliosque editores ante Manutium. Manutium primum omnium Vaticani nescio cujus codicis auctoritate fretum, in textum intrusisse *τὸ primatus*, nulla facti sui reddita ratione. Huic assentiri Onuphrium Panvinium in eo tractatu, quem de *Primatu Petri* conscripsit *pag. 55. edit. an. 1560.* propterea quod ita in Marcelli II. Pontificis vetere Codice legisset. Neque vero in eo solum, sed etiam in altero Vaticano, inque tertio Bononiensi sancti Salvatoris Canonicorum. Id autem ferri nullo modo posse Fellus contendit. Nam Codices perplures, non MSS. modo, sed etiam editos de Petri Primatu nihil continere dicit, quamquam codicem Bavaricum, in quo ea leguntur verba, a Gretsero (*lib. II. de Jure, & more prohib. librorum c. VII.*) & a Pamelio Cambronensem, & ab se quatuor Cod. Mss., in quibus de *primatu* fit mentio, visos fuisse confiteatur. Hos autem, si cum aliis, qui id non continent, comparentur, perpaucos esse addit. Ego vero non paucitate Codicum, sed vetustate, quæ sit vera lectio, statuendum existimo. Jam vero Baluzius in *not. XI. ad libr. eumdem Cypriani pagin. 407. Venet. edition.* etsi adjuncta hæc de primatu Petri verba Cypriani libro suspicetur, (quo autem id jure, ipse viderit), tamen extare ea in Pelagii secundi Pontificis Maximi Epistol. II. ad Episcopos Istriæ, testatur. Ac Pelagium II. (*Epistol. II. ad Episcopos Istriæ, quæ in edition. Concilior. Harduini tom. III. columna 417.* est inter Epistolas ejus Pontificis quarta) seculo sexto verborum: *Primatus Petro datur*, ac si usurpata fuissent a Cypriano, meminisse, certa res est. *Confer tom. eumdem Concilior. columna 419.* Saguerianum vero Codicem, quo usus Baluzius est, tam esse veterem, quam fuerunt ii, quibus est sexto seculo usus Pelagius, numquam credam. Sed fac addita eadem verba codicibus Cypriani fuerint, annon Cyprianus omnium Codicum, Scriptorumque consensione *super unum*, hoc est *supra Petrum fundatam fuisse Ecclesiam* scribit? Quid? si adjungas, eamdem potestatem post resurrectionem Apostolis omnibus fuisse tributam, sed unitatis originem ab UNO incipientem fuisse dispositam, exordiumque ab UNO proficisci, ut Ecclesia una monstretur? At quis obsecro hic est UNUS? Nonne Petrus? Hunc enim unum appellat. Cum ergo in Petro ædificavit Christus, Cypriano teste, Ecclesiam, & non in omnibus, ne Ecclesia in Ecclesia ædificata crederetur, ita tunc UNI, & non omnibus claves dederit necesse est. Quod autem dederit post *resurrectionem Apostolis* ceteris retinendorum, solvendorumque criminum potestatem, id non efficit, ademtum fuisse Primatum Petro, in quo constitutum, fatente ipso Cypriano, principium, & fundamentum unitatis fuit, & in quo proinde inest singularis ad servandam unitatem potestas, & auctoritas. Si ergo unitatis fundamentum, & origo, & prin-

sciret, quocum ceteri Episcopi societate (1) non doctrinæ modo

principium Petrus est, quis neget, ea, quæ modo Cyprianus de radio ab sole non avellendo, deque rivo non separando a fonte adjungit, in centrum illud unitatis, seu in Petri Cathedram cadere? Confer Natalem Alexandrum *Hist. Eccl. sec.* 1. *dissert.* IV. *pag.* 82. *tom.* 1. *edit. Lucensis an.* 1749. Atque hinc sane perspicitur, quam inepte Rigaltius scripserit: eos, qui verba *Primatus Petro datur*, Cypriano tribuerint, cujusjam ei conflasse, ac si in paralogismum incidisset. Num si tam magnifice de Petro loquutus Cyprianus est, quid est, quod de *Primatu* Petri loqui aut non debuerit, aut nequiverit? Præsertim cum is idem Cyprianus *Epist.* XLVIII. *al.* XLV. *ad Cornelium pag.* 91. *edit. Oxon.* Ecclesiam Romanam Petri cum ipsa Ecclesiam *principalem*, & matricem vocet. „ Nos singulis navigantibus, *inquit*, ne cum „ scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut ECCLE„ SIÆ CATHOLICÆ RADICEM, ET MATRICEM AGNOSCERENT, AC TENERENT. Et *Epist.* LIX. *al.* LV. *pag.* 131. cum dixisset: *super Petrum a Domino ædificatam esse Ecclesiam*, tum *pag.* 135. „ Post ista adhuc insuper Pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto, *inquit*, na„ vigare audent & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam PRINCIPALEM, UNDE UNITAS „ SACERDOTALIS EXORTA EST. A schismaticis, & profanis litteras ferre, nec cogitare eos „ esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est,” ad quos PERFIDIA HABERE „ NON POSSIT ACCESSUM„. Videat nunc Fellus, num hæc cadere in Episcopos omnes possint, ut in notis ad Epistolam XLVIII. jactat. Iam vero sunt hæc ipsa verba Cypriani, quæ certe Ecclesiæ uni Romanæ competunt, ita iis, quæ Cyprianus complexus libro de unitate Ecclesiæ est, tam similia, ut ovum ovo. De Ecclesia igitur, & Cathedra Romana principali loquatur Cyprianus, necesse est in eo ipso libro. Confer Baluzii Adnotationes in hanc LIX. *al.* LV. *Epist.*

1 Id enim postulat, quod idem habet Cyprianus de *radiis*, de *rivis*, deque *ramis*. Confer *not.* 4. *p.* 70. *hujus volum.* Consule præterea, quæ ex Epistola Cypriani ad Cornelium LIX. *al.* LV. descripsi *notatione superiore*, quo ille loco agit de Pseudo Episcopo Fortunato, qui Felicissimum Romam cum litteris miserat, ut Cornelium Pontificem circumveniret. Ecclesiam namque Urbis Romæ & *Cathedram Petri* (cui Petro Christus Claves Regni Cælorum dederat, quemque *Petram*, cui inædificaturus suam Ecclesiam esset, appellarat) & *Ecclesiam principalem*, *unde unitas Sacerdotalis exorta fuerit*, vocat. Sic si Romana Ecclesia, & *principalis est*, & *Cathedra Petri*, & *unitatis Sacerdotalis origo*, quid est, quod quisquam eos esse in Ecclesia putet, qui conjungi cum ea societate communionis, consensioneve doctrinæ recusent? At hoc quidem sensu rem omnem Rigaltius explicat in *notat. ad eam Epistolam*, quamquam nonnulla postremo loco de appellationibus, ut opinor, suo more adjungit, quæ falsa esse videntur. Sed de appellationibus alias. Johannes Fellus in *notationibus ad Cyprian. edit. Oxon. ann.* 1682. *pag.* 136. hunc ad Monarchiam Pontificis Cypriani locum spectare negat. Nam intelligi hoc modo Cypriani sententiam oportere censet: Fortunatum, & Felicissimum homines Schismaticos, non factionem schismaticam Novatianorum, sed Cornelium verum, legitimumque Romanum Episcopum, ac sancti Petri Successorem adiisse: cumque sejuncti a communione Ecclesiæ essent, non Ecclesias schismaticas, sed *principalem*, sive *matricem* Ecclesiam (ubi fidelium corpus versabatur, & ramis adnascentibus perpetuo a Cypriano opponitur) legitimo pastori conjunctam, & proinde illum, *unde unitas sacerdotalis exorta est*, sollicitasse. At is auctor Fellus vir de Anglorum Episcopalium grege, aut Epistolam, quam illustrare notationibus voluit, oscitans legit, aut si diligenter legit, involvere, implicareque conatus est, ne cum ab Ecclesia Romana sejunctus esset, contra se ipsum vel probasse, vel publicasse quidpiam videretur. Nusquam enim mirari se Cyprianus dixit, quod Felicissimus, ac Fortunatus non ad Novatianos, sed ad Orthodoxos confugerint. Quare tota illa Felli de Novati schismaticis partibus animadversio nugatoria est, nihilque habere in Cypriani litteris firmamenti potest. Quid? si ne *adnascentium* quidem *ramorum*, neque præcipuæ urbis Basilicæ, in qua Pontifex cum plebe versaretur, & quacum societate communionis Sacerdotes Romani minorum

modo, sed etiam communione conjuncti esse deberent,

Tom. V. K una-

norum ædium sacrarum conjuncti essent (præcipuam enim Romæ Basilicam matricis nomine a Cypriano vocari Fellus existimat) Cyprianus meminerit? Tota igitur Felli notatio inanis & commentitia est. Jamvero Cyprianus cum libro de *unitate Ecclesiæ* in Petro fundatam esse Ecclesiam, ex eoque ortam unitatem Sacerdotalem, ut radii a sole oriuntur, dixerit (*Vide supra not. 3. pag. 70. hujus vol.*) & *Epist.* XLIII. *al.* XL. *pag.* 83. *edit. Oxon. Cathedram unam esse super Petrum Domini voce fundatam* testatus sit, idque confirmarit *Epist.* LIX. *al.* LV. *p.* 131. & *epist.* LXVI. *al.* LXIX. *p.* 191. pronunciaritque, primatum fuisse Petro a Christo tributum, quamquam ille reprehensus reprehendenti Paulo consenserit, nec *primatum* ei objiciendum, propterea quod recte moneret, putaverit. *Epist.* LXXI. *ad Quintum pag.* 124. *seq.* ubi ,, Nec Petrus, *inquit*, quem PRIMUM dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret, se PRIMATUM tenere, & obtemperari A NOVELLIS, ET POSTERIS sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fratribus, & collegis nostris utiliter, ac salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus,,. Quem in locum recte est a Coustantio *tom.* I. *Epist. Romanor. Pontif. præfat. num.* VII. *pag.* V. animadversum, primatum Petri non fuisse negatum, sed confirmatum a Cypriano, ut qui Petrum *primum electum, ac super Petrum fundatam esse Ecclesiam fateretur*. Confer Facundum Hermianensem sexti seculi scriptorem *l.* X. *c.* II. *p.* 722. *edit. opp. Sirmon. Paris an.* 1696. *t.* II. quum, inquam, hæc de Petro Cyprianus statuerit, indeque *epist.* LIX. *al.* LV. *ad Cornelium pag.* 135. Cathedram Cornelii Petri esse Cathedram, & Ecclesiam principalem (quæ verba nusquam de alia ulla Ecclesia usurpavit) testatus sit, relinquitur sane, ut Cathedræ Petri jus, principatumque in Romanos Pontifices Petri successores manasse defenderet. Quamobrem sapienter Baluzius *not.* LXIII. *in epist.* LV. *Cypriani pag.* 103. *edit. Venet. an.* 1728. ,, Omnes machinas, *inquit*, movent hæretici, ut ostendant, nihil hic extraordinarium tribui Ecclesiæ Romanæ, principalem vocari dicentes pro magnitudine sua, ut in *epist.* XLIX. *pag.* 143. ait Cyprianus, quia in principe civitate constituta erat, quia prima est ordine. Et tamen sciebant, Irenæum Episcopum Lugdunensem Cypriano antiquiorem scripsisse *lib.* III. *cap.* III. *necesse esse omnem Ecclesiam* concurrere ad Romanam propter *potentiorem*, sive *potiorem*, ut alii scribunt, *principalitatem*. Hæc autem potentia principalis non potest referri ad potentiam Romani Pontificis in imperio, quæ nulla prorsus erat, sed ad potentiam ejus in Ecclesia, quam oportet fuisse maximam, cum Irenæus eam vocet principalem. Adversus hunc Irenæi locum, utpote magnæ auctoritatis, vehementer disputant Irenæi interpres Nicolaus Gallasius, David Blondellus, & Johannes Clericus in sua Historia Ecclesiastica, ubi contendit, Irenæi interpretem debuisse scribere *potiorem antiquitatem*, id est, ut ille explicat, majorem. Poterant tamen advertere, Tertullianum dixisse in libro de præscriptionibus adversus hæreticos nobis auctoritatum præsto esse ex urbe Roma, & Cyprianum non semel dixisse Ecclesiam ædificatam esse super Petrum, & exordium unitatis ab ea proficisci, quæ verba magni momenti sunt in hac caussa. Denique observandum est, Cyprianum cum conqueritur de audacia Schismaticorum, qui post judicium Episcoporum Africæ, provocaverant ad Cathedram B. Petri, atque ad Ecclesiam principalem, nullo modo respexisse ad magnificentiam Urbis Romæ, cujus illi præsidium non implorabant; sed ad Cornelium. Erat enim caussa Ecclesiastica. Itaque certum esse hic agi de auctoritate Episcopi Romani, ad quam antiquitus confugere solebant Episcopi, qui se a Collegis suis oppressos querebantur, ut isti schismatici. Confundit autem Cyprianus Cathedram Petri cum Ecclesia principali, quia Cathedra Petri est Ecclesia principalis, & Ecclesia principalis est Cathedra Petri. Istud ergo puto negari non posse. Ceterum Augustinus *libro* II. *de Baptismo contra Donatistas cap.* I. agnoscit in Petro Apostolatus principatum.

unaque curarent, ut integra ubique gentium & disciplina Ecclesiarum, & quod caput est, religio orthodoxa (1) vigeret. Hoc certe sensu *unam veluti Diœcesim Ecclesiam per totum mundum in multa membra divisam, unumque esse Episcopatum multorum Episcoporum concordi numerositate diffusum*, Cyprianus dixit. Quapropter *Primatum* fuisse *Petro datum* animadvertit, ut eo uno capite (2) constituto *una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur*. Atque ut omnes perspiciant, Cypriano auctore, non potestatem regendæ universæ Ecclesiæ, sed legem cuique Episcopo fuisse datam servandæ unitatis cum eo, qui cœtui Christianorum universo præsit, vigilandique una, ne quibus hæresibus Evangelica dogmata vitientur, animadvertendum etiam atque etiam est, eodem ipso Antistite Carthaginiensi teste, id onus etsi maxime Episcopis, Presbyteris tamen, itemque laicis fuisse impositum (3). Quo-

1 Cyprianus *epist.* LXVIII. *ad Stephanum Papam al.* LXVII. *tom.* I. *epist. Romanor. Pont. edit. Coustantii pag.* 213. de Marciano Arelatensi Episcopo agens, qui se Novatiano conjunxerat: „ Cui rei nostrum est, *inquit*, consulere, & subvenire ... qui divinam „ clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram rigoris „ peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis, & curandis vulneratis bonitatis, & „ misericordiæ divinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissi„ mas litteras ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum ... Col„ legio nostro insultare patiantur ... Qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei „ judicio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare ... ten„ taverit ... Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, „ quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur ... Copiosum corpus est Sa„ cerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex „ collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subve„ niant ceteri, & quasi pastores utiles, & misericordes, oves dominicas in gregem colli„ gant „. Adnotandum autem hic est, scriptum a Cypriano fuisse Stephano, ut Stephanus ipse deturbari Marcianum de Episcopatus gradu faceret, quod *primatus* Romani Pontificis judicium est; deinde confessum Cyprianum fuisse, omnes Episcopos una cum Romano conjunctos curare omnium salutem debere, ne hæresibus grex Christi dividi, perdique possit.

2 Confer supra *pag.* 55. *seq. hujus vol.*

3 Presbyteri enim, ac Diaconi Romæ consistentes, anno 250. Cypriano Episcopo scripserunt hoc modo: *epist.* XXXVI. *al.* XXX. *p.* 71. *opp. Cypr. edit. Oxon.* „ Pro tuo more fe„ cisti, qui rem nobis sollicitam nunciare voluisti. Omnes enim NOS DECET PRO CORPORE „ TOTIUS ECCLESIÆ, CUJUS PER VARIAS QUASQUE PROVINCIAS MEMBRA DIGESTA SUNT, „ EXCUBARE „. Id quod numquam Cyprianus negavit. Immo vero *epist.* XXXV. *al.* XXIX. *pag.* 69. ad eosdem Presbyteros, Diaconosque scribens: „ Et dilectio communis, *inquit*, „ & ratio exposcit, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his, quæ apud nos geruntur, „ ut sit nobis circa utilitatem ECCLESIASTICÆ ADMINISTRATIONIS COMMUNE CONSI„ LIUM „. Atque in *l. de Unitate Eccl. p.* 103. *edit. ejusd.* „ Unitatem, *inquit*, firmiter te„ nere, & vindicare debemus MAXIME EPISCOPI, qui in Ecclesia præsidemus „. *τό maxime* autem satis indicat, incumbere id onus non modo Presbyteris Romanis, qui loco Pontificis Ecclesiam regebant, verum etiam aliis, sed magis Episcopis, ut qui Ecclesiis præfecti sint.

Quotus autem quisque est, qui jus regendæ, administrandæque Ecclesiæ, non universæ dico, sed singularis cujuspiam concessum Presbyteris, laicisque, Cypriano judice, arbitretur? Nam ille de singularibus Ecclesiis agens, Episcopis (1) eam potestatem esse divinitus tributam sæpe dicit, Presbyteris autem, laicisve numquam. Plus vero potestatis ab eo Presbyteris in universam Ecclesiam, quam in singularem aliquam fuisse tributum, quis credat? Itaque de societate communionis cum Ecclesiæ capite, primaque Cathedra, deque diligentia, quam unusquisque, quod ad se attinet, adhibere debet, ne oriantur divisiones, neve religio labefactetur, loquutus fuerit in epistola ad Antonianum, atque in singulari de Ecclesiæ unitate libro, necesse est.

Atque est eodem modo intelligendum, quod *de uno Episcopatu, cujus a singulis pars in solidum teneatur*, scribit.(2) *Unus enim est in principio, in capite, in fundamento, ac principe Ecclesiæ, ex quo ceteri Episcopi, ut radii ex sole, utque rivi ex fonte*, proficiscuntur, (3) & cui, ut arbori rami, hærent, doctrinæque consensione junguntur. *A singulis autem pars tenetur*, propterea quod suum quisque gregem singularem regat; *in solidum* vero, quod Christiani singuli, imprimisque Episcopi, id agant, atque enitantur necesse est, ut Ecclesiæ primo moderatori, atque Principi juncti, non ex cœtu modo singulari, cui ipsi præsunt, sed etiam ex universa Christiana republica, quod ad ipsos attinet, (4) utque vires eorum ferunt,

 erro-

1 Cyprianus *epist.* LXXIII. *ad Stephanum pag.* 198. „ Habere in Ecclesiæ (nempe *sua*) „ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum præpositum unumquemque, *scribit*, „ rationem actus sui domino redditurum „. *Epist.* LV. *al.* LII. *ad Antonianum pag.* 112. *Per urbes singulas ordinatos esse Episcopos* affirmat. *Epist.* XVI. *pag.* 36. „ Aliqui, *inquit*, „ de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judi- „ cium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub „ antecessoribus factum est, cum contumelia, & contemtu Præpositi totum sibi vendicant. „ Contumeliam Episcopatus nostri dissimulare, & ferre possum, sicut dissimulavi semper, „ & pertuli; sed dissimulandi nunc locus non est „. *Epist.* XXVIII. *al.* XXVII. *pag.* 66. *Omnem actum Ecclesiæ per præpositos*, hoc est *Episcopos*, *gubernari oportere*, *idque divina lege fundatum esse* contendit. Loquitur autem de singulari Episcopi cujusque Ecclesia. *Epist.* enim LIV. *al.* LV. *pag.* 136. *Portionem gregis singulis pastoribus adscriptam*, dicit, *quam regat unusquisque*, *& gubernet*.

2 Confer *notat.* IV. *pag.* 32. *hujus vol.* 3 Vide *notat.* IV. *pag.* 70. *seq.*

4 Cyprianus *epist.* LXVIII. *al.* LXVII. *pag.* 178. *edit. Oxon. an.* 1682. „ Idcirco, „ *in-*

errores depellant, prospiciantque saluti cœtuum Christianorum. Quare si Antistes alicujus Ecclesiæ in hæresim incidat, ejus gregi a quocumque Episcopo opem, atque auxilium esse Cyprianus ferendum statuit. Si enim Episcopus, ut imprudens navarchus in discrimen se conjecerit, perieritque, periculumque sit, ne Christiani illius fidei curæque crediti naufragium faciant, tunc dandam esse cuique Præsuli Christiano operam, dicit, ut tam sæva tempestas (1) sedetur, jactarique fluctibus miseri desinant, inque portum devehi veræ doctrinæ, & salutis possint. Hæc vero omnia cum satis manifesta testimoniis Cypriani sint, plane, meo quidem judicio, demonstrant, quo tandem sensu sint ejusdem Cypriani verba de uno Episcopatu intelligenda. Quamobrem non est, cur nos Felli, Binghami, aliorumque Protestantium conturbet opinio, parem in administranda Ecclesia universa auctoritatem omnibus Episcopis a Cypriano tributam pugnantium (2).

II. *Unum-*

„ *inquit*, copiosum corpus est sacerdotum concordiæ mutuæ glutino, atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vallare tentaverit, subveniant ceteri, & quasi pastores utiles, & misericordes, oves dominicas in gregem colligant. Quid enim si in mari portus aliquis munitionibus suis ruptis infestus, & periculosus esse navibus cœperit, nonne navigantes ad alios proximos portus naves suas dirigunt, ubi sit tutus, & salutaris introitus, & statio secura?.. Quod nunc esse apud nos debet, frater carissime, ut fratres nostros, qui vitatis Marciani scopulis petunt Ecclesiæ portus salutares, suscipiamus ad nos promta, & benigna humanitate... Nam etsi multi pastores sumus, unum tamen gregem pascimus, & oves universas, quas Christus sanguine suo, & passione quæsivit, colligere, & fovere debemus, nec pati simplices, & dolentes fratres nostros crudeliter despici, & superbia quorumdam „ præsumtione calcari. Confer J. A. Blancum *lib.* 1. *della Politia della Chiesa cap.* III. §. XIII. *num.* VIII. *pag.* 321. *seq. tom.* III.

1 Vide *not. superiorem*.

2 Fellus in *not. ad lib. s. Cypr. de unitate Eccles. pag.* 108. *edit. opp. Cypr. Oxon.* *singulos Episcopos omnem Episcopatum pleno jure obtinere*, ex his Cypriani verbi concludit. Quod quam sit παράδοξον, atque absurdum, ostendimus Cypriani auctoritate. Binghamus autem *lib.* II. *Orig. & Antiquitatum Ecclesiasticarum cap.* V. §. II. *pag.* 111. *edit. Halensis ann.* 1724. *tom.* I. „ Non dicit, *inquit*, Cyprianus Monarchiam in uniuscujusque Episcopi manibus, sed potestatem toto Episcoporum collegio diffusam esse, quorum quisque universam Dei Ecclesiam pascere, & hæresim ex unaquaque ejus parte expellere suo jure possit. Hoc sensu potestas Episcopi Eugubiensis tam late se extendebat, quam Episcopi Romani „. Atque hæc quidem ita se, Cypriani sententia, habere contendit Binghamus, si sermo sit de religione. Sin autem de rebus, quæ ad fidem non attinent, agatur, *nihil* tunc, addit Binghamus, *erat ipsis commercii cum aliorum Diœcesibus, sed sua solius Diœceseos negotiis intentum quemque esse oportebat*. At primum quam sit cum Cypriani sententia pugnans, ostensum hactenus est. Nam præcipuas ille semper Roma-

ni

I I.

Unumquemque Episcopum, si de servanda religione agatur, universalem Pastorem esse, & totius mundi Christiani Antistitem, neque dictum palam a Cypriano est, neque est consequens ex illius testimoniis, quæ describi a Protestantibus consueverunt.

Altera est pars hujus disputationis de Episcopis, num, Cypriani sententia, supremam obtineant totius Ecclesiæ Catholicæ *inspectionem*. Ac video (1) esse permultos, & eos quidem non modo de Presbyterianorum, & Lutheranorum, sed etiam de Episcopalium Anglorum secta, qui, auctore Cypriano, quemque Episcopum æquales habere in regunda universa Ecclesia partes, putent. Hanc vero summam Ecclesiasticorum Præsulum auctoritatem non in *exteriore*, & *politica administratione*, quam vocant, sed in doctrina Christi servanda, custodiendaque versari dicunt. Nam eorum cuique, si aut hæresum, aut turbarum caussa, religionem in discrimen adduci intelligat, suum jus persequi, ac non minus quamvis aliam Diœcesim, quam suam, regere licere. Ac Diœceses quidem ad ordinem rectum pacis tempore servandum olim pertinuisse. Sed cum religio latissime pateat, inque orbem universum propagata sit, factum sane ita fuisse, ut si hæc oppugnata a quoquam, aut vitiata alicubi esset, universa Ecclesia una Diœcesis, grexque

nis Episcopis partes tribuit. Alterum, si de levioribus quibusdam rebus dicatur, ferri quidem potest; si autem de rebus magni momenti, non item. Qua de re dicam paullo post diligentius.

1 Ut mittam de ceteris, quos supra numeravi, Presbyterianis Calvini sectatoribus dicere, satis erit unum nominasse Salmasium, qui *cap.* VII. *de Primatu Papæ pag.* 97. *seqq. edit. Lugdun. Batavor. an.* 1645. scribit hoc modo: „ Hucusque Ecclesiæ tempora „ transmisimus, quibus alios non habuisse probatur rectores præter solos Episcopos, eos- „ que inter se omnes pares, ac nemini nisi Deo administrationis suæ rationem reddituros, „ ut diserte Cyprianus testatur &c. „. Huic præter Buddeum, ceterosque Lutheranos, quorum est a nobis ante facta commemoratio, assentitur Salomon Deilingius *parte* IV. *Obser. sacrar. Exercit.* VI. *de Novitate Regiminis Monarchici in Ecclesiam universam observ.* IV. *pag.* 449. *edit. Lips. an.* 1727. Ex Episcopalium vero Anglorum numero Binghamus fuit, cujus est ea, quam hoc loco descripsi, de Cypriani mente sententia *lib.* II. *Antiq. Eccles. cap.* V. §. 1. *pag.* 111. *tom.* 1. *edit. Halens. an.* 1724.

que unus Christi videretur, Episcopique omnes id eniterentur, idque contenderent, ut summi Pastoris ovibus, ubicumque tandem versarentur, quemadmodum poterant, opem ferrent. Quare quemlibet Episcopum hoc sensu *universalem fuisse pastorem*, *totiusque Christiani orbis Antistitem*. Ad eam vero rem demonstrandam abuti Protestantes solent non testimoniis Cypriani (1) solum, sed etiam Gregorii Nazianzeni, (2) Basilii, Chrysostomi, Augustini, ejusque scriptoris, qui Epistolam ad Iacobum *Fratrem Domini* Clementis Romani nomine publicavit.

Ego vero etsi jus cuique Episcopo esse, quam possit, opem Ecclesiis in religionis periculum adductis intendere, non ita tamen jus esse defendo, ut ipse per se intendat, quasi caput sit, pastorque Ecclesiarum, qui nullum se habeat, agnoscereque debeat auctoritate superiorem. Nam Cyprianus in iis (3) quibus Protestantes confidunt, locis, quamvis de tuenda *fide*, ac religione agat; tamen omnes in ea re gerenda conjunctos esse Romano Antistiti oportere fatetur; quod is primatum obtineat, priorque prospicere commodis, salutique debeat Ecclesiarum, efficereque., ut qui corrumpere Evangelii decreta student, de gradu dejecti, communione sacrorum (4) prohibeantur. Atque hoc sane modo intelligendæ omni-

1 Abutuntur hæretici Cypriani *epist.* LXVIII. *al.* LXVII. ad Stephanum, ex qua nonquædam supra descripsimus *pag.* 56. *hujus vol.* Cetera autem, quæ inde afferunt, sanctissimi viri verba, sic habent: „ Copiosum corpus est Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino „ atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare, & vastare tentaverit, subveniant ceteri „. Confer quæ loco indicato *pag.* 55. *seqq.* protuli ejus Episcopi Carthaginiensis ex *libro de Unitate Ecclesiæ*, *exque litteris ad Antonianum*, *ceterisque Epistolis* testimonia.

2 Horum omnium sententias paullo post diligenter describam.

3 Vide quæ supra disputavi *pag* 72. *seqq. hujus vol.*

4 Sic enim in iisdem ad Stephanum litteris Cyprianus scribit: „ Facere te oportet „ plenissimas litteras ad Coepiscopos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum „ pervicacem, & superbum, & divinæ pietatis ac fraternæ salutis inimicum collegio no- „ stro insultare patiantur „. Nam si Episcoporum par erat auctoritas, neque præstantior Cypriano, ejusque collegis Stephanus potestate erat; quid caussæ fuit, cur Cyprianus opus esse arbitraretur opera Stephani, ut ne Galli deinceps a Marciano ordini Præsulum insultari ferrent? Tanti enim æstimata ab Galliis fuisset Epistola Stephani, quanti Cypriani, si æqualis eorum in regunda Ecclesia potestas, auctoritasque fuisset. Neque vero si Stephano se Cyprianus æquasset, umquam hæc addidisset: „ Dirigantur in provinciam „ & ad plebem Arelate consistentem a te litteræ, quibus abstento Marciano, alius in lo- „ cum

„ cum ejus substituatur, & grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus, & vulnera-
„ tus contemnitur, colligatur „. Quemadmodum enim caussa litterarum Stephani ab Episcopis Gallis, plebeque Arelatensi *abstentus Marcianus*, *aliusque in locum ejus substitutus*, teste Cypriano, *fuisset*, nisi primas inter eos Stephanus partes, Cypriani quidem sententia, obtinuisset? Non enim permoti magis Stephani Epistolis fuissent, quam Africanorum Episcoporum. Quid igitur illud est: *dirigantur a te litteræ*, *quibus* (hoc est quarum vi) *abstento Marciano alius in locum ejus substituatur*? Negatur ergo more suo, inepteque, ne gravius dicam, caussam agit hujusce ætatis hæreticorum Salmasius *loco supra indicato*, ubi sic habet: „ Per ea tempora qualis primatus Romani Episco-
„ pi fuerit, & ea primatu auctoritas, in anterius positis vidimus.... Nullus supra Episcopos
„ Episcopus potestate, nullus Archiepiscopus nomine in ulla uspiam provincia tum auditus,
„ aut habitus est „. Hæc enim si vera essent, quo tandem modo consisterent, quæ sunt a Cypriano adversus Arelatensem Marcianum scripta? Sed Salmasius *c.* XIX. *p.* 184. ταραχῆς illius (quid enim monstrum paralogismorum, & ineptiarum, librum vocem?) *de Primatu Papæ*, frustra nos Cyprianum Romani Pontificis primatus ejusdem testem appellare scribit. Primo, quod sit ex hac illius Epistola consequens, Faustinum Lugdunensem tanti Stephanum, quanti ipsum Cyprianum fecisse, ut qui ad utrumque de Marciano Arelatensi litteras dederit, neque Stephano quidquam tribuerit, quo vel conjectura assequi possimus, fuisse hunc auctoritate aliis antistitibus excellentiorem. Secundo, quod sui etiam muneris esse confirmet, ut in communi gregi Christi servatoris consulat. Nam etsi pastores, *inquit*, multi sumus &c. Tertio, quod non minus se, quam Stephanum libram gubernandæ Ecclesiæ tenere dicat, quod non dixisset, si Stephanum se esse præstantiorem putasset. Quarto, quod Stephanum admoneat officii sui, eique quid fieri velit, ostendat. Quinto, quod a Pontifice non quidem dejiciendum de dignitate Marcianum, sed scribendum ad Episcopos Galliarum, & Plebem Arelatensem præscribat, ut Marciano prohibito communione Ecclesiæ, adimant administrationem Episcopatus; nam plebem ea ætate in eligendis Episcopis κῦρος *auctoritatem* obtinuisse. Sexto, quod narret scriptum ad se quoque a Faustino Lugdunensi fuisse, non aliam certe ob caussam, quam ut ei subsidio esset. Septimo, quod dicat ab se, ceterisque Afris Episcopis fuisse communione Africanorum prohibitum Novatianum, quare prohibere item Marcianum poterant, quem Novatianis partibus studere norant. Octavo, quod moneat Stephanum, ut scribat ad Arelatenses, ut alium sibi Episcopum deligant; in quam sententiam ab ipso Cypriano scriptæ fortasse litteræ in Galliam fuerant. Nono, quod deprecatos fuisse Arelatenses testetur, non solum Stephani, sed etiam reliquorum Episcoporum *opitulationem*. Decimo, quod nihil in Epistola Cypriani ad Stephanum sit, quod auctoritatem, qualem nos volumus, Pontificis adstruat; immo vero Lucium, & Cornelium suos item vocet Antecessores, eoque consilio certiorem se a Stephano fieri successionis Marciani velle, ut sciat, quocum sibi communicandum sit; quo propinquiores Gallis Romani, quam Afri essent. Neque vero hæc Salmasius solum jactat, sed etiam Felius, qui eo impudentiæ devenit, ut Cyprianum potius, si quid inde consequens esset, auctoritate fuisse potiorem Stephano, *in adn. ad hanc Epist.* statuat *pag.* 177. Ego vero perspicue, ac palam ex Cypriani Epistola constare demonstravi, rogatum a Cypriano fuisse Stephanum, ut suis litteris Marcianum damnaret, aliumque illius loco eligendum decerneret. Quam nostram animadversionem declinare quidem circuitione verborum Salmasius, ac Felius possunt, refellere certe non possunt. Primum autem Salmasii argumentum inane est, Nego enim tanti a Faustino habitum Cyprianum, quanti Stephanum. Nam etsi ille ad utrumque scripsit, tamen non ita scripsit, ut utrumque pari potestate præditum diceret. At Faustini litteræ perierunt. Fateor. Non ergo quæ illius fuerit de Stephani primatu sententia assequi Salmasius, nisi forte ex Cypriani litteris, potuit. Jamvero Cyprianus quantam auctoritate Stephanus valeret, ostendit, cum Stephani litteris, non suis vim tribuat *substituendi alium in Marciani locum*. Alterum Salmasii argumentum non minus est futile. Etsi enim suas item esse partes Cyprianus affirmet, ut in communi Christi gregis saluti consulat, tamen non ita affirmat, has sibi partes competere, ut æqualis esse Stephano videatur. Eademque ratione tertium Salmasii argumentum explodi potest. Libram enim administrandæ Ecclesiæ omnes Episcopi tenent, sed non ita, ut par omnium sit auctoritas, cum Cyprianus Episcopo Romano jus esse decernere

de

omnino sunt Gregorii (1) Nazianzeni de Cypriano, Basilii de Atha-

de substituendo alio quopiam in Marciani locum, dicat. Est porro quartum omnino ridiculum. Quis enim negat moneri ab inferiore magistratu magistratum superiorem posse, ut periclitanti reipublicæ, quemadmodum ratio, tempusque postulat, opem ferat? Quasi vero ex Epistolis, quæ continenter ab Episcopis ad Romanum Pontificem scribuntur, quibusque quid facto sit opus exponitur, concludere quidquam possit, sententia Episcoporum hujus ætatis, Romanum Episcopum esse ceteris auctoritate parem. Est vero quintum argumentum plenum ineptiarum. Non enim a quibus eligendi essent Episcopi, quærimus, sed an litteris Stephani jussi Galli fuerint, ut in Marciani locum alius quispiam substitueretur. Affirmat Cyprianus, ut ex hac ejus Epistola liquet; heretici vero invidia, malevolentiaque permoti, quin videant, quæ tam sunt manifesta, impudenter negant. Ad sextum dico, scriptum ad Cyprianum a Faustino fuisse, ut subsidio esse collegis ne gravaretur, sed neque Faustinum, neque Cyprianum se Romano æquasse, quod ex Epistola ipsa Cypriani liquet. Nihil ad septimum respondeo, cum certum sit prohiberi communione Ecclesiæ Africanæ Marcianum, atque Novatianum potuisse, quin quidquam de Romanæ Sedis auctoritate deciperetur. Est item commenticium quod a Salmasio octavo loco opponitur. Ubinam enim habet Cyprianus, scriptas ab se litteras in Galliam fuisse, quibus alius in locum Marciani substitueretur? Hoc de uno Stephano palam dicit, de se autem nullo modo. Est præterea nonum simile superiorum. Quare omittatur. Nego quod decimo loco sumit, nihil esse in Epistola Cypriani, quod nobis præsidio esse possit. Esse enim quædam, & ea quidem satis perspicua, demonstratum est. Nam quod Lucium, Corneliumque antecessores suos Cyprianus vocet, nullius momenti est. Antecessores enim vocat, ratione Episcopatus; ceterum proprie id Stephano competere confirmat. „ Servandus est, *inquit*, Antecessorum „ nostrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor gloriosus, quorum memoriam „ cum nos honoremus, multo magis tu frater carissime honorificare, & servare GRA- „ VITATE, & AUCTORITATE TUA DEBES, QUI VICARIUS, ET SUCCESSOR EORUM FA- „ CTUS ES „. De propinquitate Gallorum, ac Romanorum quod Salmasius scribit, nihil moror. Non enim propinquitatis caussa, sed majoris auctoritatis, ut vidimus, ad Stephanum Cyprianus scripsit. Ad Fellum quod attinet, non est opus ut plura dicam, quam dicta a Baluzio fuerint in notationibus *ad* LXVII. *Cyprian. Epistol. edit. Venet. an* 1728. *pag.* 253. Habet enim Baluzius hoc modo: „ Quamvis unus sit Episcopatus, cujus pars a „ singulis in solidum tenetur, quamvis ceteri Episcopi subvenire debeant, inde tamen non „ sequitur, Romanum Episcopum præcipuas partes . . . pro suo primatu non sustinuisse (ut „ Oxoniensis Fellus jactat) . . . cum Stephanum roget Cyprianus, ut Gallos Episcopos „ plenissimis litteris ad deponendum Marcianum, & alium ei substituendum excitet &c. „ Multa de hac re disputant Baronius *ad an.* CCLVIII. *num* VIII. Pamelius *in not. ad hanc Cypriani Epist. pag.* 111. *edit. opp. Cypr. ann.* 1666. Et Josephus Augustinus Orsius *Histor. Eccl. lib.* VII. *num.* LXXXVII. *pag.* 302. *edit. Rom an.* 1748. *tom.* III. Sanderus *de visibili Monarchia Ecclesiæ lib.* VII. *pag.* 292. *edit. Lovanien. an.* 1571.

1 Gregorius Nazianz. *Orat.* XVIII. *in Laud. Cypr. pag.* 281. *edit. Colon. an.* 1690. „ Neque Carthaginiensi tantum Ecclesiæ, nec Africæ ab eo, & propter eum etiamnum claræ, & celebri præficitur, ἀλλὰ ϗ πάσης τῆς ἑσπερίας σχεδὸν δὴ, ϗ τῆς ἑῴας αὐτῆς, νοτίου τε ϗ βοῤῥᾶ λήξεως, ἐφ᾽ ὅσα ἐκεῖνος ἦλθε τῷ θαύματι. *Sed etiam toti occidenti, ac „ prope etiam orienti, australibus item, & septentrionalibus regionibus, quocumque „ illius admiratio pervenit*. At hæc de fama, deque existimatione virtutis, non de *jurisdictione*, ut ajunt, dicta sunt, ut quisque legens cognoscere, atque perspicere plane potest. Neque vero Gregorius adscribere Cypriano poterat, quæ Cyprianus propria esse Pontificum Romanorum non cognorat modo, sed etiam litterarum mandaverat monumentis. Nam ut mittam de iis iterum testimoniis, quæ supra descripsi, dicere, nota sunt, quæ idem Episcopus Carthaginiensis ad Episcopos Hispaniæ de Basilide, & Martiali Antistitibus, qui rei gravissimorum scelerum fuerant, scripsit. Anno enim 254. cum Basilides de sede fuisse

Athanasio (1), Chrysostomi de Timotheo, Augustini de se ipso, *Tom. V.* L & col-

fet dejectas, propterea quod *libello idololatrico maculatus esset*, Romam venit, neque aliter, atque gesta fuerat, narrata, suis restitutus est a Stephano Pontifice. Id ut est Africanis Episcopis nunciatum, tantum abfuit, ut Cyprianus actum id a Stephano contra jus, fasque fuisse (quasi hac tanta potestate careret) diceret, ut extortum fraude, doloque Basilidis fuisse confirmaret, nunquam vero jus restituendorum suis sedibus Episcoporum Romano Antistiti adimendum defenderet. Scribit autem Cyprianus hoc modo 1 *Ep.* LXVII. *al.* LXVIII. *pag.* 172. „ Nec rescindere ordinationem (ejus, qui Basilidi suffectus fuerat) jure per-
„ fectam potest, quod Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam propria
„ confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, &
„ GESTÆ REI, AC TACITÆ VERITATIS IGNARUM FEFELLIT, UT EXAMBIRET REPONI SE IN-
„ JUSTE IN EPISCOPATUM, DE QUO FUERAT JUSTE DEPOSITUS. HOC EO PERTINET, UT BA-
„ SILIDIS NON TAM ABOLITA SINT, QUAM CUMULATA DELICTA, UT AD SUPERIORA PEC-
„ CATA EJUS ETIAM FALLACIÆ, & CIRCUMVENTIONIS CRIMEN ACCESSERIT. NEQUE ENIM
„ TAM CULPANDUS EST ILLE, CUI NEGLIGENTER OBREPTUM SIT, QUAM HIC EXECRAN-
„ DUS, QUI FRAUDULENTER OBREPSIT „. Potuit igitur Stephanus *depositum* in *Episcopatum reponere*. Id enim non negat Cyprianus, quamquam ei obreptum fallacia fuisse scribat, adeoque sedi non esse Basilidem restituendum. Itaque primatum non Cyprianus, sed Romanus Pontifex obtinebat. Quare labuntur turpissime Magdeburgenses, qui rem perspicuam implicare conantur, recteque refelluntur a Nicolao Sandero in *Visibili Monarchia Ecclesiæ lib.* VII. *pag.* 294. *edit. ejusd.* Felli quoque ineptiæ, quum similes sint earum, quas ante usurparant Magdeburgenses, ridendæ sunt potius, quam refellendæ, ut quæ cum sententia Cypriani vehementer pugnent. De Athanasio scribit Nazianzenus *orat.* XXI. *pag.* 377. τῆς οἰκουμένης πάσης ἐπιστασίαν πιστεύεται, *universi terrarum orbis præfecturam assequitur*. Id vero non ita est intelligendum, ut primas in Ecclesia Athanasium obtinuisse credendum sit. Qua de re agam *not. seq.* diligenter, & copiosius.

t Basilius *Ep.* LXIX. *al* LII. *ad Athanasium Alexandrinum t.* III. *ed. Paris. an.* 1730. *p.* 161. Σοὶ δὲ οὐχ ἱκανὸν τοῦτο, *inquit*, ἀλλ' ἡ μέριμνά σοι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοσαύτη, ὅση καὶ τῆς ἰδίως παρὰ τοῦ κοινοῦ δεσπότου ἡμῶν ἐμπιστευθείσης ἐπίκειται. *Tibi autem id satis non est, sed tanta inest tibi ipsi omnium Ecclesiarum cura, quanta illius, quæ tibi proprie a Domino nostro concredita est*. At quo consilio dicta hæc a Basilio fuerint cum ex hac ipsa, tum ex aliis ejus Epistolis plane constat. Multa enim perpessus religionis caussa Athanasius fuerat, varias, longeque ab Ægypto distantes regiones peragrarat, Christianos item plurimos aut in fide confirmarat, aut errantes virtute, doctrinaque sua non in Oriente modo, sed etiam in Occidente ad veræ religionis cultum reduxerat. Quare curam ab eo universæ fere Ecclesiæ susceptam Basilius scribit, primatum autem Ecclesiæ gestum, non scribit. Nam eum, qui primas in universa Christiana republica partes obtineret, unum Pontificem esse noverat. Itaque in eadem ad Athanasium Epistola: „ Nobis
„ *inquit pag.* 162. operæ pretium esse visum est AD EPISCOPUM ROMÆ SCRIBERE ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην ut res nostras *invisat*, *& sententiam det*, ut cum
„ illinc communi, ac synodico Decreto aliquos mitti difficile sit, αὐτὸν αὐθεντήσαντα περὶ
„ τὸ πρᾶγμα *ipse sua potestate rem aggrediatur* eligens homines idoneos ad perferendos
„ itineris labores, idoneos ad eos, qui apud nos perversi sunt, lenitate, ac animi con-
„ stantia corrigendos, æque, & attemperate utentes sermone, secumque habentes,
„ quæcumque post Ariminense Concilium gesta sunt, ad eorum, quæ per vim illic acta
„ fuerant, dissolutionem „. Hæc vero ille quemadmodum ad Athanasium scribens dixisset, si hunc, non Romanum Episcopum, curam Ecclesiæ universæ, ut primatem orbis Christiani gerere putasset? Ac nisi is, qui tunc Pontificatu Romæ potiebatur, primas, Basilii sententia, partes obtinuisset, numquam id sibi Basilius ipse persuasisset, fore, ut ejus auctoritate, scriptisque perversi homines ab improbitate deterrerentur. Quid? Si ita ipse Cæsariensis Præsul *Epist.* CCLXIII. *al.* LXXIV. *ad Occidentales pag.* 405. *tom. eod.* scribat.

(1) & collegis, & auctoris Epistolæ ad Jacobum sententiæ(2). Qui-

bat :,, Eustathium ex Episcopatu ejectum, propterea quod Melitinæ depositus esset, . . ad ,, occidentales se contulisse, . . . epistolamque a Liberio attulisse, ἀποκαθιστῶσαν αὐτὸν ,, *restituentem eum*, quam cum ostendisset Tyanensi Concilio, restitutum suo loco fuisse ,, ? Ita ne vero? Passine fuissent Orientales, ipseque Basilius, ut is, qui deturbatus de Seda ab eis fuerat, ea iterum unius Pontificia Epistola fretus poriretur, nisi id juris esse Romano Episcopo tributum existimassent? Atque ut mittam de Damaso dicere, quem ille πατέρα *patrem* appellat *Epist.* LXX. *al.* CCXX. *pag.* 163. quis nesciat rogatum a Cæsariensi Romanum fuisse, ut Orientales consolaretur, eisque, suos quidem imitatus antecessores, auxilium ferret? *Ibid.* Neque vero fugiebant Basilium, quæ in caussa Athanasii Alexandrini ab Julio Pontifice gesta, quæ de Romano Antistite dicta in Concilio Sardicensi, quæque demum attributa Sedi Apostolicæ a Damaso fuissent, quem Damasum solatio sibi fore sperabat. Ac de Athanasio quidem, & Synodo Sardicensi dicam alio loco opportune. Nunc de Damaso, quoad ejus fieri potest, breviter. Is igitur, quod rogatu Orientalium, imprimisque Basilii (Confer hujus *Epist.* CCLXIII. *al.* LXXIV. *ad Occidentales pag.* 405. *seq.*) in Synodo Romana *an.* 373. Apollinarium hæresiarcham damnasset, tum aliquandiu post, ut animadversum a Valesio est (*in not ad lib.* V. *cap.* II. *Histor. Ecclesiast. Theodoreti edit. Taurin. p.* 184.) ad Orientales eosdem scribens (apud Theodoritum *ibid.*) ,, Quod ,, debitam Apostolicæ Sedi reverentiam, *inquit*, exhibet caritas vestra, in eo vobis ipsis ,, plurimum præstatis filii carissimi. Etsi enim in sancta Ecclesia, in qua sanctus Apostolus se- ,, dens docuit, quomodo convenit nos τοὺς οἴακας ἰθύνειν, aut ἀνεδεξάμεθα *guber-* ,, *nacula regere, quæ suscepimus*, tamen fatemur hoc honore nos esse inferiores . . . Sci- ,, tote igitur, quod profanum olim Timotheum Apollinaris hæretici discipulum una cum ,, impio ejus dogmate damnavimus . . . . Quid igitur depositionem Timothei παρ' ἐμοῦ ,, *a me* iterum postulatis? Qui & hic *judicio nostræ Sedis Apostolicæ* τῆς ἀποστολικῆς καθέ- ,, δρας *presente etiam Petro Alexandrinorum Urbis Episcopo* παρόντος καὶ Πέτρου τοῦ ἐπι- ,, σκόπου τῆς ἀλεξανδρέων πόλεως depositus est una cum magistro ipsius Apollinare ,, . Hæc ille, quæ plane demonstrant, quæ esset Romani Pontificis, consentientibus Episcopis Orientis, ipsoque etiam Basilio, auctoritas. Consule Nicolaum Sanderum *lib.* VII. *de visibili Monarch. Eccl. pag.* 334. *seqq.* Baronium *ad an.* 373. *num.* I. *seqq.* VI. *seq.* Leonem Allatium *de Eccles. Occidental. & Oriental. Perpet. Consens. lib.* I. *cap.* XI. *pag.* 337. *seq. edit. Colon. Agrip. an.* 1648.

1 Chrysostomus *Homil.* VIII. *adversus Judæos tom.* I. *opp. edit. Paris Montfauconi pag.* 685. *n.* VI. ἀναμνήσθητε τοῦ μακαρίου τιμοθέου ... εἰ ὁ δίκαιος ἐκεῖνος καὶ ἅγιος, καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν ἐγκεχειρισμένος &c. *Recordare Beati Timothei . . . Quod si justus ille, & sanctus, & universi præfecturam consequutus &c.* Sed hæc de Timotheo Constantinopolitanus Antistes scripsit ob labores, atque itinera salutis mortalium caussa suscepta, non ob primatum, quem (ut alio loco videbimus) uni Petro tributum, inque hujus successores transmissum fatetur. Rursum quæ Chrysostomus *Homil. in illud salutate Priscillam, & Aquilam tom.* III. *Opp. edit. ejusd. pag.* 173. *num.* 2. inquit ,, Paulum fuisse totius orbis ,, terrarum curam sortitum ,, de Apostolatu sunt quidem, non autem de primatu, quo carebat, intelligenda. Atque est is profecto sensus similium verborum, quibus in altera de eodem argumento Homilia Chrysostomus utitur *tom.* III. *pag.* 180. *num.* I. *edit. ejusd.* & in Homil. *in terræ motum, & Lazarum num.* II. *pag.* 786. *tom.* I. quo loco Paulum διδάσκαλον τῆς οἰκουμένης *magistrum orbis terrarum vocat*.

2 Epistolam Pseudo Clementis ad Jacobum Fratrem Domini plenam ineptiarum nihil moror. Quamquam quæ ille scribit: *a Jacobo regi non Hierosolymitanam Hebræorum Ecclesiam modo, sed etiam omnes, quæ ubique Dei providentia fundatæ sunt*, explicari de Apostolatu possint. Non enim desierat Apostolus esse Jacobus suscepto Episcopatu Hierosolymorum. Extat ea Epist. apud Coteler. *tom.* I. *PP. Apostolicor. pag.* 612. *edit. Paris. & pag.* 617. *edit. Amstelod. an.* 1724. *& apud Coustantium tom.* I. *collect. Epistol.*

Roma-

Quinetiam, si Præsules aliquos *Catholicæ* Ecclesiæ Episcopos inspectoresque omnium cœtuum Christianorum appellatos interdum fuisse legimus, non ita est id genus appellationis explicandum, ut illis totius Orbis Christiani curam, administrationemque fuisse tributam; sed ut eos Romano Pontifici consensione, communionisque ratione, ut capiti Ecclesiæ, conjunctos egregiam defendendæ religioni, tuendæque disciplinæ operam navasse, arbitremur.

III.

Cyprianine tempore hanc sibi Episcopi potestatem inesse existimarint, ut (exceptis controversiis de religione) fas sibi esse de re quacumque (quin cuiquam mortalium rationem redderent) quemadmodum ipsis placuisset, decernere.

Existit autem hujusce disputationis pars tertia ex iis Cypriani verbis, quibus tantam aliquando vim, auctoritatemque Episcopo cuique concedere videtur, ut ei licere dicat, quin reddere cuiquam mortalium rationem debeat, de re quacumque, quemadmodum eidem placuerit, in sua parœcia statuere. Quæ verba etsi de disciplina adversarii intelligi oportere judicant, sunt tamen interdum ita comparata, ut non minus in disciplinam, quam in doctrinam cadere videantur. Quamobrem curandum etiam atque etiam est, ut qui verus eorum, propriusque sit sensus intelligatur.

Romanor. Pontificum pag. 3. in Append. At secum quidem Pseudo Clemens pugnat, qui cum Jacobum ἐπίσκοπον ἐπισκόπων Episcopum Episcoporum vocet, tum se Petri fundamenti Ecclesiæ successorem, camdemque potestatem, atque Petrus præstabat, consequutum dicit. Augustini denique locus tam est perspicuus, ut ne oratione quidem egeat. Nam *in Præfat. lib. contra duas Epist. Pelagianor. ad Bonifacium Papam cap. VI. pag. 271. edit. Antuerp. an. 1700. tom. X.* „ Neque dedignaris, *inquit Pontificem alloquens Bonifacium*, quamvis ALTIUS PRÆSIDEAS, esse amicus humilium ... cum ... communis sit „ omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio (QUAMVIS IPSE IN EA PRÆEMINEAS „ CELSIORE FASTIGIO) specula pastoralis, facio quod possum &c „. Vides, ut in numero Episcoporum, qui curam gregis gererent, præeminere Romanum Antistitem oportere Augustinus constituat? Ac de Augustino alias. Sed de aliquot Episcopis, qui Antistites fuere appellati catholicæ Ecclesiæ universæ, agam paullo post opportune. Interea confer Baronium *ad an. CLXXXVI. num. II. seq.*

tur. Ego igitur cum verba Cypriani, eorumque, qui ad ipsum rescribere solebant, considero, in hanc facile sententiam inducor, ut esse eos non de dirimendis controversiis religionis, neque de communi Ecclesiæ disciplina, quasi immutari Episcopi cujusque arbitratu posset, sed de privatis consuetudinibus singularium Ecclesiarum, quas ipsi moderabantur, loquutos putem. Has enim consuetudines cuique Præsuli aut confirmare, aut emendare licuisse, existimarunt, quin cuiquam, nisi soli Deo, rationem reddere deberet, modo nihil ab se aut improbe, aut perverse gestum arbitraretur. Atque ut omnes intelligant, eum Antistitem, qui aut in hæresim incidisset, aut schisma facere non dubitasset, debuisse collegis, imprimisque Pontifici Maximo rationem reddere, consulat lector, quæ supra ex Epistola Cypriani ad Stephanum de Marciano Arelatensi (1) descripsimus. Marcianum enim, qui ad Novatianos defecerat, seque ab orthodoxorum Præsulum communione sejunxerat, decreto Stephani dejici de gradu oportere Cyprianus scripsit; quod numquam scripsisset, si tam late Episcoporum quorumque auctoritatem patere putasset, ut ejus opinione Deum quidem illi judicem suorum actorum haberent, hominem autem omnino neminem. Quo magis Salmasii, aliorumque Presbyterianorum impudentiam, temeritatemque miror, qui, vivo Cypriano, fas cuique Episcopo fuisse defendunt in sua parœcia (2) quæ vellet, facere, quin ab aliis sibi quidquam metuendum censeret, quasi par omnium Ecclesiasticorum Præsulum eo tempore dignitas, auctoritasque fuisset. Nam is Carthaginiensis Antistes in ea, quæ est ad Episcopos Hispanos de Basilide, & Martiali epistola, scribit: eos, qui rem male gessissent, reddere suæ administrationis rationem collegis debuisse, & dejici potuisse de gradu, & aliquem habuisse, qui ceteris auctoritate præcelleret. Nam eos ambos ob nefaria scelera jure (3) pulsos ab

1 Vide *not.* 1. *pag.* 74. *hujus vol.*
2 Confer *notat.* 1. *pag.* 77. *hujus vol.*
3 Consule *not.* 1. *pag.* 548. *tom.* IV. *hujus op.*

ab Epiſcopis provinciæ de ſede fuiſſe (id quod reddendam ceteris a Martiali, & Baſilide rationem ſuorum actuum fuiſſe demonſtrat) & reſtitui a Stephano potuiſſe in locum, quem ante occuparant, niſi tam manifeſtis flagitiis implicati fuiſſent (1), contendit. Id vero quemadmodum Romano Antiſtiti, qui tum longe diſtaret, adſertum a Carthaginienſi fuiſſet, niſi hic cenſuiſſet, eſſe Romani auctoritatem ceterorum Epiſcoporum auctoritate majorem? Nam quod Stephano, ceteriſque Pontificibus, ut Fabiano (2), ut Cornelio (3), ut Lucio (4), qui ante Stephanum vixerant, Carthaginienſis Cyprianus concedit; Epiſcopis certe reliquis non concedit. Ubinam enim aliorum Antiſtitum Eccleſias aut matrices, aut principales vocavit? Vocavit autem Romanam hiſce nominibus (5), ejuſque Præſulibus tantam auctori-

1 Vide quæ ſcripſi *ead. not.* 1. *pag.* 548. *tom.* IV.

2 Confer *not.* 1. & 2. *pag.* 431. *tom.* IV. *hujus operis*, & Cyprianum *Epiſt* LV. *ad Antonianum al.* LII. *pag.* 104. ubi „ Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus, *inquit*, de „ Dei, & Chriſti ejus judicio, ... cum nemo ante ſe factus eſſet, cum FABIANI LOCUS, „ IDEST CUM LOCUS PETRI, ET GRADUS CATHEDRÆ SACERDOTALIS VACARET.

3 Conſule *not.* 3. *pag* 547. *tom.* IV. *hujus operis*.

4 Cypr. *Epiſt.* LXI. *al.* LVIII. *ad Lucium pag.* 144. *ſeq. edit. Oxon.*

5 Cypr. *Epiſt.* XLV. *al.* XLII. *ad Cornelium pag.* 86. „ Sed quoniam, *inquit*, diverſæ partis obſtinata, & inflexibilis pertinacia non tantum RADICIS, ET MATRIS SINUM, „ atque complexum recuſavit, ſed etiam gliſcente, & in pejus crudeſcente diſcordia, Epi„ ſcopum ſibi conſtituit, & contra ſacramentum ſemel traditum divinæ diſpoſitionis, & „ Catholicæ unitatis, adulterum, & contrarium caput extra Eccleſiam fecit „. Loquitur autem de Novatianis, qui Eccleſiam Romanam in factiones dividere conati fuerant. *Epiſtola item* XLVIII. *al.* XLV. ad eundem Cornelium: „ Nos, *inquit pag* 91. ſingulis navi„ gantibus, ne cum ſcandalo ulla navigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos „ eſſe, ut Eccleſiæ Catholicæ RADICEM, ET MATRICEM AGNOSCERENT, AC TENERENT „. Vidiſſe hæc Rigaltium ſcribit editor Oxonienſis, atque idcirco ſic animadvertiſſe: „ mox „ de communicatione Romana dicet: catholicæ Eccleſiæ unitatem. Sic Epiſtola XLV. radi„ cis, & matris ſinum, & alibi Cathedram Petri, Eccleſiam Principalem. Hæc fuere tunc „ Monarchiæ Chriſtianæ crepundia „. Itane vero crepundia? An non ſemper a Patribus Romanæ Eccleſiæ primatus agnitus, probatuſque fuit? Sed hæc alias. Longe eſt gravior Oxonienſis editoris error. Nam cadere hæc Cypriani verba in quamcumque Eccleſiam jactat. Quod quam ſit abſurdum, atque commenticium, cuique Epiſtolam Cypriani legenti conſtat. De una enim Eccleſia Romana Cyprianus agit, ad quam ex Africa navigantes venirent. Neque vero quia *Epiſt.* LXXI. *ad Quintum pag.* 194. hæreticos ad veritatem, & matricem redire oportere dicit, nobis negotium exhibet. Nam *matricis* nomine Eccleſiam intelligit, quacum ceteræ communicare, unitatemque ſervare deberent, cujuſmodi eſt Romana. Nec eſt ad rem Tertulliani de Eccleſiis matricibus *cap.* XXI. libri de Præſcriptionibus inſignis locus. De centro enim unitatis agens Cyprianus, præter Romanam nullam uſquam aliam appellandam putavit matricis nomine. Contra Tertullianus de iis Eccleſiis loquens, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ erant, alio ſenſu, eas *matrices* eſſe vocandas cenſuit. Quod ni ita eſt, afferat, ſi poteſt, Oxonienſis aliquem Cypriani locum, in quo præter Romanam, ulla alia indicetur matricis vocabulo. Sed eum afferre non poſſe certo ſcio. De Eccleſia principali confer, quæ ſcripſi ſupra *pag.* 73. *hujus vol. in not.*

ctoritatem inesse dixit, ut eos & Cathedram Petri occupare, & injuria ab collegis de gradu dejectos restituere (1), pellereque (2) improbos, indignosque de tam illustri dignitate posse, confessus sit. Quum igitur hæc tot decora uni Romano inesse dixerit, aliis contra non dixerit, fit ita, ut Romani auctoritatem potestate, auctoritateque ceterorum Episcoporum putarit esse præstantiorem. Neque vero scelerum violatæque religionis, conflatique schismatis reos solum, sed etiam eos, qui communem disciplinam aut immutare, aut coarctare, laxareve conati essent, iis, qui excellenti in Ecclesia dignitate florerent, rationem reddere debuisse Cyprianus scribit, in ea, quæ est ad Fidum Epistola. Nam cum nunciatum fuisset, Victori Presbytero *pœnitentia* functo, antequam Ecclesiæ plene satisfecisset, pacem fuisse a Therapio Episcopo Africano datam, graviter id quidem Cyprianus, atque Collegæ, qui in Concilium venerant, tulerunt, quod disciplinam communi sententia recte constitutam, everti, labefactarique ab uno nollent. Itaque objurgandum hominem censuerunt, monendumque, ne quid simile in posterum tempus agere auderet (3). Quod si revocandum, quod Therapius decreverat, non putarunt, tamen revocari ab se potuisse testati sunt, ut Fidi rejecerunt sententiam, qui etsi baptizari infantes intra secundum, tertiumve, quo nati essent, diem posse concederet, baptizari (4) tamen non oportere arbitraretur. Quum igitur Episcopos, qui contra communem Ecclesiæ disciplinam aliquid tentavissent, fatente

1 Consule *not.* 1. *pag.* 548. *vol.* IV. *hujus operis*.

2 Confer *not.* 4. *pag.* 78. *hujus vol.*

3 Cypr. *Epist* LXIV. *al.* LIX. *pag.* 158. „ Legimus, *inquit*, tuas litteras, quibus significasti de Victore quondam Presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius collega noster immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse a Decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu, & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur. Sed librato apud nos diu consilio, satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cetero faciat. Pacem tamen quomodocumque a Sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus.

4 Cyprianus *ibidem*.

tente Cypriano, rationem actus sui reddere Præsulibus (qui in unum locum, concilii celebrandi caussa, convenerant) Romanoque Pontifici debuisse, constiterit; reliquum est, ut quibus in locis non hominibus, sed uni Deo actus sui rationem reddere Episcopum debere, dixit, de peculiaribus quibusdam consuetudinibus, deque iis, quæ recte gesta fuissent, loquutum Cyprianum fuisse demonstrem. Est autem primum tam clarum, tamque perspicuum, ut ne oratione quidem egere videatur. Nam quum morem *rebaptizandorum* hæreticorum, qui ad Ecclesiæ Catholicæ *unitatem* convertebantur, non ad *fidem*, & religionem ille, sed ad *disciplinam* (quæ peculiaris Ecclesiæ Africanæ, nonnullarumque aliarum erat) pertinere existimaret; etsi hoc in genere vehementer errabat, tamen ubi periculum esse vidit, ne qui eum ipsum morem sequi pergerent, communione Romanæ Ecclesiæ a Stephano prohiberentur, Carthaginiensis Concilii, decretum, consuetudinemque Africanorum opposuit, negavitque ob eam rem unam esse perturbandam pacem, cogendosque Episcopos, ut disciplinam, quam hactenus coluissent, abjicerent; propterea quod si quid ejusmodi egissent, rationem actus sui non cuiquam hominum, sed uni Deo reddere deberent (1). Ex qua re intelligitur, non de communi, sed de peculiari disciplina quarumdam Ecclesiarum sermonem a Cypriano fuisse institutum, quibus in locis de ratione actus sui ab Episcopo hominibus non reddenda loquutus est. Alioqui pugnantia dixisset, quum non solum reddendam dixerit (si de religione, deque communi disciplina disputaretur) sed etiam Presbyteris, Diaconibusque Romanis (2) reddiderit, quo tempore ipsi (Fabiano martyrio, & vita

1 Confer locum Cypriani supra *pag.* 57. *hujus vol.* Vide præterea *ejus Ep.* LXX. *p.* 194. *seq. &* *Epist.* LXXII *ad Stephanum pag.* 197. ubi: „ scimus, *inquit*, quosdam, quod se„ mel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter col„ legas pacis, & concordiæ vinculo, quædam PROPRIA, QUÆ APUD SE SEMEL SUNT USUR„ PATA, RETINERE. QUA IN RE NEC NOS VIM CUIQUAM FACIMUS, AUT LEGEM DAMUS, „ CUM HABEAT IN ECCLESIÆ ADMINISTRATIONE VOLUNTATIS SUÆ ARBITRIUM LIBERUM „ UNUSQUISQUE PRÆPOSITUS, RATIONEM ACTUS SUI DOMINO REDDITURUS.

2 Cyprianus *Epist.* XX *al.* XV. *ad Presbyteros, & Diaconos Romæ consistentes p.* 42. „ Quoniam comperi, *inquit*, fratres carissimi, minus simpliciter, & minus fideliter vobis „ renunciari, quæ hic a nobis & gesta sunt, & geruntur, necessarium duxi has ad vos litte„ ras

vita functo) Ecclesiam (1) moderabantur. Extremum est, ut de re bene gesta egisse interdum Cyprianum, cum rationem ab Episcopo uni Deo reddendam scriberet, ostendam. Id vero liquet ex Epistola Cleri Romani ad eumdem Cyprianum data. Sic enim habet: „ (2) Quamquam bene „ sibi conscius animus, & Evangelicæ disciplinæ vigore sub- „ nixus, & verus sibi in decretis cælestibus testis effectus „ soleat solo Deo judice esse contentus, nec alterius aut „ laudes petere, aut accusationes pertimescere; tamen ge- „ minata sunt laude condigni, qui cum conscientiam sciant „ Deo soli debere se judici, actus tamen suos desiderant „ etiam ab ipsis suis fratribus comprobari. Quod te, Frater „ Cypriane, facere non mirum est, qui pro tua verecundia, „ & ingenita industria consiliorum tuorum nos non tam ju- „ dices voluisti, quam participes inveniri, ut in tuis rebus „ gestis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, „ & tuorum consiliorum bonorum hæredes, quia & affir- „ matores, esse possimus „. Hinc qui sit sensus eorum, quæ sunt a Cypriano in synodo Carthaginiensi, in Epistola ad Antonianum, atque in aliis locis dicta, quæque nobis (3) a Protestantibus opponi solent, perspicitur. His ergo quum sit cumulate, ut arbitror, satisfactum, veniam ad quartam propositæ disputationis partem.

IV. *Pa-*

„ ras facere, quibus vobis actus nostri, & disciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur &c. Et *Epist.* xxvii. *al.* xxiii. *ad eosdem pag.* 52. „ Post factas ad vos litteras, fratres carissi- „ mi, quibus actus noster expositus, & disciplinæ, ac diligentiæ quantulacumque ratio de- „ clarata est, aliud accessit, quod nec ipsum latere vos debuit &c.

1 Etsi Presbyteri, Diaconesque Romani Episcopi dignitate carebant, tamen, qua poterant ratione, Ecclesiam, donec Pontifex crearetur, moderabantur. Quare *Epist.* inter Cyprianicas viii. *al.* iii. *pag.* 16. „ Cum incumbat, *inquiunt*, nobis, qui videmur Præ- „ positi esse, & vice pastoris custodire gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis, „ quod & antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes præpositi erant: *quoniam* „ *perditum non requisivimus, & errantem non correximus &c.*

2 *Epist. inter Cyprianicas* xxx. *al.* xxxi. *pag.* 56.

3 Confer quæ scripta sunt *pag.* 56. *seq. hujus vol.*

I V.

Pares ne omnes Apostoli potestate, auctoritateque fuerint, an unus aliquis a Christo delectus sit, qui principatum in eo collegio obtineret.

Exstit autem hæc tam gravis, tamque celebris ex libro Cypriani de *Unitate Ecclesiæ* quæstio, quo quidem in libro, hoc ille fuisse *ceteros Apostolos, quod fuit Petrus, pari consortio præditos, & honoris, & potestatis* (1) confirmat. Atque Protestantes quidem, imprimisque Claudius Salmasius, nihil plus fuisse Petro, quam ceteris Apostolis a Christo tributum (2) censent. Fuerunt autem aliqui Catholicorum, qui etsi parem Petro, aliisque Apostolis fuisse potestatem a Christo datam defenderent, adeo ut, quemadmodum ille, ita reliqui Episcopi universi orbis essent, & plenam, perfectissimamque ubique gentium obtinerent ligandi, solvendi, Ecclesias instituendi, Episcoposque ordinandi auctoritatem; tamen hoc genus auctoritatis in his *extraordinarium* fuisse, in Petro *ordinarium*, inque hujus tantum *successores derivandum* arbitra-

1 Vide locum supra *pag.* 55. *hujus vol.*

2 Consule Salmasii locum apud Petavium *lib.* III. *de Hierarch. ecclesiast. cap.* VII. *num.* VIII. *pag.* 737. *tom.* III. *Theologicor. dogm. edit. Paris.* Habet enim hoc modo: „ Nec sane quemquam inter eos ceteris supereminere potuisse, aut aliorum caput esse, cum „ omnes unum idemque caput haberent, eumdem ducem, doctoremque, ac magistratum, cu„ jus erant discipuli sectatores, ac magistri „. Idem omnino Salmasius scribit in *lib. de Primatu Romani Pontificis pag.* 18. Salmasio præiverant Lutherus in *Defensione Articulorum suorum contra Leonis X. Bullam art.* XXV. *pag.* 321. *a tergo tom.* II. *opp. edit.* Jenensis *an.* 1557. *& in Commentariis ad cap.* 1. *epist. ad Galat. tom.* VI. *pag.* 8. *edit. ejusd. an.* 1558. Centuriatores Magdeburgenses *lib.* I. *c.* IV. *t.* I. *p.* 190. *edit. an.* 1560. Calvinus *lib.* IV. *Institutionum cap.* VI. *num.* 6. *seq. pag.* 296. *tom.* IX. *opp. edit. Amstelod. an.* 1667. & ut ceteros prætermittam, Marcus Antonius de Dominis *lib.* I. *de Republ. Eccles. cap.* III. *p.* 22. *seq. tom.* I. *edit. an.* 1617. His accedunt Johannes Gerardus Confessionis Catholicæ *tom.* II. *pag.* 426. *edit. Jenensis an.* 1661. quo in loco Petrum a Christo Ecclesiæ Monarcham constitutum negat, coapostolumque tantum audisse defendit. Fridericus Spanhemius senior in *Chamiero Contracto lib.* XI. *cap.* IX. *seqq. pag.* 482. *seqq. edit. Genev. an.* 1645. atque innumerabiles prætermittam, quorum esse plerosque a Bellarmino, Gretsero, aliisque controversiarum scriptoribus numeratos video, Salomon Deilingius *Observ. sacr. Exercit.* VI. *Observ.* I. § IV. *pag.* 424. *edit. Lips. an.* 1747. *tom.* IV Fridericus Spanhemius Junior Calvinianus *tom.* II. *opp.* §. XXXIV. *pag.* 306 *edit. an.* 1703. & Johannes Forbesius de grege Presbyterianorum *Instruct. Histor. Theolog. lib.* XV. *cap.* V. *&* XV. *pag.* 688. *&* 700. *edit. an.* 1702.

bitrarentur. Quam opinionem cum Bellarminus (1), Petavius (2), Schelstratius (3), aliique sequuti sunt, tum extiterunt, qui probatam etiam non Thomæ Aquinati (4) modo, sed etiam Cypriano (5), Victorique Episcopis Carthaginensibus fuisse dicerent. Sed quoniam esse plerosque intelligo, qui Apostolatus ratione Petrum æqualem collegis; Primatus vero, centri unitatis, & capitis dignitate præstantiorem esse, idque jam Cypriani, Patrumque omnium (6) auctoritate per-

1 Bellarm. *lib. 1. de Romano Pontifice cap. IX. pag. 265. seq. edit. Veneta an. 1721. tom. 1. opp. & cap. XI. pag. 271. & lib. III. de verbo Dei cap. IV. pag. 70. tom. 1.*

2 Petavius *lib. 1. de Eccles. Hierarch. cap. V. num. VIII. pag. 681. tom. III. Theologicor. Dogm. edit. Paris.*

3 In eadem sententia versari videtur Emanuel Schelstratius *Dissert. II. Antiquit. Ecclesiasti. cap. 1. seqq. pag. 79. seqq. tom. II. edit. Rom. an. 1697.* Sed hi non negant Apostolorum, qui extraordinaria potestate illa valerent, caput fuisse Petrum. Immo vero Bellarminus *lib. 1. de Romano Pontifice cap. XI. pag. 271.* „ Ita, *inquit*, habuerunt ple„ nitudinem potestatis, ut tamen Petrus esset caput eorum, & ab illo penderent, non e „ contrario. Atque hoc est, quod promittitur Petro, Matthæi *cap. XVI.* cum ei soli coram „ aliis dicitur: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, id quod præter alios supra „ citatos docet Hieronymus *lib. 1.* contra Jovinianum &c. „. Confer ejus III. *librum de verbo Dei cap. IV. pag. 70.*

4 S. Thomas *lect. 1. in epist. ad Romanos pag. 7. edit. Antuerp. an. 1620. Dignitatem Apostolatus esse in Ecclesia præcipuam* scribit. At idem auctor *lect. III. in cap. II. Epist. ad Galatas pag. 120. edit. Rom. an. 1570. tom. XIV. opp.* „ Dicendum est, *inquit*, „ quod Apostolus fuit par Petro in executione auctoritatis, NON IN AUCTORITATE REGI„ MINIS „. Neque vero inferiorem ceteris Apostolis Paulum fuisse censet, adeoque etiam Petro. Nam cum reliquis æquat, Apostolumque fuisse constitutum a Christo *jam suscitato & glorificato* animadvertit *lect. 1. in cap. 1. Epist. ad Galat. pag. 116. tomo eodem opp.* Quinetiam etsi Petrum auctoritate regiminis præstantiorem Paulo fuisse defendat, tamen ibi statuit „ Petrum, qui vocatus fuit a Christo adhuc in carne mortali posito, poni in Bulla „ Papæ in sinistra parte, Paulum vero, qui vocatus fuit a Christo jam glorificato, poni „ in parte dextera „ Consule ejus opusc. *contr. error. Græc. pag. 8. seqq. tom. XVI. opp. edit. Rom. an. 1570.*

5 Confer Petavium *ibid. pag. 681*,

6 Hæc semper fuit scriptorum Orthodoxorum communis sententia. De Patribus agam paullo post. Nunc satis erit aliquos eorum commemorasse, quorum alii XIII., alii insequentibus seculis floruerunt. Ordiar autem ab Alberto Magno Episcopo Ratisponensi, qui S. Thomæ Aquinatis seculo XIII. magister fuit. Is *in Commentar. in Evangel. Matthæi cap. X. pag. 216. tom. IX. opp. edit. Lugd. an. 1651.* „ Ad Ecclesiam primitivorum, *inquit*, qui conscripti sunt in cælis, primus dignitate (Petrus) non vocatione, propter quod „ *vertex* dicitur Apostolorum. Simon proprio nomine, qui dicitur a Christo Petrus *Johannis vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, & Andreas* non secundus, & sic „ deinceps; quia omnes Subditi Petro sunt æquales... Et attende, quod licet Petrus „ vertex dicatur primus, non tamen dicitur Andreas secundus, nec Philippus tertius, & „ sic deinceps; sed omnes secundi sunt Petro ad jurisdictionem, quia non unus sub alio, „ sed omnes sub Petro „. Horum similia sunt, quæ tradit S. Thomas *Opusc. contra error. Græcor. pag. 8. tom. XVI. opp. edit. Rom. an. 1570.* Is vero sequutus dicendi rationem fuit, qua est usus Gregorius IX. Pontifex iis in Litteris, quas ad Germanum Archiepiscopum Græcorum scripsit, extantque *tom. IX. Concilior. edit. Paris. Hard. pag. 153. seq.*

An,

permoti contenderent; disquirendum certe, ita ut alio

M 2 loco

An. circiter 1274. eadem confessus Michael Palæologus est in *litteris ad Gregor. X. P. M.* quæ extant *tom. eodem concilior. pag. 694. seq.* Similia scribunt Alexander a Sancto Elpidio seculi XIV. illustris scriptor *tract. de Ecclesiastic. Potestate cap. V. pag. 6. tom. II. Biblioth. Pontif. Rocab. edit. Rom. an. 1698.* Alvarus Pelagius *lib. I. de Planctu Eccles. cap. LVII. pag. 178. seq. tom. III. Biblioth. Pontif. Rocab.* Barlaamus Episcopus Geraccenus *Epist. ad amicos Græcos circa an. 1350. tom. IV. Antiquar. lect. Canisii pag. 373. edit. Antuerpiensis an. 1725.* & seculo XV. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus *P. III. summa Theologica tit. XXII. c. III. p. CCLXLIV. seq. edit. an. 1503.* Georgius Trapezuntius ad Cretenses *tom. I. Græcia Orthodoxa Leonis Allatii pag. 550. edit. Rom. an. 1652.* sexcentique alii, quos nunc recensere non vacat. *Seculo XVI.* Nicolaus Sanderus *de visibili Monarchia Ecclesiæ lib. VI. cap. I. seq. pag. 166. seq. edit. Antuerp. an. 1571.* Alanus Copus in Dialogis sex contra *Summi Pontificatus, Monast. vitæ, sanctor. &c. oppugnatores. Dialogo I. pag. 124. seq. edit. Antuerp. an. 1566.* Albertus Pighius Campensis *Hierarch. Eccles. cap. II. seq. pag. 100. seqq. edit. Colon. ann. 1558.* Josephus Stephanus Valentinus *de Potest. Coact. &c. lib. I. cap. II. num. V. seq. pag. 11. seq. edit. Rom. an. 1586.* Johannes Fischerus Roffensis Episc. qui anno 1535. obiit, *contra articulum XXV. Lutheri pag. 532. seqq. edit. oper. Virgeburg. ann. 1597.* Gregorius Nunnius Coronelius Augustinianus *de Vera Christi Ecclesia lib. VI p. 535. seq. edit. Rom. an. 1594.* Alexander a Turre Cremonsis Can. Regul. *de Fulg. radio Hierarchiæ Eccles. lib. IV. rad. XI. pag. 174. seqq. edit. Roman. an. 1588.* Johannes Eckius *in opere de Primatu Petri lib. I. edit. opp. Ingolst. an. 1531. pag. 5. seq.* Jacobus Latomus *de Primatu Papæ quinta parte pag. 74. edit. Lovan. oper. contra Hæreses an. 1550.* Thomas Stapletonus *Controv. III. capital. quæst. I. art. I. seqq. tom. I. opp. edit. Paris. ann. 1620. pag. 663. seqq.* Stanislaus Hosius Cardinalis *Confess. Cath. Fidei cap. XXVI. pag. 26. seq. edit. opp. Antuerp. an. 1572.* Reginaldus Polus Card. *de Unitate Eccles. lib. II contra Luther. doctrin. & lib. de summ. Pont. cap. V. seqq. pag. 147. seqq. tom. XVIII. Biblioth. Pontif. Rocab.* Jodocus Coccius *sec. XVI. scrip. lib. VII. thesauri Catholici artic. IV. pag. 798. tom I. edit. Colon. anno 1619.* Mitto de Alberto Pio Comite Carpensi *libr. de Prim. Petri*, de Alfonso Alvaro Carrero, de Alfonso de Castro Minorita, de Alfonso Menduza, Annibale Grassio, Antonio Florebello, Augustino Steucho Eugubino, Antonio Perusio, Boetio Epo, Camillo Campegio, Cypriano Benetto, Francisco Vargasio, Francisco Penia, Gaspare Contareno, Henrico VIII. Angliæ Rege, cum Catholicis assentiretur, Johanne Fabro, Melchiore Cano, Onuphrio Panvinio, Petro Soto, Rodulpho Cupersio, Sixto Senensi, Thoma Cajetano S. R. E. C. Thoma Campegio, aliisque, qui XVI. Ecclesiæ seculo floruerunt, dicere. Neque vero necesse est, ut quid Andreas Duvalius, Arcudius, Andreas Lao, Joh. Matthæus Caryophulus, Angelus Petricca, Antonius Diana, Antonius Augustinus, Augustinus Barbosa, Augustinus Oregius, Balthassar Nardius, Cælestinus Sfondratus, Dominicus Gravina, Dominicus Segnerus, Dominicus a Sanctissima Trinitate, Gregorius de Valentia, Marcus Antonius Capellus, Franciscus Macedo, T. Schlara, Joh. Rocabertus, Nicolaus Coeffeteaus, aliique XVII. Ecclesiæ seculo scripserint, memorem, cum communis eorum similis sit omnino sententia. Confer Augustinum Bellum *De absoluta D. Petri Monarch. pag. 92. seqq. edit. Rom. ann. 1647.* Faustum Naironum *Evophim Fid. Cathol. part. III. cap. III. pag. 262. seqq. edit. Rom. ann. 1694.* Michaelem Mauclerum *de Monarchia Ecclesiastica lib. II. seqq. cap. II. seqq. p. 268. seqq. edit. Paris. an. 1622.* Cæsarem Baronium S. R. E. Cardinalem *ad an. XXXIII. n. XIX. seq. pag. 104. seqq. tom. I. Annalium edit. an. 1705.* Philippum Rovenium *de Republ. Christian. lib. I. c. XVI pag. 198. seqq. edit. Antuerp. ann. 1648.* Leonem Allatium civem meum *de Eccl. Occid. & Orient. Perpet. consens. lib. I. cap. IV. seq. pag. 38 seq. edit. Colon. Agri p. ann. 1648.* Petrum de Marca *Dissert. de singulari Primatu Petri Collect. Opusculor. pagin. 53. seqq. edition. ann. 1681.* quam Dissertationem probatam Innocentio X. P. M. fuisse Baluzius *in Præfat. ad Marcæ Opusculor. eorumdem Collectionem num. III.* scribit, Isaacum Habertum *de Cathedra*

loco me facturum promiseram (1), est, horum ne esse videatur, an superiorum propensior ad veritatem sententia.

Atque Petrum fuisse a Christo præpositum collegio Apostolorum, ut horum caput, & radix unitatis, & fundamentum secundum, & princeps esset, non auctoritate majorum modo, sed etiam sacrorum Bibliorum constat. Quod ut efficiam, proferam primum sacræ scripturæ novi testamenti loca, quibus orthodoxorum nititur de ejus Apostoli Primatu sententia; cumque non arbitratu aut nostro, aut alterius cujusquam, sed Patrum, Ecclesiarumque consensione explicanda Evangelia sint, adjungam equidem veterum testimonia, quibus traditio continetur Ecclesiarum, ostendamque verum, germanumque verborum Christi Servatoris, quæ in libris sacris referuntur, sensum. Igitur cum priore plerumque loco in Evangeliis (2), & in Actis, Epistolisque Apostolorum nominetur Petrus, tum proditum a Matthæo memoriæ est, non solum pro se, ac Simone fuisse a Christo didrachma census solutum (3), verum etiam constitutum, ut idem Simon Petrus appellaretur, *super quam* *Pe-*

thedra, seu Primatu singulari s. Petri pag. 1. seqq. edit. Paris. an. 1645. Natalem Alexandrum *Dissert.* IV. *in Hist. Eccl. nov. Test. pag.* 77. *tom.* III. *edit. Lucensis an.* 1749. Denique e scriptoribus XVIII. seculi Petrus Coustantius Congregationis s. Mauri *Præfat. in Epist. Pontificum Collectionem pag.* II. *tom.* I. *num.* 5. *seqq. pag.* III. *seqq. edition. ann.* 1721. Michael Lequienius, qui nomine Stephani Altimuræ Ponticensis edidit *Panopliam contra Schisma Græcorum, in Prolus. pag.* 9. *seqq. edit. Paris. ann.* 1718. Steffauchetus *lettr.* III. *d' un Docteur. Allemand. pag.* 139. *edit. Argent. an.* 1730. Josephus Augustinus Orsius *de Irreform. Rom. Pontif. in definiendis fidei controversiis judicio cap.* I. *pag.* 300. *seqq. tom.* II. *edit. an.* 1739. *& lib.* II. *cap.* XIII. *art.* II. *pag.* 305. *seqq. tom.* I. *par.* II. Johannes Antonius Blancus *della Esterior Politia della Chiesa cap.* III. §. XII. *pag.* 310. *seqq. tom.* III. *edit. Rom. an.* 1745. hanc eamdem quæstionem, etsi in quibusdam rebus discrepare inter se videantur, tamen illustrare, Petrique primatum supra ceteros Apostolos confirmare conati sunt.

1 Confer quæ scripsi *pag.* 319. *seq. not.* 3. *tom.* IV. *hujusce operis*.

2 Matth. *cap.* IV. *v.* 18. *& cap.* X. *v.* 2. „ Duodecim autem Apostolorum nomina „ sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus „. *Cap.* XIV. *v.* 28. *seqq. cap.* XV. *v.* 15. 16. *seqq. cap.* XVII. *v.* 1. *seqq. & v.* 23. *cap.* XVIII. *v.* 21. *cap.* XIX. *v.* 27 *cap.* XXVI. *v.* 37. 40. Marc. *cap.* III. *v.* 16. *cap.* VIII. *v.* 29. *seqq. cap.* IX. *v.* 1. *seqq. cap.* XIV. *v.* 33. 37. *cap.* XVI. *v.* 7. Luc. *cap.* VI. *v.* 14. *cap.* VIII. *v.* 45. 51. *cap.* IX. *v.* 20. 28. 32. *seq. cap.* XII. *v.* 41. *cap.* XVIII. *v.* 28. *cap.* XXIV. *v.* 12. Joh. *cap.* I. *v.* 42. *cap.* XIII. *v.* 6. *cap.* XX. *v.* 2. *seqq. cap.* XXI. *v.* 2. *seqq. Act. cap.* I. *v.* 13. *seqq. cap.* II. *v.* 14. *seqq. & v.* 37. *seq. cap.* III. *v.* 1. *seqq. cap.* IV. *v.* 8. *seqq. cap.* V. *v.* 3. *seqq. cap.* VIII. *v.* 14. *seq. cap.* IX. *v.* 32. *seqq. cap.* X. *v.* 2. *seqq. cap.* XI. *v.* 2. *seqq.* Paulus *Epist. ad Gal. cap* I. *v.* 18.

3 Matth. *cap.* XVII. *v.* 23. *seq.*

Petram ædificanda esset Ecclesia, adversus quam portæ inferi numquam prævalerent; additumque postremo: *et tibi dabo claves Regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis* (1). Hæc vero omnia, primas Petrum in Senatu Apostolorum partes obtinuisse, demonstrant plane ad veritatem. Nisi enim princeps omnium, & caput fuisset Petrus, qui tandem nominatus semper priore loco ab Evangelistis fuisset? Neque responsum recte ab iis est, qui Petrum, quod senior, primusque sequutus Christum Servatorem fuisset, non autem, quod dignitate ceteris antecelleret, priore loco nominatum putant. Nam de accessu ad Christum quod ajunt, cum testimonio Evangelistarum pugnat. Hi enim Andream primum venisse ad Christum scribunt, non (2) Petrum. Quod addunt de ordine, nihil moror. Ordine namque præcedit is, qui ceteris prior ad magistrum accesserit, vel qui ceteris dignitate præstat. Non accessit autem prior ad Christum Servatorem Petrus, quum ante Andreas accesserit, est igitur prior dignitate Petrus, ut qui priore loco nominetur. Ac ne suspicari quidem possum, qui factum tam sæpe, tamque constanter fuerit, ut quum Christus quidquam ab Apostolis peteret, aut scriptores sacrorum Bibliorum novi testamenti catalogum texerent discipulorum sive omnium, sive aliquorum; Petrus primus omnium semper, aut fere semper vel responderet (3), vel numeraretur, nisi ceteris

1 Confer *not.* 3. *pag.* 262. *tom.* IV. *hujus oper.*

2 Vide *Joh. Evang. cap.* V. *v.* 37. *seq.* Quare Ambrosiaster, seu potius Hilarius Diaconus, qui Damasi Pontificis tempore floruit in *cap.* XII. *Epist. ad Corinth.* I. *tom. extrem. opp. Sancti Ambros. pag.* 244. *edit. Venet. ann.* 1751. „ Prior, *inquit*, sequutus „ est Andreas Salvatorem, quam Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed „ Petrus „. Huic assentitur S. Epiphanius *Hæres.* LI. *p.* 437. *seq. tom.* I. *opp. edit. Paris. Petav. num.* XV. Confer Baronium *ad an.* XXXI. *num.* XXIII. *seq.* Atque is quidem n. XXIV. scribit hoc modo: „ Ex his apparet, quam turpiter errent, qui primatum putant Petro „ collatum, quod senior ceteris esset. Nam quod ad hoc spectat, etsi non alii, certe Andreas MAJOR ÆTATE, PRIOR IN VOCATIONE .... Petro præstabat „. Quod autem ille de ætate scribit, accepit ab Epiphanio. Nam ad *vocationem* quod attinet, id etiam ex Epiphanii ejusdem verbis argumentando conclusit.

3 Id sane ex aliquot Evangeliorum locis plane liquet, quæ *not.* 2. *p. sup.* indicavimus. Hinc Cyrillus Alexandrinus *lib.* IV. *cap.* IV. *in Johann. tom.* IV. *opp. pag.* 381. *edit. Parisiens.*

ris dignitate fuisset, auctoritateque præstantior. Estque id sane a majoribus animadversum, quibus equidem sine ratione fidem negari, non patiar. Quæ autem fingi umquam contra eos ratio potest, quorum opera ad nos usque traditio manavit Ecclesiarum? Itaque Johannes Chrysostomus, Epiphanius, Augustinus, Ambrosiaster, ut ceteros prætermittam, consulto fuisse Petrum primo loco nominatum censent, ut quam illius esset excellens dignitas, atque potestas, intelligeretur. Atque huc sane Chrysostomi ex III. Homilia de Pœnitentia (1) locus spectat. Nam *Petrus*, inquit, *ille Apostolorum Princeps in Ecclesia primus, amicus Christi ... Cum Petrum dico, petram nomino infragilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum discipulorum, primum vocatum, & primum obedientem*. Et octava adversus Judæos Oratione: (2) *Sic abluit*, inquit, *illam abnegationem, ut primus Apostolorum factus sit, eique totus terrarum orbis commissus fuerit*. Et Homilia de talentorum decem millium debitore: (3) *Petrus chori Apostolorum Princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator*. Et Epistola tertia ad Olympiadem Diaconissam: (4) *Apostolorum Princeps gravis illius sceleris ulcus*

an. 1638. in ea Petri verba: ***Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes***, scribit hoc modo: „ Per unum, qui præerat, omnes respondent, sanctam profecto, sanctisque „ congruentem disciplinam optime conservantes, & posterioribus prudentiæ, atque mo„ destiæ laudabilia præbentes exempla. Decet enim non omnes confuse, nec prosilientes „ imprudenter, quasi rapta uti ratione, sed cedere iis, qui & consilio, & ordine præ„ positi sunt „. Similia habet Augustinus sermone LXXVI. *al.* XIII. *de verbis Domini cap.* 1. *pag.* 590. *tom.* 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. „ Petrus, *inquit*, in Apo„ stolorum ordine primus, in Christi amore promtissimus, sæpe unus respondet pro omni„ bus. Ipse denique Domino Iesu Christo requirente quemnam homines dicerent eum esse, „ & opiniones varias hominum discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante, „ & dicente, vos autem quem me esse dicitis? Respondit Petrus, tu es Christus Filius Dei „ vivi. Unus pro multis dedit responsum, unitas in multis „. Sed non est opus plura de re satis perspicua dicere.

1 *Tom* II. *opp. pag.* 300. *edit. Paris. Monfaucon.* Πέτρος ἐκεῖνος, ἡ κορυφὴ τῶν ἀποστόλων, ὁ πρῶτος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὁ φίλος Χριστοῦ .... Πέτρον δὲ ὅταν εἴπω, τὴν πέτραν λέγω τὴν ἀρραγῆ, τὴν κρηπῖδα τὴν ἀσάλευτον, τὸν ἀπόστολον τὸν μέγαν, τὸν πρῶτον τῶν μαθητῶν, τὸν πρῶτον κληθέντα, καὶ πρῶτον ὑπακούσαντα. Primum *vocatum* dicit, quod etsi ad Christum primus Andreas venerit, tamen prius vocatus a Christo Petrus fuisse videatur.

2 *Tom.* 5 *pag.* 77.

3 *Tom.* III. *pag* 4.

4 *Tom.* III. *pag.* 563.

ulcus lacrymis sanavit. Et Homilia in illud *hoc scitote:* (1) *Petrus chori illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ, ardens Christi amator &c.* Et Homil. LIV. (2) in Matthæum: *Quid igitur os Apostolorum Petrus? Semper fervens, chori Apostolici Coryphæus, omnibus interrogatis ipse respondet*. Et Quinquagesima in Matthæum Homilia: *ubique Apostoli primas Petro concedunt, & ad conciones publicas illum præferunt, quamvis ceteris rudior videretur*. Et Homilia XXIII. (3) *Quia duos Apostolos dixerat nobis Petrum, & Iohannem*, (4) *& post illos Matthæum vocatum ostenderat, & de aliorum Apostolorum vocatione, ac nomine nihil dixerat, hic necessario eorum catalogum, numerum, nominaque ponit, sic dicens*: Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus. *Nam alius Simon erat, qui Cananæus vocabatur, & Iudas Iscariotes, & Iudas Iacobi, & Iacobus Alphæi &c. Marcus vero* SECUNDUM DIGNITATEM *posuit illos. Etenim post duos Coryphæos Andream numerat. Hic vero non sic, sed de alio ordine.... Primus omnium est Coryphæus illitteratus & idiota*. Homilia LXV. (5) etsi ante Johannem Coryphæum item, ut Petrum vocarit, tamen, quis eorum potior Coryphæus fuerit indicans: *Audi*, inquit, *quomodo hic ipse Iohannes, qui nunc accessit, primas Petro semper cedat* (6). Et Homilia LXXXVIII. in Johannem (7). *Eximius erat inter Apostolos & os discipulorum, & cœtus illius caput. Ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul ostendens* (Christus) *et oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei præfecturam*

1 *Tom. VI. pag.* 282.
2 *Tom.* VII. *pag.* 546.
3 *Pag.* 515.
4 *Tom.* VII. *pag.* 368. *seq.* Μάρκος δὲ κατὰ ἀξίαν &c.
5 *Ibidem pag.*
6 *Homil.* LXV. *al.* LXVI. *in Matth. n.* IV. *pag.* 648. *t.* VII. ἄκουσον πῶς οὗτος αὐτὸς ὁ Ἰωάννης ὁ νῦν προσελθὼν ὑπὲρ τούτων, πανταχοῦ τῶν πρωτείων τῷ Πέτρῳ παραχωρεῖ.
7 *Homil.* LXXXVIII. *al.* LXXXVII. *n.* 1. *pag.* 529. *tom.* VIII. Ἔκκριτος ἦν τῶν ἀποστόλων, καὶ στόμα τῶν μαθητῶν, καὶ κορυφὴ τοῦ χοροῦ. διὰ τοῦτο καὶ Παῦλος ἀνέβη τότε αὐτὸν ἱστορῆσαι παρὰ τοὺς ἄλλους. ἅμα δὲ καὶ δεικνὺς αὐτῷ, ὅτι χρὴ θαῤῥεῖν λοιπὸν ὡς τῆς ἀρνήσεως ἐξηλειμμένης ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν.

ctturam committit. Et Homil. xxxiii. (1) *Apostolorum Coryphaeus ipsum compulit innuens*. Ac de Petro quidem ceterorum Apostolorum Coryphæo, ac duce plura ejusmodi reperire in Chrysostomi libris fas est, quæ tacitus, ne sim longus, prætereo. Interea est illud etiam, atque etiam animadvertendum, priore loco fuisse a Matthæo, & Marco, cum Christi discipulos numerarent, teste Chrysostomo, nominatum Petrum, quod is esset reliquis *dignitate* præstantior. Nam Coryphæum hunc fuisse Apostolorum scribit, & Principem, & in Ecclesia, fratrumque cœtu priorem, & petram, quæ frangi nullo modo posset, & immotam crepidinem, Apostolicique chori os, & caput, & ducem, atque universo orbi præfectum, populique Christiani fundamentum, cui non reliqui Apostoli solum, sed etiam alter coriphæus Johannes primas concederent. Hæc vero nisi & dignitatem præcipuam Petri, & auctoritatem majorem demonstrent, quæ tandem demonstrare queant, ne suspicari quidem possum. Neque enim aliis uti verbis ad indicandam summam post Christum Petri potestatem in terris Chrysostomus poterat, quæ his clariora, atque ad rem efficiendam opportuniora esse viderentur. Venio ad Epiphanium, quem ætate fuisse Chrysostomo, & eruditione parem constat. Is in eo libro, qui de hæresibus inscribitur (2): *Post hæc*, inquit, *vocationis Petri, atque Andreæ initium indicatur. Venit enim ad eum Andreas unus duorum, qui illum sequuti fuerant, quique discipuli Iohannis erant .... Deinde Petrus, & per ipsum* (Andreas) *vocatus est .... Nam ab Andrea primum occursus factus est Christo, quum Petrus esset tempore ætatis minor.*

1 *Homil. in Joh.* xxxiii. *al.* xxxii. *pag.* 191. *tom.* viii. ὁ κορυφαῖος αὐτὸν ἠνάγκασε τῶν ἀποστόλων νεύσας &c.

2 *Hæresi* li. *quæ est Alogorum n* xiv. *pag.* 436. *seq.* Μετὰ ταῦτα ἀρχὴ κλήσεως τῶν περὶ Πέτρον καὶ Ἀνδρέαν σημαίνεται· ἀνῆλθε γὰρ παρ' αὐτὸν Ἀνδρέας εἷς τῶν δύο τῶν ἀκολουθησάντων αὐτῷ μαθητευομένων ἐν περὶ τοῦ Ἰωάννου ... pag. 440. n. xvii. ἔπειτα Πέτρος, καὶ δι' αὐτοῦ ἐκλήθη ... Ἡ μὲν γὰρ συνάντησις τῷ Ἀνδρέᾳ πρώτη γεγένηται, μικροτέρου ὄντος τοῦ Πέτρου τῷ χρόνῳ τῆς ἡλικίας. ὕστερον γὰρ πάλιν, ὅτε ἡ τελεία αὐτοῖς ἀπόταξις γεγένηται, ἀπὸ τοῦ Πέτρου γεγένηται. ἐπειδὴ γὰρ καὶ αὐτὸς ἀφηγεῖτο τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ, καὶ ὅτι δὲ κατὰ τοῦτο. ὅτι θεὸς ἐστιν εἰδὼς τὰς κλίσεις τῶν καρδιῶν, καὶ γινώσκων τίς ἐν πρώτοις ἄξιος τάττεσθαι, καὶ ἐξελέξατο τὸν Πέτρον ἀρχηγὸν εἶναι τῶν αὐτοῦ μαθητῶν. κ. τ. λ.

minor . Poſtea vero cum ſuſcepta eſt rerum omnium abdicatio , initium eſt a Petro factum . Nam & ipſe proprio fratri præivit . Accedit quod Deus videns propenſiones cordium , cognoſcenſque quis ſit dignus , qui primo loco ponatur , Petrum elegit principem eſſe ſuorum diſcipulorum . Idcirco igitur numeratus , collocatuſque priore in loco (huc enim ſpectat τὸ τάττεσθαι ἐν πρώτοις) Petrus , Epiphanio teſte , fuit , quod electus a Chriſto , qui exploratas propenſiones hominum haberet , fuerit , ut principatu in diſcipulorum collegio potiretur . Neque eſt his obſcurior Auguſtini in ſeptuageſimo ſexto ſermone locus (1) .. *Petrus* , inquit, *in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promtiſſimus , ſæpe unus reſpondet pro omnibus . Ipſe denique , Domino Ieſu Chriſto requirente , quemnam homines dicerent eum eſſe , & opiniones varias hominum diſcipulis reſpondentibus , rurſuſque domino interrogante , vos autem quem me eſſe dicitis ? Reſpondit Petrus : tu es Chriſtus filius Dei vivi . Unus pro multis dedit reſponſum , unitas in multis . Tunc ei Dominus ait* . „ Beatus es Simon Bar-Jona , quia non revela„ vit tibi caro , & ſanguis , ſed Pater meus , qui eſt in cæ„ lis „ , *Deinde addidit* , & ego dico tibi , *tamquam diceret , quia tu dixiſti mihi* , tu es Chriſtus filius Dei vivi , & ego dico tibi, tu es Petrus. *Simon quippe antea vocabatur &c.* Sed de hoc Auguſtini loco erit nobis alibi etiam opportune , ac copioſius diſſerendum . Interea hoc certum eſt : Petrum ordine primum fuiſſe in Evangeliis numeratum , quod primatus ei eſſet attributus a Chriſto . Nam de primatu Petri loquutum Auguſtinum eſſe , tam eſt perſpicuum , ut ne oratione quidem egere videatur . Nam Petrum *omnium Apoſtolorum primum* (2) *Apoſtolorum primatum tenere* (3) *primatuque Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminere* (4) , *ut ſit ille Apoſtolatus principatus cuilibet Epiſcopatui præferendus : propter primatum , quem in diſcipulis habuit , ſicuti eſt:* tibi dabo

1 *Al.* XIII. *de Verbis Domini cap.* 1. *n.* 1. *pag.* 290. *tom.* V. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

2 *Sermone* CXLVII. *al.* XXIV. *pag.* 489. *tom.* V. *opp. edit. ejuſd. ſerm.* CCXXI. *al.* CVI. *pag.* 835. *ſerm.* CCXCVIII. *al.* XLI. *pag.* 843.

3 *Serm.* LXXVI. *al.* XIII. *pag.* 291.

4 *Lib.* II. *contra Donatiſtas cap.* 1. *pag.* 65. *tom.* IX. *opp. edit. ejuſd.*

claves Regni Cælorum, *& ſi qua hujuſmodi* (1), *quum Petro uni datæ ſint claves* (2), ſcribit. Reliquum eſt, ut pauca de Ambroſiaſtro, ſeu Hilario Diac. dicam, qui paullo antiquior Auguſtino, Chryſoſtomo, Epiphanioque fuit, ut qui cum Damaſo Pontifice vixerit. Is ergo in commentariis in prioris Epiſtolæ ad Corinthios caput nonum: *Primum inter Apoſtolos fuiſſe Petrum* (3) teſtatur, additque *qui primus inter Apoſtolos eſt, quanto magis inter ceteros* (4)? *Ac ſi de tempore*, inquit (5) *præſcribendum putatur, ante cœpit Iohannes prædicare, quam Chriſtus, & non Chriſtus Iohannem, ſed Iohannes Chriſtum baptizavit. Num ergo ſic judicat Deus? Denique prior ſequutus eſt Andreas Salvatorem, quam Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus*. Atque hac perpetua traditione Eccleſiarum, hiſque ipſis ſcripturarum locis, quibus quarti, quintique ſeculi ſcriptores nixi, tributum principatum in Collegio Apoſtolorum Petro, adeoque eum primo loco fuiſſe numeratum ſcripſerunt; permotus Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, qui tertio Eccleſiæ ſeculo floruit, primum fuiſſe electum inter Apoſtolos Petrum ſtatuit (6).

Sed dicet quiſpiam, errare vehementer nos, qui ſemper in ſacris Bibliis priore loco fuiſſe Petrum nominatum defendimus: quare quam hinc concludi arbitramur poſſe, eam eſſe abſurdam, inanemque argumenti ſententiam. Paulus namque cum Apoſtolos numeret, Petrum, quem Cephæ appellat nomine, aut ſecundo, aut extremo loco in Epiſtolis numerat. Atque in priore quidem Epiſtola ad Corinthios, coarguens eos, qui contentionum auctores, turbarumque erant, propterea quod alii Petri ſe eſſe, alii Pauli, alii denique Apollo jactarent, ſic habet (7) „ Unuſquiſque

1 *Enarrat. in Pſ. CVIII. num. 1. pag. 912. tom. XII. edit. ejuſd.*

2 *Serm. CCXCIV. al. CVIII. pag. 833. tom. V. edit. ejuſd.*

3 *Pag. 169. tom. ultim. opp. Ambroſ. edit. Venetæ an. 1751.*

4 *In II. Epiſt. ad Cor. cap. XI. pag. 235. tom. eod.*

5 *In II. Epiſt. ad Cor. cap. XII. pag. 244. tom. eod.* Confer *comment. in Epiſt. ad Galat. cap. I. pag. 254. tom. eod. opp. Ambroſ.*

6 *Epiſt. LXXI. ad Quintum pag. 194.* „ Petrus, *inquit*, quem PRIMUM Dominus elegit, ET SUPER QUEM FUNDAVIT ECCLESIAM SUAM.

7 *Cap. I. V. 12.*

„ que veſtrum dicit, ego quidem ſum Pauli, ego autem „ Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti „. Additque „ Omnia veſtra ſunt ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Ce- „ phas, ſive Mundus (1)... Numquid non habemus pote- „ ſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cete- „ ri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas (2) „. Quinetiam in ea Epiſtola, quæ eſt ad Galatas ſcripta (3), Jacobum primum, tum Petrum, poſtremo Johannem nominat: „ *& cum* cognoviſſent, *inquit*, gratiam, quæ data eſt „ mihi, Jacobus, ET CEPHAS, & Johannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ „ ſocietatis „. An ille ſe primum, tum Apollo, inde Cepham, ſeu Petrum: vel primum Apoſtolos ceteros, poſt fratres Domini, deinde Cepham: vel priore loco Jacobum, ſecundo Cepham, tertio Johannem nominaſſet, ſi Cepham ſeu Petrum principatus cauſſa priore loco eſſe nominandum putaſſet? Cum ergo hanc in recenſendis Apoſtolorum, diſcipulorumque nominibus rationem ſequutus ſit, magno argumento eſſe debet, non principatus, ſed vel ætatis, vel alius cujuſquam rei cauſſa fuiſſe interdum ab Evangeliſtis priore loco nominatum Petrum.

Sed qui ſic opponunt, næ hi turpiter fallüntur. Non enim ab Apoſtolo ſemper dixi, ſed ab Evangeliſtis fuiſſe Petrum priore loco, principatus cauſſa, numeratum. Neque vero a me primum excogitata hæc eſt, ſed a Patribus traditione Eccleſiarum firmata ratio. Quod cum paullo ante oſtenſum Chryſoſtomi, Epiphanii, Auguſtini, Ambroſiaſtri teſtimoniis ſit, longiore certe oratione non eget. Quamquam ne ea quidem Pauli ex Epiſtola ad Corinthios prima, exque litteris ad Galatas ſcriptis verba, nobis quidquam negotii exhibere poſſint. Nam Paulus ordine, ut ajunt, *inverſo* uſus eſt *cap.* I. *ad Corinthios*. Primum enim ſe, modeſtiæ, ut patet, cauſſa, inde Apollo, poſt Cepham, ac Chriſtum denique nominavit. Quid? Chriſtum ne quiſ-

N 2 quam,

1 *Cap.* III. *v.* 22.
2 *Cap.* IX. *v.* 5.
3 *Cap.* II. *v.* 9.

quam, non Cepha dico, ſed Paulo fuiſſe minorem dicet? Cum ergo poſtremo Chriſtum, penultimo Petrum, mox Apollo, primoque ſe loco Paulus nominaverit, fateamur neceſſe eſt, eum ordinem ſequi voluiſſe, ut dixi, *inverſum*, indicareque ſecundum Chriſti principatum, principatum Petri. Quod ſi hac eſt uſus ratione Paulus in priore, quid impediebat, quo minus in tertio quoque Epiſtolæ ad Corinthios capite uteretur? Atque uſus ea profecto eſt, ut quiſque legendo cognoſcere per ſe poterit. Quod ipſum eſt de verbis, quæ capite nono continentur, dicendum. Paulus enim ibidem Apoſtolorum, fratrumque Domini nominatim omnino neminem, Cepham vero nominatim memorat, ut ſuis verbis, hujus exemplo, majorem conciliet auctoritatem. Quapropter quum primum Apoſtolos, inde fratres Domini, denique Cepham appellet, hunc, quaſi vim majorem argumento ſit additurus, poſtremo loco nominet, neceſſe eſt. Alioqui cur hunc unum nominet, Apoſtolos autem, fratreſque Chriſti non item, ſuſpicari nullo modo poſſum. Eſtque id ſimile illius, quod extat in Evangelio Marci (1) *dicite diſcipulis ejus, & Petro*, quod ſane ſingulare quidpiam in Petro indicat. Sunt etiam qui in deſcripto Epiſtolæ ad Galatas loco, primum Cephæ, poſtea Jacobi, ac demum Johannis nomen legi conſueſſe Chryſoſtomi tempore ſuſpicentur (2). Id vero confirmari poſſe ejus Epiſcopi, atque Ambroſiaſtri auctoritate putant. Chryſoſtomus enim in caput ejus Epiſtolæ ſecundum ſcribit hoc modo: „ Cephas, Jacobus, & Johannes, qui videbantur eſſe columnæ (3) „. Ambroſiaſter autem: „ Et ſcientes gratiam, quæ data eſt mihi, Petrus, & Jacobus, & Johannes, qui videbantur columnæ eſſe (4) „. Neque vero hos ſolum Patres, Scriptoreſque Eccleſiaſticos, ſed Hieronymum etiam (5), atque

1 Marcus *cap.* XVI. *v.* 7.
2 Mauclerus *de Monarch. Eccleſiaſt. lib.* IV. *cap.* X. *pag.* 554.
3 *Num.* 121. *pag.* 685. *tom.* X. *edit. Pariſ. Montfaucon. opp.* κῆφας, καὶ ἰάκωβος, καὶ ἰωάννης οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι
4 *Pag.* 257. *tom. eod. ult. opp. Ambroſ.*
5 Sic enim legit Hieronymus *in Epiſt. ad Galat. cap.* II. *pag.* 240. *tom.* IV. *opp. edit.*

atque Augustinum (1) hujusce rei testes appellant. Hos enim, dum secundum Epistolæ ad Galatas caput explicant, Petrum, seu Cepham ita anteponere Jacobo; ut a Paulo post Jacobum fuisse numeratum numquam significent. At si in Codicibus, quibus usi Hieronymus, atque Augustinus fuerunt, post Jacobi nomen memoratum Petri nomen fuisset, id certe viri doctissimi, diligentissimique taciti non prætermisissent. Atque extant hoc etiam tempore aliqui hujus generis Codices Pauli Epistolarum, quibus confirmari (2) eorum scriptorum sententia, evincique posse videatur.

ΠΑ-

edit. Paris. Martianai. „ Sed contra quum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium „ præputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum cir- „ cumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et quum cognovissent gratiam, quæ data „ est mihi, PETRUS, ET JACOBUS, ET JOHANNES, qui videbantur columnæ esse, dexteras „ dederunt mihi, & Barnabæ societatis „. Itaque *p.* 241. sic statuit. „ Ex quo perspicimus „ propterea datas dexteras Paulo, & Barnabæ societatis A PETRO, JACOBO, ET JOHANNE, „ ne observatione varia, diversum Christi Evangelium putaretur „. Similia mox repetit, quæ plane demonstrant, in exemplaribus, quibus ille est usus, priore loco fuisse lectum Apostoli Petri nomen. Exemplar autem nullum hoc tempore reperire fas est, quod æquari iis, quibus vir idem sanctissimus, atque doctissimus utebatur, vetustate possit. Consule eumdem Hieron. *lib. contra Helvid. tom. eod.* IV. *opp. pag.* 138. *par.* II.

1 S. Augustinus *Exposit. in cap.* II. *Epist. ad Galat. num.* 13. *pag.* 948. *tom.* III. *P.* II. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri*: „ Petrus autem, *inquit*, & Jacobus, & Johan- „ nes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in si- „ gnificatione regni sui, cum ante sex dies dixisset, sunt hic quidam de circumstantibus, „ qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno patris sui. Nec ipsi „ erant columnæ, sed videbantur „. Columnas enim septem constituisse Christum, ait Augustinus, re ad mysticum sensum translata, quæ sunt septem dona Spiritus. Sed cum is alludat ad Pauli locum, primoque loco Petrum nominet, satis indicat, eodem loco in in eo, quo usus est, codice, Petri fuisse primum mentionem factam, inde Jacobi, ac postremo Johannis, qui honoratiores ceteris fuissent. Vide eumdem Augustinum *lib.* II. *in Luc. tom. eod. parte eadem. pag.* 269.

2 Nam in veteri Alexandrino celeberrimo codice deest τὸ κηφᾶς, ut est a Millio in *cap.* II. *Epist. ad Gal. pag.* 545. *nov. Test. Græc. edit. an.* 1707. animadversum. At loco nominis κηφᾶς ponitur πέτρος, sed ante *Iacobum*, ut scribit Grotius in hunc capitis secundi versum. Quamobrem vetus auctor Tertullianus, qui III. seculo, diu nempe ante Ambrosiastrum, Chrysostomum, Hieronymum, atque Augustinum, vixit *lib.* 3. *contra Marcionem cap.* III. *pag.* 463. *edit. Paris. an.* 1675. „ Bene igitur, *inquit*, quod & dexteras „ Paulo dederunt Petrus, & Jacobus, & Ioannes „. Quid? An ullum reperire quisquam codicem potest, qui antiquitate æqualis sit Tertulliani Codicibus? Nihil minus. Quinetiam versio antiquâ latina, quod recte observavit Petrus Sabaterius Monachus Benedictinus in *Bibl. sacr. latin. vers. Antiq. tom.* III. *edit. Remens. ann.* 1743. sic habebat: „ Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Petrus, & Iacobus, & Iohannes, qui „ videbantur columnæ esse &c. „. Ac codex Barnerii Græco Latinus loco Ἰάκωβος, καὶ κηφᾶς habet πέτρος, καὶ Ἰάκωβος. Confer etiam s. Ambrosium *l.* 1. *de Interpellat. Jobi c.* v. *col.* 630. *tom.* 1. *opp. edit. Paris. an.* 1686. Non nego tamen in permultis exemplaribus olim legi consuesse Ἰάκωβος, καὶ κηφᾶς. Confer Eusebium Cæsariensem *Commentar. in Ps.* LXXIV. *pag.* 445. *tom.* I. *Collect. Vet. PP. edit. Montf. Paris. an.* 1706.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

Num Cephas, cujus est in Epistola ad Galatas a Paulo facta mentio, idem ac Petrus fuerit?

Sed video equidem esse aliquos, qui cum reprimi facile conatus hæreticorum posse arbitrentur, si Cepham eumdem ac Petrum fuisse negent, nescio quem Cepham commenti sunt a Clemente Alexandrino in libris Hipotyposeon (1) commemoratum, qui Cephas non Apostolus fuerit, sed unus aliquis e numero Christi discipulorum. Censet enim Clemens „ Cepham illum, cui Antiochiam ingres„ so, Paulus se palam restitisse dicit, quoniam reprehen„ sione dignus erat, unum fuisse ex septuaginta discipu„ lis, Petro cognomine „. Atque a Clemente quidem Pseudo-Martialis (2) ille accepit, qui ut Tolosanis imponeret, se discipulum Christi, ac Cepham vocavit. *Servus Dei*, inquit, *Apostolus I. C. Martialis Cephas*. Non discrepat Pseudo-Dorotheus (3) in Synopsi. Nam is quoque Cepham reprehensum a Paulo discipulum fuisse fatetur, Apostolum vero non item. Oecumenius autem (4) traditum ab Eusebio fuisse scribit, Cepham redargutum a Paulo, non Petrum fuisse Apostolum, sed unum aliquem e numero discipulorum. Placuit inde hæc Carerio (5), Pighioque (6) opinio, quam nostra quidem memoria Harduinus vir alioqui eruditus e Societate Jesu, quum singularis videri vellet, restituendam longa disserta-

1 Clemens Alexandrinus in quinto ὑποτυπώσεων libro apud Eusebium Cæsariensem *lib.* I. *H. E. cap.* XII *pag.* 34. *edit. Taurinensis*. κηφᾶν, περὶ οὗ φησὶν ὁ παῦλος ὅτι δὲ ἦλθε κηφᾶς εἰς ἀντιοχείαν, κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην, ἕνα φησὶ γεγονέναι τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ὁμώνυμον πέτρῳ τυγχάνοντα τῷ ἀποστόλῳ.

2 Confer *tom.* II. *Biblioth. Patrum edit. Lugdunensis pag.* 110.

3 In Synopsi *tom.* III. *Biblioth. PP. edit. Lugdun. pag.* 429. & Pseudo-Hippolytus Thebanus *in libro de Duodecim Apostolis tom* II. *opp.* Hippolyti *pag.* 39. *edit.* Fabricii *Hamburgensis an.* 1716. *pag.* 42. inter Christi discipulos Septuaginta duos quinquagesimo ac primo loco *Cepham* numerat. Similia reperire licet apud Auctorem *Chronici Paschalis*, quod *Chronicon* ab Radero Alexandrinum inscribitur *pag.* 213. *edit. Paris.* 1688.

4 Oecumenius *in Epistola Pauli ad Galatas caput secundum pag.* 731. *edit. Paris. an.* 1631.

5 Carerius *de Pontif. Rom. lib.* I. *cap.* V. *p.* 10. *edit. Patav. an.* 1599.

6 Albertus Pighius *de Hierarch. Eccl. lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 129. *edit. an.* 1550.

ſertatione, confirmandamque curavit. Ego vero quum rem diligenter conſidero, inducere animum, ut iis aſſentiar, nullo modo poſſum. Neque enim unius Clementis teſtimonium præferendum eſt ceterorum Patrum conſtanti, pervulgatæque ſententiæ. Quid autem Pſeudo-Martialem, Dorotheumque impoſtores illos, falſoque ita nominatos morer? Nec major ſane eſt auctoritas Oecumenii ſcriptoris, & recentis, & qui Euſebium injuria teſtem ejus opinionis vocet. Nam Euſebius, Clementis quidem judicio, Cepham diverſum a Petro fuiſſe tradit, non ſuo. Patres vero fere omnes eumdem fuiſſe Petrum, atque Cepham a Paulo reprehenſum putaſſe, tam certum eſt, ut in controverſiam revocari vix, niſi ab Harduino, Harduinique ſimilibus, poſſe videatur. Sed quoniam eorum omnium verba hoc loco deſcribere longum eſt, quid illi ſenſerint in notationibus demonſtrabo (1), uno-

1 S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, qui ſeculo Eccleſiæ ſecundo floruit, & Polycarpi diſcipuli Johannis Evangeliſtæ auditor fuit *lib.* III. *contra hæreſes cap.* XII. *pag.* 200. *edit. Monach. Sancti Mauri*: „ Hi qui circa Iacobum Apoſtoli, *inquit*, gentibus quidem „ libere agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipſi vero eumdem ſcientes „ Deum perſeverabant in priſtinis obſervationibus, ita ut ET PETRUS QUOQUE TIMENS „ NE CULPARETUR AB IPSIS, ANTE MANDUCANS CUM GENTIBUS, propter viſionem, & pro- „ pter ſpiritum, qui requieverat ſuper eos, quum tamen advenissent quidam ab Jacobo, „ ſeparavit ſe; & non manducavit cum eis. Hoc ipſum autem dixit Paulus & Barnabam „ feciſſe „. Conſtat igitur Irenæi teſtimonio, Cepham, qui Iacobi cauſſa ad Chriſtianos Hieroſolymitas acceſſerat, ad eoſque Barnabam exemplo ſuo adduxerat, reprehenſuſque proinde a Paulo fuerat, eumdem atque Petrum fuiſſe. Tertullianus extremi ſecundi, tertiique ineuntis ſeculi illuſtris ſcriptor in *libro de Præſcriptionibus Hæreticorum cap.* XXIII. *p.* 210. *edit. Venetæ a.* 1748. „ Ceterum, *inquit*, ſi reprehenſus eſt Petrus, quod cum convixiſ- „ ſet Ethnicis, poſtea ſe a convictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu, utique conver- „ ſationis fuit vitium, non prædicationis „. *Et lib.* V. *c.* III. *contra Marcionem p.* 463. „ Sed reprehendit, *inquit*, Petrum non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem. „ Plane reprehendit, non ob aliud tamen, quam ob inconſtantiam victus, quem pro per- „ ſonarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumciſione „. Quibus verbis quid clarius deſiderari poſſit, non equidem video. Accedit Origenis auctoritas. Is in ſecundo contra Celſum Epicureum *libro num.* 1. *pag.* 221. *tom.* 1. *opp. edit. Venet. Monachor. S. Mauri*: „ Paulus, *inquit*, in ſua ad Galatas Epiſtola teſtatur „ PETRUM METU JU- „ DÆORUM, CUM JACOBUS AD EUM VENISSET, CUM GENTIBUS EDERE DESIISSE, ſeque ab „ illis ſegregaſſe timentem eos, qui ex circumciſione erant „. Hujus erat ſimile teſtimonium in decimo libro Stromateon, apud Hieronymum *Epiſtola inter Auguſtinianas* LXXV. *alias* XI. *ad Auguſtinum tom.* II. *opp Auguſt. pag.* 129. quod afferam paullo poſt, ubi de Hieronymo diſſeram. Sequitur Cyprianus ſeculi tertii inſignis auctor, qui *Ep.* LXXI. *pag.* 129. *ſeq.* „ Nec Petrus, *inquit*, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædifi- „ cavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vin- „ dicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumſit, ut diceret, ſe primatum tenere „ & obtemperari a novellis, & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum, quod „ Eccle-

unoque hic utar Hieronymi (1) luculentiſſimo teſtimonio. Is igitur in caput II. Epiſt. ad Galatas: „ Sunt, *inquit*, „ qui Cepham, cui in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, „ non putent Apoſtolum Petrum, ſed alium de ſeptuaginta diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum . . . Quibus primum reſpondendum, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui in Evangelio, & in aliis „ Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo Cephas, „ modo Petrus ſcribitur . . . Deinde totum argumentum „ Epiſtolæ, quod oblique de Petro, Jacobo, & Johanne „ dicitur, huic intelligentiæ repugnare „. Huc item ſpectant Gregorii Magni ex Homilia octava ac decima in Ezechielem (2) verba; quæ ſunt hujuſmodi: „ Sunt vero nonnulli, qui non Petrum Apoſtolorum principem, ſed „ quemdam alium eo nomine, qui a Paulo eſt reprehenſus, „ accipiunt, qui ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non „ dicerent „. Itaque miſſis Carerio, Pighio, breviter (3) de Harduini ſententia, quam fuiſſe a viris doctiſſimis (4) exploſam

„ Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit &c. Non diſſidet Euſebius Cæſarienſis quarti ſeculi ſcriptor imprimis eruditus, inque hiſtoria Eccleſiæ diligenter exercitatus *in Commentar. in Pſ.* LXXIV. *pag.* 445. *tom.* 1. *Collection veter. Patr. edit. Pariſ. Montfaucon. ann.* 1706. Nam Cepham in ſecundo Epiſtolæ ad Galatas capite a Paulo commemoratum, & Iacobum, & Iohannem Apoſtolorum Coryphæos appellat. Coryphæus autem Apoſtolorum Petrus quidem fuit, Cephas autem nullo modo, ſi quis fuit e numero diſcipulorum ſeptuaginta, qui vocaretur hoc nomine. Mitto Theodorum Heracleoten, Didymum, alioſque, quibus hæc ipſa de Petro, non de Cepha a Paulo reprehenſo placuiſſe videtur, Hieronymo teſte, opinio. Hieronymus quidem in Epiſtola, quam ſupra indicavi *pag.* 128. „ Secundo loco quæris, *inquit*, cur dixerim in Commentariis Epiſtolæ ad Ga- „ latas Paulum id in Petro non potuiſſe reprehendere, quod ipſe fecerat &c. Ad quæ pri- „ mum reſpondeo, debuiſſe prudentiam tuam præfatiunculæ commentariorum meorum „ meminiſſe, dicentis ex perſona mea . . . Origenis commentarios ſequutus ſum . . . Præ- „ termitto Didymum videntem meum, & Laodicenum (Apollinarem) de Eccleſia nuper „ egreſſum, & Alexandrum veterem hæreticum, Euſebium quoque Emiſſenum, & Theo- „ dorum Heracleoten, qui & ipſi nonnullos ſuper hac re commentariolos reliquerunt „. Eadem habent Iohannes Chryſoſtomus, & Theodoritus *in Commentar. in epiſt. ad Galat. cap.* II. Auguſtinus vero etiam nihil ſimulationis interceſſiſſe cum reprehenſus Petrus a Paulo fuit, Petrumque a Paulo revera redargutum ſcribit. *Epiſt.* LXXXII. *al.* XIX. *pag.* 143. *ſeqq.* Sed longus eſſem, ſi perſequi omnes vellem.

1 *Tom.* VII. *opp. edit. Veronenſis an* 1737. *pag.* 408.

2 *Pag.* 1368. *tom.* 1. *opp. edit. Pariſ. Monachor.* S Mauri an. 1705.

3 Harduinus *Diſſert.* qua oſtendere conatur, *Cepham a Paulo reprehenſum Petrum non eſſe. Edit. Amſtelod. an.* 1709. *pag* 920. *ſeq. opp. ſelect.*

4 Confer Jacobum Boileau *Canonic. s. Sacelli Diſquiſit. Theolog. in cap.* II. *epiſt. ad Galat. edit. Pariſ. ann.* 1713. & Calmetum *Diſſertat. S. Paulus S. Petrum redarguit.*

ſam intelligo, differam. Is erraſſe vehementer veteres illos novoſque auctores ſcribit, qui Petrum a Paulo fuiſſe reprehenſum defenderent. Id ut efficiat, ſeriem chronologicam rerum a Chriſti morte ad ſynodum Hieroſolymitanam ab Apoſtolis geſtarum ſuo arbitratu proponit, additque Cephae, eorumque, qui miſſi ab Jacobo fuerant, cauſſa celebratam ſynodum illam fuiſſe, in eaque Petrum de legis ritibus, ceremoniiſque ſententiam dixiſſe, cum Cephas verſaretur Antiochiae. Fuiſſe igitur Cepham, antequam ſynodus haberetur, redargutum a Paulo. Eos autem, qui eumdem eſſe Petrum, ac Cepham dicerent, Petrum ipſum hæreſeos reum agere ſolere. Jam vero Sacra Biblia ſtudioſe legenti ſatis eſſe perſpicuum arbitratur, nuſquam Petrum, niſi ſemel in Evangelio Johannis, fuiſſe appellatum Cepham. Quod ut oſtendat, Epiſtolæ ad Galatas capite ſecundo abutitur. Mox Hieronymum, Auguſtinum, alioſque Patres, qui communem ſententiam tuerentur, erraſſe jactat; propterea quod in Epiſtolarum Pauli codicibus, quibus uſi fuerant, loco Cephæ Petrum legiſſent. Sed cautum Eccleſiæ decreto eſſe, ne quis deinceps undecimo capitis ſecundi Epiſtolae ad Galatas verſu ſcribere Petrum pro Cepha poſſit. Eſſe namque hoc lectionis genus, quod Eccleſia Romana probat, Hieronymi, Auguſtini, Patrumque quorumdam Græcorum legendi ratione vetuſtius. Denique rejici communem, pervulgatamque de Cepha eodem ac Petro ſententiam oportere, quod inde hæretici multa concludant, quæ & falſa eſſe, & Eccleſiæ injuria videantur.

Ego vero numquam animum inducam, ut ei aſſentiar, qui adjungi ſibi auctoritatem ſine ratione vellet. Quo circa, quam primum ſeriem chronologicam rerum a Chriſti morte ad ſynodum uſque ab Apoſtolis geſtarum propoſuit, nihil moror. Eſt enim temere conficta, ut non ſolum non demonſtrari apertis ſacrarum Scripturarum locis, ſed ne veri quidem

O ſimilis

guit, quam præfixit Comment. in epiſt. ad Galat. Mitto Baronium ad *an.* 21. *n.* XXXIII. *ſeqq.* Tillemontium *t* 1. *Hiſt. Eccl. p.* 237. *edit. Pariſ.* & ex Proteſtantibus Pearſonum in Annalibus Paulinis *pag.* 10. *edit. opp. Poſthum. an.* 1688. & Baſnagium in *Annalib. ad an.* 49. *n.* IX. qui argumenta Harduini quædam proſpexerunt, & confutarunt.

ſimilis fieri conjectura poſſit. Iiſdemque in erratis eſt, quod addit de celebrata ab Apoſtolis Hieroſolymitana Synodo, Cephæ cauſſa. Non enim Lucas eum, qui ad circumciſos transfugiſſet metu; ſed eos, qui ſalutem conſequi incircumciſos e gentibus Chriſtianos inficiarentur poſſe, habendi concilii cauſſam fuiſſe (1) tradit. Neque vero, qui metuens, ne circumciſis noceret, conſuetudinem incircumciſorum fugit, idem continuo cenſuit, Chriſtianum e gentibus incircumciſum expertem vitæ ſempiternæ (2) futurum. Cephas autem etſi veritus, ne detrimento cuiquam, ac damno eſſet, ad Hieroſolymitas circumciſos venit, numquam tamen eo adductus timore eſt, ut incircumciſos e gentibus Chriſtianos perituros (3) arbitraretur. Itaque longe ab errore abfuit ſeditioſorum.

At Paulus poſt annos ab ſui *converſione* quatuordecim (4) reſtitiſſe ſe Cephæ narrat, quo quidem tempore, auctore Luca, ex Judæa venerunt, qui Chriſtianos e gentibus, ſi ſalvi eſſe vellent, circumcidi oportere contenderent. Verum niſi hoc eſt quod quæratur, jure ſuo quaſi certum arripere; quid ſit, ne ſuſpicari quidem poſſum. Magna enim, atque a ſummis viris vexata quæſtio eſt, ab eo ne tempore, quo Paulus ſacris eſt Chriſtianorum initiatus, an a primo illius Hieroſolymam adventu quatuordecim, quorum meminit, annorum ducendum initium (5) ſit. Non enim eſt Apo-

1 Lucas *Act. c. xv. v. 1. ſeqq.* „ Et quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres,
„ quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari. Facta ergo
„ ſeditione non minima Paulo, & BARNABÆ ADVERSUS ILLOS, ſtatuerunt, ut aſcende-
„ rent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Hie-
„ ruſalem ſuper hac quæſtione. Illi ergo deducti ab Eccleſia pertranſibant Phœnicem,
„ & Samariam narrantes converſionem gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus
„ fratribus. Cum autem veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab
„ Apoſtolis, & ſenioribus, annunciantes quanta Deus feciſſet cum illis. Surrexerunt
„ autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet cir-
„ cumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi. Conveneruntque Apoſtoli, &
„ ſeniores videre de verbo hoc.

2 Confer locum Tertulliani ex *lib. de Præſcript.* quem ſupra deſcripſi *pag.* 103. *not.* 1. *hujus vol.*

3 Conſule *cap.* II. *ep. ad Galatas v.* 11. *ſeqq.* & Irenæi, atque Tertulliani teſtimonia, quæ deſcripſi *pag.* 103. *hujus vol. not.* 1.

4 Harduinus *ibid.*

5 De re certa non eſt, cur eſſe multis agendum putem. Hoc breve dico: Hieronymum, cujus certe magna, in hoc potiſſimum genere, eſt auctoritas, initium annorum illorum quatuor-

Apoſtoli hac ipſa de re tam perſpicua , tamque diſtincta, quam Harduinus optaret, ſententia . Sed hoc quidem ut volet . Illud quæro : quemadmodum hinc ſe confecturum putet , ante ſynodum fuiſſe a Paulo redargutum Cepham ? Ego vero cum Interpretes eſſe Scripturarum non ſolum novos , ſed veteres etiam , eoſque magnæ auctoritatis , atque exiſtimationis videam , qui poſt ſynodum fuiſſe Cepham a Paulo reprehenſum (1) ferant , Harduini certe omnia miſcentis , ac pertubantis opinione non moveor .

Quid? ſi falſum etiam illud omnino eſt, fuiſſe tunc Cepham reprehenſum Antochiæ , cum Petrus Hieroſolymis ageret ? Quamquam enim Hieroſolymis erat Petrus , quo tempore orta eſt de legalibus quæſtio , tamen cum orta eſt, tum fuiſſe reprehenſum Cepham,oſtendi nullo modo poteſt. Quare Harduinus (2) , qui ſimul & caſtigatum a Paulo Cepham, & diſceptari de Moſaicis legibus, ceremoniiſque cœptum confidenter ſumit, concluditque , egiſſe proinde Hieroſolymis Petrum , cum Cephas eſſet Antiochiæ, res diverſis temporibus geſtas , ut ſæpæ alias, turbans , fallitur . Nam Paulum poſt ſynodum , adeoque poſt gravem illam, acremque de legis ritibus diſputationem reſtitiſſe Cephæ , cognoſcere ex Actis Apoſtolorum , litteriſque ad Galatas , etſi non ſatis certa ratione fortaſſe , at probabili ſaltem conjectura licet . Lucas enim ſeditioſos illos Hieroſolymitas , qui Antiochiam deſcenderant,cum ſuam de circumcidendis ethnicis , qui noſtris eſſent ſacris initiati , ſententiam in vulgus ſpargere cœpiſſent , oppugnatos non a Paulo ſolum; ſed etiam a Barnaba (3) fuiſſe , ejuſque rei cauſſa , cum hi duo legati ad Apoſtolos , ſenioreſque ab Eccleſia Antiochenorum miſſi Hieroſolymam,petitum conſilium,pervenilſent ,

tuordecim a triennio poſt Pauli *vocationem* eſſe ſumendum defendere . *Tom. iv. opp.* P. 1. *pag.*238.*edit. Paris. Martianai in cap.*1I.*epiſt. ad Galatas* . Confer Baronium *ad an.* 21. *n.v.ſeqq.*Cornelium a Lapide *in id. cap.* 1I. *v.* 1. *pag.* 423. *edit. Paris. an.* 1638. & Calmetium *ibid. pag.* 319. *edit. Luc. an.* 1729. Mitto ceteros , ne ſim longus .

1 Confer Corneliam a Lapide *ibid.* qui Patrum hanc eſſe communem , pervulgatamque ſententiam ſcribit . Veteres enim novoſque auctores , quos dixi , neque vacat , neque vero neceſſe eſt , ſingillatim ut numerem .

2 Harduinus *ibid.* §. 11I. *pag.*922.

3 *Confer not.* 1. *pag.* 106. *hujus vol.*

nissent, celebratam Synodum fuisse testatur. Est autem contra auctor Paulus in iis, quæ sunt ad Galatas scriptæ, litteris, Barnabam non modo non fugisse circumcisorum, quos Antiochiam Jacobus miserat, consuetudinem, sed fuisse etiam sequutum exemplum (1) Cephæ. Quo sane tempore tantum absuit, ut Barnabæ cum Paulo conveniret (quemadmodum sane convenerat, cum una simul se Hierosolymam ad Apostolos, tollendarum legalium ceremoniarum caussa, contulissent) (2) ut potius inter se dissiderent, propterea quod veluti Cephas, ita Barnabas ob simulationem reprehendendus videretur. Non ergo redargutus Cephas eo tempore a Paulo est, quo ceremoniarum legis tollendarum caussa, Pauli Barnabæque Hierosolymam dimittendorum consilium susceptum ab Antiochenis fuit. Immo vero cum Paulus Cephæ tanta animi fortitudine, constantiaque restiterit, argumento est, fuisse ante, quæ ad ceremonias legis pertinerent, ab Apostolis in Synodo constituta. Non enim invectus in eum tam acriter fuisset, nisi ante ab Apostolis, quid statuto, factoque opus esset, intellexisset (3). Ac

1 *Epist. ad Galat. cap.* II. *v.* 11. *seqq.* „ Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in „ faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jaco„ bo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, ti„ mens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, „ ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem QUOD NON „ RECTE AMBULARENT AD VERITATEM EVANGELII, dixi Cephæ coram omnibus, si tu „ cum Judæus sis gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?

2 Nam Barnabas, & Paulus acriter illis restiterant, qui immortalem vitam consequi posse neminem, qui non esset circumcisus, pugnabant. Vide supra *not.* 1. *p.* 106. *hujus vol.*

3 Nam ante quam Cephas venisset Antiochiam, reprehensusque a Paulo fuisset, Paulus Hierosolymam ascenderat, ne in vanum *currere*, aut *cucurrisse* videretur. Sic enim habet eodem in *cap. epist. ad Galatas*. *v.* 1. *seqq.* „ Deinde post annos quatuordecim „ iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumto & Tito „. En ut se cum Barnaba Hierosolymam, ante reprehensionem Cephæ, ascendisse, scribat. Cum autem is una cum Barnaba Hierosolymam ascendit, tum fuisse a concilio de ceremoniis Legis cognitum Lucas testatur, ut paullo ante *not.* 1. *pag.* 106. *hujus vol.* vidimus. Mox v. 2. Paulus addit: „ Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod „ prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in va„ cuum currerem, aut cucurrissem „. Hæc item Synodi tempore gesta Lucas indicat his verbis *Act. c.* xv. *v.* 4. „ Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ec„ clesia, & ab Apostolis, & senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis „. Pergit Paulus v. 3. „ Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus „ est circumcidi. Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare „ libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent, qui„ bus

Ac mirum ſane cuiquam videbitur, Harduinum (1) qui Cepham Hieroſolymam ad concilium aſcendiſſe negat, propterea quod ex eorum numero, qui Chriſtianos omnes circumcidi oportere dicerent, non eſſet, *ſed tantum ſe ex convictu gentilium* Chriſtianorum *ſubtraheret, non palam verbo doceret circumcidendos eſſe gentiles*, eodem tempore Barnabam aſcendiſſe ſtatuere. Nam ut Cephas, ita Barnabas ſe a Gentilium convictu (2) ſubtraxerat. Quare ſi Cephas ejus rei cauſſa non aſcendit, ne Barnabas quidem aſcenderit neceſſe eſt. Id vero cum Lucæ ſententia componi nullo modo poteſt. Aſcendiſſe enim Barnabam, qui cum Paulo adverſus Judæos palam certaverat, Lucas ſcripſit; quod eo in loco, mea quidem ſententia, non ſcripſiſſet, ſi tunc Barnabas veritus Hieroſolymitas, quod ex epiſtola ad Galatas intelligitur, ad circumciſos, contra atque Paulus voluerat, defeciſſet. Non ergo

„ bus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneret apud vos „. Quæ omnia eo tempore contigiſſe Lucas narrat, quo Synodus Hieroſolymis habenda fuit. Sic autem habet, v. 5. „ Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui credi„ derunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare Legem „ Moyſi. Conveneruntque Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc „. Scilicet *ſubintroducti falſi fratres* a Paulo nominati hi ipſi, qui crediderant, homines *de ſecta Phariſæorum* fuerunt, qui circumcidendos eſſe gentiles Chriſtianos factos, adeoque etiam Titum, jugumque gentibus imponendum defendebant. Cœptam autem narrationem Paulus perſequens v. 7. „ Cum vidiſſent (*ii, qui videbantur eſſe aliquid*) quod creditum eſt mihi „ Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis (qui enim operatus eſt Petro in Apo„ ſtolatum, operatus eſt circumciſionis mihi inter gentes) & cum cognoviſſent gratiam, quæ „ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Johannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras de„ derunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem „. At Lucas de ſynodo agens: v. 12. ubi de Petri ſententia loquutus eſt: „ Audiebant, „ *inquit*, Barnabam, & Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna, & prodigia in „ gentibus per eos „. En ut cognorint, qui *videbantur columnæ eſſe, gratiam, quæ data fuerat Paulo*. Et v. 24. deſcribens epiſtolam ab Apoſtolis, & ſenioribus in Synodo congregatis ad Antiochenos datam, hoc Apoſtolorum, hoc *eſt Petri, Jacobi* &c. ac ſeniorum de Paulo, & Barnaba teſtimonium affert: „ Quoniam audivimus, quia quidam ex „ nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas veſtras (*nempe ſubin„ troducti falſi fratres a Paulo memorati*) quibus non mandavimus, placuit nobis col„ lectis in unum eligere viros, & mittere ad vos CUM CARISSIMIS NOSTRIS BARNABA, „ ET PAULO HOMINIBUS, QUI TRADIDERUNT ANIMAS SUAS PRO NOMINE DOMINI JESU „ CHRISTI „. Quæ ſane verba ſatis oſtendunt, initam tam ab Apoſtolis Petro, Jacobo, &c. fuiſſe ſocietatem, dataſque fuiſſe dexteras, ut eſt a Paulo ipſo memoriæ traditum. Cognorunt enim illi doctrinam Pauli, adeoque tum præclarum teſtimonium de illo dixerunt. Verſu denique decimo Paulus, veniſſe Cepham Antiochiam, ſegregaſſeque ſe ab incircumciſis chriſtianis, dignumque proinde, qui reprehenderetur fuiſſe, dicit. Qua ex re intelligitur, poſt ortam de ceremoniis controverſiam, poſtque celebratam ſynodum, fuiſſe reprehenſum Cepham.

1 Harduinus *ibid.* §. 111. *pag.* 922.

2 Vide ſupra *not.* 1. *pag.* 108. *hujus vol.*

ergo tunc, sed alio tempore sese Barnabas a Christianis e gentibus segregarat, imitatus Cepham. Sed multa quidem Harduinus persequitur, quæ cum Pauli, Lucæque testimoniis vehementer pugnant. Scribit enim Paulus, post annos (ab sui ne *conversione*, an a primo suo in principem Judææ urbem itinere, non indicat) quatuordecim, Hierosolymam se una cum Barnaba, Titoque venisse, suumque cum Jacobo, ac Cepha Evangelium contulisse. Titum, qui *gentilis* esset, compulsum, ut circumcideretur, non fuisse, etsi *subintroducti falsi fratres, qui subintrojerant*, eum, sociosque in servitutem redigere conarentur. Interea eos, qui videbantur columnæ esse, cum cognossent, quæ ipsi gratia tributa, quodque *Evangelium creditum a Christo Servatore fuisset*, dexteras *ipsi Paulo, Barnabaeque* dedisse *societatis, ut hi in gentes, illi autem in circumcisionem*. Venisse porro Cepham Antiochiam, reprehensumque jure fuisse, propterea quod desertis incircumcisis ad circumcisos Hierosolymitas confugisset, qui Barnabam quoque ad eam simulationem induxerant.

Ex qua re intelligitur, ante quidem Paulum, ac Barnabam Hierosolymam ad Apostolos habendi concilii caussa contendisse, quam Cepha Antiochiam venisset. (1) Nam si, post reprehensum Cepham, Paulus Hierosolymam ad concilium revertisset, easque litteras ab Apostolis impetrasset, quarum est ab Luca descripta summa, numquam id quidem silentio præterisset, quod ad convincendos Galatas, quos redarguit, pertineret. Constituendum est igitur, venisse Antiochiam Cepham post celebratam Hierosolymis synodum. Cumque Cepham, & Jacobum, & Johannem, qui videbantur columnæ esse, Hierosolymis egisse, quo tempore in eam urbem Paulus, & Barnabas ascenderunt, idem sit auctor Paulus (2) affirmetque Lucas (3) Petrum & Jacobum, & alios Apostolos, quorum nomina tacitus prætermittit, concilio interfuisse; relinquitur, ut Cephas, & Jacobus, & Johannes iidem, atque Petrus, & Jacobus, & Jo-

1 *Vide supra pag.* 108. *seq. not.* 3. *hujus vol.*
2 Confer *not.* 3. *pag.* 108. *seq. hujus vol.*
3 Consule *not.* 1. *p.* 106. *& not.* 3. *pag.* 108. *seq. hujus vol.*

& Johannes fuerint, qui certe, quod essent Apostoli, columnæ Ecclesiæ videbantur; utque nihil repugnet, quo minus Petrus aliquamdiu post, quam est synodus celebrata, Antiochiam descenderit, quin opus esset, ut continuo Hierosolymam reverteretur. Denique reliqua Harduini (1) oratio de celeri reditu Cephæ, seu Petri Antochia Hierosolymam, concilii habendi caussa, nugatoria est; cum ex rebus hactenus disputatis, ante fuisse Synodum celebratam constet, quam Cephas iter Antiochienum aggressus esset.

Atqui perstat Harduinus, (2) Lucæque testimonio Cepham ante synodum fuisse a Paulo redargutum efficere conatur. Nam ubi, inquit, de legatis Saulo, Barnaba, Syla, & Juda a Concilio Antiochiam missis, Lucas egit, hæc demum capite decimo quinto, versu tricesimo, sequentibusque persequitur. *Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epistolam . . . Iudas autem, & Sylas facto ibi aliquanto tempore dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos . . . Post aliquos autem dies . . . Paulus . . . profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum.* Non potuit autem, eo *aliquanto tempore*, quod Lucas memorat, a Paulo reprehendi Petrus. Qui enim Hierosolymis versabatur, quo tandem modo redargutus fuisset Antiochiæ? At agebat tunc Petrus Hierosolymis. Nam Lucas, post id *aliquantum tempus*, Judam, & Sylam ad eos, a quibus missi fuerant, revertisse scribit. Missi autem a Petro, & Jacobo fuerant. Ad Petrum igitur reversi fuerint, necesse est. Quare Hierosolymis eo *aliquanto tempore* Petrus constitit. Jam vero Juda, ac Syla dimissis, decem fere dies Paulus mansit Antiochiæ. Lucas enim *post aliquot dies* eum inde profectum tradit. At τὸ *post aliquot dies* vix plures, quam decem indicat. Tam brevi autem tempore Petrum Hierosolymis profectum Antiochiam pervenire, itaque se gerere potuisse, ut dignus, qui a Paulo tandem redar-

1 *Hard. pag.* 923. §. 111.
2 Idem *ibid. pag.* 923. §. 1v.

dargueretur, esset; quis credat? Neque ratio ulla erat, ut post tam recentem legationem Petrus Antiochiam descenderet.

Sed leve id quidem est, quod multis modis explicari, evertique potest. Quid autem est, quod Petrum eo *aliquanto tempore* Antiochiam non venisse demonstret? Nam quod Silas post id *aliquantum tempus* ad eos, a quibus missus erat, reverterit, non efficit, manendum interea Hierosolymis fuisse Petro. Non enim Judas a Petro, & Jacobo solum, ut Harduinus censet, sed a pluribus aliis, quod Lucas scribit (1), missus fuit Antiochiam. Itaque etsi interea Petrus Hierosolymis Antiochiam profectus esset; cum tamen permulti eorum, a quibus missus Judas fuerat, Hierosolymis constitissent, Judas certe ad eos, a quibus missus fuerat, revertisset. Neque vero hunc Lucas ad eos *omnes*, sed ad *eos*, a quibus missus fuerat, rediisse narrat (2) quæ res salva esset, etiamsi Petrus Hierosolymis abfuisset. Quamquam esse aliquos video, qui post Judæ reditum, Petrum Antiochiam fuisse profectum arbitrentur. At post aliquot, quam Hierosolymam revertit, dies, Paulus, ut est auctor Lucas, Antiochia secessit. Ita quidem Harduinus (3) existimat. Sed Lucas *post aliquos dies* ortam inter Paulum, & Barnabam contentionem fuisse scribit (4); statim ne vero ille abierit, an aliquamdiu post, quam orta contentio est, nusquam scribit. Rem autem, quam Lucas tacuit, jactare, quasi dicta esset ab Luca, Harduino profecto non licet. Quid? si ne *intervallum* quidem illud *aliquorum dierum*, quos Lucas

1 Lucas *ibid. v.* 22. „ Tunc placuit Apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia eli-
„ gere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Judam, qui co-
„ gnominabatur Barsabas, & Sylam viros primos in fratribus.

2 V. 33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos,
„ qui miserant illos. Visum est autem Sylæ ibi remanere; Judas autem solus abiit Jeru-
„ salem.

3 Harduinus *pag.* 923.

4 Lucas *ibid. v.* 35. „ Paulus autem, & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes,
„ & evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. Post aliquot autem dies dixit ad
„ Barnabam Paulus: revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus
„ prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum
„ assumere & Johannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum, ut
„ qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus, non debere recipi.
„ Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, & Barnabas quidem assumto
„ Marco navigaret Cyprum, Paulus vero electo Syla profectus est &c.

Lucas memorat, reduci possit ad dies omnino decem? Nam *τὸ μετὰ τινας ἡμέρας post aliquos dies*, ut in quinque, vel decem, ita cadere in dies triginta potest. Denique curæ Paulo fuisse, ut Ecclesias Syriæ, Ciliciæque institueret, easque ad præcepta Apostolorum colenda hortaretur, constat; datum vero idipsum ei in mandatis ab Synodo fuisse, ut visum est Harduino (1), non item (2).

Atenim immunis ab hæreseos (3) labe Petrus non esset, si reprehensus ipse, imprimisque post synodum Hierosolymitanam fuisset a Paulo. Equidem non miror Harduinum, qui eos Atheos esse putaverit (4) quos ceteri christianos esse certo scirent, hæreticum etiam, invito Paulo, appellasse Cepham. Nam qui in hæreticis numerat Petrum (si is idem atque Cephas fuisset) Cepham scilicet, qui non idem ac Petrus esset, in hæreticis numerarit, necesse est. Quamquam Cepham *reprehensibilem* fuisse Paulus dicat, hæreticum autem non dicat. Verum fas sibi esse in hæreticis Cepham ponere putet is, qui mentiri videtur, scriptorem Bibliorum Græcorum novi Testamenti, Prodromum fuisse (5), Lutheranorum, & Jansenianorum. Sed venio ad rem. Itaque Harduinus in hæresim eum incidisse jactat, qui sibi ab circumcisis metuens incircumcisorum refugerit societatem. Factum autem id fuisse a Cepha. Cepham igitur esse condemnandum hæreseos crimine. Quod si Cephas idem ac Petrus fuit, hæreticum sane fuisse Petrum. Id vero concedi nullo modo posse.

Sed is scriptor, qui plus sibi, quam Patribus tribui auctoritatis vellet, non animadvertit, damnato Cepha, damnari quoque Barnabam oportere virum & Apostolicum, & socium, atque adjutorem Apostolorum. Nam ut Cepham, ita Barnabam ad circumcisos Hierosolymitas transf-

P

1 Harduinus *ibid.* §. IV. *pag.* 923.

2 Lucas *cap.* XV. *Act. v.* 41. „ Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam confirmans „ Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum „.

3 Harduinus *ibid. pag.* 924. §. V.

4 Hard. *in eo Tractatu*, quem inscripsit: *Athei detecti*, quique editus an. 1733. Amstelodami cum aliis quibusdam ejus opusculis est, *pag.* 1. *seqq.* Cartesium, Arnaldum, Malebranchium, Ludovicum Thomassinum, aliosque nonnullos per summam injuriam, calumniamque in Atheos retulit.

5 Harduinus in *Proleg. ad Commentarios librorum novi Testamenti edit. Amstelod. an.* 1741. *pag.* 2. *seq.*

transfugiſſe (1) liquet. Jam vero hæreſeos accuſare eum, cui etſi Paulus reſtitit, numquam tamen eſt interdictum Chriſtianorum ſacris, hominum quidem eſt non inveſtigandæ, ſed involvendæ veritatis ſtudio, ne gravius dicam, ſcribentium. Ecquis autem Chriſti, Apoſtolorumve diſcipulum, qualem fuiſſe Cepham conſtat, in hæreticos reponendum putet, qui non modo non erraret ipſe, ſed ne cum iis quidem, qui hæreſim fecerant, congrederetur? At Cephas, qui dimiſſis incircumciſis ad Hieroſolymitas Chriſtianos venit, nihil umquam aut docuit, aut præcepit, quod a decretis Chriſtianæ religionis alienum eſſet. Quid? Si ne Hieroſolymitæ quidem illi ab Jacobo miſſi Antiochiam? Non enim his fuit a Paulo attributa ſeditioſorum opinio (2), qui negarent incircumciſos Chriſtianos impetrare ſalutem poſſe. Attributa autem fuiſſet, ſi ſeditioſis conſenſiſſent, quos Lucas ſcribit e ſecta fuiſſe (3) Phariſæorum. Atque ab horum quidem errore, quem Apoſtoli, ſenioreſque in ſynodo Hieroſolymitana rejecerant, abfuiſſe eos, quos Jacobus miſerat Antiochiam, auctor eſt Irenæus (4) in tertio adverſus hæreſes libro. Quid? Si cognita omnibus erat Cephæ de ceremoniis, ritibuſque Moſaicæ legis ab Ethnico Chriſtiano facto haudquaquam colendis, obſervandiſque ſententia? Is enim etſi eſſet origine Judæus, verſatus tamen aliquando cum *incircumciſis* Chriſtianis e gentibus fuerat, itaque ſatis oſtenderat, beatum eſſe, ſuo quidem judicio, *incircumciſum* Chriſtianum (5) poſſe. Quod ſi Cephas metu compulſus ad Hieroſolymitas, qui neque hæretici eſſent, neque in hæreſeos veniſſent ſuſpicionem, profugit, inducereque alios viſus eſt, ut ſuum exemplum imitarentur, dignus quidem, qui a Paulo reprehenderetur, fuit; hæreticus certe (6) non fuit. Ex qua re exiſtit & illud, Cepham eumdem atque Petrum fuiſſe. Niſi enim fuiſſet, non minor fuiſſet dignitas, atque auctoritas Barnabæ,

1 Vide ſupra *not.* 1. *pag.* 108. *hujus vol.*
2 Confer *not.* 1. *pag.* 108. *hujus vol.*
3 Conſule *not.* 1. *pag.* 106 *hujus vol.*
4 Vide locum Irenæi *pag.* 103. *hujus vol. not.* 1.
5 Confer *not.* 1. *pag.* 108. *hujus vol.*
6 Conſule locum Tertulliani ſupra deſcriptum *not.* 1. *pag.* 103. *hujus vol.*

bæ, dignitate, auctoritateque Cephæ. Quamobrem non plus Cephas exemplo suo gentibus, quam Barnabas, nocuisset. At Paulus Cepham eam ob causam reprehendit, omisso Barnaba. Fuit igitur Cephæ dignitas, atque potestas Barnabæ dignitate, potestateque præstantior. Cumque socius, adjutor, discipulusque Apostolorum esset nemo Barnaba auctoritate major; sequitur, Cepham Apostolum fuisse, non socium, atque adjutorem Apostolorum. Demto autem Petro, quis unquam in Apostolorum cœtu fuit, qui appellari posset Cephæ (1) nomine? Petrum igitur eumdem atque Cepham fuisse, confitendum est.

Neque vero in periculum vocatur sacrarum Scripturarum fides, si quis Petrum fuisse a Paulo reprehensum dicat (2). Vocatam enim ab Gregorio, a Cyrillo, ab Augustino, a Theodorito, ab Hieronymo, a Chrysostomo, a Cypriano, a Tertulliano, ab Irenæo, uno verbo, ab omnibus fere Ecclesiæ Patribus in periculum fuisse (3), non credam. At enim *non recte Petrus ambulasset ad Evangelii veritatem*, si Paulum auctorem sequamur. Quis negat? Verum cur Petro Harduinus Barnabam non adjunxit (4), quem Paulus ejusdem scribit fuisse simulationis reum? Atque erat diligenter considerandum, qui sensus horum Pauli verborum esset: *non recte ambulare ad Evangelii veritatem*. Nam & qui male sentit, & qui contra, atque jus, fasque postulet, agit, cum sit in vitio, haud recte incedit ad Evangelii veritatem.

1 Huic enim uni inditum Cephæ nomen a Christo fuit. Vide Evangelium Johannis *cap.* 1. *v.* 42.

2 Harduinus periclitari sacrarum Scripturarum fidem, si Petrus dicamus eumdem atque Cepham fuisse, scribit §. VI. *pag.* 924. *seq.*

3 Confer Augustini, cæterorumque, quos nominavi, Patrum loca *not.* 1. *pag.* 103. *seq. hujus volum.* Consule etiam Gregorii Magni testimonium, quod supra *pag.* 104. descripsi. Accedit Cyrillus Alexandrinus, qui in extremo nono contra Julianum libro *pag.* 325. *edit. an.* 1696. „ Cavillatur, *inquit*, Julianus, & eximium inter sanctos Apostolos Petrum „ hypocritam esse dicit, & per Paulum reprehensum, & quod interdum Græcorum mo- „ ribus vivere studuerit, interdum etiam Judæorum, ignorans omnino artificiosissimam „ in illis dispensationem „. Quibus ex verbis intelligitur, fuisse, Cyrilli quoque sententia, eumdem Cepham, atque Principem Apostolorum Petrum. Sed plura Sanctorum veterum dicta referre neque vacat, neque vero est opus.

4 Confer *Pauli ex Epist. ad Galat.* locum supra descriptum *not.* 1. *pag.* 108.

tatem. Non enim recte sentire modo, sed etiam candide, recteque agere Evangelicum est. Rursum simulate maleque agentium genera indicari possunt omnino duo; primum eorum qui scientes, atque volentes simulant, maleque agunt; alterum eorum, qui sic agunt, ut quidquam se male agere, non solum non videant, sed ne suspicentur quidem. Nec gravis criminis accusandus continuo est, qui ne damnum alteri (1) apportet, quin quæ detrimenta sequantur prospiciat, id agit, quod sibi non esse vetitum certo sciat. Jam vero haud recte sensisse Cepham, nec dixit Paulus, neque caussa erat ulla, cur esse dicendum arbitraretur. Relinquitur ergo, ut vel simulans minus recte id fecerit, quod non esse sibi vetitum certo sciret (2) idque admiserit, quod veniale

1 Cephas enim non quod ab Hierosolymitis metueret, sed quod vereretur, ne ipsis Hierosolymitis *scandalum*, quod dicimus, inferret; ut, Judæus cum esset, cum circumcisis versaretur, ut ne turbæ orirentur, neve in salutis periculum, qui ab Jacobo venerant, vocarentur, segregare se ab incircumcisis constituit. Quare Chrysostomus, cui vis certe græci sermonis explorata erat, *in cap.* 11. *epist. ad Galatas pag.* 688. *tom.* x. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri* Φοβούμενος, inquit, τοὺς ἐκ περιτομῆς. οὐ τοῦτο φοβούμενος, μὴ κινδυνεύσῃ· ὁ γὰρ ἐν ἀρχῇ μὴ φοβηθεὶς, πολλῷ μᾶλλον τότε. ἀλλ' ἵνα μὴ ἀποστῶσιν. ἐπεὶ καὶ αὐτὸς λέγει Γαλάταις, φοβοῦμαι ὑμᾶς, μή πως εἰκῇ κεκοπίακα &c. *Metuens eos, qui ex circumcisione erant*. „ Non hoc metuens, ne ipse in periculum veniret. Qui enim „ in principio non timuerat, multo minus tunc. Verum (metuebat) ne (illi) deficerent. „ Nam & ipse Paulus Galatis dicit, *Timeo vos ne frustra laboraverim* „. Addit mox Chrysostomus: ὁ μὲν γὰρ τοῦ θανάτου φόβος οὐδὲν ἦν αὐτοῖς. ὁ δὲ τῆς ἀπωλείας τῶν μαθητῶν, σφόδρα αὐτῶν καθίκνει τῆς ψυχῆς. *Nihil enim ipsis erat metus mortis; sed metus, ne perderent discipulos, vehementer concutiebat eorum animam*. Consentit s. Thom. *Lect.* 111. *in cap.* 11. *epist. ad Galat. pag.* 267. *edit. Antuerp. an.* 1620. ubi „ *Segregabat* „ *se ab eis*. Et hoc ideo, *inquit*, quia erat timens eos, qui ex circumcisione erant; id „ est Judæos, non quidem timore humano, sive mundano, sed timore caritatis, ne scili- „ cet scandalizarentur, sicut dicitur in Glossa. Et ideo factus est Judæis tamquam Judæus, „ simulans se cum infirmis idem sentire, sed tamen inordinate timebat, quia veritas num- „ quam dimittenda est propter timorem scandali.

2 S. Thomas *ibidem*. „ Respondeo, *inquit*, dicendum, quod post gratiam Spiritus „ sancti nullo modo peccarunt mortaliter Apostoli, & hoc donum habuerunt per poten- „ tiam divinam, quæ eos confirmaverat .... Peccaverunt tamen venialiter, & hoc fuit ex „ ex fragilitate humana. 1. *Johan.* 1. *si dixerimus, quia peccatum non habemus*, scili- „ cet veniale, *ipsi nos seducimus &c.* .... Ex prædictis ergo habemus exemplum; prælati „ quidem humilitatis, ut non dedignentur a minoribus & subditis corrigi: subditi vero „ exemplum zeli, & libertatis, ut non vereantur prælatos corrigere, præsertim si crimen „ est publicum, & in periculum multitudinis vergat. Consequenter cum dicit *Priusquam* „ *venirent*, manifestat ea, quæ dixit. Et primo hoc, quod dixit, eum *reprehensibilem esse*. „ Secundo vero hoc, quod dixit, *Petrum reprehendisse*. Ibi: *Sed cum vidissem &c.* Cir- „ ca primum tria facit. Primo ostendit quid Petrus sentiebat, secundo quid faciebat. Ibi: „ *cum autem venisset*. Tertio quid inde sequebatur. Ibi: *& simulationi ejus*. Dicit „ ergo circa primum, quod Petrus sentiebat, legalia non esse servanda. Et hoc facto osten- „ debat, *quia priusquam venirent quidam Judæi*, scilicet zelantes pro legalibus ab Ja- „ cobo

niale (1) existimaretur, & esset; vel cum ita se gesserit, ut sese nihil contra jus facientem, Christianis e circumcisione utilitati, Christianis autem gentibus nullo detrimento, ac damno futurum putarit, ne leviter quidem (2) peccasse videretur. Ac videant, qui Harduini libros legunt, illudque etiam, atque etiam considerent, deterius ne fuerit consuetudinem incircumcisorum refugisse metu (3) an Romæ numquam fuisse Petrum cum hæreticis hujus ætatis impudenter (4) contendere. Primum enim, si quod fuit, Cæphæ; alterum certe Harduini peccatum fuit.

Venio

cobo Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo; edebat scilicet Petrus *cum gentibus*, idest indifferenter utebatur cibis gentilium; & hoc faciebat ex instinctu Spiritus Sancti &c. Quid autem faciebat, ostendit hic Paulus dicens: quod cum autem venissent Judæis, *subtrahebat se* a consortio fidelium, qui fuerant ex gentibus, adhærens Judæis tantum, & segregans se cum eis .... Quid autem ex hac simulatione sequebatur, subdit dicens, quod simulationi ejus scilicet Petri, consenserunt ceteri Judæi, qui erant Antiochiæ .... Ita fuit illa simulatio in cordibus fidelium, ut etiam Barnabas .... duceretur ab eis in illam simulationem.

1 Confer S. Thomam *ibid pag.* 268. ubi: „ Post passionem Christi, *inquit*, immediate ante gratiam divulgatam, sicut tempore Apostolorum in principio .... dicit Augustinus, legalia mortua fuisse, sed tamen non mortifera Judæis conversis, dummodo ipsa servantes spem in eis non ponerent, ita quod etiam ipsi Judæi (*e quorum numero Cephas erat*) ipsa servantes tunc non peccarent. Si vero in eis spem posuissent, quicumque conversi ea servantes, peccassent mortaliter, quia si posuissent in eis spem, quasi essent necessaria ad salutem, quantum in eis erat, evacuassent gratiam Christi.

2 Ita quidem censet Cæsar Cardinalis Baronius ad *an.* 51. *n.* XLI. *seqq.* Timebat, *inquit*, Petrus, ne si ab illis nuper advenientibus Hierosolymis compertus esset gentiliter, & non judaice vivere, scandalum illis, & offensionem inferret, hac nimirum imprimis ex caussa. Non enim sic quidem in Hierosolymitano concilio de legalibus non utendis prospectum Judæis perinde ac gentilibus fuit, ut eadem lex fuerit utrisque statuta, ne legalibus uterentur; sed illud tantum, quod dictum est, ne gentiles, qui ad fidem venissent, cogerentur circumcidi, ac cetera servare legalia. Quod cum haud facile fuerit obtineri; nam, ut idem ait Paulus, seorsum ab illis, qui videbantur aliquid esse, & venerant explorare, an Paulus gentiliter viveret, caussam agere opus fuit, contendentibus illis, Titum, quem duxerat, circumcidi debere, quibus nec ad horam, ut ait idem Paulus, sibi cedendum esse putavit. Si ergo illi non tantum quod optabant, in gentiles legalia propagari, consecutum sibi minus fuisse, sed & ipsos Judæos penitus legalibus spoliatos ad gentilitatem redactos esse intellexissent, quales turbas, quantas dissensiones eos fore concitaturos par erat existimare? „ Ceterum de his, quæ horum occasione exortæ sunt dissensiones, alia diversa est habenda ratio, cum non ejus voluntate, sed præter spem, atque sententiam ea prorsus acciderint „. Hæc ille, ex quibus concludit: a neutro ipsorum, nempe Petro, ac Paulo admissum fuisse peccatum.

3 Non quo ipse vereretur, ne quid sibi adversi eveniret, sed quo metueret, ne si cum Christianis e gentibus mansisset, Christiani e circumcisione detrimentum salutis caperent.

4 Sic enim statuit Harduinus in Commentariis in Evangelium secundum Matthæum *cap.* XXIII. *v.* 34. *pag.* 81. *Edit. Amstelod. an.* 1741. „ Occidetis, *inquit*, Stephanum (*o Judæi*) Petrum crucifigetis. Certe & aliquem ex his, quos missurus erat, cru-

Venio ad appellationem (1) Cephæ. Nego eum, quem Paulus versu septimo, & octavo capitis secundi Epistolæ ad Galatas Petrum nominat, versu sequenti nominari nullo modo potuisse Cepham. Quum enim exploratum omnibus esset, fuisse Petrum a Christo vocatum Cepham (2), claram, perspicuamque Paulus existimavit suam orationem futuram, si quem versu octavo Petri, eumdem versu nono appellaret Cephæ nomine. Non minus levia sunt, quæ mox Harduinus (3) scribit de pacto, quod initum inter Paulum, & Cepham esset, ut hic Antiochiam veniret, Evangeliumque Judæis, qui in principe Syriæ urbe, Corinthi, atque in Galatia versarentur, exponeret. Nam cum id confictum illius arbitratu est, tum quo tandem pertineat, ne suspicari quidem possum. Paulus enim ut Cephæ (4), ita Petro (5) fuisse *circumcisionis Apostolatum* attributum narrat. Quare nihil impedit *circumcisionis Apostolatus*, quo minus Cephas idem ac Petrus esset. At Petrus Galatas numquam (6) invisit. Ego vero si negem, quibus id argumentis effici ab Harduino possit, nescio. Nam quod ejus rei nullam a Petro in utraque Epistola fieri mentionem, addit, inane est. Quot enim sunt a scriptoribus prætermissa, quæ non solum audierint ipsi, sed etiam viderint? Sed fac Petrus Galatas numquam inviserit: Quid? An scriptum a Paulo est,

„ crucifigendum esse ab ipsismet Iudæis, stante urbe, & æde Christus prædicit his verbis: & idem Johannis XXI. v. 18. 19. crucifigendum esse Petrum prænunciat, nec alius omnino legitur ab ipsis crucifixus. Vaticinium istud Salvatoris apertius est profecto, quam ut fas sit illud, ob quantumlibet ingentem numerum multo postea secus narrantium, qui nec ipsi inter se constant, in aliam sententiam detorquere. Petri saltem caput Romam postea fuisse delatum a Christianis ex Hierosolymis omnino credimus, ibique religiose illud coli oportere. At Romam venisse Petrum necesse non est, ut sit summus Pontifex Christi Vicarius, & Petri successor, quippe qui proprie Episcopus Romanus, sive solius Urbis Romæ non sit, sed ut in Bullis suis semper superscribit: *Clemens Episcopus*, vel *Clemens Papa*: aut ut subscribit in iisdem ab omni ævo: *Ego Clemens*, aliove nomine, *Catholicæ Ecclesiæ Episcopus*. Neque eum Romanam aliamve peculiarem diœcesim, sed Orbem Christianum universum Christus Petro regendum commisit „. Hæc ille turbat, ut res inter se pugnantes possit componere. At veteres omnes & venisse Romam, & mortuum ibi fuisse Petrum, & ob Episcopatum Petri Romanum Pontificem esse ejusdem Petri successorem scribunt. Sed de his alias.

1 Harduinus *in Dissert. de Cepha pag.* 925. §. 7. *edit. Amstelod. Opp. an.* 1709.
2 In Evangelio *Johan. cap.* 1. *v.* 42.
3 Harduinus *ibid* §. VIII. *pag.* 926.
4 *Epist. ad Galat. cap.* II. *v.* 9.
5 *Epist. ad Galat cap.* II. *v.* 8.
6 Harduinus *ibid.*

est, in Galatiam aliquando venisse (1) Cepham? Nihil dico mihi videri minus. Paulus namque Galatis, quod ipse contra Cepham egerat Antiochiæ (2) narravit; venisse autem in Galatiam Cepham, non item. Corinthum autem numquam advenisse Petrum, quo se auctore confecturum Harduinus (3) censet? Brunone Carthusiensi (4) dicet, sat scio. Ridiculum! Qui enim Patribus non credit, is certe numquam extorquebit, ut Brunoni scriptori & novo (5) & minus diligenti credendum arbitremur.

At Paulus, inquit Harduinus, coram omnibus Cepham (6) coarguit, quin eum ante secreto, ut præceptum a Christo in Evangelio est, monuisset. Quare si Cephas idem atque Petrus fuit, violasset Paulus præceptum Christi. Id quod non solum dici nullo modo, sed ne cogitari quidem potest. Potuit autem Cepham, qui a Petro differret, Paulus salvo præcepto, ut discipulum, palam arguere.

Quam multa paucis verbis errata! Principio ubinam Harduinus legit fuisse Cepham Pauli auditorem, atque discipulum? Annon ex eadem Epistola ad Galatas intelligere potuit, Cepham, (7) qui videbatur columna esse, dedisse dexteram Paulo, idque indicium fuisse initæ cum Doctore

1 Confer *Epist. ad Galatas*.

2 Epist. ad Galatas *cap.* II. *v.* 11. *seqq.*

3 Atsi Harduinus venisse Corinthum Petrum negat *ibid.* §. VIII *pag.* 926. concedunt tamen veteres, quorum longe est potior auctoritas. Nam qui Cepham eumdem atque Petrum fuisse dixerunt, ut Irenæus, ut Tertullianus, ut alii, quos nominavi, iidem certe Petrum Corinthum venisse, confessi fuerint necesse est, cum Cepham in hanc urbem appulisse ex priore Epistolæ ad Corinthios primæ capite intelligi possit. Quo magis confidentiam Harduini, temeritatemque miror, qui nullum probabilem auctorem tradere affirmet, Corinthum umquam accessisse Petrum. *Ibid. pag.* 626. Quid enim? An Dionysium seculi secundi Scriptorem, & Episcopum Corinthiorum neque probabilem esse, neque cum Brunone Carthusiensi comparari posse arbitratur? At Dionysius apud Eusebium *lib.* II. *Hist. cap.* XXV. *edit. Taurin. an.* 1746. *pag.* 76. ad Romanos scribens. „ Ita „ & vos, *inquit*, tanta admonitione vestra, sementem, quæ Petri ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet, & Corinthios simul commiscuistis. καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν „ ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν. *Ambo enim illi & in nostram* „ *Corinthum plantantes nos similiter docuerunt* „. Atque is unus satis esse ad Harduinum convincendum potest.

4 Harduinus *ibid.*

5 S. Bruno Carthusiensis, qui vixit seculo Eccl. XI. *In epistol.* I. *ad Corinth. cap.* I. *fol.* 287. *edit. an.* 1524.

6 Harduinus *ibid.* §. IX. *pag.* 926.

7 *Cap.* II. *v.* 9. *seqq.*

ctore gentium societatis? Hæc vero tam magnifice de Cepha prædicari a Paulo potuisse, si hujus ille discipulus fuisset, quis credat? Socius scilicet Pauli in fungendo munere Apostolatus, data dextera, Cephas fuit, discipulus profecto non fuit. Deinde quæ illa est tam arbitraria evangelici præcepti de corripiendo secreto fratre, qui in nostrum quemquam peccarit, interpretatio? Nam Christus, non monitum secreto discipulum coram Ecclesia palam reprehendi posse, socium vero non posse, nusquam dixit. De corripiendo antea secreto fratre legem (1) tulit. Jam vero ut socius, ita etiam discipulus frater est. Quare quemadmodum socium, sic discipulum peccantem, quem quis secreto antea non corripuerit, publice redarguere non licet. Sed longe discrepans ratio fuit, cur palam Cepham, quem secreto antea non corripuisset, Paulus coram omnibus reprehenderit. Peccatum enim, si quod fuit publice admissum, (2) publice reprehendendum, ut *scandalum* tolleretur, fuit.

Mitto quod (3) adjungit, quasi dictum a Paulo fuerit: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines*, ut Jacobus, & Cephas, & Johannes, sed *per Iesum Christum.*. Dum enim his verbis usus est Paulus, nullam fecit aut Jacobi, aut Cephæ, aut Johannis, quos Harduinus nominat, mentionem. Nihil autem Paulus eos, qui esse aliquid videbantur, sibi (4) contulisse scribit, non quod illi, qui *aliquid*, *& columnæ* existimabantur, Apostoli non essent, ut Harduinus oscitans hallucinatus est; sed quod a Christo ipsi Paulo data fuisset Evangelii promulgandi potestas, qua re cognita Apostoli Petrus, Jacobus, atque Johannes dexteras ei, Barnabæque dederunt societatis, ut *hi in gentes, illi autem in* (5) *circumcisionem*. Tædet præterea

1 Matth. *cap.* XVIII. *v.* 15.

2 Confer s. Thomam *in cap.* II. *epist. ad Galatas lect.* III. *pag.* 267. *editionis supra indicatæ.*

3 Harduinus *ibid. pag.* 927. §. X.

4 *Epist. ad Galat. cap.* II. *v.* 6.

5 S. Thomas *ibid. lect.* II. *pag.* 266. „ Ostenso, *inquit*, quod Apostolus in nullo re-„ cessit

rerea me ceterarum Harduini ineptiarum de Petro. Quid enim tam leve est, quam illud de patria principis Apostolorum? Galilæus, inquit, is fuit, non Judæus. Quasi vero Galilæi qui erant, iidem non originis caussa modo, sed etiam religionis, Judæi vocari nequiverint. Nonne Christus, quem matre Galilæa natum, atque in Galilæa educatum constat, adeout Nazaretum suam patriam appellaret, Judæus est interdum vocatus in Evangelio (1)?

Illud autem nullo modo ferendum est, quod idem Harduinus (2) decimo paragrapho *dissertationis* jactat. Eo, inquit, omnis id, prioribus duobus capitibus Epistolæ, Pauli spectat oratio, ut Galatis persuadeat, sibi esse auscultandum, non Cephæ, qui etiam tum gentes judaizare cogeret. Quid enim tam temerarium, tamque indignum Theologi gravitate, atque constantia, quam somnia, resque inanes, quasi Epistolis Pauli contineantur, impudenter defendere? Non enim Paulus, mansisse cum circumcisis post reprehensionem Cepham, coegisseque gentes judaizare, ut Harduinus calumniando efficere conatur; sed restitisse se Cephæ, propterea quod reprehensibilis fuisset (3) scripsit. Cum igitur fuisse, non *esse*, reprehensibilem Cepham, dixerit, magno argumento esse debet, nihil postmodum ab Cepha fuisse tentatum simile. Nam quod ad eos Galatas attinet, quos Paulus *insensatos* vocat, propterea quod ritus, ceremoniasque legis colendas arbitrarentur, non est ad rem. Non enim a Cepha Paulus; sed a nescio (4) quo inductos in eam opinionem fuisse tradit. Quod si hujus rei caussa Cephas fuisset, ejus certe nomen non fuisset silentio prætermissum a Paulo. Quibus porro oculis in Epistolis Pauli Harduinus vidit, non fuisse discipulum Christi Servato-

„ cessit a sententia sua in collatione prædicta, hic consequenter ostendit, quod nihil suæ „ doctrinæ per alios Apostolos superadditum fuit „. En quomodo sit ea Pauli explicanda sententia.

1 *Joh.* IV. *v.* 9. Paulus item, qui Tharsensis fuit, sese natura Judæum vocat *in* II. *ad Galat. capite v.* 15.

2 Harduinus *ibid.*

3 *Epist. ad Galat. cap.* II. *v.* 9. *seqq.*

4 *Epist. ad Galat. cap.* III. *v.* 1.

ris (1) Cepham? aut cognitum Paulo Cepham, nisi post annos a primo itinere Hierosolymitano quatuordecim? aut Cephæ fuisse Paulum anteferendum? At nisi, inquit, ita sese res habuisset, nihil ea de Cepha narratio ad institutum Pauli contulisset. Ita ne vero? An non erat ad rem Galatis *judaizantibus*, quæ adversus Cepham, metus caussa ad circumcisos se conferentem, gesta fuissent, proponere, ut quemadmodum hic fecerat; ita illi ab observandis ceremoniis mosaicæ legis deterrerentur? Nam si jure reprehensus est Petrus, hoc est Cephas, caput, princepsque Apostolorum, quod metu perdendæ salutis aliorum adductus, ad circumcisos ab Jacobo Antiochiam missos venit; quanto magis erant coarguendi, qui cum tanta non essent præditi auctoritate, tum *opera legis* non metu compulsi, sed sponte colenda, quasi conducere ad salutem sempiternam possent, atque servanda defenderent?

Quod deinde §. XI. ex primo Epistolæ ad Corinthios primæ capite Harduinus opponit, quoniam explicatum alio loco est (2), nunc omittatur. Illud quæro, quid ille ex tertio capite concludere se posse speret? Paulus, inquit, qui paullo ante primo loco se, tum Apollo, deinde Cepham nominavit, tum plantasse quidem Ecclesiam Corinthiorum se, irrigasse autem Apollo dixit, Cepham vero aut plantasse, aut irrigasse non (3) dixit. Dixisset autem si Cephas idem atque Petrus fuisset. Quinetiam genitos ab se in Christo Corinthios fuisse, non ab Apollo, aut Cepha, gloriatur. At geniti illi quidem a Petro fuerant, qui princeps esset Apostolorum (4). Mihi vero sic videtur: cur Cepham Paulus prætermiserit, facile esse existimare. Neque enim aut plantasset Cephas, aut irrigasset, ita ut Paulus, atque Apollo fecerant, Corinthiorum Ecclesiam, si Corinthi brevissimo tempore constitisset. Qui namque plantator, aut irrigator Ecclesiæ est, is eam instituerit, confirmarit, auxerit necesse est, quod fieri

1 Confer Harduinum §. X. *pag.* 927.
2 Vide supra *pag.* 98. *seq. hujus voluminis.*
3 *Epist.* 1. *ad Cor. cap.* 1. *v.* 12. & *cap.* III. *v.* 4. *seqq.*
4 Ita quidem argumentatur Harduinus §. XI. *pag.* 927.

fieri perpaucis diebus non poteſt. Cum igitur Cephas haud diu fortaſſe Corinthi manſiſſet, perpaucoſque inſtituiſſet, qui ſe Cephæ eſſe defenderent, neceſſe non erat, ut in iis, qui multam operam in plantanda, irrigandaque eadem Eccleſia collocarent, numeraretur. Quod ſi Cephas, idem ac Petrus idcirco *plantator* dicendus erat Corinthiorum Eccleſiæ, quod univerſi cœtus chriſtianorum princeps, atque caput eſſet, nulla eſſet Eccleſia, quæ aut ab Andrea ſe, aut a Paulo, aut ab Johanne plantatam diceret, ſed omnes Petro inſtitutore gloriarentur. Contra autem evenit. Ac jure quidem. Non enim idem eſt de principe chriſtianæ reipublicæ, ac de inſtitutore ſingularis alicujus Eccleſiæ agere.

Longe eſt levius, quod Harduinus (1) concludere ſe poſſe, cenſet, ex capite Epiſtolæ primæ ad Corinthios nono, quo in capite Cephas poſt Apoſtolos, fratreſque Domini nominatur. Quare non eſt neceſſe, cum id alio loco præſtiterim, ut in hac re explicanda rurſum eſſe mihi tempus conterendum putem. Falſum item eſt, quod idem auctor ſcribit, clamare Paulum, non fuiſſe Cepham e numero Apoſtolorum. At Cephæ primum, tum undecim diſcipulis viſum fuiſſe, poſtquam a mortuis reſurrexit, Chriſtum, Paulus ſcripſit, quod non ſcripſiſſet, ſi Cephas idem atque Petrus fuiſſet. Nam antequam Simoni, hoc eſt Petro, Chriſtus ſe oſtendiſſet, undecim diſcipulis ſeſe exhibuerat conſpiciendum. Clamat igitur Paulus, diſcrepare ab Simone Cepham. Ego vero ut primum Cephæ, tum undecim diſcipulis a Paulo; ita primum Simoni, deinde diſcipulis undecim a Luca (2) traditum fuiſſe intelligo; ut mihi mirum non videatur, Harduinum, qui ſæpe (ut ſupra demonſtratum eſt) in explicandis Sacris novi Teſtamenti libris erraverit, erraſſe etiam cum Lucæ de Simone indicaret locum. Sed enim nuſquam eſt ab Evangeliſtis dictum, quo tempore ſe Chriſtus Simoni oſtenderit. Quaſi vero omnia,

 quo-

1 Hard. *ibid.* §. XII. *pag.* 927. *ſeqq.*

2 Confer poſtremum *caput Evang. Luca v.* 34. & *v.* 16. cujus loci ſimilia ſunt, quæ Paulus ſcribit *Epiſt. ad Corinth.* 1. *cap.* XI. *v.* 5. quo Pauli teſtimonio Harduinus abutitur §. XIII. *pag.* 928.

quorum est ab Evangelistis facta mentio, copiose, distincteque describenda fuerint. Simoni Cyrenensi patri Rufi (1) impositam Christi Servatoris Crucem, ab Evangelistis proditum memoriæ fuisse, constat. At quisnam obsecro fuit sacrorum Auctorum, a quo, quis, qualisque hic Rufus esset, ostensum sit? Quid si Jacobo, quingentisque præterea fratribus visum post resurrectionem Christum fuisse Paulus testetur? (2) Id quod Lucas, Evangelistæque ceteri silentio præterierunt. Atque si minus ab aliis, ab Harduino certe minime omnium opponendum id erat, qui repente nescio quem Cepham a Petro, cui Christus Cephæ nomen indiderat, discrepantem extitisse contendit, cujus nemo usquam Evangelistarum meminit. Estque illud ridiculum, quod mox Harduinus adjungit, videri sibi Cepham eumdem, atque socium Cephæ (3) fuisse, cujus est ab Luca (4) facta commemoratio. Statuit enim Cepham fuisse discipulum, quem nusquam legimus fuisse ab sacris Scriptoribus appellatum hoc nomine; Petrum vero non item, quem tamen scimus a Christo fuisse vocatum Cepham. Nihil attinet de ceteris, quæ Harduinus paragraphis decimo tertio, & decimo quarto turbat, dicere. Sunt enim plena ineptiarum. Cujusmodi autem est illud, Apostolum, qui sese appellavit Petrum, non potuisse appellari Cepham (5) a Paulo? An Paulus, qui doctus Syriace esset, *Cepham* non potuit dicere, quem fuisse dictum a Christo accepisset *Cepham*? Quod addit argumentum Harduinus; (6) *quemadmodum in libris sacris sive græce scribantur, sive latine, & in sermone hominum, qui græci quidem sint, vel latini, cum de Servatore nostro sermo est, numquam Christum Messiæ vocabulo designari, sed altero, quod Messiam tamen significat, nempe latino Christi, vel Græco* Χριστοῦ *nomine*, quod ita

1 Marcl *cap.* xv. *v.* 21. nisi forte quis velit, hujus esse Rufi mentionem factam a Paulo *in epist. ad Romanos cap.* xvi. *v.* 13. quod difficile demonstratu est. Atque Harduinus, quem quinam is esset Rufus fugiebat, ad allegorias confugit.

2 *Ibid.*

3 Harduinus *ibid.*

4 In postremo *Evangelii capite v.* 18.

5 Harduinus *ibid.* §. xiv. *pag.* 929.

6 *Ibid.*

ita sit illud Johannes interpretatus in Evangelio, *sic Simonem numquam in Sacris libris, sive sint græce scripti, sive latine, numquam in sermone hominum, qui græci quidem sint, vel latini, Cepham appellari, sed altero tantum, quod Cepham tamen significet, Petri nimirum latino, vel Græco πέτρου*, cum ita Cephæ nomen Johannes explicaverit, simile est profecto superiorum. Atque indignum plane Theologo viro est, ea quasi certa sumere, quæ aut falsa omnino sint, aut tam dubia, ut in controversiam vocari non modo possint, sed etiam debeant. Quid enim tam falsum est, quam, nisi in eo uno Johannis loco, quem Harduinus indicat, numquam ab Evangelistis *Messiam* appellari Jesum? Annon Johannes, qui primo capite Evangelii, quid vox *Messias* significet ostenderat; rursum capite quarto, ita fuisse mulierem illam Samaritanam, quacum Christus loquutus fuerat, institutam dixit, ut *Messiam* venisse arbitraretur? Quid autem tam certum, tamque pervulgatum, quam Theologos, Christianosque ceteros, ubi de adventu Servatoris generis humani agitur, venisse, versatumque aliquamdiu nobiscum *Messiam* defendere fuisse? *Cephas.* vero, quæ vox idem Syriace sonat, atque Πέτρος græce, quo tandem modo latine *Petrum* indicabit? πέτρος enim *Petra* est latinis, non *Petrus*. Græca enim vox *Petrus* est inflexa more Latinorum. Quamquam ne illud quidem ferendum est, *Cepham* appellari non debuisse a Paulo eum, qui Cephas dictus a Christo fuisset, propterea quod *Cephæ* vocabuli data fuerit ab Johanne interpretatio. Nam ut mittam, quod modo de *Messia* dixi, an semel est facta vocis *Siloe*(1) in Bibliis novi Testamenti commemoratio, quod eam esset Johannes interpretatus? Mihi certe numquam Harduinus persuadere poterit, voces *Salem* & *Melchisedec*, a Sacris novi Testamenti Scriptoribus, ac Patribus Latinis, atque Græcis adhibitas numquam fuisse, quarum altera *pacem*, altera *Iustitiæ Regem* significari, Paulus in Epistola ad Hæbreos (2) testatus est. Sed pudet me

1 Confer *cap.* IX. *Evang. Johan. v.* 7. & *v.* 11.
2 Consule *cap.* VII. *epist. ad Hebræos v.* 1. *seqq.*

me bonum in hisce nugis refellendis otium terere. Nam quod Harduinus addit: *Saulum* apud Syros, idem esse atque apud Latinos *Paulum*, cum a multis (1) negatur, tum ad rem profecto non pertinet. Semel enim dici ab Luca Saulus debuisset, (ut aliquid Harduinus concludere posset) non tam sæpe, quam in Actis Apostolicis (2) legimus. Alioqui qui Cephas est appellatus a Christo, idem sæpe vocari potuisset Cephæ vocabulo. At Petrus, & Paulus græcis latinisque cogniti, græcis, latinisque nominibus vocati fuerint necesse est. Ita ne vero? Cur igitur Cephas ille, quem Paulus nominat, quique Harduino auctore discrepabat a Petro, cum cognitus græcis esset, Syriaco appellatus est nomine? Ac si vera esset Harduini ratio, nulli jam Josephi, nulli Barnabæ, nulli Johannes cogniti umquam græcis latinisque fuissent. Quod nemo, quam sit ridiculum, non videt.

Sed affert Harduinus (3) non eumdem Jacobum Cephæ socium, atque Jacobum Christi fratrem, Apostolumque fuisse, ut qui a Paulo Apostolus non dicatur. At qui fieri possit, ut is auctor Jacobum, quem Apostolum Paulus non appellat, eumdem atque Apostolum fuisse neget: Jacobum vero, quem Lucas XV. *Actorum* capite Apostolum minime vocarit, Apostolum fuisse non neget; nullo modo prorsus intelligo. Aut enim qui dictus Apostolus a Luca non est, idem atque Apostolus non fuit; aut si fuit, nihil est caussæ, cur non item is fuerit, quem Paulus non nominavit Apostolum. Ac præter Apostolum, qui tandem Jacobus tanta Hierosolymis auctoritate valuerit, quanta is, quem Paulus memorat in secundo Epistolæ ad Galatas capite, valuit, ne suspicari quidem possum. Sed demus Iacobum, Paulo in secundo Epistolæ ad Galatas capite memoratum, eumdem atque Apostolum

1 Confer Interpretes *ad cap.* XIII. *Actorum*, *& interpretationem Hebraicorum &c.* nominum, quæ poni in calce Bibliorum vulgatæ editionis solet.

2 *A cap.* VII. *ad* XIII. *Actor. Apostolicor.* quo in XIII. capite de adducto ad Christiana sacra Sergio Paulo agitur. Tunc enim primum ab Luca Paulus appellatur Pauli nomine. At cognitus antea etiam Saulus iis fuerat, qui lingua utebantur græcorum.

3 §. XV. *pag.* 930.

lum non fuisse. Quid? An concludendum est, discrepasse a Petro Cepham? Nihil dico mihi videri minus. At Jacobus ante Cepham memoratur a (1) Paulo. Sit ita. Nihil enim impedio. Verum non sequitur, Cepham non eumdem fuisse ac Petrum. Nam si qui post Jacobum nominatus est, is inferior Jacobo neque Apostolo, neque Domini fratre fuit; fuerit item Christus Paulo dignitate minor oportet, quod sit Christi post Paulum, immo vero post Cepham a Paulo facta mentio. Aut igitur ratione inversa usus est aliquando Paulus, quod supra animadversum est, aut servandum in magnis illis viris commemorandis dignitatis ordinem non putavit.

Similia de Johanne Harduinus scribit (2) cujus Paulus in epistola ad Galatas meminit. Sed hæc sane eodem expediri modo, atque illa de Jacobo, possunt. At levia hæc quidem sunt.

Illud gravissimum. Nam Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoritum, Cyprianum, Tertullianum, Irenæum de Cepha differentes, præsertim in quæstione facti, deseri oportere statuit (3). Quamobrem autem? Quia, inquit, rejecti sunt a Catholica Romana Ecclesia, a qua præcipuum tuendæ illorum caussæ argumentum eversum est. Ita ille, contemtis Patribus, ne Gregorio quidem Magno, cujus nomen tacitus prætermisit, ignoscendum putavit, quem fuisse Catholicæ Romanæ Ecclesiæ caput noverat. Nam quemadmodum Hieronymus, sic ille, ut ineptam refellit, quam Harduinus rejectam ab Ecclesia defendit fuisse (4) *de re facti* sententiam. At enim Ecclesia, inquit *in ep. ad Galatas, non Petrus, & Iacobus, & Iohannes; sed Iacobus, Cephas, & Iohannes* legendum statuit. Patres autem priorem legendi rationem sequuti, Cepham eumdem atque Petrum esse affirmarunt. Primum nego, hoc præcipuum esse illius senten-

1 Parvi referre, quod ante Cepham Paulus aut se ipsum interdum, aut Jacobum nominarit ostensum supra est satis, ut equidem arbitror, diligenter. Qua de re consuli etiam poterit Joh. Chrysostomus *Hom.* XXI. *in* 1. *epist. ad Corinth. num.* II. *pag.* 16. *tom.* X. *opp. ed. Paris. Monach. s. Mauri.* Lucas etiam *in Act. c.* XV. Paulum post Barnabam nominat.

2 §. XVI. *pag.* 931.

3 §. XVII. *pag.* 931.

4 *Vide supra pag.* 104. *hujus vol.*

sententiæ fundamentum. Qui enim *Cepham*, non *Petrum* legerunt, iidem nihilominus (1), nisi perpaucos exceperis, Cepham eumdem atque Petrum fuisse constituerunt. Neque hos tam absurdis ingeniis fuisse arbitror, ut sublato fundamento, opinionem tamen, quæ ei inniteretur retinendam existimarent. Non ergo ea legendi ratio, neque traditio perpetua Ecclesiarum effecit, ut qui hoc loco Cephas memoratur a Paulo, idem atque Petrus, quem Christus Cepham appellavit, judicaretur. Quare etsi perspectum Patribus erat, fuisse nonnullos, qui Cepham, nescio quem, Christi auditorem fuisse dicerent, tamen cum refutare hoc responsi genere Porphyrium hostem nominis Christiani possent, qui ejus contentionis caussa Petrum, Paulumque (2) insectabatur, non esse adhibendum censuerunt; acriterque repehenderunt eos, qui Petrum ab Cepha distinguere auderent. Sed demus hoc ejus opinionis fundamentum esse. An quod in vulgata sacrorum Bibliorum editione *Cephas* legatur, concedendum continuo est, rejectam eorum fuisse ab Ecclesia Catholica opinionem, qui Petrum eumdem atque Cepham esse arbitrarentur? Quid igitur caussæ fuit, cur in præfatione ad lectorem præfixa vulgatæ editioni, jussu Clementis VIII. recognitæ, reperiri nonnulla in vulgatis codicibus, legeretur (3), quæ etsi emendanda viderentur, emen-

data

1 Unum præ ceteris nominabo Eusebium Cæsariensem virum eruditissimum, & quarti seculi scriptorem. Is enim commentar. in *Psalm.* LXXIV. *pag* 445. *tom* 1. *collect. veter. PP. edit. Paris. Montfauconi an.* 1706. *tom.* 1. διὸ, inquit, καὶ Παῦλος τοὺς κορυφαίους τῶν ἀποστόλων στύλους ὠνόμαζε λέγων· Ἰάκωβος, καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης κ. τ. λ. *Quare & Paulus Corypheos Apostolorum Columnas nominavit dicens*: Iacobus, & Cephas, & Iohannes. Viden' ut Cepham legerit, cumque post Iacobum nominatum fuisse a Paulo indicarit, & tamen Cepham eumdem esse atque Petrum confessus sit? Alioqui Cepham in Coryphæis Apostolorum numerandum numquam dixisset.

2 Confer Hieronymi, & Cyrilli Alexandrini loca supra indicata *pag.* 104. *not.* 1. *& seqq.*

3 » Accipe Christiane Lector (*sic enim ea Præfatio habet*) eodem Clemente Summo » Pontifice annuente ex Vaticana Typographia veterem, ac vulgatam sacræ Scripturæ » editionem quanta fieri potuit diligentia castigatam, quam quidem sicut omnibus nume- » ris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quæ » ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minime dubitan- » dum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus Ms. Hebræis, » Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre stu- » dium adhibitum fuerit, in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto mu-

» tata,

data tamen non ſunt, ne emendatorum diligentia offenſioni cuiquam eſſet. Non ergo vulgata illa de *Cepha* lectio ita certa eſt, ut, qui Petrum pro Cepha legat, is damnatus eſſe ab Eccleſia cenſeatur. Quod ſi cautum ab Eccleſia eſſe Harduinus pugnet, ne quis Petrum loco Cephæ legat, id non unius vulgatæ editionis lectione, ſed aliis documentis demonſtret, neceſſe eſt. Hujuſmodi autem documenta reperire Harduinus non poterit. Sed hæc diſputandi cauſſa dicta ſunto. Nam Cepham legi oportere in Epiſtola ad Galatas, fateor; Petrum autem eumdem dicere ac Cepham, erroneum eſſe, non modo non fateor, ſed ne fateri quidem, niſi temeritate quadam inductus, poſſum.

Prætereo, quæ ille idem auctor §. 18. de Codicibus Græcis, in quibus Πέτρος pro Κηφᾶς ſcriptum invenimus, animadvertit. Neque enim ulla eſt ratio, quamobrem eſſe illi, præſertim cum nihil mihi exhibeat negotii, magnopere repugnandum putem. Venio ad §. 19. Nego illius de Cepha, non eodem ac Petro, vetuſtiorem noſtra videri, ac eſſe opinionem. Nam qui nominari antiquorum Chriſtianorum neminem poſſe defendit, qui cum Petrum eumdem ac Cepham fuiſſe dixerit, tum fuerit Clemente Alexandrino vetuſtior; is certe ignoravit, quæ diſputata hac de re fuerant ab Irenæo (1), quem & antiquiorem Clemente, & Polycarpi Epiſcopi Smyrnæorum auditorem fuiſſe liquet. Neque me movet, quod mox addit,

„ tata, ita etiam ALIA, QUÆ MUTANDA VIDEBANTUR, CONSULTO IMMUTATA RELICTA „ SUNT, TUM QUOD ITA FACIENDUM ESSE AD OFFENSIONEM POPULORUM VITANDAM „ S. HIERONYMUS NON SEMEL ADMONET, TUM QUOD FACILE FIERI POSSE CREDENDUM „ EST, ut majores noſtri, qui ex Hebræis, & Græcis latina fecerunt, copiam meliorum, „ & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui poſt illorum ætatem ad nos pervene- „ runt, qui fortaſſe tam longo tempore identidem deſcribendo minus puri, atque integri „ evaſerunt, tum denique, quia ſacræ Congregationi ampliſſimorum Cardinalium, aliiſque „ eruditiſſimis viris ad hoc opus a Sede Apoſtolica delectis propoſitum non fuit NOVAM „ ALIQUAM EDITIONEM CUDERE, VEL ANTIQUUM INTERPRETEM ULLUM EX PARTE COR- „ RIGERE, VEL EMENDARE, SED IPSAM VETEREM, AC VULGATAM EDITIONEM LATI- „ NAM A MENDIS VETERUM LIBRARIORUM, NEC NON PRAVARUM EMENDATIONUM ERRO- „ RIBUS REPURGATAM SUÆ PRISTINÆ INTEGRITATI, AC PURITATI, QUOAD EJUS FIERI „ POTUIT, RESTITUERE „. Confer Ignatium Amat de Graveſon Theologum Caſanatenſem *tract. de ſacra Script. par.* 1. §. VI. *pag.* 79. *ſeq. edit. Venetæ an.* 1728.

1 Confer ſupra *pag.* 103. *not.* 1. *hujus vol.* Irenæi locum.

dit, nihil se Tertullianum morari, qui etsi æqualis Clementis fuerit, Ecclesiæ tamen homo non fuit. Hoc enim dicendum esset, si Petrum eumdem ac Cepham fuisse Tertullianus accusandi carpendique ejus Apostoli caussa, ac successorum dixisset. Cum autem defendendi, non accusandi caussa dixerit, non minus fidei meretur, quam Clemens, cujus fuerunt ab Gelasio Pontifice (1) rejecti libri. Indignum porro gravitate Theologi est Pseudodorotheum, & Auctorem Chronici Paschalis, aliosque nonnullos ignotos, rerumque imperitos homines, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Theodorito, Cypriano, Tertulliano, Irenæo, Gregorio Pontifici, uno verbo omnibus fere sacrorum Bibliorum antiquis, novisque interpretibus præferre velle: at dignum scilicet Harduino, cujus par in rejiciendis genuinis, probandisque apocryphis, plenisque ineptiarum libris confidentia, audaciaque fuit. Quod si hæretici vetere de Petro eodem ac Cepha sententia abutuntur, faciunt impie illi quidem, ut solent. Sed ut qui sacrorum Bibliorum auctoritate abuti audent, nos a sacris Bibliis legendis, ita a constanti, perpetuoque majorum dogmate deterrere nullo modo possunt.

De Principe rursum agitur Apostolorum, explicanturque Patrum, imprimisque Cypriani testimonia, quæ describi ab hæreticis, opponique Orthodoxis solent.

Neque solum, quod priore semper nominetur ab Evangelistis loco, sed etiam quod census didrachma una cum Christo Servatore dederit, fuisse Petrum constitutum Apostolorum principem arbitramur. Qua in re nobis cum Patribus mirifice convenit, quibus si e recentium scriptorum numero aliqui comparari laude eruditionis fortasse possunt, vetustatis certe existimatione, auctoritateque non

1 In Decreto enim Gelasii opuscula Clementis Alexandrini in Apocryphis numerantur. Vide *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. p.* 942. & *Diss.* Benedicti XIV. *P. M. præfixam Martyrologio Rom. edit. Salvioni Rom. an.* 1748. n. xx. *seqq. pag.* 15.

non possunt. Nam Origenes (1), Gregorius Nazianzenus (2), Johannes Chrysostomus (3) aliique (4) didrachma a Christo pro se, ac Petro solum, non vero pro ceteris fuisse solutum, tradunt, ut Petrum caput esse, principemque Apostolorum demonstraretur.

R 2 Sed

1 Origenes, qui fuisse Petrum Ecclesiæ caput scribit, cum hunc Matthæi c. c. XVII. *Evangelii v.* 23. explicaret locum, sic statuit: *tom.* XIII. *n.* XIV. *tom.* III. *opp. edit. Paris. Monachor. s. Mauri an.* 1740. *pag.* 588. ,, Capharnaum venerat una cum di- ,, scipulis Jesus, ibi *accesserunt*, *qui didrachma accipiebant*, *ad Petrum*, & interrogan- ,, tes dixerunt: *Magister vester non solvit didrachma*? Deinde cum respondisset eis Pe- ,, trus, & dixisset, *etiam*, Jesus rationem reddens, cur didrachma solveret, Petrum misit, ,, qui hamo piscem extraxit, cujus in ore pro se, & Petro pendendum staterem repertum ,, iri pronunciavit. Δοκεῖ οὖν μοι ὅτι μεγίστην νομίσαντες ταύτην εἶναι ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ ,, πρὸς τὸν Πέτρον τιμὴν, κρίναντος αὐτὸν μείζονα τῶν λοιπῶν γνωρίμων, ἐβούλοντο ,, ὅπερ ὑπενόουν ἀκριβῶσαι. *Videtur ergo mihi, quod maximum existimantes hunc hono- ,, rem esse erga Petrum ostensum ab Jesu judicante ipsum ceteris notis* (*seu familiaribus*) ,, *majorem*, *statuerunt de hac re diligenter interrogando cognoscere*... *sperantes* ἂν ,, τὴν αἰτίαν εἴσεσθαι τοῦ προκεκρίσθαι τὸν Πέτρον τῶν λοιπῶν μαθητῶν *fore*, *ut caussam* ,, *cognoscerent ceteris discipulis antelati Petri*.

2 Gregorius Nazianzenus *Oratione* IX. *quæ est ad Julianum pag.* 137. *tom.* 1. *opp. edit. Colon. an.* 1690. ,, Ne id quidem contemptim prætereundum est, *inquit*. Non mo- ,, do suo, sed etiam Petri discipulorum omnium carissimi nomine didrachmum pendit ,,. Cur autem carissimum omnium dixisset, nisi honoris primatus, quo fuerat a Christo ornatus, caussa? Nam si de *simplici*, ut dicere solemus, *dilectione* loquutus esset, non Petrum fuisse carissimum, sed Johannem dixisset, quem ex sacris Bibliis intelligimus verbis *discipuli*, quem *Christus diligebat*, fuisse indicatum.

3 Iohannes Chrysostomus *Homilia* LXVIII. *al.* LXIX. *in Matthæum num.* 2. *t.* VII. *opp. pag.* 588. *edit. Paris. Monach. Congr. s. Mauri*. ,, *Da illis pro me*, *& te*, *inquit*, ,, Vidisti honoris excellentiam? Vide & Petri Philosophiam ,,. Et paullo post. ,, *Pro me*, ,, *& te*, *inquit*, quia & ipse primogenitus erat. Ut autem Christi potentiam cum stu- ,, pore miratus es, mirare & discipuli fidem, qui in re tam inexpectata paruit. Res enim ,, erat natura insolita, atque stupenda. Ideo in mercedem fidei in solvendo tributo illum ,, sibi Christus conjunxit. *In illa hora accesserunt ad Iesum discipuli dicentes*, *quis ma- ,, jor est in regno Cælorum*. Humanum quidpiam passi discipuli sunt, quod & Evangeli- ,, sta significat dicens: *in illa hora*; quando plus, quam ceteros omnes, illum honoravit. ,, Nam cum ex Iacobo, & Iohanne alter primogenitus esset, nihil simile pro illis fecit. ,, Hinc pudore affecti, animi sui commotionem confessi sunt, neque aperte dicunt, cur ,, Petrum nobis prætulisti? Num ille major nobis est? Non audebant, sed indefinite in- ,, terrogant, quis major est? Nam cum tres viderunt præferri ceteris, nihil simile passi ,, sunt. Cum autem unus tantum honorem tulit, tunc dolore sunt affecti. Neque hoc so- ,, lum, sed & alia multa congerentes, accensi sunt. Nam dixit illi: *Tibi dabo claves*, ,, *& Beatus es Simon Barjona*. Et hic: *da ipsis pro me*, *& te*, itemque fiduciam ejus, ,, & loquendi libertatem videntes pungebantur.

4 Confer Ambrosium *lib.* IV. *in Evangelium Lucæ num.* 70. *seqq. pag.* 848. *seqq. tom.* II. *opp. edit. Veneta an.* 1748. *& lib.* V. *in Hexameron cap.* VI. *pag.* 98. *edit. ejusdem tom.* 1. Vetus Auctor quæstionum *ex nov. & vet. Test. quæst.* LXXV. *inter opera s. Augustini tom.* III. *part.* 1. *pag.* 61. *in Append. edition. Antuerp. ann.* 1700.: ,, Salvator ,, *inquit*, cum pro se, & Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur; quia sicut in ,, Salvatore erant omnes caussæ magisterii, ita & post Salvatorem in Petro omnes conti- ,, nentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis Dominici.

Sed quid multis est opus, quum Simonem fuisse a Christo, constet, appellatum Cepham, seu *petram*, in qua esset ædificanda, & constabilienda Ecclesia? Ac mirum sane videbitur, homines quosque e protestantium quidem grege (qui orthodoxos per summam injuriam superstitionis accusant, ac si nihili sacrorum Bibliorum auctoritatem pendant) ita esse animis comparatos, ut cum involutos quosdam, atque obscuros scripturarum locos non Patribus interpretibus, sed una sua perversa, multisque erroribus implicata ratione usi, consectentur, iisque jam nova, falsa, omniumque veterum consensione explosa dogmata confirmare studeant, tum multa alia, atque hoc imprimis de Petro, quæ sane clara, atque perspicua sunt, aut negligant, aut contortis, inanibus, longeque a communi sensu abhorrentibus conjecturis, quasi offusis quibusdam tenebris obscurare, atque obruere conentur. Ego enim quoties hoc tam patens, tamque præclarum testimonium Christi de Petri principatu considero, in eam facile sententiam inducor, ut cum vix quidquam dici tam aperte, tamque dilucide posse putem; verear, ne qui nos oppugnant, ii certe prudentibus, rerumque peritis hominibus mala fide agere videantur. Est enim illud hujusmodi: „ (1) Respon-
„ dens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.
„ Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-
„ jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pa-
„ ter meus, qui in cælis est, & ego dico tibi, quia tu es
„ Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,
„ & portæ inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi
„ dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris
„ super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque
„ solveris super terram, erit solutum & in cælis „. Quid autem

1 Matth. *cap.* XVI. *v.* 16. *seqq.* ἀποκριθεὶς δὲ Σίμων Πέτρος εἶπε· Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. ϗ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ. μακάριος εἶ Σίμων βὰρ ἰωνᾶ ὅτι σὰρξ, ϗ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ' ὁ πατήρ μου, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Κ'αγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, ϗ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, ϗ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. ϗ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. ϗ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ϗ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

autem tam patens, ac manifestum dici, aut excogitari potest, quam hanc Christi omnem de petra, & clavibus ad Petrum spectare orationem? Nam Christus idcirco significat indidisse illi se appellationem Petri, seu Petræ, quod Petra, cui inædificaretur Ecclesia, esset. Quod qui dubitet, haud scio, cur non idem, sit ne sol, an nullus sit, dubitare possit. Accedit potestas clavium regni cælorum, quam se Petro daturum Christus promisit, adeo ut ea in cælis ligata, solutave essent, quæ ille in terris ligasset, aut solvisset. Quæ verba nisi Petrum & universæ Ecclesiæ,& collegarum Apostolorum principem fuisse constitutum demonstrent, nulla certe tam clara, tamque perspicua reperire liceret, quibus Christus, si voluisset, Petrum principem Apostolorum, caputq; Ecclesiæ dicere potuisset. Quamobrem omnium veterum, qui acceperunt ab Apostolis, Apostolorumque auditoribus disciplinam, quorumque ad nos usque doctrina manavit, sententia est, a Christo, qui fundamentum primum, & caput est, fuisse Petrum principem Apostolorum, & pastorem, & petram, & sub aspectum cadens caput Ecclesiæ constitutum. Quotus enim quisque est, qui ab Justino (1) Martyre, & ab Irenæo; qui

1 Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone *num.* cvi. *pag.* 201. *seq. edit. opp. Veneta an.* 1747. quod Christus Simonem mutato nomine appellarit Petrum, id argumento esse dicit, inesse ei novo nomini significationem quamdam singularem. „ Quod, *inquit*, unum ex Apostolis, mutato nomine Petrum, appellasse dicitur, atque in Apostolorum commentariis id quoque refertur; quodque præterea duos alios fratres filios Zebedæi Boanerges, id est tonitrui filios cognominavit, id argumento erat: Ipsum illum esse, a quo Jacobus Israelis, Auses Jesu nomine vocatus est, per quod nomen etiam in terram Patriarchis promissam introductus est populus ex his, qui ex Ægypto profecti sunt, superstes „. Quæ autem singularis significatio inesse ei nomini poterat, nisi Petri nomen inditum fuisse Simoni, ut indicaretur eum petram Ecclesiæ, adeoque etiam Apostolorum, futurum? Eamdem Christi orationem ad Petrum spectare scribit Irenæus in III. *contra Hæreses libro cap.* xviii. *pag.* 210. *edit. Massuet. Venet. an.* 1734. Clarius quidem Tertullianus in eo, quem de *Præscriptionibus Hæreticorum* inscripsit libro *cap.* xxii. *pag.* 209. *edit. Veneta an.* 1748. Tam enim perspicue ostendit, & Petrum ipsum esse, de qua Christus loquitur, petram, in qua esset ædificanda Ecclesia, ut nihil supra desiderari posse videatur. At hac re semel constituta, jam nihil est, consentientibus adversariis, quod impediat, quo minus ille fuerit a Christo dictus Princeps, & Caput Apostolorum. „ Latuit, *inquit*, aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum, claves Regni Cælorum consequutum, & solvendi, & alligandi in cælis, & in terris potestatem? „. In libro præterea de *Monogamia cap.* viii. *pag.* 529. „ Petrum solum invenio maritum, *inquit*, per socrum. Monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura „. Confer locum ex *lib. de Pudicitia*, quem supra *pag.* 64. *hujus vol.* descripsi.

qui secundo seculo, a Tertulliano, ab Origene(1) a Cypriano,

1 Confer locum Origenis tomo xii. *in Matth. pag.* 320. *num.* xv. *tom.* iii. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri*, in quo hæc habentur. „ Cum ergo maximo a Jesu Petrum honore affectum existimarent, qui majorem eum ceteris suis discipulis judicasset, id, quod „ suspicabantur, Jesum interrogando,.. exploratum habere voluisse mihi videntur; simul „ etiam sperabant futurum, ut caussam cognoscerent, cur ceteris discipulis Petrus antelatus fuisset... Inde autem fortasse dubitatio eorum orta est, quod tres in transfiguratione antepositi fuissent. Quis autem trium illorum major a Domino judicatus fuisset, „ ex vero de re dubitabant. Nam Johannes in ejus pectus præ amore recubuit, & mali a „ ante cœnam singularis honoris in Johannem a Jesu collati argumenta vidisse illos inde „ licet existimare. Petrus autem in confessione beatus appellatus est propter illud: *tu es* „ *Christus Filius Dei vivi* „. Eodem spectant, quæ de eximia Petri potestate disputat *tom.* xiv. *in Matth. num.* xxxi. Præterea *in exposit.* i. *Psalmi apud Eusebium lib.* vi. *Hist. Eccl. cap.* xxv. *pag.* 252. *edit. Taurin. an.* 1746. Πέτρος, *inquit*, ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἧς πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν κ. τ. λ. *Petrus, in quo ædificata est Christi Ecclesia, adversus quam ne ipsæ quidem inferorum portæ prævalebunt &c.* Cyprianus *epist.* lxxiii. *ad Jubaianum pag.* 203. *& pag.* 201. *edit. Oxon. an.* 1682. „ ubi Petro primum, *inquit*, Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit; potestatem istam dedit, ut id solveretur in cælis, „ quod ille solvisset in terris „. Confer ejusdem *epist* xxxiii. *al.* xxvii. *pag* 66. *& epist.* lxxi. *ad Quintum pag.* 194. ubi „ Nec Petrus, *inquit*, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari a novitiis, & posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens „. Vide quæ scripsi supra *p.* 70. *seq. hujus vol. not.* 3. *seqq. & epist.* xxxvi. *al.* xvi. *p.* 74 *epist.* lv. *al.* lix. *p.* 104. *&* 105 *& lib. de Unitate Ecclesiæ pag.* 106. Firmilianus *epist. ad Cyprianum*, *quæ est* lxxv. *inter Cyprianicas pag.* 225. „ Nec permanet, *inquit*, in fundamento unius Ecclesiæ, quæ semel a Christo supra petram solidata est. Hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit: *quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis* „ *& quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cælis* „. Eusebius Cæsareensis Episcopus in ii. *H. E. libro cap.* xiv. *pag.* 58. *edit Taurin. supra indicata*, fretus Christi Servatoris, quæ modo descripsimus, verbis: ἡ πανάγαθος, inquit, καὶ φιλανθρωποτάτη τῶν ὅλων πρόνοια τὸν καρτερὸν, καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον Πέτρον ἐπὶ τὴν Ῥώμην ὡς ἐπὶ τηλικοῦτον λυμεῶνα βίου χειραγωγεῖ. „ Benignissima, atque clementissima rerum omnium provideutia fortissimum, & „ maximum Apostolorum, virtutis caussa, præ ceteris omnibus vocans Petrum, Romam adversus tantam illam pestem (*hoc est* Simonem magum) perducit „. Idem est auctor Eusebius in iii. *Demonstrationis Evangelicæ libro cap.* vii. *p.* 131. *edit. Colon. an.* 1688. ea Christi verba in Petrum cadere. „ Petrus, *inquit*, ex nimia quadam reverentia ne dignum quidem se scriptione Evangelii existimavit. Sed ejus familiaris, ac discipulus „ Marcus in commentarium retulisse ejusdem de rebus gestis Jesu narrationes memoratur. „ Qui cum ad illum Historiæ locum venisset, ubi Jesus interrogavit, quem se esse „ homines dicerent, ipsique sui discipuli quam de se opinionem haberent, subjunxissetque Petrus, tamquam de Christo; nihil illi respondentem Jesum, aut dicentem describit, sed illis comminantem dumtaxat, ut nemini de ipso dicant. Non enim interfuit Marcus iis, quæ a Christo dicta sunt, ac ne Petrus quidem, quæ ad ipsum, ac de „ ipso dicta sunt ab Jesu, proprio testimonio proferre æquum putavit. Quæ autem illa sint, „ quæ videlicet ad ipsum Petrum dicta sunt, Matthæus his indicat verbis. *Vos autem,* „ *quem*

no, a Firmiliano, qui tertio; ab Eusebio, ab Athanasio (1) cui suæ

,, *quem me dicitis esse? Et respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei* ,, *vivi. Respondens Jesus dixit ei: Simon Barjona, quoniam caro, & sanguis non re-* ,, *velavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis, & ego tibi dico: tu es Petrus, & su-* ,, *per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adver-* ,, *sus eam, & dabo tibi claves Regni cælorum, & quæcumque ligaveris super terram* ,, *erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta & in cæ-* ,, *lis.* HÆC TAM MULTA DICTA SUNT PETRO AB JESU .... Qui igitur, quæ poterant ,, ipsis afferre bonam famam, recusant, criminationes vero contra se ipsos sempiternæ me- ,, moriæ in scriptis suis commendant ... cur non ab omni de se ipsis opinione, omnique ,, mendacio merito abhorrere credantur,,? Quod si hoc Christi oraculum non in unum Petrum, sed in ceteros etiam Apostolos competere Eusebius censuisset, ecquod indicium demissi, humilisque animi a Petro datum existimasset, ac si Apostolus, quod sibi laudi dari debuisset, silentio, modestiæ caussa, præteriecit? An modestus, deque se abjecte, demisseque sentiens judicandus est is, qui sibi non arrogat, quod esse plurimorum commune novit? Minime vero. Confitendum est igitur, Eusebio teste, uni Petro eam potestatem datam, Petrumque ipsum ceteris Apostolis præpositum a Christo fuisse. Nam Eusebius Evangelii Matthæi loco descripto, mox addit *pag.* 123. πάντων (τῶν μαθητῶν) προκεκριμένον ἀπόστολον τε καὶ μαθητὴν αὐτοῦ πέτρον. Omnibus (discipulis) *præpositum Apostolum, & discipulum ipsius Petrum* dicit.

1 S. Athanasius *in Psalm.* xv. *v.* 8. *pag.* 82. *tom.* 1 I. *collect. vet. PP. edit. Montfauconi Paris. an.* 1716. πέτρος, inquit, ὁ κορυφαῖος. *Petrus Coryphæus.* Cur autem Coryphæum vocasset, nisi præpositum cæteris Apostolis a Christo fuisse credidisset? Idem est auctor Athanasius in *Orat. de Incarnatione & contra Arianos num.* XIII. *pag.* 880. *tom.* 1. *par.* 1I. *opp. edition. Paris. Montfauconi:* verba Christi: *Beatus es &c.* in Petrum competere. Qua ex re factum est, ut ab eo Petrus ipse κορυφαῖος appellaretur. Æqualis Athanasii Hilarius Pictaviensis Episcopus in iis, quæ fortassis ante annum 356. perscripsit, commentariis in Evangelium Matthæi *cap.* xv. *num.* 6. *seqq. edit. Paris. Coustantii*, hoc præmium retulisse Petrum testatur, ut Petra, & fundamentum Ecclesiæ constitueretur. Quæ res, nisi efficiat præpositum eum ceteris Apostolis a Christo (Hilarii quidem sententia) fuisse, quæ id efficere tandem queat, ne suspicari quidem possum. Sunt autem Hilarii verba hujusmodi.,, Editis itaque, quæ diversæ de eo erant, hominum opinionibus, quid de se ,, ipsi sentiant, quærit. Petrus respondit. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Sed Petrus con- ,, ditionem propositionis expenderat. Dominus enim dixerat: *quem me homines dicunt* ,, *filium hominis?* Et certe filium hominis contemplatio corporis præferebat: sed addendo, ,, quem me esse dicunt? significavit, præter id quod in se videbatur, esse aliud sentien- ,, dum. Erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi judicium desiderabat? Non ,, illud arbitramur, quod de se ipse confessus est; sed occultum erat, de quo quærebatur, ,, in quod se credentium fides debebat extendere. ET DIGNUM PLANE CONFESSIO PETRI ,, PRÆMIUM CONSECUTA EST, QUIA DEI FILIUM IN HOMINE VIDISSET. BEATUS HIC EST, ,, qui ultra humanos oculos & intendisse, & vidisse laudatus est: non id quod ex carne, & ,, sanguine erat, contuens, sed Dei filium cælestis patris revelatione conspiciens: dignusque judicatus, qui, quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione ,, novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ÆDIFICATIONE ILLIUS PETRA, ,, QUÆ INFERNAS LEGES, ET TARTARI PORTAS, ET OMNIA MORTIS CLAUSTRA DISSOLVE- ,, RET. O BEATUS CÆLI JANITOR, CUJUS ARBITRIO CLAVES ÆTERNI ADITUS TRADUNTUR, ,, CUJUS TERRESTRE JUDICIUM PRÆJUDICATA AUCTORITAS SIT IN CÆLO, UT QUÆ IN ,, TERRIS AUT LIGATA SINT, AUT SOLUTA, STATUTI EJUSDEM CONDITIONEM OBTINEANT ,, ET IN CÆLO,,. Eadem fere scribit in *Ps.* CXXXI. *n.* IV. *edit. ejusd* ,, Cum quædam de ,, passione sua locutus ad discipulos suos fuisset, & Petrus tamquam indignum hoc Dei filio

,, dere-

suæ, Romanæque Ecclesiæ jura perspecta, atque explorata erant; ab Hilario Pictaviensi, ab Synodo Sardicæ an. 347. celebrata (1), ab Julio P. M., ab Gregorio Nazianzeno, a Basilio, a Cyrillo Hierosolymorum, a Gregorio Nyssæ (2), ab Zenone Veronensi, ab Episcopis Brixiensibus Pilastrio, &

„ detestatus esset, PETRUM CUI SUPERIUS CLAVES REGNI CÆLORUM DEDERAT, SUPER „ QUEM ECCLESIAM ÆDIFICATURUS ERAT, ADVERSUS QUAM PORTÆ INFERNI NIHIL „ PRÆVALERENT, QUI QUÆ IN TERRIS SOLVISSET, VEL LIGASSET, EA IN CÆLIS VEL „ SOLUTA PERSISTERENT, VEL LIGATA, HUNC TALI CONVITIO detestantem hoc sa„ cramentum passionis excepit, *vade post me Satana*, *scandalum mihi es*. Tanta enim „ religio fuit pro humani generis salute patiendi, ut Petrum primum filii Dei confessorem, „ ECCLESIÆ FUNDAMENTUM, CÆLESTIS REGNI JANITOREM, ET IN TERRENO JUDICIO „ JUDICEM CÆLI Satanæ convicio nuncuparet „. Sunt prætetea horum similia, quæ animadvertit in VI. de Trinitate libro *num.* XX. *edit. Coustantii Veneta an.* 1750 *p.* 117. „ Post sacramenti confessionem B. Simon, *inquit*, ÆDIFICATIONI ECCLESIÆ SUBJACENS, „ ET CLAVES REGNI CÆLESTIS ACCIPIENS &c. „. Merito autem confessionis fidei constitu„ tum Petram Ecclesiæ fuisse dicit eodem in *libro num.* XXXVI. *seq. pag.* 127. *seq. Itaque num.* XXXVII. Per id quoque a *Domino*, *inquit*, post tertiam tentationis purgationem „ infirmitatum, *pasce oves meas* ter meritus audire, qui cunctorum Apostolorum silentio „ Dei filium revelatione patris intelligens, ultra humanæ infirmitatis modum SUPERE„ MINENTEM GLORIAM BEATÆ FIDEI SUÆ CONFESSIONE PROMERUIT „. Cujusmodi autem hæc supereminens gloria fuerit, exponit cum iis in locis, quæ paullo ante descripta sunt, tum *cap.* VII. *Commentarior. in Evang. Matth. num.* VI. *pag.* 544. ubi: „ PRI„ MUS, *inquit*, CREDIDIT, ET APOSTOLATUS EST PRINCEPS.

1 Synodus Sardicensis in celebri epistola ad Julium Urbis Romæ Episcopum scripta *ann.* 347. *tom.* 1. *Conciliorum edition. Harduin. pagin.* 654. Huc etiam transferri possunt, quæ Julius I. Pontifex Maximus anno circiter 342. ad Orientales scripsit, ut est apud Athanasium *in Apolog. contra Arianos num.* XXI. *seqq. & num.* XXXV. *pag.* 153. *edit. Paris. Montfauconi tom.* 1. *par.* 1. & apud Coustantium *tom.* 1. *epist. Rom. Pontif. pag.* 387. *& in collect. Concilior. edit. Harduini tom.* 1. *col.* 626. Sed utar alio loco opportune ejus Pontificis testimonio.

2 Gregorius Nazianzenus *Orat.* VII. *ad Gregorium Patrem pag.* 142. *tom.* 1. *opp. edit. Colon. an.* 1690. Petrum τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα *Ecclesiæ columen* vocat. *Trigesima vero, & quarta oratione*, quæ est *secunda de Teologia*, Christi verba, quæ sunt apud Matthæum, de Petro considerans, *Petrus conspicuum etiam Christum*, inquit, *in naviculam admittere recusabat, atque ablegabat. Quod eo quoque mirabilius videri debet, quod idem ad Christi agnitionem* θερμότερος τῶν ἄλλων καὶ διὰ τοῦτο μακαριζόμενος, καὶ τὰ μέγιστα πιστευόμενος, *ardentior ceteris* ET PROINDE BEATUS PRÆDICATUS EST, RESQUE MAXIMAS IN FIDEM ACCEPIT. S. Basilius Gregorii æqualis *l.* II. *adver.* Eunomium, quem librum ante annum 370. perscriptum puto, *n.* IV. *pag.* 240. *t.* 1. *opp. edit. Garnerii Monachi Congregat. S. Mauri*. „ Cum audimus, *inquit*, Petrum . . . proprietates, quæ circa „ eum considerantur, cogitatione depingimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus „ Johannis filium, qui fuit ex Bethsaida, Andreæ fratrem, ex piscatoris ad Apostolatus mi„ nisterium vocatum, & quoniam fide præstabat, ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλη„ σίας δεξάμενον, *Ecclesiæ ædificationem in seipsum recipientem* „. *Et prooemio de judicio Dei num.* VII. *pag.* 221. *tom.* II. „ Tanti Judicis exactor, *inquit*, tantaque Dei „ in peccantem iræ minister Beatus ille PETRUS ὁ πάντων μὲν τῶν μαθητῶν προκριθεὶς, „ μόνος δὲ πλεῖον τῶν ἄλλων μαρτυρηθεὶς, καὶ μακαρισθεὶς, ὁ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας „ τῶν οὐρανῶν πιστευθεὶς *prælatus ceteris quidem discipulis, cui uni majora data, quam* „ *aliis*

& Gaudentio (1), ab Epiphanio Salaminio, qui certe vetera monumenta diu pervolverat, noveratque traditiones Ecclesiarum (2), ab Joh. Chrysostomo, qui non minore doctrinæ, quam virtutis, pietatisque existimatione Constantinopolitanam Ecclesiam moderatus est (3), ab Ambrosio Mediola-

„ *aliis, sunt testimonia, qui prædicatus est Beatus, cui claves regni cælorum commendata sunt &c.* „. Quæ verba mutuatus a Basilio est auctor *Sermonis de Peccato*, qui sermo est *septimus in Appendice opp. ejusdem Basilii tom.* II. *pag.* 508. Similia reperire licet inter opera Gregori Nysseni fratris Basilii, præsertim in *testimoniis de Adventu Domini in carne advers. Judæos pag.* 994. *tom.* I. *opp. edit. Paris. an.* 1615. ubi: „ Dominus, „ *inquit*, ait ad PRINCIPEM APOSTOLORUM, TU ES PETRUS, & SUPER HANC PETRAM „ ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, SUPER CONFESSIONEM VIDELICET CHRISTI, QUIA DI„ XERAT: TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI „. Cyrilius præterea is, qui aliquamdiu ante, quam Basilius creatus præsul Cæsareensium esset, potitus Episcopatu Hierosolymitano est, floruitque medio fere seculo quarto, *in* II. *Catechesi num.* XIX. *pag.* 31. *edit. Paris. ann.* 1720. Petrum ob eam Christi sententiam κορυφαιότατον, καὶ πρωτοστάτην τῶν ἀποστόλων appellat, *summum*, *& Principem Apostolorum*. Eadem repetit *Catech.* XI. *num.* IV. *pag.* 150. *& Catech.* XVII. *pag.* 277. ubi: ὁ πρωτοστάτης, *inquit*, τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος ὁ πέτρος. *Princeps Apostolorum, & claviger Regni Cælorum Petrus*. Eodem, quo Cyrillus, seculo floruit Zeno Episcopus Veronensis. Is *lib.* I. *tractatu* XIII. *num.* VIII. *pag.* 99. *edit. Balleriniorum Veron. an.* 1739. „ Non sine ratione, *inquit*, & Simoni, SUPER QUEM ÆDIFICAVIT EC„ CLESIAM, *Petrus* NOMEN IMPOSUIT „. *Et lib.* II. *tractat.* XIII. *n.* II. *pag.* 179. „ PISCEM PRIMUM, *inquit*, A MORTUIS ASCENDENTEM Christum debemus accipere, „ cujus ex ore duo denarii, idest duo testamenta prolata sunt, quæ saluti cum Domini „ gloria, & PETRI FELICITATI, UTPOTE SUPER QUEM ÆDIFICAVIT ECCLESIAM, „ duobus populis profecerunt.

1 Eodem spectanc, quæ habent seculi IV. scriptor Philastrius Episcop. Brixiensium *de Hæresibus cap.* CXLV. *pag.* 122. *edit. Brix. an.* 1738. ejusque successor Gaudentius *respons. ad Paulinum Diaconum: de eo quod Dominus dixit Apostolis, quia Pater major me est*, *pag.* 359. *edit. ejusd. & Sermone de Ss. Petro, & Paulo pag.* 369. ubi „ Pe„ tro confitenti, *inquit*, Dominus dicit: BEATUS ES SIMON BARJONA &c. „ quæ sequuntur in Evangelio.

2 Epiphanius *lib.* II. *advers. Hæreses* LIX. *p.* 500. *n.* VIII. *t.* I. *opp. edit Paris. Petav. an.* 1622. „ ὁ ἀρνησάμενος πρὸς ὥραν ἅγιος πέτρος, καὶ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων ὃς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς, στερεὰ πέτρα θεμελιοῦσα, τὴν πίστιν τοῦ κυρίου, ἐφ᾽ ᾗ ὡμολόγησε Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἤκουσεν, ὅτι ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀσφαλοῦς πίστεως οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. „ Qui negavit aliquando sanctus Petrus, & sum„ mus Apostolorum, qui factus est nobis vere firma petra fundans Domini fidem, in qua „ ædificata est modis omnibus Ecclesia: imprimis quidem quod confessus est Christum „ Dei viventis filium, & audivit, quod *super hanc petram certe ædificabo Ecclesiam* „ *meam* „. Hoc autem testimonio quid clarius desiderari possit, non video.

3 Johannes Chrysostomus, qui eodem, quo Epiphanius, tempore floruit, *Homilia adversus Judæos* VIII. quam anno circiter 386. habuisse fertur, *pag.* 677. *tom.* I. *opp. edit. Paris. Montfauconi Monachi s. Mauri* Petrum *primum Apostolorum* vocat. πρῶτος, inquit, τῶν ἀποστόλων. Immo vero *commissum ei universum terrarum orbem* testatur. τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐγχειρισθῆναι. *Homilia autem* V. *pag.* 630. „ Prædictum a Christo „ Petro fuisse ait: *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. πάλιν πρεσβεύει τοῦ πέ„ τρου

nensi (1), ab Hieronymo, quem aliqui contra nos aliquando egisse, per calumniam, summamque injuriam jactitant (2), ab Hilario Diacono, quem vulgo Ambrosiastrum appellant, quique commentarios, Damaso Pontifice, in Epistolas Pauli edidit (3), ab Augustino sanctissimo, doctissimoque Anti-

„ τρυ, ἐπὶ τὴν πέτραν ταύτην οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. Confer, quæ ex ejus *Homilia de Pœnitentia*, aliisque operibus attuli supra *p. 94. seq. hujus vol.* Nolo enim ea rursum describere, ne actum agam.

1 Ambrosius Episcopus Mediolanensis in *enarrat. in Psalmum* XL. quam anno circiter 393. habuit, *num.* XXVIII *pag.* 202. *& num.* XXX. *pag.* 304. *tom.* II. *opp. edit. Monach. S. Mauri Venet. an.* 1748. „ Quid est, *inquit*, quod ait scriptura: *& cadet eques retrorsum*? cur retrorsum, nisi, ut regeret retro se sequentes? Retrorsum erat Petrus „ cui dixit: *vade retro post me*. Retro erant Apostoli, & ceteri discipuli .... Retro „ erat Petrus. . Ipse est Petrus cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædi-* „ *ficabo Ecclesiam meam*. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia: Ubi Ecclesia, ibi nulla mors, „ sed vita æterna. Et ideo addidit: *Et portæ inferi non prævalebunt ei, & tibi dabo* „ *claves regni cælorum*. BEATUS PETRUS, CUI NON INFERORUM PORTA PRÆVALUIT, „ NON CÆLI PORTA SE CLAUSIT, SED E CONTRARIO DESTRUXIT INFERNI VESTIBULA, PA- „ TEFECIT CÆLESTIA. IN TERRIS ITAQUE POSITUS CÆLUM APERUIT, INFEROS CLAU- „ SIT „. *Enarrat. in Ps.* XLIII. *num.* XL. *pag.* 236. PETRUS ECCLESIÆ PRÆPONITUR „ postquam tentatus a diabolo est. Ideoque ante significat Dominus quid sit illud, quod „ postea EUM PASTOREM ELEGIT DOMINICI GREGIS. Nam huic dixit: TU AUTEM CONVER- „ SUS CONFIRMA FRATRES TUOS „. Præterea *in exposit. Evang. secundum Lucam lib.* X. *pag.* 1105. *num.* CLXXV. „ Non est, *inquit*, dubium credidisse Petrum, & credidisse, „ quia dilexit; dilexisse, quia credidit. Unde & contristatur, quia & tertio interro- „ gatur: *amas me*? Is enim interrogatur, de quo dubitatur. Sed Dominus non dubi- „ tat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in cælum amo- „ ris sui veluti Vicarium relinquebat .... Ideo quia solus profitetur ex omnibus, „ OMNIBUS ANTEFERTUR ... Denique tertio Dominus non jam *diligis me*, sed AMAS ME, „ interrogavit: & jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, „ ut secundo; sed oves pascere jubetur PERFECTIORES, UT PERFECTIOR GUBERNARET „. Denique *lib. de Virginitate*, quem anno fere 378. perscripsit, *cap.* XVI. *num.* CIII. *pag.* 293. *tom.* III. *opp. edit. ejusd.* „ Petrus, *inquit*, VIR SAPIENS, ET GRAVIS, IN „ QUO ESSET ECCLESIÆ FIRMAMENTUM, ET MAGISTERIUM DISCIPLINÆ &c.

2 S. Hieronymus S. Johannis Chrysostomi æqualis *in commentar. in Evang. Matth. cap.* XVI. *lib.* III. *pag.* 74. *tom.* IV. *p.* I. *opp. edit. Paris. Martianæi*. „ *Et ego dico* „ *tibi*, inquit. Quid est, quod ait: *& ego dico tibi*? Quia tu mihi dixisti: *Tu es* „ *Christus filius Dei vivi*: *& ego dico tibi*: non sermone casso, & nullum habente opus, „ *sed dico tibi*, quia meum dixisse, fecisse est: *quia tu es Petrus, & super hanc Pe-* „ *tram ædificabo Ecclesiam meam*. Sicut ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mun- „ di appellarentur, ceteraque ex Domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni, qui „ credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen, ac secundum metaphoram „ Petræ recte dicitur ei: ædificabo Ecclesiam meam super te „. Item *lib.* I. *adversus Pelagianos tomo eodem* IV. *par.* II. *pag.* 49. „ Quid Platoni, & Petro? inquit. Ut „ ille enim princeps Philosophorum, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia „ Domini stabili mole fundata est „. *Et lib.* I. *adversus Jovinianum pag.* 168. *ibid.* „ Propterea inter duodecim, *inquit*, unus (Petrus) eligitur, ut capite constituto, „ schismatis tollatur occasio „.

3 Ambrosiaster, qui seculo Ecclesiæ quarto floruit, *in comment. in epist.* I. *ad Corinth.*

Antiſtite Hipponenſium (1), ab Optato Milevitano (2) quorum aliqui quarto ſeculo & floruerunt, & obierunt, alii vero partim quarto, partim quinto, libris editis, Eccleſiam illuſtrarunt; ab Innocentio I. Pontifice Maximo (3), ab ejuſque ſucceſſore Zoſimo, in iis præſertim litteris, quas ad Epiſcopos Africanos ſcripſit (4), a Cæleſtino, quem

S 2 Græci

rinth. c. IX. p. 169. t. IV. opp. Ambroſii edit. ſupra indic. Fuiſſe Petrum Primum inter Apoſtolos: & comment. in II. epiſt. cap. XI. pag. 225. primum inter Apoſtolos, quanto magis inter ceteros? Et comment. in epiſt. ad Galatas cap. 2. pag. 254. primum inter Apoſtolos, cui delegaverat Salvator curam Eccleſiarum. Et in I. ad Corinth. cap. III. pag. 244. primatum non Andream, ſed Petrum accepiſſe, dicit.

1 S. Auguſtinus, qui extremo fere quarto, tum quinto ſeculo ad annum uſque 430. floruit. *Enarrat. in Pſ.* CVIII. *num.* 1. *pag.* 911. *ſeq. tom.* IV. *opp. edit. Antuerp. an.* 1720. *Primatum in diſcipulis habuiſſe Petrum* confirmat. Quinetiam *ſerm.* LXXVI. *al.* XIII. *cap.* II. *pag.* 291. *tom.* V. Petrus a Petra, *inquit*, cognominatus Beatus, „ Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens &c. „. Eumdem *ibid. cap.* 1. *pag.* 290. *in Apoſtolorum Ordine primum* vocat. Quid? ſi *libro* II. *contra Donatiſtas c.* 1. *p.* 65. *t.* IX. *opp. in Petro Primatum Apoſtolorum excellenti gratia præeminere* contendat? *In Pſalmo autem contra partem Donati tom. eod. pag.* 5. nonne Petram eſſe Petrum, quam Petram non vincant ſuperbæ inferorum portæ, ſtatuit? Atque is ſane Pſalmus eo conſilio perſcriptus eſt, ut ab catholicis, quid eſſet de Petri Sede judicandum, intelligeretur. Sunt vero illius verba hujuſmodi:

„ Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Sede Petri,
„ Et in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit videte.
„ Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.

2 Optatus Milevitanus ſcripſit libros adverſus Parmenianum Donatiſtam anno circiter 374. In *libro* II. *cap.* II. *p.* 31. *edit. Dupinii Antuerpien. an.* 1702. „ Negare, *inquit*, „ non potes, ſcire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, „ in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt, in „ qua una Cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſ- „ que defenderent, ut jam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Ca- „ thedram alteram collocaret „. *Et lib.* VII. *cap.* III. *pag.* 101. „ Præferri Apoſtolis „ omnibus meruit, & claves regni cælorum communicandas ceteris ſolus accepit.

3 Innocentius I. Pont. Max. *epiſt.* XXX. *ſcripta an.* 417. *ad Concilium Milevitanum in edit. Concil.* XXV. *pag.* 896. *num.* X., Quoties, *inquit*, fidei ratio ventilatur, ar- „ bitror omnes fratres, & coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & „ honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum „ mundum poſſit Eccleſiis omnibus in commune prodeſſe „. Qua in re Siricium Pontificem ſequutus eſt, qui ita ut a majoribus, prædeceſſoribuſque ſuis acceperat, epiſtola V. ad Afros *an.* 386. *data num.* 1. *pag.* 651. *tom.* 1. *collect. epiſt. Roman. Pontif. a Conſtantio curata edit. Pariſ. an.* 1721. „ Per (Petrum), *inquit*, & Apoſtolatus, & Epiſco- „ patus in Chriſto cœpit exordium „. Rurſum idem Innocentius *epiſt.* II. *ad Victricium an.* 404. *ſcripta num.* 2. *pag.* 747. *ejuſd. edit. Conſtantii*: „ Incipiamus igitur, *inquit*, „ adjuvante ſancto Apoſtolo Petro, per quem & Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto „ cœpit exordium.

4 Zoſimus Pontifex Maximus *epiſt.* XXI. *ad Aurelium ſcripta an.* 418. *n.* 1. *p.* 974. *ejuſd. collect. & editionis Conſtantii*. „ Quamvis, *inquit*, patrum traditio Apoſtolicæ „ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio diſceptare nullus auderet, id- „ que per canones ſemper, regulaſque ſervaverit, & currens adhuc ſuis legibus Eccle- „ ſia-

Græci præsertim homines summis semper laudibus extulerunt (1), ab Synodo Ephesina, quam anno 431. habitam fuisse constat (2), ab Isidoro Pelusiote (3), a Petro Chrysologo Ravennatum Episcopo (4), a Cyrillo Alexandrino, cujus præter ceteros illustris est in commentariis in Johannis Evangelium locus (5), a Prospero Aquitano (6), a Paulino Antistite Nolanorum (7), a Sixto III. Pontifice Maximo

„ ecclesiastica disciplina Petri nomine, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam „ debet, exsolvat; tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias om„ nium voluit esse potentiam ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut & ligata „ solveret, & soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæredita„ tem, ipso annuente, meruissent. Habet enim ipse cum omnium Ecclesiarum, tum hu„ jus maxime, ubi sederat, curam, nec patitur aliquid privilegii aut aliqua titubare „ aura sententiæ, cui ipsa sui nominis firma, & nullis hebetata motibus constituit fun„ damenta, & quæ sine suo periculo temere nullus incessat. Cum ergo tantæ auctorita„ tis Petrus caput sit &c.

1 Cælestinus Pontifex *ep.* III. *ad Episcopos Illyrici anno circiter* 425. *scripta p.* 1064. *collect. epistolar. Rom. Pontificum edit. Constantii Paris. ann.* 1721. „ Nos, *inquit*, „ præcipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi „ Christus in s. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi, claudendique daret, indul„ sit, & inter Apostolos suos, non qui altero esset inferior, sed eum maxime, qui esset „ primus, legit.

2 Synod. Ephesina *Act.* III. *pag.* 1478. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Paris.* sententiam Philippi Apostolicæ Sedis Legati secuta est, quæ sententia est hujusmodi: „ Nul„ li dubium, immo seculis omnibus notum est, quod sanctus, beatissimusque Petrus „ ὁ ἔξαρχος, καὶ κεφαλὴ τῶν ἀποστόλων *Princeps, & caput Apostolorum* ὁ κίων τῆς πί„ στεως, θεμέλιος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας *fidei columna, & Ecclesiæ Catholicæ fun„ damentum* a Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac Redemtore „ claves regni accepit, solvendique, ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad „ hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet.

3 Isidorus *lib.* I. *ep.* CXLII. qui eodem tempore, quo celebrata hæc Synodus fuit, florebat, *ad Ironem scholasticum pag.* 29. *edit. Veneta an.* 1745. Petrum Apostolici Sodalitii Coryphæum, & *lib.* II. *epist.* LVIII. *pag.* 102. *Apostolorum antesignanum* & *epist.* CXC. *pag.* 115. *Apostolici chori præsulem*, vocat.

4 *Sermone* CLIV. *p.* 235. *edit. opp. an.* 1633. „ Petrus, *inquit*, a petra nomen ade„ ptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare.

5 *Lib.* II. *cap.* I. *tom.* IV. *pag.* 131. *edit. Paris. an.* 1638. Nec Simon fore jam no„ men sibi, sed Petrus, prædicit, vocabulo ipso commode significans, quod in eo tam„ quam in petra firmissima suam esset ædificaturus Ecclesiam.

6 *Lib. singul. sententiarum ex Augustino p.* 349. *edit. Veneta an.* 1744. *n.* CCCLXIII. *al.* CCCLXI. *al.* CCCLIX. „ Nec ullus se B. Petri defendat exemplo, qui se multis lacri„ mis & accusavit, & lavit: ut principem suum Ecclesia non negationis, sed pœnitentiæ „ imitatione sequeratur „. *Et Carmine de Ingratis v.* 40. *seqq.* Petri caussa caput „ mundi Sedem Romanam esse factam testatur *pag.* 72.

„ Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
„ Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
„ Religione tenet.

7 *Poemate* XV. *al.* XIX. *carm.* IV. *v.* 260. *seq. pag.* 397. *edit. opp. Veron. an.* 1736.

: : : : : : : . Veterem remeare recenti

Histo-

mo (1), a s. Leone (2) cujus tanta est, non apud Latinos modo, sed etiam apud Græcos, ob eversam hæresim Eutychianorum, existimatio, & auctoritas, ut vix quisquam tanta, ut ille, consensione utriusque Ecclesiæ, tamque magnis laudibus celebratus fuisse videatur (3), ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano, in iis litteris, quas in Gallias ad Aëtium comitem, & magistrum utriusque militiæ adversus Hilarium

Historia video speciem, qua jussus abire
Bis seno sublimis in agmine discipulorum
Petrus, sponte sua vinclis labentibus, æque
Carcere processit clauso &c.

1 *Epist. v ad Cyrillum Alexandrinum anno 433. scripta pag. 125. seq. tom. 1. collect. epistolar. Romanor. Pontificum edit. Constantii num.* 2. „ Ad B. Apostolum Petrum „ fraternitas universa convenit; ecce auditorium congeuens auditoribus, conveniens „ audiendis. Habuerunt Coepiscopi nostri illum congratulationis coetum, quem habe- „ mus honoris exordium „. *Et epistola ad Johannem Antiochenum num.* 5. *pag.* 1260. „ Beatus Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab „ ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit.

2 s. Leo sermone II. *habito in Anniv. die sua assumt. ad Pontif. cap.* II. *pag.* 5. *seq. tom.* 1. *opp. edit. Rom. an.* 1753. „ Soliditas, *inquit*, fidei, quæ in Apostolorum prin- „ cipe est laudata, perpetua est, & sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, „ ita permanet, quod in Petro Christus instituit . . . *Cap.* III. Manet ergo dispositio „ veritatis, & B. Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ „ gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est ordinatus, ut dum petra dicitur, „ dum fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum janitor constituitur, dum ligan- „ dorum, solvendorumque arbiter, mansura etiam in cælis judiciorum suorum definitione, „ præficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum ejus myste- „ ria nosceremus „. *Et sermone* III. *cap.* II. *pag.* 8. „ Multo est dignius ad Beatissimi „ Petri Apostoli gloriam contemplandam aciem mentis attollere . . . qui ab ipso omnium „ charismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus acce- „ perit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit . . . De toto mundo unus „ Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cun- „ ctisque Ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, „ multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & „ Christus „. Inde descriptis Christi servatoris verbis de Petro, mox ea interpretatur hoc modo: „ Ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, idest, cum ego „ sim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, „ præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute soli- „ daris ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia „. Confer quæ sequuntur. Quinetiam *sermon.* LXXXII. *capit.* III. *pagin.* 235. idem Leo *Petrum principem Apostolici ordinis vocat*, *qui* (*ut est in sermone* XCVIII. *al.* XCIV. *cap.* I. *pag.* 274. „ Beatitudinis felicitate donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet „ firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi, & mortis legibus prævaleret „. Mitto cetera, quæ eodem ipso sermone continentur, ne longior sim, quam oportet.

3 s. Leo *epist.* v. *ad. Episcopos Metropolitanos per Illyricum constitutos cap.* II. *p.* 28. *tom.* II. *ejusd. edit.* „ Per omnes Ecclesias, *inquit*, cura nostra distenditur exigente hoc „ a nobis Domino, qui Apostolicæ dignitatis Beatissimo Apostolo Petro primatum fidei „ suæ remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate „ con-

rium Arelatensem Episcopum dederunt (1), ab Synodo Chalcedonensi, quam etsi Protestantes, ita ut eorum fert error, per summam injuriam, in hoc genere parvi esse faciendam putant, Græci tamen, quibuscum nobis summa est in hac tam gravi, tamque celebri quæstione contentio, non probant modo, sed etiam summam obtinere auctoritatem defendunt (2), a Theodorito Cyrensium Episcopo (3), a Maximo Taurinensium (4), a Felice Tertio, & Gelasio Primo Pontificibus Maximis, ab Johanne Cassiano, ab incerto, sed vetere illo quidem scriptore operis, quod *de omnium Gentium vocatione* inscribitur, ab Eucherio Lugdunensi, modo habendus auctor sit Homiliarum, quæ Eusebio Emisseno tributæ aliquando fuerunt, qui sane omnes

,, constituens &c. ,,. *Et epistol.* x. *ad Episcopos per Viennensem Provinciam constitutos pag.* 38. *cap.* 1. ,, Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, ut ab ipso, quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere ,,. Sexcenta sunt in Leonis Epistolis, quæ brevitatis caussa prætermitto, cum hæc ad rem confirmandam satis esse videantur.

1 Exstat in serie Epistolarum s. Leonis post *epistolam* x. *pag.* 45. *ejusdem edit.* Habet autem hoc modo: ,, Quum Sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum, qui princeps ,, est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam synodi firmarit ,, auctoritas, ne quid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumtio attentare ,, nitatur &c.

2 Mitto eam, quæ est relata in Acta synodi, Epistolam Valentiniani Augusti ad Theodosium Imperatorem *tom.* II. *Concilior. p.* 37. & sententias Legatorum Romani Pontificis, quæ exstant *ibid. pag.* 68. ac cetera, quæ in ejusdem synodi Actis de s. Petri præcipua potestate leguntur. Hoc uno contentus ero, quod est in *Act.* III. *ejusdem Concilii pag.* 346. ,, Sanctissimus & Beatissimus Episcopus Magnæ senioris Romæ Leo, per nos ,, & per præsentem sanctam synodum, una cum ter beatissimo, & omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est πέτρα, ϗ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, *qui est petra, & crepido Catholica Ecclesia* ϗ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος *& orthodoxa fidei fundamentum* nudavit (*Dioscorum*) Episcopatus dignitate &c.

3 *Epist.* III. *ad Irenæum Episcopum tom.* IV. *opp. edit. Paris. Sirmondi pag.* 900. ubi: ὁ μέγας πέτρος, *inquit*, τῶν ἀποστόλων ὁ πρῶτος. *Magnus Petrus primus Apostolorum*: Et *epistola* LXXVII. *pag.* 947. ,, ὁ δεσπότης ἡμῶν Χριστὸς τῶν ἀποστόλων τὸν πρῶτον, οὗ τὴν ὁμολογίαν. *Dominus noster Christus Apostolorum primum, cujus confessionem* veluti basim quamdam, ac fundamentum Ecclesiæ dixerat, fluctuare . . . permisit, &c. Ac de Theodorito alias.

4 Obiit anno *Chr.* 420. Is *serm. in natali Petri, ac Pauli Apostolorum pag.* 353. *edit. Veneta an.* 1741. ,, Hic est Petrus, *inquit*, cui Christus Dominus communionem ,, sui nominis libenter indulsit, ut enim sicut Paulus Apostolus edocuit: *petra erat Christus*; ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Sunt autem horum similia, quæ persequitur *in Homiliis de eodem argumento* II. III. IV. *&* V. *pag.* 352. *seqq.*

nes(1) quinto seculo floruerunt, etsi eorum aliqui jam usque ab extremo fere quarto seculo clarere cœperint, fuisse hoc idem demonstratum neget? Sexto autem seculo dici vix potest, quam multi, quanta virtutis, sapientiæque existimatione insignes viri, Petrum dignitate, auctoritateque *primatus* ceteris Apostolis, Christi quidem sententia, antecelluisse, præfectumque universæ Ecclesiæ fuisse, testati sint. Quorum quum, non testimonia dicam (id enim ab eo præsertim, qui brevitatem consectetur, fieri nullo modo potest) sed nomina ipsa describere longum, difficile, plenumque molestiæ opus sit, perpaucos nominabo, qui vel honoris gradu, vel celebritate doctrinæ præferendi esse ceteris videantur. Missis autem Romanis Synodis, quarum prior anno 501. (2) est habita, altera anno 502 (3), tertia an. 503 (4) quarta sub Bonifacio anno 531. in qua lectæ Stephani Larissensis Metropolitæ litteræ sunt, quibus in litteris S. Petrus *Pater, & Doctor Ecclesiæ* appellabatur (5), & Pontificibus Maximis Hormisda (6), Johanne Secundo (7), Vigilio Pela-

1 Felix III. P. M. *ep* v. *ad Zenonem Imperatorem tom.* II. *Concilior. edit. Paris. Harduini pag.* 827. Gelasius *ep.* I. *ad Euphemianum Constantinopolitanum tom. eodem Concilior. pag.* 879. *& epist.* II. *ad Faustum p.* 884. *& epist.* IV. *ad Anastasium Imperatorem tom. id. pag.* 894. *& in Synodo Romana an.* 494. *habita c.* I. *p* 938. *& in altera Synodo an.* 485 *celebrata pag.* 944. Cassianus *lib. de Incarnatione Domini* III. *cap.* XII. *seqq. pag.* 995 *seqq. edit. Atrebatens. an.* 1628. Auctor *libri de voc. gentium*, *qui auctor anno circiter* 440. *floruit*, *lib.* II. *cap.* XXVIII. *pag.* 516. *opp. s. Prosperi Aquitani edit. Veneta an.* 1744. S. Asterius Amaseæ Episcopus *Homil. in Sanctos Petrum, & Paulum*, quæ extat in *Append. opp. Prosperi edit. modo laudata pag.* 283. *seq.* Eucherius Lugdunensis, sive quisquis vetus ille est auctor, cujus extant sermones *tom.* VI. *Biblioth. PP. edit. Lugdun. serm. in Vigil. & in Natali S. Apostoli Petri*, *pag.* 794. *seq.*

2 In Synodo Romana Palmari sub Symmacho Papa *tom.* II. *Concilior. edit. Harduini pag.* 967. Episcopi de Pontifice Romano loquuntur hoc modo: „ Scientes, quia ejus „ sedi primum Petri Apostoli meritum, vel principatus, deinde sequuta jussionem Do„ mini Conciliorum venerandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit po„ testatem.

3 *Tomo* 2. *Concilior. pag.* 978. *seqq. edit. Hard.* „ Quanto magis, quod in Aposto„ lica Sede non existente præsule, qui prærogativa Beati meritis Apostoli Petri per uni„ versum orbem primatum obtineat sacerdotii.

4 *Tom. eod. p.* 983. „ Sedes Apostolica, quæ solida Petri confessione stabilita est &c.

5 *Tom. eod. pag.* 1111.

6 *Epist.* v *ad Episc. Hispaniæ tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 1022. *& epist.* X. *ad Johannem Nicopolitanum Episcopum scripta an.* 516. *pag.* 1030.

7 *Epist.* II. *ad Justinianum Imperatorem an.* 534. Scribit autem hoc modo: „ Ro„ manæ Sedis reverentiam conservatis, & ei cuncta subjicitis, & ad ejus deducitis uni„ tatem, ad cujus auctorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente, præce„ ptum est, *pasce oves meas*.

(1), Pelagio Secundo (2), & Gregorio Magno, quem Dialogum Græci, ob perſcriptos ab eo libros Dialogorum, vocant (3); ne qui Nectario Patriarchæ Hieroſolymitano majorum gentium Photiano (4) ſimiles reperiantur, qui non eſſe Romanis Epiſcopis auſcultandum reſpondeant, ſuam cauſſam contra adverſarios Apoſtolicæ Sedis agentibus (quamquam eſt eorum ſumma in hoc item genere auctoritas, cum acceptum a majoribus dogma in poſteros propagavarint); his, ut ajebam, miſſis, quem umquam hominem Proteſtantes, Græcique tam imperitum antiquitatum, tamque ineptum futurum putant, qui cum nulla præjudicata opinione ducatur, tum non modo Fulgentium (5) Ruſpenſem, (6) Avitum Viennenſem, (7) Ennodium

1 *Epiſt. ad univerſam Eccleſiam anno 552. ſcripta, qua extat tom. III. Concilior. ejuſdem edit. pag. 5.* „ Hinc eſt quod Deus noſter contra errorum hujuſmodi feritatem pa„ ſtorale cælitus armarit officium, quod Beatiſſimo Petro Apoſtolo trina præceptione „ commendans ait: *paſce oves meas*. Et recte illi paſcendarum eſt cura commiſſa, cujus „ fidei præclara confeſſio Dei eſt ore laudata. Confitenti enim ſalutariter, ac dicenti: „ *tu es Chriſtus filius Dei vivi*, perennis beatitudo rependitur, & columbæ filius voci„ tatur, & claves regni cæleſtis accipit „. Idem *pag. 6.* Petrum *Apoſtolorum primum* vocat.

2 *Epiſt. IV. ad Epiſcopos Iſtriæ tom. II. Concilior. edit. ejuſdem pag. 419.*

3 Innumera ſunt Gregorii de Petro Principe Apoſtolorum, & petra, & capite, & fundamento Eccleſiæ loca. Nos pauca hic indicabimus. Itaque confer, ſi placet, ejus *de libertate Monachorum Decretum, quod ex VII. libro, epiſt. XVII. Ind. I. in collectionem Conciliorum translatum eſt. Vide tom. III. Concil. edit. Harduin. pag. 538. Lib. item V. epiſt. XX.* quæ eſt ad Mauricium Imperatorem *pag. 748. t. II. edit. opp. Monach. S. Mauri*, ubi: „ Cunctis, *inquit*, Evangelium ſcientibus liquet, quod .... Sancto & om„ nium Apoſtolorum principi Petro Apoſtolo, totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt „. *Et lib. I. Dialogorum cap. XII. p. 205. tom. eodem* quo loco Petrum *principem, primumque* Apoſtolorum nominat.

4 Huic attribuitur *liber Antirrheticus adverſus Petrum* Minoritam περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα *de Primatu Papæ*, qui liber primum Jaſi in Moldavia, deindeque una cum Petri Alixii verſione Londini an. 1708. editus fuit. In priore autem Moldavienſi an. 1682. editione, qua nos utimur *pag. 91.* ſic habet. παπῶν δὲ ὑπὲρ ἑαυτῶν μαρτυρίας οὐ δ' ἀκούειν δίκαιον. *Paparum autem de ſe ipſis teſtimonia audiri, æquum non eſt*. At audierunt, hiſque jam conſenſerunt veteres non Latini ſolum, ſed etiam Græci, quod ex iis, quæ deinceps dicentur, magis magiſque conſtabit.

5 *Lib. de Remiſſ. Peccatorum ad Euthymium I. cap. XIX. pag. 314. edit. opp. Pariſ. ann. 1684.*

6 *Epiſt. ad Senatores Urbis Romæ an. 503. ſcripta, qua extat tom. II. Conciliorum edit. Hard. pag. 982.* ubi: „ Nec minus diligatis, *inquit*, in Eccleſia veſtra ſedem Petri, „ quam in civitate apicem mundi.

7 Confer Ennodii Ticinenſis *lib. V. epiſt. X. pag. 343. tom. IX. Bibl. Patrum edition. Lugd. & epiſt. XIII. lib. V. pag. 343. & lib. IX. epiſt. XIX. pag. 369. & libell. Apologet. de ſynodo pag. 380.* ubi hæc habet: „ Aliorum forte hominum cauſſas Deus voluerit per

dium Ticinensem, Victorem (1), Facundum Hermianensem (2), Possessorem Africanum (3), Cæsarium Arelatensem (4) Episcopos, Ægidium Abbatem, & Messianum Notarium (5), Fulgentium Ferrandum (6), aliosque fere innumerabiles scriptores latini ritus; sed Justinianum etiam (7) Imperato-

„ est per homines terminare, sedis istius (Romanæ) præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reas de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur „. Confer *& lib.* II. *pag.* 20. *num.* xv.

1 Floruit is Episcopus seculo v. ut qui memoretur in *collat. Afric. ann.* 484. *tom.* II. *Concilior. pag.* 872. *edition. Hard.* suamque Historiam Persecutionis Vandalicæ scripserit *an.* 487. tertio nempe ac decimo ante initium seculi VI. anno. Is *lib.* ejus *Hist.* v. *n.* xx. *pag.* 48. *edit.* Ruinart. *Veneta an.* 1732. *Præcipue Petrum* invocat, quæritque, *cur sileat pro ovibus, & agnis a communi magno Domino magna ei cautela, & sollicitudine commendatis?*

2 *Lib.* 2. *pag.* 722. *cap.* II. *tom.* II. *opp. Sirmondi edit. Paris. an.* 1696. ad s. Cypriani sententiam alludens Facundus, scribit hoc modo: „ Petrus Apostolorum primus, cum non recte ambularet ad veritatem Evangelii, reprehensus a Paulo minimo Apostolorum non indigne tulit, nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit.

3 Hujus extat ad Hormisdam Pontificem de Fausti Rheglensis Episcopi dogmatibus circa gratiam Christi epistola scripta *an.* 520. *tom.* II. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1037. in qua sic habetur: „ A quo magis est nutantis fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis præside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

4 Hujus item est ad Symmachum Papam an. 503. scripta epistola, cujus hoc est initium: „ Sicut a persona B. Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid observare debeant, evidenter ostendat „. *Tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 956. Nempe hoc voluit: ita Episcopum Romanum ceteris Episcopis eminere, ut primas obtinebat Petrus in Ecclesia partes; quamobrem instituendos docendosque esse Episcopos, adeoque Ecclesias ab eo, qui Sedem Petri occuparet.

5 Hi cum Symmacho Papæ libellum obtulissent, confessi sunt, non ob aliam certe caussam, quam quod Petrus princeps Apostolorum, atque universæ Ecclesiæ esset: „ Omnibus Ecclesiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffusæ sunt, Apostolicam Sedem sibimet vindicare principatum „. Confer *tom.* v. *Concilior. edit. Veneta an.* 1728. *pag.* 439.

6 Eodem spectant, quæ habet Fulgentius Ferrandus *epist. ad Severum Scholasticum Constantinopolitanum tom.* IV. *Bibliothecæ PP. edit. Lugd. pag.* 509. „ Interroga, *inquit*, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis „. Hæc vero nisi ob verba Christi ad Petrum, quibus hic constitutus petra Ecclesiæ fuit, quam ob aliam caussam dicta fuerint, ne suspicari quidem possum.

7 Ejus litteras ad Johannem Papam describemus alio loco, cum tempus monuerit, opportune; quibus quidem ex litteris plane constat, conjungendos, subdendosque esse Episcopos omnes Pontifici Maximo, quod is successor B. Petri sit, illiusque Apostolicam Sedem occupet. Confer *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 1146. *seq.*

ratorem, Evagrium Scholaſticum (1), Orientales Epiſcopos, qui ad Symmachum Pontificem initio fere ſexti ſeculi hoc modo ſcripſerunt: „ Hæc diximus, ſanctiſſime, auſi ſuppli-
„ care non pro perditione unius ovis, neque pro perditio-
„ ne unius drachmæ, ſed pro amica nobis ſalute, non Orien-
„ talium partium tantum, ſed trium prope plagarum habi-
„ tabilis mundi, non corruptibili argento, aut auro re-
„ demtarum de vana converſatione a parentibus tradita, ſed
„ pretioſo Sanguine agni Dei, ſicut docuit Beatus glorio-
„ ſorum Apoſtolorum princeps, cujus Cathedram beatitu-
„ dini tuæ credidit Chriſtus (2) „: Marianum presbyterum, & primatem Monachorum regiæ civitatis Conſtantinopoleos, ceteroſque Byzantinos, & Hieroſolymitanos Archimandritas, a quibus hæc ſunt ad Agapetum Pontificem ſcripta: „ Hæc quidem dumtaxat portamus, licet incre-
„ dibilia, & a diris doloribus incurvati, ſpem habentes
„ ad clementiſſimum Deum, qui in tempore opportuno
„ veſtrum adventum nobis oſtendit, quod ſicut Petrum
„ *magnum Apoſtolorum principem*, his qui Romæ erant in
„ depoſitionem præſtigiarum Simonis Goetici miſit, ſic &
„ vos miſit in depoſitionem, & expulſionem Severi &c. (3) „. Orthodoxos item Epiſcopos Orientis ſic ad Agapetum eumdem (4) ſcribentes: „ Ex quo Chriſtus Deus noſter pro
„ debitis vobis præmiis propter ipſius in omni tempore cum
„ vera fiducia ſua inviſibili, ac terribili virtute divulga-
„ tam confeſſionem ſuper venerabile caput veſtrum requie-
„ vit, cum ſedem Apoſtolorum vobis, Pater Beatiſſime,
„ commiſit, & *firmavit* ſuper *firmam petram pedes veſtros &c.*
„ clarificati a ſpirituali ſplendore veſtro, per quem tam-
„ quam lucerna reſplendens ſuper ſancto candelabro cali-
„ ginem

1 Is *lib.* II. *Hiſt. Eccleſ. cap.* IV. *pag.* 365. *edit. Taurinenſis* deſcribens verba Legatorum Romani Pontificis, qui ſynodo Chalcedonenſi præfuerant, iiſque conſentiens, ita ut ſynodus ipſa fecerat: *Beatiſſimum* nominat, *& omni laude digniſſimum Petrum Apoſtolum* ὅς ἐστι πέτρα, καὶ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως θεμέλιος, *qui eſt petra & baſis catholicæ Eccleſiæ, & orthodoxæ fidei fundamentum*.

2 *Tom.* II. *Concilior. edit. Venetæ pag.* 433. *ſeq.*

3 *Tom.* II. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1205. πέτρον τὸν μέγαν τῶν ἀποστόλων κορυφαῖον.

4 *Tom.* II. *Concilior. edit. Har pag.* 1218.

„ ginem eorum, qui in tenebris ſedent, depuliſtis, & cæcos „ illuminaſtis &c. „ : Quem inquam, tam ineptum, tamque indoctum ſeſe reperturos Proteſtantes putant, qui cum hos aliosque vel Græcos, vel Syros ſcriptores, id decus B. Petro tribuiſſe legat, propterea quod ita a Chriſto Servatore ſtatutum, traditumque a Patribus fuerit; repugnandum his tamen, ac novis credendum arbitretur?

Neque minus perſpicui ſunt Patrum, qui ſeptimo ſeculo floruerunt, de Petro principe Apoſtolorum, univerſæque Eccleſiæ capite, ac moderatore loci. Pontifices namque Maximi, ut Bonifacius Quartus in ea, quæ eſt ad Athelbertum Anglorum Regem epiſtola (1), Martinus in iis litteris, quæ ſunt ad Johannem Epiſcopum Philadelphiæ (2), nec vero in iis ſolum, ſed etiam in ſynodi Lateranenſis actione ſecunda (3), Agatho, cujus eſt luculentiſſimum in Romano Concilio anno 679. habito, teſtimonium (4), Leo ſecundus in ea, quæ eſt in actis ſynodi ſextæ anno ſexcenteſimo octogeſimo primo celebratæ, ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola; inque altera, quam ad Epiſcopos Hiſpaniarum dedit (5); Patres ipſi ſynodi ſextæ, quorum certe magna

1 Scripta e Concilio Romano *an.* 610. In ea enim *Petrum principem Apoſtolorum*, Romanosque Pontifices *illius ſucceſſores* vocat.

2 *Epiſt.* v. *pag.* 629. „ Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apoſtolica „ auctoritate, quæ data eſt nobis a Domino διὰ πέτρου τοῦ παναγίου, καὶ κορυφαίου τῶν „ ἀποστόλων *per Petrum ſanctiſſimum, & Coryphæum apoſtolorum*.

3 *Ann.* 649. *tom.* III. *Concilior. edit. Hard. pag.* 758. ubi : „ Humilitatem, *inquit*, „ competenter minime præſumens abrogatum eumdem Paulum (Conſtantinopolitanum) „ habere, ſed conſacerdotem appellans, donec judicium de eo *noſtra Apoſtolica auctoritatis, hoc eſt Petri Coryphæi Apoſtolorum, ut qui in fidem acceperit, & conſequi „ præ omnibus meruerit a Rege regum Chriſto Deo claves regni cælorum*.

4 *Tom.* III. *Concilior. pag.* 1039. „ Nos prævidimus, & conſtituimus, ut ſtatuta illa, quæ ſynodalibus decretis jamdudum ſolidata per Beatum Petrum principem Apoſtolorum fuerunt . . . illibata ſerventur „ . Confer ejuſdem epiſtolam ſynodicam ad Conſtantinum, quæ extat *Act.* IV. *ſynodi* VI. *pag.* 1123. *tom. eod.* III. *Concilior.*

5 *Epiſt. ad Conſt. Imp. tom.* III. *Concilior. pag.* 1474. „ Hanc rectæ traditionis normam . . . . ſancta tunc, & magna Synodus, Domini, & veſtro favore celebrata, ſuſcepit . . . . utpote τοῦ μακαρίου πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων *Beati Petri Coryphæi Apoſtolorum* ſinceram doctrinam in ea agnoſcens . . . Et quia ſancta ſynodus definitionem rectæ fidei, ut dictum eſt, pleniſſime prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes „ B. Petri Apoſtoli, cujus, licet impares, miniſterio fungimur, veneranter ſuſcepit; „ ideirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, ac „ unanimiter his, quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & Beati Petri auctoritate confirmat „.

„ Epiſt.

apud omnes, imprimisque apud nos, Græcosque auctoritas esse debet (1), pluresque alii non *Occidentales* modo, sed etiam *Orientales* ejus ætatis scriptores, quos brevitatis caussa prætermittimus, collocatum a Christo fuisse Petrum in eo dignitatis, honorisque gradu confessi sunt. Eodemque spectant Gregorii secundi (2), Zachariæ (3), Pauli (4), Hadriani (5) Pontificum Romanorum, & Bonifacii Moguntini (6), utque ceteros prætercam, Constantini Imperatoris

Epist. vero ad Episcopos Hispaniæ *tom. eodem pag.* 1730. „ Pro (puritate fidei), *inquit* „ hæc sancta Ecclesiarum omnium mater Apostolica Sedes (Apostolicam dicit, quod a Petro *Principe Apostolorum*, sic enim eum *pag.* 1731. vocat, fundata, atque occupata „ fuisset) usque ad victimam desudavit semper, & desudat „. Horum similia sunt, quæ scripsit ad Ervigium regem Hispaniæ *ibid. pag.* 1734. „ Hoc etiam & in sanctis suis disci- „ pulis Salvator mundi Dei filius esse constituit, qui Beatum Petrum, sui vice discipulo- „ rum suorum instituit principem ... Ad quod perfectius obtinendum, sicut instanter ora- „ mus, dum Dei dignatione patrum o dine fungimur, & Beati Petri Apostolorum Princi- „ pis, licet impares ... locum implemus; ita prædicando ... ad beatæ vitæ meritum „ curamus provehere.

1 Patres synodi VI. *epist. ad Agathonem Papam*, quæ exstat *Act.* XVIII. *tom.* III. *Concilior. pag.* 1438 *ejusd. edit.* „ Tibi, *inquiunt*, ὡς πρωτοθρόνῳ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκ- „ κλησίας *ut primæ sedis oecumenicæ Ecclesiæ antistiti*, quid agendum sit relinquimus „ ἐπὶ τὴν στερέαν πέτραν ἑστῶτι τῆς πίστεως *stanti supra firmam fidei petram* libenter „ acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Impe- „ ratorem missis, quas καὶ ὡς ἀπὸ τῆς κορυφαίας τῶν ἀποστόλων ἀκρότητος *ut a summo* „ *Apostolorum vertice* divine perscriptas agnoscimus.

2 Epist. ad Bonifacium *tom. eodem Concilior. pag.* 1857. „ In nomine indivisibilis Tri- „ nitatis per inconcussam auctoritatem B. Petri Apostolorum principis „. Confer ejusdem Pontificis *epist.* II. *ad ipsum* Bonifacium Episcopum *ibid. pag.* 1858. & epist. ad Leonem Isauricum *tom.* IV. *pag.* 1.

3 Epist. ad Burchardum Wirtzemburgensem *an* 743. *scripta tom.* III. *Concilior. edit. ejusd. pag.* 1884. & *epist.* X. *ad Bonifacium ibid. pag.* 1910. & *Concilium Romanum an.* 743. *habitum ibid. pag.* 1930.

4 Confer ejus constitutum *ann.* 761. editum *tom.* III. *Conciliorum edition. Harduin. pag.* 2001.

5 *Epist. ad Carolum Magnum ibidem pag.* 2017. *seqq.* & in Privilegio Monasterio S. Dionysii concesso anno Christi 786. *pag.* 2021. *epist.* II. *ad Carolum Magnum p.* 2022. & epistola ad Constantinum, & Irenem *in Act. synodi* VII. *Oecumenica Nicana anno* 787. *celebrata pag.* 79. *seqq. tom.* IV. *edition. Harduin.* Et epist. ad Episcopos Hispaniæ *ibid. pag.* 867.

6 In indiculo sacramenti, quod cum Episcopus ordinaretur edidit; *tom.* III. *Concil. pag.* 1857. sic habet: „ Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus Tibi B. Petro Apo- „ stolorum Principi ...., me omnem puritatem fidei exhibere &c. „. Et in Canonibus, & statutis synodi *Epist. ejus* CV. *ad Gualbertum Archiepiscopum tom.* III. *Conciliorum pag.* 1925. „ Decrevimus in nostro synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholi- „ cam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle „ servare sancto Petro, & Vicario ejus velle subjici, synodum per omnes annos congre- „ gare, metropolitani pallia ab illa sede quærere, & per omnia præcepta Petri canoni- „ ce sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur; & ipsi confessioni „ universi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus S. Petri Principis Apostolorum „ direximus.

ris (1), & Tarasii Patriarchæ (2) Constantinopolitanæ Sedis sententiæ, quos omnes octavo Ecclesiæ seculo floruisse constat. Atque sunt quidem Constantini verba hujusmodi : ,, ,, Tamquam verus primus Sacerdos (*alloquitur enim Hadria-* ,, *num Pontificem*) & is qui in loco, & sede sancti, & super- ,, laudabilis Apostoli Petri præsidet, sicut dictum est, ,, ascendat, & simulacrum omnibus Sacerdotibus, qui hic ,, sunt, inveniatur ,,. Tarasius autem ad eumdem Hadrianum scribens ,, Vestra, *inquit, fraterna & summo Pontificio deco-* ,, *rata Sanctitas*, ἀρχιεροπρεπὴς ἀδελφικὴ ἁγιωσύνη cum his ,, (Apostolis) per deiloquas suas doctrinas quodammodo ,, sermocinata, & ab eis accepto veritatis verbo, spinosas ,, herbas, quæ nunc germinaverunt, fidelissimorum, & ,, pacificorum Imperatorum veritati concordans evellere ,, machæra spiritus festinavit, mittens secundum scriptam ,, sibi petitionem nostram ad universalem synodum facien- ,, dam *æquivocos viros* (*hoc est, qui eodem nomine vocantur* ; ,, *Petrus enim uterque legatus appellabatur*) τῷ πρωτάρχῳ ,, τῶν ἀποστόλων πέτρῳ *Principi Apostolorum Petro* ,, . De Scriptoribus autem, qui nono seculo ad Photii usque tempora, immo vero, qui vivo Photio, multoque etiam post claruerunt, latinis, græcisque quid dicam? quorum sane summa semper fuit de principatu, singularique Petri auctoritate consensio. Nam Theodorus Studites Nilum Johannis Chrysostomi discipulum (3), Gregorium Nyssenum Basilii Fratrem (4), Ephræmum Syrum Gregorii ejusdem (5) æqua-

1 *Epistola Dival. sacra ad Hadrianum Papam tom. IV. Concil. pag. 22. edit. ejusd.*

2 *Ibid. pag. 510.*

3 *Lib. II. Epist. LXXVI. pag. 154. edit. Roman. Allatii an 1668.* Constitutum fuisse a Christo Petrum testatur ποιμένα τῆς οἰκουμένης ἁπάσης *pastorem totius universi*.

4 Confer ejus *laudat.* S. Stephani *pag. 339. collect. monum. veter. Eccles. Græcæ edit. Zacagni Rom. an. 1698.* ubi ὁ μὲν γὰρ πρωτοστάτης, καὶ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς χορείας, inquit : ,, *Princeps, & Coryphæus Apostolici chori* convenientem dignitati suæ glo- ,, riam obtinuit, martyrii genere Dominicæ passioni haud absimili.

5 *In Encom. in Petrum, & ceteros Apostolos pag. 462. tom. III. Græc. Lat. edit. Rom. Jos. Assemani ann. 1746.* ubi : ,, Lucerna, *inquit*, Christus, λυχνία δὲ ὁ πέτρος ,, *candelabrum Petrus*, oleum autem subministratio Sancti Spiritus ,, . *Et pagin. 464.* ,, Salve o Petre peccatorum porta, ... discipulorum lingua, prædicantium vox, τῶν ,, ἀποστόλων ἡ ὄψις, τῶν οὐρανῶν ὁ φύλαξ, ὁ τῶν κλειδούχων πρωτότοκος. *Apostolorum* ,, *oculus, Cælorum custos, primogenitus clavigerorum.*

qualem, Basilium Seleuciensem (1), qui anno quadringentesimo quadragesimo octavo synodo Constantinopolitanæ interfuit, Johannem Damascenum (2) cujus tot seculo octavo adversus hæreticos, tamque utiles Ecclesiæ pugnæ fuerunt, ceterosque quos hactenus laudavimus, auctores sequutus, Petrum Apostolorum *Principem*, & *Coryphæum*, & *magnum*, & *πρώταρχον*, *pastoremque* (3) appellat. Theodorum autem initio fere seculi IX. sacrarum imaginum caussa, ab iconomachis fuisse acerbe, crudeliterque vexatum, liquet. Nicolaus Primus Pontifex Maximus in priore epistola, quam ad universos catholicos (4) de pulso Photii artibus e sede Constantinopolitana Ignatio, & in altera, quam anno octingentesimo sexagesimo ad Michaelem Imperatorem (5), in sexta quoque, quam anno octingentesimo sexagesimo secundo ad Photium (6), in octava rursum, quam ad eumdem Michaelem Imperatorem (7), dedit, ut reliquas ejus epistolas, ne lon-

1 *Orat. in Davidem* XVII. *pag* 97. *edit. Paris. opp. an.* 1618. πέτρος, *inquit*, τῶν ἀποστόλων ὁ κορυφαῖος, ὁ τῶν χριστοῦ μαθητῶν προστάτης. *Petrus Apostolorum Coryphæus, discipulorum Christi primas.*

2 *Opusc. adv. Nestorianos tom.* I. *opp. edit. Paris. Lequienii ann.* 1712. *num.* XIX. *pag.* 559. ὁ πανάριστος πέτρος ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων ἀκρότης *præstantissimus Petrus supremus vertex Apostolorum.* Confer *ejusd. Paralela pag.* 591. *tom.* II. *& Homil. de Transfigurat. Domini pag.* 191. *seqq.*

3 *Refutat. Poem. Iconomach. pag.* 193. *tom.* V. *opp. Jacobi Sirmondi edition. Paris. an.* 1696. φησὶ πέτρου τοῦ κορυφαίου ἀποστόλου. *Et lib.* I. *epist.* XXXIII. *ad Leonem Papam.* „ Τῷ μεγάλῳ πέτρῳ *magno Petro*, inquit, Christus Deus post claves regni cælorum τῆς ποιμνιαρχίας ἀξίωμα *pastoralis principatus dignitatem contulit.* *Et l.* II. *ep* LXXIII. *ad Nicolaum. Et ep.* CXXXIX. *ad Steph. Præpositum p.* 600. „ *B. Petrum*, inquit, *post negationem* „ πρώταρχον τῶν λοιπῶν ἀποστόλων *Principem reliquorum Apostolorum renunciat* „. *Et epist.* CXLVI. *ad Fraternit. Pelecetes pag.* 610. „ *Petro* κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων *Prin-* „ *cipi Apostolorum ostendit* τὴν ποιμαντικὴν ῥάβδον *virgam pastoralem*: si diligis me „ plus his, Petre, pasce oves meas.

4 *Tomo* IX. *Concilior. edit. Venet. pag.* 1289. „ Cunctarum Christi ovium cura constrin- „ gimur, cum vices ipsius gerimus, cui specialiter divinitus dicitur, *pasce oves meas*, & „ iterum *tu aliquando conversus confirma fratres tuos*.

5 *Epist.* II. *ibid. pag.* 1291. „ Principatum divinæ potestatis, quod omnium conditor „ electis suis Apostolis largitus est, super solidam fidem Apostolorum principis, Petri vi- „ delicet soliditatem constituens, ejus egregium, idest primam sedem deliberavit, „ Nam voce Dominica ipsi dictum fuerat: *tu es Petrus &c.*

6 *Epist.* VI. *pag.* 1303. „ Postquam B. Petro Principi Apostolorum Dominus ac Redem- „ tor noster Jesus Christus . . . ligandi, & solvendi in cælo, & in terra potestatem tri- „ buit, & januas regni cælestis referandas concessit; supra soliditatem fidei sanctam di- „ gnatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis: *Amen dico* „ *tibi, tu es Petrus &c.*

7 *Ibid. pag.* 1314. „ Ecclesiæ Romanæ privilegia, *inquit*, Christi ore in Beato Petro „ firmata, in Ecclesia ipsa disposita , . . divinitus radicata, atque plantata sunt „. Confer etiam, quæ sequuntur: *& epist.* X. *pag.* 1371. *ad Clerum Constantinopolitanum.*

ne longior ſim, quam oporteat, miſſas faciam, ſanctum Petrum principatum in collegio Apoſtolorum obtinuiſſe defendit. Quod ipſum teſtati ſunt Anaſtaſius Bibliothecarius in iis litteris, quas de ſynodo IV. Conſtantinopolitana ab ſe in latinam linguam converſa ad Hadrianum Pontificem ſcripſit (1), Sanctus Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus extant Actione quarta ſynodi quartæ Conſtantinopolitanæ ad Nicolaum Pontificem litteræ (2), Patres ſynodi Romanæ contra Photium ſub Hadriano Pontifice congregatæ (3), Johannes Octavus (4) cujus quidem a Photio, Græciſve Schiſmaticis corruptæ litteræ fuerunt (5), Nicetas Paphlagon

1 Extat *tom.* v. *Concilior. pag.* 757. *edit. Pariſ. Hard.* ubi Romanos Pontifices cum Petro ſuper petram veræ confeſſionis ſtare, *ſcribit*.

2 *Pag.* 1039. *edit ejuſd. Harduin. tom.* v. ubi: „ Ad artus humani corporis, *inquit*, „ plagis, & vulneribus ſaucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam ſup„ peditavit, in membris autem Chriſti Salvatoris omnium capitis, ac ſponſi Catholi„ cæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, unum tantum, ac ſolum ſelectum, ac univerſaliſſimum me„ dicum, tuam nempe fraternam, paternamque ſanctitatem, ſupremum, & fortiſſimum Dei „ verbum conſtituit, cum Petro τῷ τιμιωτάτῳ, καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων *hono„ ratiſſimo*, *& ſupremo Apoſtolorum vertici dixit: Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram „ ædificabo Eccleſiam meam* „ Hujuſcemodi enim beatas voces non *ſoli Apoſtolorum Prin„ cipi* τῷ κορυφαίῳ *μόνῳ* privata quadam ſorte circumſcripſit, & aſſignavit, ſed per ipſum „ ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi ſucceſſuros tranſmiſit.

3 *Ibid. pag.* 1079. *Act.* VII. *ſynod.* IV. *Conſtantinop.*

4 *Epiſt. an.* 870. *ad Baſilium*, *Conſtantinum*, *& Alexandrum Imperatores ſcript. tom.* v. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1166. „ Ad auctorem (Romanæ Eccleſiæ) hoc eſt „ Apoſtolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum eſt; *paſce oves meas*; „ quam eſſe vere omnium Eccleſiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & „ Orthodoxorum principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reverentiſſimi apices at„ teſtantur „. Et *pag.* 1167. „ Illa poteſtate fulti, quam Eccleſia Dei toto terrarum orbe „ diffuſa credit nobis in ipſo Apoſtolorum principe a Chriſto Deo noſtro eſſe conceſſam, eo„ dem Salvatore, Beato Petro Apoſtolo præ ceteris ſpecialiter delegante: *Tibi dabo claves regni cœlorum &c.*

5 Mendacia ad Johannem Pontificem ſcripſiſſe *Photium*, auctor eſt Nicetas Paphlagon *in s. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani vita*, quam Harduinus tranſtulit in v. *tom. ſuæ collectionis conciliorum pag.* 1007. Mendax igitur cum eſſet Photius, mirabile ſane non eſt, ſi corruptor etiam fuerit Pontificiarum epiſtolarum. Itaque *in edit. Roman. & in Harduini collect. tom.* VI. *pag.* 1151. *Admonitio* extat *ad Lectorem*, ab auctore neſcio quo ſcripta, in qua hæc leguntur: „ (Johannis) litteræ in antiquiſſimo codice habentur „ Vaticanæ Bibliothecæ Longobardicis characteribus exaratæ. . . . At his non contentus „ Photius, cum Johannis Pontificis auctoritate vellet omnia contra ſe tum Romæ, tum „ Conſtantinopoli acta reſcindi, ſeque legitimum Patriarcham ſemper fuiſſe declarari, „ ad uſitatum artificium redit, legatos corrumpit, παραχαράττει δὲ τοῦ πάπα τὰ γράμ„ ματα, καὶ νέα ἐπιπλάττει, *litteras Papæ depravat, novaſque res confingit*. Atque ut antea „ Nicolai litteris multa (vel ipſe, vel unus aliquis ex ejus amicorum numero) addiderat, „ multa mutaverat, multa ſubtraxerat, ut Nicolaus ipſe teſtatur (*epiſt.* IX. *ad Michaelem*

gon (1), Benedictus Quartus Pontifex Maximus in iis litteris, quas anno circiter nongentesimo quarto ad Episcopos Galliarum misit (2), Leo Septimus in tertia, quæ est ad Gallos, Germanosque epistola (3), Concilium Romanum anno nongentesimo sexagesimo nono ab Johanne XIII. Pontifice celebratum (4), Benedictus Sextus epistola ad Fridericum Salisburgensem Episcopum (5), Benedictus Septimus (6), aliique permulti, quos ne numerando quidem recensere possum (7). Sed Ecclesiarum omnium de *primatu* Sancti Petri sententia, ut e scriptis majorum, Conciliorumque decretis, ita ex Euchologiis, ceterisque Ecclesiasticis libris, qui legi publice in cœtu Christianorum consueverunt, cognosci, perspicique potest.

Ac de Romanæ quidem, reliquarumque Latinarum Ecclesiarum hymnis, præfationibus, precumque formulis, quas aliquando nostri *collectas* appellaverunt, neminem esse aut Protestantium, aut Schismaticorum arbitror, qui esse

lem Imperatorem ejusd. tom. pag. 277.) „ sic in hujusmodi Johannis litteris factum videmus „. Confer Allatium *De octava synodo Photiana c.*1. *seqq. p.*6. *seqq.* Nihilo secius in corrupta a Photio, ejusve defensoribus epistola Johannis Pontificis, hæc omnino habentur, quæ non principatum Petri modo, sed maximam in Ecclesiis Romanæ Sedis auctoritatem, potestatemque legentibus non opinione persuadent, sed plane ad veritatem. „ Sicut enim Apostolica hæc sedes cum semel accepeit claves regni cælorum a primo, & magno illo Pontifice Jesu Christo διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων πέτρου *per principem Apostolorum* „ *Petrum*, cui dixit: *tibi dabo claves &c.* ἔχει ἐξουσίαν καθόλου δεσμεῖν τε καὶ λύειν „ *habet potestatem universim ligandi, & solvendi*, ut est apud Jeremiam Prophetam, „ evellendi, & plantandi; ita & nos ejusdem potestate principis, Apostolorum utentes... „ significamus vobis ... convenire, & nobiscum sentire &c. „. *Ibid. pag.* 1175. Confer Acta synodi Photianæ *tom.* VI. *pag.* 1. *ejusdem collectionis Harduinianæ pag.* 235. Similia horum sunt, *quæ extant in vitiatis litteris ad omnes Episcopos &c. tom.* V. *pag.* 1191.

1 *Oration.* 1. *de Ss. Apostolis Petro & Paulo pagin.* 327. apud Combefisium *Auctar. Biblioth. PP. edit. Paris. an.* 1672. *Petrum principem, augustissimumque verticem Apostolorum, & immobilem Ecclesiæ petram* appellat. ὁ κορυφαῖα &c. „ Salve Petre, cui „ claves regni cælorum creditæ sunt, super quem Christus firmavit Ecclesiam suam; quem „ ad patrem migraturus suarum ovium pastorem constituit.

2 *Tom.* VI. *Concilior. edit. Hard. par.* 1. *pag.* 492.

3 *Tom eod. pag.* 576.

4 *Ibid. pag.* 679.

5 *Ibid. pag.* 690.

6 *Epist. ad Gallos, & Germanos ibid. pag.* 699.

7 Confer Concilium Romanum *an.* 983. celebratum *tom. eodem pag.* 711. *& Joh. Papæ* XV. *epist.* 1. *ad omnes fideles ibid. pag.* 713. Non est otium Ratramni Corbejensis, Anselmi Cantuariensis, ceterorumque testimonia aut describere, aut indicare. Neque vero necesse est, cum facile ea esse, quæ descripsimus, videantur.

esse dubitandum putet. Ex ea namque *fidei professione*, quam e codice eruditissimi viri Antonii Augustini descriptam, in decimum Annalium volumen transtulit Cardinalis Baronius, intelligi facile potest, obtinuisse eam apud Romanos consuetudinem, ut qui Pontifices, Cardinalesve creandi erant, iidem pollicerentur *Sancto Petro Principi Apostolorum, cui claves regni cælestis ad ligandum, & solvendum in cælo, & in terra creator, & redemtor Dominus noster tradidit*; numquam se deserturos Sanctam ejus Ecclesiam, quam regendam susciperent, sed defensuros religionem, quam ab ejus successoribus accepissent &c. (1) Præterea in codice Sacramentorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem quidem codicem Josephus Augustinus Orsius Ord. Præd. Sac. Pal. Ap. Magister (2) a Sancto Gelasio Pontifice; Blanchinius vero a Sancto Leone primo digestum existimat (3), hæc habentur (4): *Vere dignum, qui, ut hanc sedem regimen Ecclesiæ totius efficeres, & quod hæc prædicasset, ostenderes ubique servandum, simul in ea & Apostolicæ principem dignitatis, & magistrum gentium collocasti.*

Eadem fere continent liber Diurnus Romanorum Pontificum (5); Sacramentarium, quod Gelasianum vocant, quodque a Venerabili viro Cardinali Thomasio anno millesimo sexcentesimo octogesimo editum, anno demum millesimo septingentesimo quadragesimo octavo Ludovicus Antonius Muratorius ὁ φιλόπονος transtulit in priorem de Liturgia Romana vetere Tomum (6): Ordo vetus Ecclesiæ

Tom.V. V Ro-

1 *Ad an. 869. num. LIX.*

2 In litteris, quas ad Josephum Blanchinium *de Sacramento Leoniano* dedit, quasque idem Blanchinius initio fere *tom. IV. vitarum Summorum Pontificum ab Anastasio Bibliothecario scriptar.* laudat.

3 Joseph Blanchinius Oratorii Rom. Presb. vir doctissimus in *Proleg. ad t. IV. Anastas. edit. Rom. Salvioni an.* 1735. Huic assentitur Comes Acamius vir eruditus, & amicus meus. Contra pugnant Ludovicus Antonius Muratorius, & Aloysius Assemanus. Sed de hoc codice sacramentorum alias.

4 *Pag. XXX. tom. eod.*

5 *Cap. III. titul. VI. p. 59. In professi. fidei Episcopi, Edit. Garnerii Paris. an.* 1680. *& tit. VIII. in Indicul. Episcopi & in Indiculo Bonifacii Moguntinensis pag. 69. & Indiculo Episcopi de Longobardia pag. 71. & cap. VII. tit. de Privil. Diaconias XVII. p. 133. & XVIII. pag. 134. & XIX. pag. 135. & Privil. ad Confirm. Monasterii pag. 139.*

6 *Lib. II. tom. I. Liturg. Rom. vet. edit. Murator. pag. 653. seq.*

Romanæ, quem Melchior Hittorpius, & Jodocus Coccius ſeculo octavo perſcriptum fuiſſe arbitrantur (1); Ordo Romanus decimus quartus a Mabillonio publicatus (2); Sacramentarium Gregorianum (3) ab Hugone Menardo editum, & illuſtratum, ut cetera prætermittam, quæ a Dominico Georgio τῷ μακαρίτῃ, a Martenio, aliiſque vulgata ſunt. Non diſcrepant monumenta, librique rituales Eccleſiæ Mediolanenſis (4); vetus Miſſale Gothicum Gallicanum, quod ante annos nongentos perſcriptum ferunt (5); Sacramentarium Gallicanum in extremo primo Muſei Italici volumine a Mabillonio vulgatum (6); Libri rituales Hiſpanarum Eccleſiarum, imprimiſque Miſſale, quod Moſarabum appellatur (7). In iis autem, qui nunc in Eccleſia Occidentis

1 *Tom.* XIII. *Biblioth. PP. edit. Lugd. an.* 1677. *pag.* 714. *ſeq.*

2 *Tom.* II. *Muſei Ital. pag.* 273. *edit. Pariſ. an.* 1724.

3 Apud Muratorium *tom.* II. *litur. Rom. vet. pag.* 103. Confer ejuſdem *Diſſ. de reb. Liturg. cap.* VI. *tom.* I. *litur. Rom. vet. pag.* 63. *ſeqq.*

4 Unum hic laudabo ſancti Ambroſii Epiſcopi hymnum qui I. num. a Monachis Maurinis ponitur *tom.* IV. *app.* I. *Ambroſii pagin.* 307. *edition. Venet. ann.* 1751. qui hymnus ſic habet:

> Hoc nauta vires colligit,
> Pontique miteſcunt freta,
> Hoc ipſa Petra Eccleſiæ
> Canente culpam diluit.

Quamobrem ſanctus Auguſtinus *lib.* I. *Retractationum cap.* XXI. *tom.* I. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. *pag.* 23. „ Dixi, *inquit*, in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo, „ tamquam in petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſi- „ bus Beatiſſimi Ambroſii, ubi de Gallo gallinaceo ait, *hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente* „ *culpam diluit*.

5 Editum eſt a Card. Joſepho Maria Thomaſio, deindeque a Muratorio, & a Vezzoſio Clerico Regulari Theatino viro eruditiſſimo, & amico meo, qui omnia opera ipſius Card. Thomaſii collegit, inque plures tomos diſtributa, notationibus illuſtravit. Confer idem *Miſſale pag.* 622. *tom.* II. *Liturg. vet. Rom. edit. Murat.*

6 *Pag.* 343. *tom.* I. *Muſ. Ital. edit. Pariſ. an.* 1724. *In Conteſtat.* „ Ex quibus B. Pe- „ trum (Apoſtolum) in fundamentum Eccleſiæ Catholicæ collocaſti, cujus fidem in om- „ nium diſcipulorum tuorum gaudio confortaſti „. *Et ad diem feſtum cathedræ S. Petri pag.* 297. „ Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſolemniſſimum diem, in quo omne jus gentium, Judæo- „ rumque ſortitus eſt, quem diem ipſa divinitas conſecravit delegando cælorum claves, vel „ Pontificalis cathedræ contulit dignitatem, fratres cariſſimi, exultantes in Domino cele- „ bremus, deprecantes ejus miſericordiam, ut ſicut B. Petro Apoſtolo principalia mune- „ ra contulit, ita & nobis peccatorum commiſſa concedat „. *Et in collect.* „ Deus, qui „ hodierna die B. Petrum poſt te dediſti caput Eccleſiæ „. *Et in poſt nomina*: „ Deum „ qui B. Petro tantam poteſtatem diſcipulo contulit, ut ſi ipſe ligaverit, non ſit alter, „ qui ſolveret &c. „. *Et in conteſt.* „ In cujus confeſſione eſt fundamentum Eccleſiæ, nec „ ad verſus hanc petram portæ inferi prævalent.

7 Conſule Pinium *Act. ſanctorum tom.* VI. *menſ. Julii collect. Bollandianor. pag.* 1 & *Joſephum Blanchinium tom.* I. *collect. opp. Card. Thomaſii pag.* 124.

tis Clericorum manibus teri consuerunt, libris, ut in Missalibus, in Breviariis, in Antiphonariis &c. Petrum & janitorem cæli, & clavigerum, & principem vocari, tam est manifestum, ut pueris, aniculisque exploratum sit.

Venio ad Orientis Ecclesias. Sed antequam eas numerare aggrediar, illud dicam, mirari me quid sit, quod cum in Euchologio, aliisque Ecclesiasticis Orientalium, imprimisque Græcorum, libris persæpe & caput, & petra, & claviger, & princeps Apostolorum nominetur Petrus; extiterint nihilominus hoc seculo e Schismaticorum quidem turba, atque colluvie aliqui tam male in Latinos animati, ut cum Romano Pontifici adimere primatum vellent, neminem fuisse in collegio Apostolorum defenderent, qui ceteris dignitate principatus anteponeretur. Quo quidem e numero fuerunt ii, qui scriptum, nescio quod, Patriarchale Encyclicum Dogmaticum, Synodi auctoritate compositum, ediderunt; quod sane scriptum singulari libro refellere est aggressus aviæ meæ frater Antonius Balsarinus electus Archiepiscopus Carthaginiensis, & Vicarius Patriarchalis Constantinopoleos *ὁ μακαρίτης*, qui liber apud me manuscriptus servatur, cumque otium nactus fuero, publicabitur. Jam vero quis tam est imperitus græcarum rerum, qui nesciat *Protocoryphæum* Apostolorum appellari in Euchologio Petrum (1)? In *orationibus* autem, quibus Græci *indulgentiam mortuo excommunicationis, & interdicti* largiri solent, nonne est Petro *Coryphæi* tributum nomen (2)? Quid? Annon in Euchologium translata a Græcis *oratio* Methodii Episcopi Constantinopolitani est? qua in *oratione* Petrus idem & claviger, & Coryphæus, & fundamentum Ecclesiæ dicitur (3)? Ac non

V 2 est

1 *Pag. 557. in Bened. Retium, Edit. Goarii Veneta an. 1730.* τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, καὶ πανευφήμου ἀποστόλου, καὶ πρωτοκορυφαίου τῶν ἀποστόλων πέτρου. „ Sancti gloriosi, & „ perecelebris Apostoli, & primi principis (*protocoryphæi*) Apostolorum Petri.

2 In eodem Euchologio *pag. 545.* „ Qui Coryphæo Petro potestatem hanc contulisti „. *Et pag. 546.* „ . Misericors Domine Jesu Christe Deus noster, qui τῷ κορυφαίῳ τῶν σῶν „ μαθητῶν, καὶ ἀποστόλων πέτρῳ, *qui principi tuorum discipulorum, & Apostolorum Petro,* „ τὴν σὴν οἰκοδομήσας ἐκκλησίαν, καὶ τὰς κλεῖς αὐτῷ δοὺς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, „ καὶ τῇ σῇ χάριτι πᾶσαν αὐτῷ δοθῆναι θελήσας ἐξουσίαν, *tuam inædificasti Ecclesiam & cla-* „ *ves ipsi dedisti Regni cælorum, & tua gratia voluisti ipsi omnem potestatem conferri &c.*

3 *Euchol. p. 689. Methodii Patriarchæ Constantinopolis, de iis qui abnegarunt . . .*

& ad

est otium profecto omnia, quæ in Archieratico, seu *Pontificali* libro Græcorum (1); quæ in Doxastico, in Tropario (2) continentur, describere. Accedit Græcæ, Copticæque Alexandrinarum Ecclesiarum consensio. Nam in Liturgia quidem Græca, quam Alexandrinam S. Basilii appellant, Petrus vocatur princeps Apostolorum (3). Quid? Si eamdem appellationem in quibusdam Liturgiis tribuere Petro Syri consuerint (4)? Ac tempus me protecto deficeret, si omnia, quæ ad id genus argumenti pertinent, librique Ecclesiastici omnium Christianarum gentium complectuntur, persequi diligenter vellem. Quare his paucis contentus ero; veniamque ad eos, qui veteribus monumentis effici ab se posse putant, Petrum neque caput, neque fundamentum, neque principem fuisse Apostolorum.

Nam video equidem esse aliquos, eosque e numero hæreticorum, qui celebrem illum ex Evangelio Matthæi locum, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, aut in Christum, aut in *fidei confessionem*, quæ certa, stabilis, ac perpetua sit, omnino cadere arbitrentur; in Petrum autem nullo modo.

& ad orthodoxam fidem revertuntur: pag. 690. „ Dominator Domine Deus noster, qui „ regni tui clavibus Petro Apostolorum tuorum Coryphæo credidis, sanctaque tua Ecclesia „ super eum ædificata, ei gratia tua potestatem ligandi, atque solvendi super terram „ contulisti &c.

1 Confer Homiliam s. Gregorii Nazianzeni Archieratico insertam, quam describit Habertus *Pontif. Græc. edit. Paris. an. 1676. pag.* 378. qua in Homilia Petrus ὕστερον τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα *posterius Ecclesiæ fundamentum* vocatur. Consule *obser. secundam Isaaci Haberti in eamdem orationem Gregorii ibid. pag.* 398.

2 In Exapostilario, de quo confer Leonem Allatium *Diss. de libris Eccl. Græcorum pag. 67. edit. Paris. an.* 1646. In eo autem, *ad* XVI. *Januar. diem* Petrus fundamenti *Ecclesiæ petra* appellatur. Quod ipsum legere *in Doxastico* licet *ad d.* XVI. *Jan.* Quinetiam *ad d. 29. Junii in* Doxastico *gloriosorum Apostolorum Coryphæus, & petra fidei*: *in* Tropario, *Apostolorum supremus Princeps*, vocatur. Mitto ceteros Ecclesiæ Græcæ libros, ne mea sit longior, quam oportet, oratio.

3 *Tom. II. opp. s. Basilii edit. Garn. Monachor. s. Mauri pag. 683. in Append* „ Dominator Domine Deus Pater omnipotens, qui sanas animas nostras, corpora, & spiritus. „ Tu es, qui præcepisti πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἁγίων σοῦ μαθητῶν καὶ ἀποστόλων *principi* „ *tuorum discipulorum, & Apostolorum* ex ore unigeniti filii tui Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi *dicentis ei* λέγοντος αὐτῷ: *Tu es Petrus, & super hanc petram &c.*„. Quod ad lib. Miss. Copticarum attinet, confer Josephi Aloysii Assemani *Codicem Liturg. Eccles. univ. lib.* IV. *part.* IV. *pag. 75. edit. Rom. an.* 1754 ubi hæc *ex Copt. Basil. Miss.* descripta leguntur: „ Tu qui dixisti Patri nostro Petro per os filii „ tui.... *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.*

4 Confer Renaudotium *tom. II. collect. Oriental. Liturg. pag. 141. seqq.*

do . Abutuntur autem testimoniis Origenis (1) , qui quemque Christianum, qui Jesum , ita ut factum a Petro est, Dei filium esse confiteatur , similem Petro & dignitate , & auctoritate futurum scribit . Neque vero Origenis solum , sed etiam Eusebii , Athanasii , Hilarii , Augustini , ipsorumque Romanorum Pontificum , quorum certe fidem suspectam sibi esse Orthodoxi negant . Atque Eusebii quidem præclarum esse locum in Commentariis in sextum ac decimum psalmum contendunt . Habet enim ille hoc modo : „ Si fundamentum Ecclesiæ cogites , primo quidem „ infractam illam , & solidam petram , in qua fundata est , „ secundum illud : *Supra petram ædificabo Ecclesiam meam* , „ *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam . Petra autem* „ *erat Christus* , aut , ut Apostolus indicat his verbis : *fun-* „ *damentum aliud nemo potest ponere , præter id quod positum* „ *est , quod est Iesus Christus* : ac post ipsum Salvatorem „ fundamenta Ecclesiæ existimes esse Propheticos , & Apo- „ stolicos sermones : secundum Apostoli dictum : *Supe-* „ *rædificati super fundamentum Apostolorum , & Prophetarum* „ *ipso summo angulari lapide Christo Jesu* , nequaquam a veri- „ tatis scopo aberraveris . Hæc igitur orbis fundamenta (3) „ re-

1 Origenes *tom.* XII. *in Matth. num.* 10. *vol. tertio opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri* : „ Si illud idem dicamus , *inquit* , sicut Petrus , eo nobis per carnem , & sanguinem „ non revelato , sed per lumen , quod a Patre cælesti cordibus nostris affulserit , fortasse „ simus & ipsi id , quod Petrus , nempe itidem ut ille fortunati prædicamur , propterea „ quod hæc etiam ad nos pervenerunt , quæ caussa illi fuerunt , cur beatus sit existimatus .. „ Quod si postquam dixerimus & nos , quemadmodum Petrus : *tu es Christus filius Dei vivi* , „ non quasi revelatum nobis fuerit a carne , vel a sanguine , sed luce cordi nostro affulgente a Patre , qui in cælis est , Petrus efficimur , dicatur & nobis a Verbo : *tu es Petrus* , & quæ sequuntur . Petra enim est omnis discipulus Christi , de quo bibebant , „ qui *bibebant de spirituali consequente petra* ; & super quamlibet hujusmodi petram ædificatur omnis sermo Ecclesiasticus , & vitæ juxta ipsum institutæ ratio . Unicuique enim „ profecto habenti congregationem sermonum beatitudinem efficientium , & operum , & „ cogitationum , inest Ecclesia a Deo ædificata . Si vero super unum illum solummodo Petrum totam Ecclesiam a Deo ædificari arbitraris , quid de Johanne tonitrui filio , & unoquoque Apostolorum dixeris ? Alioquin an audebimus dicere portas inferi speciatim adversus Petrum non prævalituras , prævalituras autem adversus reliquos Apostolos , & „ perfectos ? Nonne vero & in omnibus , & in his singulis fit illud , quod supra dictum est : „ *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* , & illud quoque : *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* ? An etiam soli Petro dantur a Domino claves regni cælorum , nec „ *quisquam beatorum alius eas accipiet &c.* ?

2 *Pag.* 63. *tom.* 1. *collect. vet. Patrum edit. Montfaucon. Paris. an.* 1706. Eadem per-

(1), Pelagio Secundo (2), & Gregorio Magno, quem Dialogum Græci, ob perscriptos ab eo libros Dialogorum, vocant (3); ne qui Nectario Patriarchæ Hierosolymitano majorum gentium Photiano (4) similes reperiantur, qui non esse Romanis Episcopis auscultandum respondeant, suam caussam contra adversarios Apostolicæ Sedis agentibus (quamquam est eorum summa in hoc item genere auctoritas, cum acceptum a majoribus dogma in posteros propagavarint); his, ut ajebam, missis, quem umquam hominem Protestantes, Græcique tam imperitum antiquitatum, tamque ineptum futurum putant, qui cum nulla præjudicata opinione ducatur, tum non modo Fulgentium (5) Ruspensem, (6) Avitum Viennensem, (7) Ennodium

1 *Epist. ad universam Ecclesiam anno 552. scripta, quæ extat tom.* III. *Concilior. ejusdem edit. pag.* 5. „ Hinc est quod Deus noster contra errorum hujusmodi feritatem pa„ storale cælitus armarit officium, quod Beatissimo Petro Apostolo trina præceptione „ commendans ait: *pasce oves meas*. Et recte illi pascendarum est cura commissa, cujus „ fidei præclara confessio Dei est ore laudata. Confitenti enim salutariter, ac dicenti: „ *tu es Christus filius Dei vivi*, perennis beatitudo rependitur, & columbæ filius voci„ tetur, & claves regni cælestis accipit „. Idem *pag.* 6. Petrum *Apostolorum primum* vocat.

2 *Epist.* IV. *ad Episcopos Istriæ tom.* III. *Concilior. edit. ejusdem pag.* 419.

3 Innumere sunt Gregorii de Petro Principe Apostolorum, & petra, & capite, & fundamento Ecclesiæ loca. Nos pauca hic indicabimus. Itaque confer, si placet, ejus *de libertate Monachorum Decretum*, *quod ex* VII. *libro*, *epist.* XVII. *Ind.* I. *in collectionem Conciliorum translatum est*. *Vide tom.* III. *Concil. edit. Harduin. pag.* 538. *Lib. item* V. *epist.* XX. quæ est ad Mauricium Imperatorem *pag.* 748. *t.* II. *edit. opp. Monach. S. Mauri*, ubi: „ Cunctis, *inquit*, Evangelium scientibus liquet, quod .... Sancto & om„ nium Apostolorum principi Petro Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est „. *Et lib.* I. *Dialogorum cap.* XII. *p.* 205. *tom. eodem* quo loco Petrum *principem*, *primumque* Apostolorum nominet.

4 Huic attribuitur *liber Antirrheticus adversus Petrum* Minoritam περὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πάπα *de Primatu Papæ*, qui liber primum Jassi in Moldavia, deindeque une cum Petri Allixii versione Londini an. 1708. editus fuit. In priore autem Moldaviensi an. 1682. editione, qua nos utimur *pag.* 91. sic habet. ταυτῶν δὲ ὑπὲρ ἑαυτῶν μαρτυρίας οὐδ' ἀκούειν δίκαιον. *Paparum autem de se ipsis testimonia audiri, æquum non est*. At audierunt, hisque jam consenserunt veteres non Latini solum, sed etiam Græci, quod ex iis, quæ deinceps dicentur, magis magisque constabit.

5 *Lib. de Remiss. Peccatorum ad Euthymium* I. *cap.* XIX. *pag.* 314. *edit. opp. Paris. ann.* 1684.

6 *Epist. ad Senatores Urbis Romæ an.* 503. *scripta, quæ extat tom.* II. *Conciliorum edit. Hard. pag.* 982. ubi: „ Nec minus diligetis, *inquit*, in Ecclesia vestra sedem Petri, „ quam in civitate apicem mundi.

7 Confer Ennodii Ticinensis *lib.* V. *epist.* 2. *pag.* 343. *tom.* IX. *Bibl. Patrum edition. Lugd. & epist.* XIII. *lib.* V. *pag.* 343. *& lib.* IX. *epist.* XIX. *pag.* 369. *& libell. Apologet. de synodo pag.* 380. ubi hæc habet: „ Aliorum forte hominum caussas Deus volue„ rit per

dium Ticinensem, Victorem (1), Facundum Hermianensem (2), Possessorem Africanum (3), Cæsarium Arelatensem (4) Episcopos, Ægidium Abbatem, & Messianum Notarium (5), Fulgentium Ferrandum (6), aliosque fere innumerabiles scriptores latini ritus; sed Justinianum etiam (7) Impe-

„ rit per homines terminare, sedis istius (Romanæ) præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores Cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite æstimare animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas Deus præ ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste, quo judice. Dicas forsitan, omnium animarum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo uni dictum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Sanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe venerabilem, dum illi, quidquid fidelium est, ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur „. Confer *&* *lib.* I. *pag.* 20. *num.* XV.

1 Floruit is Episcopus seculo v. ut qui memoretur in *collat. Afric. ann.* 484. *tom.* II. *Concilior. pag.* 872. *edition. Hard.* suamque Historiam Persecutionis Vandalicæ scripserit *an.* 487. tertio nempe ac decimo ante initium seculi VI. anno. Is *lib.* ejus *Hist.* V. *n.* XX. *pag.* 48. *edit. Ruinart. Veneta an.* 1732 *Præcipue Petrum* invocat, quæritque, *cur sileat pro ovibus, & agnis a communi magno Domino magna ei cautela, & sollicitudine commendatis?*

2 *Lib.* X. *pag.* 722. *cap.* II. *tom.* II. *opp. Sirmondi edit. Paris. an.* 1696. ad S. Cypriani sententiam alludens Facundus, scribit hoc modo: „ Petrus Apostolorum primus, cum non recte ambularet ad veritatem Evangelii, reprehensus a Paulo minimo Apostolorum non indigne tulit, nec pro sui primatus gloria resistentem sibi despexit.

3 Hujus extat ad Hormisdam Pontificem de Fausti Rhegiensis Episcopi dogmatibus circa gratiam Christi epistola scripta *an.* 520. *tom.* II. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1037. in qua sic habetur: „ A quo magis est nutantia fidei stabilitas expectanda, quam ab ejus Sedis præside, cujus primus a Christo rector audivit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?*

4 Hujus item est ad Symmachum Papam an. 503. scripta epistola, cujus hoc est initium: „ Sicut a persona B. Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid observare debeant, evidenter ostendat „. *Tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 956. Nempe hoc voluit: ita Episcopum Romanum ceteris Episcopis eminere, ut primas obtinebat Petrus in Ecclesia partes; quamobrem instituendos docendosque esse Episcopos, adeoque Ecclesias ab eo, qui Sedem Petri occuparet.

5 Hi cum Symmacho Papæ libellum obtulissent, confessi sunt, non ob aliam certe caussam, quam quod Petrus princeps Apostolorum, atque universæ Ecclesiæ esset: „ Omnibus Ecclesiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffusæ sunt, Apostolicam Sedem sibimet vindicare principatum „. Confer *tom.* V. *Concilior. edit. Veneta an.* 1728. *pag.* 439.

6 Eodem spectant, quæ habet Fulgentius Ferrandus *epist. ad Severum Scholasticum Constantinopolitanum tom.* IV. *Bibliothecæ PP. edit. Lugd. pag.* 509. „ Interroga, *inquit*, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis „. Hæc vero nisi ob verba Christi ad Petrum, quibus hic constitutus petra Ecclesiæ fuit, quam ob aliam caussam dicta fuerint, ne suspicari quidem possum.

7 Ejus litteras ad Johannem Papam describemus alio loco, cum tempus monuerit, opportune; quibus quidem ex litteris plane constat, conjungendos, subdendosque esse Episcopos omnes Pontifici Maximo, quod is successor B. Petri sit, illiusque Apostolicam Sedem occupet. Confer *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 1146. *seq.*

ratorem, Evagrium Scholasticum (1), Orientales Episcopos, qui ad Symmachum Pontificem initio fere sexti seculi hoc modo scripserunt: „ Hæc diximus, sanctissime, ausi supplicare non pro perditione unius ovis, neque pro perditione unius drachmæ, sed pro amica nobis salute, non Orientalium partium tantum, sed trium prope plagarum habitabilis mundi, non corruptibili argento, aut auro redemtarum de vana conversatione a parentibus tradita, sed pretioso Sanguine agni Dei, sicut docuit Beatus gloriosorum Apostolorum princeps, cujus Cathedram beatitudini tuæ credidit Christus (2) „: Marianum presbyterum, & primatem Monachorum regiæ civitatis Constantinopoleos, ceterosque Byzantinos, & Hierosolymitanos Archimandritas, a quibus hæc sunt ad Agapetum Pontificem scripta: „ Hæc quidem dumtaxat portamus, licet incredibilia, & a diris doloribus incurvati, spem habentes ad clementissimum Deum, qui in tempore opportuno vestrum adventum nobis ostendit, quod sicut Petrum *magnum Apostolorum principem*, his qui Romæ erant in depositionem præstigiarum Simonis Goetici misit, sic & vos misit in depositionem, & expulsionem Severi &c. (3) „. Orthodoxos item Episcopos Orientis sic ad Agapetum eumdem (4) scribentes: „ Ex quo Christus Deus noster pro debitis vobis præmiis propter ipsius in omni tempore cum vera fiducia sua invisibili, ac terribili virtute divulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requievit, cum sedem Apostolorum vobis, Pater Beatissime, commisit, & *firmavit* super *firmam petram pedes vestros &c.* clarificati a spirituali splendore vestro, per quem tamquam lucerna resplendens super sancto candelabro caliginem

1 In lib. II. *Hist. Eccles. cap.* IV. *pag.* 365. *edit. Taurinensis* describens verba Legatorum Romani Pontificis, qui synodo Chalcedonensi præfuerant, iisque consentiens, ita ut synodus ipsa fecerat: *Beatissimum* nominat, *& omni laude dignissimum Petrum Apostolum* ὅς ἐστι πέτρα, ϗ κρηπὶς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ϗ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως θεμέλιος, *qui est petra & basis catholicæ Ecclesiæ, & orthodoxæ fidei fundamentum.*

2 *Tom.* II. *Concilior. edit. Veneta pag.* 433. *seq.*

3 *Tom.* II. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1205. πέτρον τὸν μέγαν τῶν ἀποστόλων κορυφαῖον.

4 *Tom.* II. *Concilior. edit. Har pag.* 1218.

„ ginem eorum, qui in tenebris ſedent, depuliſtis, & cæcos „ illuminaſtis &c. „: Quem inquam, tam ineptum, tamque indoctum ſeſe reperturos Proteſtantes putant, qui cum hos alioſque vel Græcos, vel Syros ſcriptores, id decus B. Petro tribuiſſe legat, propterea quod ita a Chriſto Servatore ſtatutum, traditumque a Patribus fuerit; repugnandum his tamen, ac novis credendum arbitretur?

Neque minus perſpicui ſunt Patrum, qui ſeptimo ſeculo floruerunt, de Petro principe Apoſtolorum, univerſæque Eccleſiæ capite, ac moderatore loci. Pontifices namque Maximi, ut Bonifacius Quartus in ea, quæ eſt ad Athelbertum Anglorum Regem epiſtola (1), Martinus in iis litteris, quæ ſunt ad Johannem Epiſcopum Philadelphiæ (2), nec vero in iis ſolum, ſed etiam in ſynodi Lateranenſis actione ſecunda (3), Agatho, cujus eſt luculentiſſimum in Romano Concilio anno *679.* habito, teſtimonium (4), Leo ſecundus in ea, quæ eſt in actis ſynodi ſextæ anno ſexcenteſimo octogeſimo primo celebratæ, ad Conſtantinum Imperatorem epiſtola; inque altera, quam ad Epiſcopos Hiſpaniarum dedit (5); Patres ipſi ſynodi ſextæ, quorum certe magna

apud

1 Scripta e Concilio Romano *an. 610.* In ea enim *Petrum principem Apoſtolorum*, Romanoſque Pontifices *illius ſucceſſores* vocat.

2 *Epiſt. v. pag. 629.* „ Hoc tibi omni modo facere præcipientibus nobis ex Apoſtolica „ auctoritate, quæ data eſt nobis a Domino διὰ πέτρου τοῦ παναγίου, καὶ κορυφαίου τῶν „ ἀποστόλων *per Petrum ſanctiſſimum, & Coryphæum Apoſtolorum*.

3 *Ann. 649. tom. III. Concilior. edit. Hard. pag. 758.* ubi „ Humilitatem, *inquit*, „ competenter minime præſumens abrogatum eumdem Paulum (Conſtantinopolitanum) „ habere, ſed conſacerdotem appellans, donec judicium de eo *noſtra Apoſtolica auctoritatis, hoc eſt Petri Coryphæi Apoſtolorum, ut qui in fidem acceperit, & conſequi* „ *præ omnibus meruerit a Rege regum Chriſto Deo claves regni cælorum*.

4 *Tom. III. Concilior. pag. 1039.* „ Nos prævidimus, & conſtituimus, ut ſtatuta illa, quæ ſynodalibus decretis jamdudum ſolidata per Beatum Petrum principem Apoſtolorum fuerunt... illibata ſerventur „. Confer ejuſdem epiſtolam ſynodicam ad Conſtantinum, quæ extat *Act. IV. ſynodi VI. pag. 1123. tom. eod. III. Concilior.*

5 *Epiſt. ad Conſt. Imp. tom. III. Concilior. pag. 1474.* „ Hanc rectæ traditionis normam.... ſancta tunc, & magna Synodus, Domini, & veſtro favore celebrata, ſuſcepit.... utpote τοῦ μακαρίου πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων *Beati Petri Coryphæi Apoſtolorum* ſinceram doctrinam in ea agnoſcens... Et quia ſancta ſynodus definitionem rectæ fidei, ut dictum eſt, pleniſſime prædicavit, quam & Apoſtolica Sedes B. Petri Apoſtoli, cujus, licet impares, miniſterio fungimur, veneranter ſuſcepit; „ idcirco & nos, & per noſtrum officium hæc veneranda Sedes Apoſtolica concorditer, ac „ unanimiter his, quæ definita ſunt ab ea, conſentit, & Beati Petri auctoritate confirmat „. „ Epiſt.

apud omnes, imprimisque apud nos, Græcosque auctoritas esse debet (1), pluresque alii non *Occidentales* modo, sed etiam *Orientales* ejus ætatis scriptores, quos brevitatis caussa prætermittimus, collocatum a Christo fuisse Petrum in eo dignitatis, honorisque gradu confessi sunt. Eodemque spectant Gregorii secundi (2), Zachariæ (3), Pauli (4), Hadriani (5) Pontificum Romanorum, & Bonifacii Moguntini (6), utque ceteros prætercam, Constantini Imperatoris

Epist. vero ad Episcopos Hispaniæ *tom. eodem pag.* 1730. „ Pro (pravitate fidei), *inquit* „ hæc sancta Ecclesiarum omnium mater Apostolica Sedes (Apostolicam dicit, quod a Pe„ tro *Principe Apostolorum*, sic enim eum *pag.* 1731. vocat, fundata, atque occupata „ fuisset) usque ad victimam desudavit semper, & desudat „. Horum similia sunt, quæ scripsit ad Ervigium regem Hispaniæ *ibid. pag.* 1734. „ Hoc etiam & in sanctis suis disci„ pulis Salvator mundi Dei filius esse constituit, qui Beatum Petrum, sui vice discipulo„ rum suorum instituit principem ... Ad quod perfectius obtinendum, sicut instanter ora„ mus, dum Dei dignatione patrum ordine fungimur, & Beati Petri Apostolorum Princi„ pis, licet impares ... locum implemus; ita prædicando ... ad beatæ vitæ meritum „ curamus provehere.

1 Patres synodi VI. *epist. ad Agathonem Papam*, quæ exstat *Act.* XVIII. *tom.* III. *Concilior. pag.* 1438 *ejusd. edit.* „ Tibi, *inquiunt*, ὡς πρωτοθρόνῳ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκ„ κλησίας *ut primæ sedis oecumenicæ Ecclesiæ antistiti*, quid agendum sit relinquimus „ ἐπὶ τὴν στερεὰν πέτραν ἑστῶτι τῆς πίστεως *stanti supra firmam fidei petram* libenter „ acquiescentes veræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad piissimum Impe„ ratorem missis, quas καὶ ὡς ἀπὸ τῆς κορυφαίας τῶν ἀποστόλων ἀκρότητος *ut a summo* „ *Apostolorum vertice* divine perscriptas agnoscimus.

2 Epist. ad Bonifacium *tom. eodem Concilior. pag.* 1857. „ In nomine indivisibilis Tri„ nitatis per inconcussam auctoritatem B. Petri Apostolorum principis „. Confer ejusdem Pontificis *epist.* II. *ad ipsum* Bonifacium Episcopum *ibid. pag.* 2858. & epist. ad Leonem Isauricum *tom.* IV. *pag.* 1.

3 Epist. ad Burchardum Wirtzemburgensem *an* 743. *scripta tom.* III. *Concilior. edit. ejusd. pag.* 1884. *& epist.* X. *ad Bonifacium ibid. pag.* 1910. *& Concilium Romanum an.* 743. *habitum ibid. pag.* 1930.

4 Confer ejus constitutum *ann.* 761, editum *tom.* III. *Conciliorum edition. Harduin. pag.* 2001.

5 *Epist. ad Carolum Magnum ibidem pag.* 2017. *seqq.* & in Privilegio Monasterio S. Dionysii concesso anno Christi 786. *pag.* 2021. *epist.* II. *ad Carolum Magnum p.* 2022. & epistola ad Constantinum, & Irenem *in Act. synodi* VII. *Oecumenicæ Nicænæ anno* 787. *celebratæ pag.* 79. *seqq. tom.* IV. *edition. Harduin.* Et epist. ad Episcopos Hispaniæ *ibid. pag.* 867.

6 In indiculo sacramenti, quod cum Episcopus ordinaretur edidit; *tom.* III. *Concil. pag.* 1857. sic habet: „ Promitto ego Bonifacius Dei gratia Episcopus Tibi B. Petro Apo„ stolorum Principi .... me omnem puritatem fidei exhibere &c. „. Et in Canonibus, & statutis synodi *Epist. ejus* CV. *ad Gualbertum Archiepiscopum tom.* III. *Conciliorum pag.* 1925 „ Decrevimus in nostro synodali conventu, & confessi sumus fidem Catholi„ cam, & unitatem, & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle „ servare sancto Petro, & Vicario ejus velle subjici, synodum per omnes annos congre„ gare, metropolitani pallia ab illa sede quærere, & per omnia præcepta Petri canoni„ ce sequi desiderare, ut inter oves sibi commendatas numeremur; & ipsi confessioni „ universi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus S. Petri Principis Apostolorum „ direximus.

ris (1), & Tarasii Patriarchæ (2) Constantinopolitanæ Sedis sententiæ, quos omnes octavo Ecclesiæ seculo floruisse constat. Atque sunt quidem Constantini verba hujusmodi: ,, Tamquam verus primus Sacerdos (*alloquitur enim Hadrianum Pontificem*) & is qui in loco, & sede sancti, & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, sicut dictum est, ,, ascendat, & simulacrum omnibus Sacerdotibus, qui hic ,, sunt, inveniatur ,,. Tarasius autem ad eumdem Hadrianum scribens ,, Vestra, *inquit*, *fraterna & summo Pontificio decorata Sanctitas*, ἀρχιεροπρεπὴς ἀδελφικὴ ἁγιωσύνη cum his ,, (Apostolis) per deiloquas suas doctrinas quodammodo ,, sermocinata, & ab eis accepto veritatis verbo, spinosas ,, herbas, quæ nunc germinaverunt, fidelissimorum, & ,, pacificorum Imperatorum veritati concordans evellere ,, machæra spiritus festinavit, mittens secundum scriptam ,, sibi petitionem nostram ad universalem synodum faciendam *æquivocos viros (hoc est, qui eodem nomine vocantur ; Petrus enim uterque legatus appellabatur)* τῷ πρωτάρχῳ ,, τῶν ἀποστόλων πέτρῳ *Principi Apostolorum Petro* ,, . De Scriptoribus autem, qui nono seculo ad Photii usque tempora, immo vero, qui vivo Photio, multoque etiam post claruerunt, latinis, græcisque quid dicam? quorum sane summa semper fuit de principatu, singularique Petri auctoritate consensio. Nam Theodorus Studites Nilum Johannis Chrysostomi discipulum (3), Gregorium Nyssenum Basilii Fratrem (4), Ephræmum Syrum Gregorii ejusdem (5) æqua-

1 *Epistola Dival. sacra ad Hadrianum Papam tom.* IV. *Concil. pag.* 22. *edit. ejusd.*

2 *Ibid. pag.* 510.

3 *Lib.* II. *Epist.* LXXVI. *pag.* 154. *edit. Roman. Allatii an* 1668. Constitutum fuisse a Christo Petrum testatur ποιμένα τῆς οἰκουμένης ἁπάσης *pastorem totius universi*.

4 Confer ejus *laudat.* S. Stephani *pag.* 319. *collect. monum. veter. Eccles. Græcæ edit. Zacagni Rom. an.* 1698. ubi ὁ μὲν γὰρ πρωτοστάτης, ἢ κορυφαῖος τῆς ἀποστολικῆς χορείας, inquit: ,, *Princeps, & Coryphæus Apostolici chori* convenientem dignitati suæ glo- ,, riam obtinuit, martyrii genere Dominicæ passioni haud absimili.

5 *In Encom. in Petrum, & ceteros Apostolos pag.* 462. *tom.* III. *Græc. Lat. edit. Rom. Jos. Assemani ann.* 1746. ubi: ,, Lucerna, *inquit*, Christus, λυχνία δὲ ὁ πέτρος ,, *candelabrum Petrus*, oleum autem subministratio sancti Spiritus ,,. *Et pagin.* 464. ,, Salve o Petre peccatorum porta, ... discipulorum lingua, prædicantium vox, τῶν ,, ἀποστόλων ἡ ὄψις, τῶν οὐρανῶν ὁ φύλαξ, ὁ τῶν κλειδούχων πρωτότοκος, *Apostolorum* ,, *oculus, Cælorum custos, primogenitus clavigerorum*.

ne longior sim, quam oporteat, missas faciam, sanctum Petrum principatum in collegio Apostolorum obtinuisse defendit. Quod ipsum testati sunt Anastasius Bibliothecarius in iis litteris, quas de synodo IV. Constantinopolitana ab se in latinam linguam conversa ad Hadrianum Pontificem scripsit (1), Sanctus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, cujus extant Actione quarta synodi quartæ Constantinopolitanæ ad Nicolaum Pontificem litteræ (2), Patres synodi Romanæ contra Photium sub Hadriano Pontifice congregatæ (3), Johannes Octavus (4) cujus quidem a Photio, Græcisve Schismaticis corruptæ litteræ fuerunt (5), Nicetas Paphlagon

1 Exstat *tom.* v. *Concilior. pag.* 757. *edit. Paris. Hard.* ubi Romanos Pontifices cum Petro super petram veræ confessionis stare, *scribit*.

2 *Pag.* 1039. *edit ejusd. Harduin. tom.* v. ubi : ,, Ad artus humani corporis, *inquit*, ,, plagis, & vulneribus saucios curandos, medendi ars magnam medicorum copiam sup- ,, peditavit, in membris autem Christi Salvatoris omnium capitis, ac sponsi Catholi- ,, cæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, unum tantum, ac solum selectum, ac universalissimum me- ,, dicum, tuam nempe fraternam, paternamque sanctitatem, supremum, & fortissimum Dei ,, verbum constituit, cum Petro τῷ τιμιωτάτῳ καὶ κορυφαιοτάτῳ τῶν ἀποστόλων *hono- ,, ratissimo, & supremo Apostolorum vertici dixit : Tu es Petrus, & super hanc petram ,, ædificabo Ecclesiam meam*. Hujuscemodi enim beatas voces non *soli Apostolorum Prin- ,, cipi* τῷ κορυφαίῳ μόνῳ privata quadam sorte transcripsit, & assignavit, sed per ipsum ,, ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmisit.

3 *Ibid. pag.* 1079. *Act.* VII, *synod.* IV. *Constantinop.*

4 *Epist. an.* 870. *ad Basilium, Constantinum, & Alexandrum Imperatores script. tom.* v. *Concilior. edit. Harduini pag.* 1166. ,, Ad auctorem (Romanæ Ecclesiæ) hoc esse ,, Apostolorum omnium principem, Domino loquente, præceptum est ; *pasce oves meas* ; ,, quam esse vere omnium Ecclesiarum Dei caput, & beatorum patrum præcipuæ regulæ, & ,, Orthodoxorum principum statuta declarant, & pietatis vestræ reverentissimi apices at- ,, testantur ,,. Et *pag.* 1167. ,, Illa potestate fulti, quam Ecclesia Dei toto terrarum orbe ,, diffusa credit nobis in ipso Apostolorum principe a Christo Deo nostro esse concessam, eo- ,, dem Salvatore, Beato Petro Apostolo præ ceteris specialiter delegante : *Tibi dabo cla- ves regni cælorum &c.*

5 Mendacia ad Johannem Pontificem scripsisse Photium, auctor est Nicetas Paphlagon *in s. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani vita*, quam Harduinus transtulit in v. *tom. sua collectionis conciliorum pag.* 1007. Mendax igitur cum esset Photius, mirabile sane non est, si corruptor etiam fuerit Pontificiarum epistolarum. Itaque in *edit. Roman. & in Harduini collect. tom.* VII. *pag.* 1151. *Admonitio* extat *ad Lectorem*, ab auctore nescio quo scripta, in qua hæc leguntur : ,, (Johannis) litteræ in antiquissimo codice habentur ,, Vaticanæ Bibliothecæ Longobardicis characteribus exaratæ. ... At his non contentus ,, Photius, cum Johannis Pontificis auctoritate vellet omnia contra se tum Romæ, tum ,, Constantinopoli acta rescindi, seque legitimum Patriarcham semper fuisse declarari, ,, ad usitatum artificium redit, legatos corrumpit, παραχαράττει δὲ νῦν πάντα τὰ γράμ- ,, ματα, καὶ νέα διαπλάττει, *litteras Papæ depravat, novasque res confingit*. Atque ut antea ,, Nicolai litteris multa (vel ipse, vel unus aliquis ex ejus amicorum numero) addiderat, ,, multa mutaverat, multa subtraxerat, ut Nicolaus ipse testatur (*epist.* IX. *ad Michaelem*

gon (1), Benedictus Quartus Pontifex Maximus in iis litteris, quas anno circiter nongentesimo quarto ad Episcopos Galliarum misit (2), Leo Septimus in tertia, quæ est ad Gallos, Germanosque epistola (3), Concilium Romanum anno nongentesimo sexagesimo nono ab Johanne XIII. Pontifice celebratum (4), Benedictus Sextus epistola ad Fridericum Salisburgensem Episcopum (5), Benedictus Septimus (6), aliique permulti, quos ne numerando quidem recensere possum (7). Sed Ecclesiarum omnium de *primatu* Sancti Petri sententia, ut e scriptis majorum, Conciliorumque decretis, ita ex Euchologiis, ceterisque Ecclesiasticis libris, qui legi publice in cœtu Christianorum consueverunt, cognosci, perspicique potest.

Ac de Romanæ quidem, reliquarumque Latinarum Ecclesiarum hymnis, præfationibus, precumque formulis, quas aliquando nostri *collectas* appellaverunt, neminem esse aut Protestantium, aut Schismaticorum arbitror, qui esse

lem Imperatorem ejusd. tom. pag. 277.) „ sic in hujusmodi Johannis litteris factum videmus „. Confer Allatium *De octava synodo Photiana c. 1. seqq. p. 6. seqq.* Nihilo secius in corrupta a Photio, ejusve defensoribus epistola Johannis Pontificis, hæc omnino habentur, quæ non principatum Petri modo, sed maximam in Ecclesia Romanæ Sedis auctoritatem, potestatemque legentibus non opinione persuadent, sed plane ad veritatem. „ Sicut enim Apostolica hæc sedes cum semel acceperit claves regni cælorum a primo, & magno illo Pontifice Jesu Christo διὰ τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων Πέτρου *per principem Apostolorum Petrum*, cui dixit: *tibi dabo claves &c.* ἔχει ἐξουσίαν καθόλου δεσμεῖν τε καὶ λύειν „ *habet potestatem universim ligandi, & solvendi*, ut est apud Jeremiam Prophetam, „ evellendi, & plantandi; ita & nos ejusdem potestate principis Apostolorum utentes... „ significamus vobis... convenire, & nobiscum sentire &c. „. *Ibid. pag. 1275.* Confer Acta synodi Photianæ *tom. VI. pag. 1. ejusdem collectionis Harduinianæ pag. 235.* Similia horum sunt, *quæ extant in vitiatis litteris ad omnes Episcopos &c. tom. V. pag. 1191.*

1 *Oration. 1. de Ss. Apostolis Petro & Paulo pagin. 327.* apud Combefisium *Auctar. Biblioth. PP. edit. Paris. an. 1672. Petrum principem, augustissimumque verticem Apostolorum, & immobilem Ecclesiæ petram* appellat. ὦ κορυφαία &c. „ Salve Petre, cui „ claves regni cælorum creditæ sunt, super quem Christus firmavit Ecclesiam suam; quem „ ad patrem migraturus suorum ovium pastorem constituit.

2 *Tom. VI. Concilior. edit. Hard. par. 1. pag. 492.*

3 *Tom eod. pag. 576.*

4 *Ibid. pag. 679.*

5 *Ibid. pag. 690.*

6 *Epist. ad Gallos, & Germanos ibid. pag. 699.*

7 Confer Concilium Romanum *an. 983.* celebratum *tom. eodem pag. 711. & Joh. Papæ XV. epist. 1. ad omnes fideles ibid. pag. 713.* Non est otium Ratramni Corbejensis, Anselmi Cantuariensis, ceterorumque testimonia aut describere, aut indicare. Neque vero necesse est, cum satis ea esse, quæ descripsimus, videantur.

esse dubitandum putet. Ex ea namque *fidei professione*, quam e codice eruditissimi viri Antonii Augustini descriptam, in decimum Annalium volumen transtulit Cardinalis Baronius, intelligi facile potest, obtinuisse eam apud Romanos consuetudinem, ut qui Pontifices, Cardinalesve creandi erant, iidem pollicerentur *Sancto Petro Principi Apostolorum, cui claves regni cælestis ad ligandum, & solvendum in cælo, & in terra creator, & redemtor Dominus noster tradidit*; numquam se deserturos Sanctam ejus Ecclesiam, quam regendam susciperent, sed defensuros religionem, quam ab ejus successoribus accepissent &c. (1) Præterea in codice Sacramentorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quem quidem codicem Josephus Augustinus Orsius Ord. Præd. Sac. Pal. Ap. Magister (2) a Sancto Gelasio Pontifice; Blanchinius vero a Sancto Leone primo digestum existimat (3), hæc habentur (4): *Vere dignum, qui, ut hanc sedem regimen Ecclesiæ totius efficeres, & quod hæc prædicasset, ostenderes ubique servandum, simul in ea & Apostolicæ principem dignitatis, & magistrum gentium collocasti.*

Eadem fere continent liber Diurnus Romanorum Pontificum (5); Sacramentarium, quod Gelasianum vocant, quodque a Venerabili viro Cardinali Thomasio anno millesimo sexcentesimo octogesimo editum, anno demum millesimo septingentesimo quadragesimo octavo Ludovicus Antonius Muratorius ὁ φιλόπονος transtulit in priorem de Liturgia Romana vetere Tomum (6): Ordo vetus Ecclesiæ Ro-

1 *Ad an. 869. num. LIX.*

2 In litteris, quas ad Josephum Blanchinium *de Sacramento Leoniano* dedit, quasque idem Blanchinius initio fere *tom. IV. vitarum Summorum Pontificum ab Anastasio Bibliothecario scriptar.* laudat.

3 Joseph Blanchinius Oratorii Rom. Presb. vir doctissimus in *Proleg. ad t. IV. Anastas. edit. Rom. Salvioni an. 1735.* Huic assentitur Comes Acamius vir eruditus, & amicus meus. Contra pugnant Ludovicus Antonius Muratorius, & Aloysius Assemanus. Sed de hoc codice sacramentorum alias.

4 *Pag. XXA. tom. eod.*

5 *Cap. III. titul. VI. p. 59. In profess. fidei Episcopi, Edit. Garnerii Paris. an. 1680. & tit. VIII. in Indicul. Episcopi & in Indiculo Bonifacii Moguntinensis pag. 69. & Indiculo Episcopi de Longobardia pag. 71. & cap. VII. tit. de Privil. Diaconias XVII. p. 133. & XVIII. pag. 134. & XIX. pag. 135. & Privil. ad Confirm. Monasterii pag. 139.*

6 *Lib. II. tom. I. Liturg. Rom. vet. edit. Murator. pag. 653. seq.*

Romanæ, quem Melchior Hittorpius, & Jodocus Coccius seculo octavo perscriptum fuisse arbitrantur (1); Ordo Romanus decimus quartus a Mabillonio publicatus (2); Sacramentarium Gregorianum (3) ab Hugone Menardo editum, & illustratum, ut cetera prætermittam, quæ a Dominico Georgio τῷ μακαρίτῃ, a Martenio, aliisque vulgata sunt. Non discrepant monumenta, librique rituales Ecclesiæ Mediolanensis (4); vetus Missale Gothicum Gallicanum, quod ante annos nongentos perscriptum ferunt (5); Sacramentarium Gallicanum in extremo primo Musei Italici volumine a Mabillonio vulgatum (6); Libri rituales Hispanarum Ecclesiarum, imprimisque Missale, quod Mosarabum appellatur (7). In iis autem, qui nunc in Ecclesia Occidentis

1 *Tom.* XIII. *Biblioth. PP. edit. Lugd. an.* 1677. *pag.* 714. *seq.*

2 *Tom.* II. *Musei Ital. pag.* 273. *edit. Paris. an.* 1724.

3 Apud Muratorium *tom.* II. *litur. Rom. vet. pag.* 103. Confer ejusdem *Diss. de reb. Liturg. cap.* VI. *tom.* 1. *litur. Rom. vet. pag.* 63. *seqq.*

4 Unum hic laudabo sancti Ambrosii Episcopi hymnum qui 1. num. a Monachis Maurinis ponitur *tom.* IV. *app. s. Ambrosii pagin.* 307. *edition. Venet. ann.* 1751. qui hymnus sic habet:

Hoc nauta vires colligit,
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipsa Petra Ecclesiæ
Canente culpam diluit.

Quamobrem sanctus Augustinus *lib.* 1. *Retractationum cap.* XXI. *tom.* 1. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. *pag.* 23. „ Dixi, *inquit*, in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo, „ tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versi- „ bus Beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait, *hoc ipsa Petra Ecclesiæ canente* „ *culpam diluit*.

5 Editum est a Card. Josepho Maria Thomasio, deindeque a Muratorio, & a Vezzosio Clerico Regulari Theatino viro eruditissimo, & amico meo, qui omnia opera ipsius Card. Thomasii collegit, inque plures tomos distributa, notationibus illustravit. Confer idem *Missale pag.* 622. *tom.* II. *Liturg. vet. Rom. edit. Murat.*

6 *Pag.* 343. *tom.* 1. *Mus. Ital. edit. Paris. an.* 1924. *In Contestat.* „ Ex quibus B. Petrum (Apostolum) in fundamentum Ecclesiæ Catholicæ conlocasti, cujus fidem in om- „ nium discipulorum tuorum gaudio confortasti „. *Et ad diem festum cathedræ s. Petri pag.* 297. „ Beatissimi Petri Apostoli solemnissimum diem, in quo omne jus gentium, Judæo- „ rumque sortitus est, quem diem ipsa divinitas consecravit delegando cælorum claves, vel „ Pontificalis cathedræ contulit dignitatem, fratres carissimi, exultantes in Domino cele- „ bremus, deprecantes ejus misericordiam, ut sicut B. Petro Apostolo principalia mune- „ ra contulit, ita & nobis peccatorum commissa concedat „. *Et in collect.* „ Deus, qui „ hodierna die B. Petrum post te dedisti caput Ecclesiæ „. *Et in post nomina*: „ Deum „ qui B. Petro tantam potestatem discipulo contulit, ut si ipse ligaverit, non sit alter, „ qui solveret &c. „. *Et in contest.* „ In cujus confessione est fundamentum Ecclesiæ, nec „ ad versus hanc petram portæ inferi prævalent.

7 Consule Pinium *Act. sanctorum tom.* VI. *mens. Julii collect. Bollandianor. pag.* 110. *&* *Josephum Blanchinium tom.* 1. *collect. opp. Card. Thomasii pag.* 124.

tis Clericorum manibus teri consuerunt, libris, ut in Missalibus, in Breviariis, in Antiphonariis &c. Petrum & janitorem cæli, & clavigerum, & principem vocari, tam est manifestum, ut pueris, aniculisque exploratum sit.

Venio ad Orientis Ecclesias. Sed antequam eas numerare aggrediar, illud dicam, mirari me quid sit, quod cum in Euchologio, aliisque Ecclesiasticis Orientalium, imprimisque Græcorum, libris persæpe & caput, & petra, & claviger, & princeps Apostolorum nominetur Petrus; extiterint nihilominus hoc seculo e Schismaticorum quidem turba, atque colluvie aliqui tam male in Latinos animati, ut cum Romano Pontifici adimere primatum vellent, neminem fuisse in collegio Apostolorum defenderent, qui ceteris dignitate principatus anteponeretur. Quo quidem e numero fuerunt ii, qui scriptum, nescio quod, Patriarchale Encyclicum Dogmaticum, Synodi auctoritate compositum, ediderunt; quod sane scriptum singulari libro refellere est aggressus aviæ meæ frater Antonius Balsarinus electus Archiepiscopus Carthaginiensis, & Vicarius Patriarchalis Constantinopoleos ὁ μακαρίτης, qui liber apud me manuscriptus servatur, cumque otium nactus fuero, publicabitur. Jam vero quis tam est imperitus græcarum rerum, qui nesciat *Protocoryphæum* Apostolorum appellari in Euchologio Petrum (1)? In *orationibus* autem, quibus Græci *indulgentiam mortuo excommunicationis, & interdicti* largiri solent, nonne est Petro *Coryphæi* tributum nomen (2)? Quid? Annon in Euchologium translata a Græcis *oratio* Methodii Episcopi Constantinopolitani est? qua in *oratione* Petrus idem & claviger, & Coryphæus, & fundamentum Ecclesiæ dicitur (3)? Ac non

 est

1 *Pag. 557. in Bened. Retium, Edit. Goarii Veneta an. 1730.* τοῦ ἁγίου ἐνδόξου, καὶ πανευφήμου ἀποστόλου, καὶ πρωτοκορυφαίου τῶν ἀποστόλων πέτρου. „ Sancti gloriosi, & „ perecelebris Apostoli, & primi principis (*protocoryphæi*) Apostolorum Petri.

2 In eodem Euchologio *pag. 545.* „ Qui Coryphæo Petro potestatem hanc contulisti „. Et *pag. 546.* „. Misericors Domine Jesu Christe Deus noster, qui τῷ κορυφαίῳ τῶν σῶν „ μαθητῶν, καὶ ἀποστόλων πέτρῳ, *qui principi tuorum discipulorum, & Apostolorum Petro,* „ τὴν σὴν οἰκοδομήσας ἐκκλησίαν, καὶ τὰς κλεῖς αὐτῷ δοὺς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, „ καὶ τῇ σῇ χάριτι πᾶσαν αὐτῷ δοθῆναι θελήσας ἐξουσίαν, *tuam inædificasti Ecclesiam & claves ipsi dedisti Regni cælorum, & tua gratia voluisti ipsi omnem potestatem conferri &c.*

3 *Euchol. p. 689. Methodii Patriarchæ Constantinopolis, de iis qui abnegarunt . . .*

& ad

eſt otium profecto omnia, quæ in Archieratico, ſeu *Pontificali* libro Græcorum (1); quæ in Doxaſtico, in Tropario (2) continentur, deſcribere. Accedit Græcæ, Copticæque Alexandrinarum Eccleſiarum conſenſio. Nam in Liturgia quidem Græca, quam Alexandrinam S. Baſilii appellant, Petrus vocatur princeps Apoſtolorum (3). Quid? Si eamdem appellationem in quibuſdam Liturgiis tribuere Petro Syri conſuerint (4)? Ac tempus me profecto deficeret, ſi omnia, quæ ad id genus argumenti pertinent, librique Eccleſiaſtici omnium Chriſtianarum gentium complectuntur, perſequi diligenter vellem. Quare his paucis contentus ero; veniamque ad eos, qui veteribus monumentis effici ab ſe poſſe putant, Petrum neque caput, neque fundamentum, neque principem fuiſſe Apoſtolorum.

Nam video equidem eſſe aliquos, eoſque e numero hæreticorum, qui celebrem illum ex Evangelio Matthæi locum, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, aut in Chriſtum, aut in *fidei confeſſionem*, quæ certa, ſtabilis, ac perpetua ſit, omnino cadere arbitrentur; in Petrum autem nullo modo.

& ad orthodoxam fidem revertuntur: pag. 690. „ Dominator Domine Deus noſter, qui „ regni tui clavibus Petro Apoſtolorum tuorum Coryphæo creditis, ſanctaque tua Eccleſia „ ſuper eum ædificata, ei gratia tua poteſtatem ligandi, atque ſolvendi ſuper terram „ contuliſti &c.

1 Confer Homiliam s. Gregorii Nazianzeni Archieratico inſertam, quam deſcribit Habertus *Pontif. Græc. edit. Pariſ. an. 1676. pag. 378.* qua in Homilia Petrus ὕστερον τὸ τῆς ἐκκλησίας ἔρεισμα *poſterius Eccleſiæ fundamentum* vocatur. Conſule *obſer. ſecundam Iſaaci Haberti in eamdem orationem Gregorii ibid. pag. 398.*

2 In Exapoſtilario, de quo confer Leonem Allatium *Diſſ. de libris Eccl. Græcorum pag. 67. edit. Pariſ. an. 1646.* In eo autem, *ad* XVI. *Januar. diem* Petrus *fundamenti Eccleſiæ petra* appellatur. Quod ipſum legere *in Doxaſtico* licet *ad d.* XVI. *Jan.* Quinetiam *ad d. 29. Junii* in Doxaſtico *glorioſorum Apoſtolorum Coryphæus, & petra fidei*: *in* Tropario, *Apoſtolorum ſupremus Princeps*, vocatur. Mitto ceteros Eccleſiæ Græcæ libros, ne mea ſit longior, quam oportet, oratio.

3 *Tom.* II. *opp. s. Baſilii edit. Garn. Monachor. s. Mauri pag. 683. in Append.* „ Dominator Domine Deus Pater omnipotens, qui ſanas animas noſtras, corpora, & ſpiritus. „ Tu es, qui præcepiſti Πέτρῳ τῷ κορυφαίῳ τῶν ἁγίων σοῦ μαθητῶν καὶ ἀποστόλων *principi* „ *tuorum diſcipulorum, & Apoſtolorum* ex ore unigeniti filii tui Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti *dicentis ei* λέγοντος αὐτῷ: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* „. Quod ad lib. Miſſ. Copticarum attinet, confer Joſephi Aloyſii Aſſemani *Codicem Liturg. Eccleſ. univ. lib.* IV. *part.* IV. *pag. 75. edit. Rom. an.* 1754 ubi hæc *ex Copt. Baſil. Miſſ.* deſcripta leguntur: „ Tu qui dixiſti Patri noſtro Petro per os filii „ tui.... *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam &c.*

4 Confer Renaudotium *tom.* II. *collect. Oriental. Liturg. pag. 141. ſeqq.*

do . Abutuntur autem testimoniis Origenis (1) , qui quemque Christianum, qui Jesum , ita ut factum a Petro est, Dei filium esse confiteatur , similem Petro & dignitate , & auctoritate futurum scribit . Neque vero Origenis solum , sed etiam Eusebii , Athanasii , Hilarii , Augustini , ipsorumque Romanorum Pontificum , quorum certe fidem suspectam sibi esse Orthodoxi negant . Atque Eusebii quidem præclarum esse locum in Commentariis in sextum ac decimum psalmum contendunt . Habet enim ille hoc modo : ,, Si fundamentum Ecclesiæ cogites , primo quidem
,, infractam illam , & solidam petram , in qua fundata est ,
,, secundum illud : *Supra petram ædificabo Ecclesiam meam* ,
,, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam . Petra autem*
,, *erat Christus* , aut , ut Apostolus indicat his verbis : *fun-*
,, *damentum aliud nemo potest ponere , præter id quod positum*
,, *est , quod est Iesus Christus* : ac post ipsum Salvatorem
,, fundamenta Ecclesiæ existimes esse Propheticos , & Apo-
,, stolicos sermones : secundum Apostoli dictum : *Supe-*
,, *rædificati super fundamentum Apostolorum , & Prophetarum*
,, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu* , nequaquam a veri-
,, tatis scopo aberraveris . Hæc igitur orbis fundamenta (3)
,, re-

1 Origenes *tom.* XII. *in Matth. num.* 10. *vol. tertio opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri* : ,, Si illud idem dicamus , *inquit* , sicut Petrus , eo nobis per carnem , & sanguinem ,, non revelato , sed per lumen , quod a Patre cælesti cordibus nostris affulserit , fortasse ,, simus & ipsi id , quod Petrus , nempe itidem ut ille fortunati prædicamur , propterea ,, quod hæc etiam ad nos pervenerunt , quæ caussa illi fuerunt , cur beatus sit existimatus ... ,, Quod si postquam dixerimus & nos, quemadmodum Petrus : *tu es Christus filius Dei vivi*, ,, non quasi revelatum nobis fuerit a carne , vel a sanguine , sed luce cordi nostro afful- ,, gente a Patre , qui in cælis est , Petrus efficimur , dicatur & nobis a Verbo : *tu es Pe-* ,, *trus* , & quæ sequuntur . Petra enim est omnis discipulus Christi , de quo bibebant , ,, qui *bibebant de spirituali consequente petra* ; & super quamlibet hujusmodi petram ædi- ,, ficatur omnis sermo Ecclesiasticus , & vitæ juxta ipsum institutæ ratio . Unicuique enim ,, profecto habenti congregationem sermonum beatitudinem efficientium , & operum , & ,, cognitionum , inest Ecclesia a Deo ædificata . Si vero super unum illum solummodo Pe- ,, trum totam Ecclesiam a Deo ædificari arbitraris , quid de Johanne tonitrui filio , & uno- ,, quoque Apostolorum dixeris ? Alioquin an audebimus dicere portas inferi speciatim ad- ,, versus Petrum non prævalituras , prævalituras autem adversus reliquos Apostolos , & ,, perfectos ? Nonne vero & in omnibus , & in his singulis fit illud , quod supra dictum est : ,, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* , & illud quoque : *super hanc petram ædi-* ,, *ficabo Ecclesiam meam* ? An etiam soli Petro dantur a Domino claves regni *cælorum* , *nec* ,, *quisquam beatorum alius eas accipiet &c.* ?

2 *Pag.* 63. *tom.* 1. *collect. vet. Patrum edit. Montfaucon. Paris. an.* 1706. Eadem per-

„ revelata sunt „ . Quo sane ex loco facile intelligitur, *petram, super quam ædificanda erat Ecclesia*, non Petrum fuisse, Eusebio teste, sed Christum. Quod si mox ille adjungit, post Christum alia quædam indicari Ecclesiæ fundamenta posse; non tamen sequitur, inesse aliquid singulare Petro, quod competere in ceteros Apostolos æque non debeat, aut non possit. Nam quod ille indicat fundamentum, id esse, ait, sermones Prophetarum, & Apostolorum.

Eodemque pertinent, quæ Athanasius in Expositione quadragesimi ac septimi Psalmi persequitur (1). Hilarius autem in sexto de Trinitate Libro, non in Petro (2), sed in *confessione* Petri ædificatam Ecclesiam fuisse dicit. Nec vero Gregorius Nyssenus in hoc genere obscurior, in cujus opere, quod est *de Adventu* Domini, (3) non Petrus, sed *fides* petra ac fundamentum Ecclesiæ vocatur. Neque secus Ambrosius Mediolanensis Nyssenum subsequens, in sexto commentariorum in Lucam libro, fundamentum *esse Ecclesiæ fidem* (4) statuens, evellere ex animis christianorum homi-

persequitur *in comment. in Ps.* LIX. *pag.* 284. *&* *in Ps.* LXVII. *pag.* 350. ubi: „ Neque multis opus sermonibus est, *inquit*, ad declarandum, quo pacto gentium Ecclesia „ pridem defessa ... ac supra modum infirma esset. Sed ipsam servator susceptam perfecit, inque firma, & immota petra fidei suæ fundavit, quod se facturum pollicitus erat „ dicens: *supra petram &c.* Confer *etiam comment. in Ps.* LXXIII. *p.* 364. *& comment. in Isaiam num.* 16. *pag* 467. *tom.* II. *ejusdem collect.* „ Ego, *inquit*, lapidem meum „ pretiosum, & honorabilem in angulis constituens, excelsum eum, illustrem, omnibusque aliis manifestum, faciam, ut quisquis in ipsum crediderit, ne spe labatur. „ Hunc porro lapidem in fundamentis Sion se positurum pollicetur, quod etiam effecit, „ cum hoc dictum complevit: *supra petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* „. Non discrepant, quæ idem ipse auctor scribit *pag.* 487. *& pag.* 546.

1 *Pag.* 1079. *t.* 1. *opp. edit. Paris. Montfaucon. an.* 1698.

2 *Num.* XXXVI. *pag.* 903. *edit. Paris. opp. ann.* 1693. „ Pater dicendo, *hic est filius* „ *meus*, Petro revelavit, ut diceret: *tu es filius Dei*, quia in eo, quod dicitur, *hic est*, „ revelantis judicium est; in eo vero, quod respondetur, *tu es*, confitentis agnitio est. „ Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est. Sed sensus carnis, & sanguinis, confessionis hujus intelligentiam non revelat. Hoc est divinæ revelationis sacramentum, Christum Dei filium non solum nuncupare. Aut numquid nuncupatio potius, „ quam natura Petro revelata est? Si nuncupatio, jam hanc a Domino frequenter audiverat, esse se Dei filium confitente. In quo ergo revelationis est gloria? Naturæ scilicet, „ non nominis, cum frequentata nominis professio jam fuisset. Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est. Per hanc fidem, infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides „ quæ in terris solverit, aut ligaverit, & ligata in cælis sunt, & soluta .... Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est.

3 *Tom.* 1. *opp. pag.* 994. *edit. Paris. an.* 1615.

4 *Num.* 97. *pag.* 921. *tom.* II. *opp. edit. Venet. an.* 1748. „ Ideo Petrus non expecta- „ vit.

hominum conatur de primatu Petri sententiam. Jam de Chrysostomo, de Hieronymo, de Augustino, de Acacio Melitinensi, de Cyrillo Alexandrino, de Theodorito, de Juvenali Hierosolymitano, de Leone Primo Pontifice, de Petro Chrysologo, de Eucherio Lugdunensi, de Felice Tertio, de Hormisda Romanis Episcopis, de Laurentio Mediolanensi, de Anastasio Patriarcha Antiochenorum, de Gregorio Magno Pontifice, de Isidoro Hispalensi, de Johanne Damasceno, de Hadriano Primo Pontifice Maximo, de Dungalo Diacono, de Paulino Aquilejensi, de Rabano Antistite Moguntinorum, de Christiano Dutmaro, de Jona Aurelianensi, de Hincmaro Remensi, de Flodoardo, de Nicolao Primo Pontifice Maximo, de Johanne Octavo item Pontifice, de Theodoro Abucara, de Concilio Troslejano, de Stephano quinto, de Odone Cluniacensi, de Roberto Tuitiensi, de Innocentio Secundo, de Anselmo Cantuariensi, de Petro Lombardo Magistro sententiarum, de Johanne Sarisberiensi, de Urbano Tertio, de Cæsario Cisterciensi Monacho, de S. Thoma Aquinate, de Stephano Parisiensi, de Goffrido Viterbiensi, de Cælestino Tertio, de Innocentio Tertio, de Alphonso Tostato, de Piò Secundo Pontifice longum est dicere, qui modo *fidem*, modo Ecclesiam, modo *Confessionem* Petri, modo Christum ipsum Ecclesiæ petram esse, atque fundamentum pugnant. Quare perpauca eorum testimonia describam. Atque Chrysostomus quidem in quinta & quinquagesima Homilia in (1) Matthæum su-

„ vit populi sententiam, sed suam promsit, dicens: *tu es Christus &c.* qui & semper est, „ nec cæpit ut esset, & esse non deficit: magna autem Christi gratia, qui omnia prope „ vocabula sua discipulis suis donavit. *Ego sum*, inquit, *lux mundi*, & id tamen, quo „ ipse gloriatur, discipulis nomen indulsit dicens: *Vos estis lux mundi*.... Petra est „ Christus... etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut ipse sit Petrus, „ quod de Petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo ut & tu pe- „ tra sis. Itaque non extra te, sed intra te petram require. Petra tua actus est, petra „ tua mens est. Supra hanc petram ædificatur domus tua... Petra tua fides est; funda- „ mentum Ecclesiæ fides est. Si petra fueris, in Ecclesia eris, quia Ecclesia supra petram „ est „. Eadem fere habet Hilarius Diaconus, qui vulgo Ambrosiaster vocari solet, *in cap.* II. *epist. ad* Ephes. *tom.* IV. *opp. Ambros. pag.* 281. *edit. ejusd. in append.* „ Apostoli „ fundamenta jecerunt. Unde dicit Dominus ad Petrum: *super istam petram ædificabo Ec-* „ *clesiam meam*: Hoc est in hac Catholica fidei confessione statuam fideles ad vitam.

1 *Al.* LIV. *num.* II. *pag.* 548. *tom.* VII. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri.* σὺ εἶ πέτρος

„ super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est „ fidem, atque confessionem „ *inquit*. Hieronymus autem: „ (1) Fundata, inquit, erat supra petram: supra „ hanc petram Dominus ædificavit Ecclesiam, ab hac pe„ tra Apostolus Petrus sortitus est nomen ... Fundamentum, „ quod Apostolus architectus posuit, unus est Dominus „ noster Jesus Christus. Super hoc fundamentum stabile, & „ per se robusta mole fundatum ædificatur Ecclesia „. Augustinus autem in primo Retractationum libro: „ Scio me „ *inquit*, sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum „ est: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam* „ *meam*: ut *super hunc* intelligatur, quem confessus est Pe„ trus dicens, tu es Christus filius Dei vivi, ac si Petrus „ ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ „ super hanc Petram ædificatur, & accepit claves regni „ cælorum. Non enim dictum est illi: *tu es petra, sed tu es* „ *Petrus*: petra autem *erat Christus*, quem confessus Si„ mon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Pe„ trus „ (2). Præterea in tractatu VII. in Johannem, non Petrum

πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ· τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. *Hom.* LXXXII. *in eumdem al.* LXXXIII. *num.* III. *pag.* 786. *seq.* „ Qui Ecclesiam ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ αὐτοῦ „ οἰκοδομήσας *supra confessionem ejus* (Petri) ædificavit „. In *cap.* etiam I. *epist. ad Galat. pag.* 656. *num.* I. *tom.* X. *opp.* „ Cum Petro dixisset: *Beatus es Simon Barjona*, pro„ misissetque futurum, ut Ecclesiæ fundamenta ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ αὐτοῦ *super confessionem* „ *ejus* constitueret.

1 *In c.* VII. *Matth. t.* IV. *opp. par.* 1. *ed. Paris. Martianæi p.* 26.

2 *Lib.* I. *retract. cap.* XXI. *pag.* 23. *tom.* I. *opp. edit. Antuerp. ann.* 1700. *& tractat.* CXXIV. *in Evang. Johan. tom.* IV. *opp. p.* 599. *ejusd. edit. n.* V. „ Fundata est Ecclesia „ super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, sed Petrus a pe„ tra, sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur. Ideo quippe „ ait Dominus: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus: *tu* „ *es Christus filius Dei vivi*. Super hanc ergo, *inquit*, petram, quam confessus es, ædi„ ficabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ædi„ ficatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id, quod po„ situm est, quod est Jesus Christus. Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claves ab „ eo regni cælorum accepit in Petro; idest potestatem ligandi, solvendique peccata. „ Quod est etiam per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus „ in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia „. *Et sermone* LXXVI. *al.* XIII. *de verbis Domini num.* 1. *pagin.* 290. *tom.* V. *opp. edit. ejusd.* „ Ego „ *dico tibi: tu es Petrus* .... Quia enim Christus petra, Petrus populus Christianus. Petra „ enim principale nomen est. Ideo Petrus a Petra, non petra a Petro; quomodo non a „ Christiano Christus, sed a Christo Christianus vocatur. Tu es ergo, *inquit*, Petrus, „ & super hanc Petram, quam confessus es, super hanc Petram, quam cognovisti, dicens: „ *tu es Christus &c.* ædificabo Ecclesiam meam; id est super me ipsum filium Dei vivi ædi„ ficabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, & non me super te.

Petrum, ſed Eccleſiam eſſe petram defendit: „ Mutavit ei „ nomen, *inquit*, & fecit de Simone Petrum. Petrus au- „ tem a petra; petra vero Eccleſia. Ergo in Petri nomine „ figurata eſt Eccleſia. Et quis ſecurus, niſi qui ædificat „ ſuper petram (1) „? Acacius porro Melitinenſis in ea, quam ad Synodum Epheſinam habuit, oratione: „ Hæc eſt „ fides noſtra, *inquit*, ſuper hoc fundamentum Eccleſia ædi- „ ficata eſt, adverſus quam ne portæ quidem inferi prævale- „ bunt (2) „. Atque etiam Cyrillus Alexandrinus in Eſaiam prophetam libro quarto *petram* (3) *opinatur vocari immotam diſcipuli fidem*. Juvenalis autem Hieroſolymitanus in ea, quam ad Presbyteros, & Archimandritas, dedit epiſtola: „ Cum ſummus, *inquit*, & primus Apoſtolorum dixiſſet, „ *tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Dominus intulit dicens: „ *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & ſanguis non revela-* „ *vit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt, & ego dico tibi,* „ *quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, & ſuper hanc „ confeſſionem roborata eſt Eccleſia Dei; & fidem, quam „ ſancti nobis tradiderunt Apoſtoli, hanc Eccleſia cuſto- „ divit „ (4). Leo quoque primus in ſecundo *de Anniverſario Aſſumtionis* ſuæ ad Pontificatum ſermone: „ Soliditas, *in-* „ *quit*, illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt lauda- „ ta, perpetua eſt, & ſicut permanet, quod in Chriſto „ Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus „ inſtituit. Cum enim, ſicut Evangelica lectione reſeratum „ eſt, interrogaſſet Dominus diſcipulos, quem ipſum, multis „ diverſa opinantibus, crederent, reſpondiſſetque B. Petrus „ dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; Dominus ait: *Beatus* „ *es Simon Barjona, quia caro &c.* Manet ergo diſpoſitio ve- „ ritatis, & Beatus Petrus in accepta fortitudine petræ per- „ ſeverans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit (5).

Inde Petrus Chryſologus in ſermone quinquageſimo tertio *Petrum Petri* nomen adeptum, ſcribit, *quia primus meruit Ec-*

1 N.xiii.p.253.t.iii. *opp.edit. ejuſd.* Confer etiam *tr.* cxxiii. *in Jo.n.*iv. *ſq.p.*595.

2 *Par.*iv. *Concilii Epheſ. c.* ii. *p.* 1642. *t.* i. *Concil. edit. Pariſ.Harduini an.* 1715.

3 *Orat.* ii.*p.* 593. *t.*ii. *opp. ed. Pariſ. an.*1638. 4 *T.* ii. *Concilior. ed. ejuſd.p* 689.

5 *Cap.* ii.*pag.*104. *tom.* i. *opp. edit. Queſnelli Pariſ. an.* 1675. Similia habet *Sermon.* iii. *cap.*ii.*pag.* 108. & *ſerm.* xciv. *cap.* iii.*pag.* 371.

clesiam fidei firmitate fundare (1). Quinetiam sermone septuagesimo quarto: ,, (2) Ponebat Angelus, *inquit*, super petram fun- ,, damentum fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fun- ,, daturus ,,. Sunt vero horum verborum similia, quæ Theodoritus tradit in septuagesima sexta Epistola ad Eulalium. (3) Nam ,, hac de caussa, *inquit*, Christus Dominus no- ,, ster Apostolorum principem, cujus confessionem veluti ,, basim quamdam, & fundamentum Ecclesiæ defixerat, ,, fluctuare, ac errare permisit ,, . At in commentariis in tertium Epistolæ primæ ad Corinthios caput (4): ,, Oportet, *inquit*, superædificare, non fundamenta jacere, ,, Neque enim aliud potest jacere fundamentum, qui vult ,, sapienter ædificare. Hoc fundamentum jecit B. Petrus, ,, vel potius ipse Dominus. Cum enim dixisset Petrus: tu ,, es Christus filius Dei vivi; dixit Dominus: super hanc ,, petram ædificabo Ecclesiam meam. Christus enim est ,, fundamentum ,,. Eucherius item, sive Auctor Homiliæ (5) *de Natali Petri*: ,, si Petrum non intelligis, *inquit*, ,, petram respice. Petra autem erat Christus. Sic igitur a ,, Petra Petrus, sicut a Christo Christianus. Videmus itaque ,, quid sit, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. ,, Super hanc Petram, quam tu modo docuisti dicens, *tu* ,, *es Christus filius Dei vivi*. Super hanc petram, & super ,, hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Huic enim sen- ,, tentiæ Apostolus concordans ait: *fundamentum enim aliud* ,, *nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est* ,, *Iesus Christus*. Ac si dicat, non est aliud fundamentum, ,, nisi illa petra, quam Petrus posuit in fundamentum cum ,, diceret; *tu es Christus* &c. ,,. Jamvero Felix III. in quinta (6) ad Zenonem Imperatorem Epistola: ,, Cum ipse ,, Petrus, *inquit*, dixisset ad Dominum: tu es Christus ,, filius

1 *Al.* CLIV. *pag.* 135. *edit. Lugd. an.* 1633. 2 *Pag.* 69. *edit. ejusd.*

3 Theodoretus *ep.* LXXVIII. *ad Eulalium Episc. Persica Arm. t.* III. *opp. pag.* 947. *edit. Paris. an.* 1642. Confer ejusdem *ep. ad Iohannem Oeconomum* CXLVI. *p.* 1033 *seq. ed. ejusd.*

4 Idem *in cap.* III. *epist.* I. *ad Corinthios pag.* 133. *tom. eod.*

5 *Serm. de Natal. s. Petri* II. *tom.* VI. *Biblioth. Patrum edit. Lugd. pag.* 795.

6 *T.* V. *Conc. edit. Venet. an.* 1728. *p.* 163. καὶ ἐπὶ ταύτῃ σου τῇ ὁμολογίᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. *Et super istam tuam confessionem ædificabo Ecclesiam meam.*

„ filius Dei vivi ; ab ipſo audire meruit : *Beatus es Simon* „ *Barjona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed pa-* „ *ter meus, qui in cælis eſt, & ſuper iſtam* confeſſionem „ *ædificabo Eccleſiam meam* „ . Atque Hormiſdas (1) etiam in Commonitorio, quod Ennodio, & Fortunato ad Imperatorem legatis dedit : „ Sancti Patres, *inquit*, qui „ iſta conſtituerunt, Beati Petri Apoſtoli fidem ſecuti „ ſunt, per quam ædificata eſt Eccleſia Chriſti „ . Laurentius item Mediolanenſis (2), qui initio ſexti ſeculi floruit, *in primo de Muliere Chananæa libro* : „ Hæc, *inquit*, loquutus ſum propter vos, ut exultet mens veſtra in Do- „ mino, & numquam in tentationibus trepidet ; Petra eſt „ immobilis . O homo quid flatus vereris ? ſuper hanc „ Petram, inquit, ædificabo Eccleſiam meam, & portæ „ inferorum non prævalebunt ad eam „ . (3) Anaſtaſius etiam Patriarcha Antiochenus in ſecundo Anagogicarum Contemplationum libro : „ Nonnulli, *inquit*, hoc etiam re- „ ferunt ad duos populos, nempe & ad eos quidem ſtantes, „ qui firmi ſunt, ac ſtabiles ſuper Petri fundamentum, & „ illius fidei immobilem conſtantiam „ . Gregorius (4) quoque primus in ea, quæ eſt ad Theodolindam Reginam, Epiſtola : „ In vera fide perſiſtite, *inquit*, & vitam veſtram in „ petra Eccleſia, hoc eſt in confeſſione Beati Petri Apo- „ ſtolorum principis ſolidate „ . Cui Iſidorus (5) Hiſpalenſis conſentiens in ſeptimo Originum libro ſcribit hoc modo : „ Petrus a petra nomen accepit, hoc eſt a Chriſto, ſuper „ quem fundata eſt Eccleſia . . . . Ideo ait Dominus : tu es „ Petrus, & ſuper hanc petram &c. quia dixerat Petrus ; „ tu es Chriſtus filius Dei vivi : deinde ei Dominus ; ſuper „ hanc petram, quam confeſſus es, ædificabo, inquit, Ec- „ cleſiam meam „ . Hunc porro ſequutus Bedà (6) in com-

 men-

1 *Indicul. Ennod. Fortun. &c. Legatis tradito p.* 568. *t. col. Conciliorum edit. Venet.*

2 Laurentius Melliſluus apud Mabillonium *p.* 55. *veter. Analect. edit. Pariſ. an.* 1723.

3 Anaſtaſius Sinaita *lib.* II. *Anagog. Contemp. in Hexameron pag.* 865. *tom.* IX. *Biblioth. Patrum edit. Lugd. an.* 1677.

4 Nunc autem *l.* IV. *ep.* XXXVIII. *p.* 718. *t.* II. *opp. ed. Monach. s. Mauri Pariſ. an.* 1705.

5 *Lib.* VII. *Orig. cap.* IX. *pag.* 97. *edit. Pariſ. an.* 1601.

6 C. XLII. *in recap p.* 291. *t.* VIII. *opp. Baſil. a.* 1563. *& Hom. de s. Petro p.* 156. *t.* VII. *opp.*

mentariis in Exodum: ,, Nisi quis fidei soliditatem tenuerit, ,, *inquit*, Divinam præsentiam non agnoscit, de qua soli- ,, ditate Dominus ait, super hanc petram ædificabo Eccle- ,, siam meam ,,. At in Homilia de s. Petro, petram (1) ipsum esse Christum contendit: ,, Petra autem erat Christus, ,, *inquit*, & super hanc petram, idest super Dominum ,, Salvatorem, qui fideli suo cognitori, amatori, confes- ,, sori participium sui nominis donavit, ut videlicet a pe- ,, tri Petrus vocaretur, supra quam ædificatur Ecclesia &c,,. Accedit Johannis Damasceni (2) auctoritas, qui in ea, quæ est *de Transfiguratione Domini*, Oratione: ,, Petrus, *inquit*, ar- ,, denti quodam zelo inflammatus, ac Sancto Spiritu in- ,, stinctus, tu, *inquit*, es Christus filius Dei vivi. O bea- ,, tum os, o prorsus beata labia, o theologam animam, o ,, Deo afflatam mentem, ac dignam, quæ divinitus docere- ,, tur ... Hæc est firma illa, & immota fides, super quam ,, tamquam petram Ecclesia fundata est, cujus tu merito ,, cognomen geris ,,. Denique, quod longum sit omnium, quos nominavi, locos describere, Hadrianus primus (3) Epistola ad Episcopos Hispaniæ: ,, Hujus (nempe Christi) ,, fundamenti immobilis soliditatem, *inquit*, Beatus Pe- ,, trus non carne, & sanguine, sed Patre revelante de cæ- ,, lo confitendam declaravit, cum refutatis quorumdam ,, opinionibus, quid in discipulorum animis fides operare- ,, tur, cunctorum cognitor exploraret; solus pro se, & ,, pro omnibus, & pro unitate unus testimonium perhibuit, ,, dicens: *tu es Christus filius Dei vivi*, qui mox confessio- ,, nis præmium, nulla interveniente mora, adeptus, & cæli ,, janitor, & ligandi, solvendique arbiter factus est anima- ,, rum; statimque Dominus: *& ego dico tibi &c.* super hanc ,, petram, quam confessus es, & a quo vocabulo sortitus ,, es dignitatem, super hanc soliditatem fidei ædificabo Ec- ,, clesiam meam &c.

Sed

1 *Lib. III. in cap. XVI. Matth. pag. 70. t. V. opp. & in cap. XXI. Iohan. pagin. 858. tom eod.*

2 *Tom. II. opp. edit. Paris. Lequienii an 1712. pag. 795.*

3 *Tom. VIII. Concilior. pag. 747. edit. Venet. act. II. synod. Nicæn. II. & tom. IV. Concilior. Hispan. edit. Roman. an. 1754. pag. 93.*

Sed hæc tam multa, tamque longa veterum testimonia, quæ summa diligentia ab adversariis conquisita, atque descripta sunt, Protestantibus (1), Græcisque (2), qui omnes Apostolos dignitate, protestateque pares fuisse arbitrantur, subsidio esse non possunt. Atque ut ordiar ab Origene, is tantum abest, ut dum Christum esse petram, ædificarique *super Apostolos, eorumque successores, atque discipulos* Ecclesiam scribit, fuisse Petrum post Christum Ecclesiæ petram, ac fundamentum neget, ut id contra plane, perspicueque confiteatur. Nemo autem est, aut fuit umquam orthodoxorum, qui Christum *petram, ac præcipuum fundamentum* universæ Ecclesiæ non esse diceret. Quum enim Jesus & *petra* (3), & *fundamentum* in priore epistola ad Corinthios (4) appelletur, nullus certe Christianorum tam impudens, tam insanus, tamque impius invenietur, qui id ei nomen, eamque dignitatem adimendam existimet. Jamvero præter hoc præcipuum fundamentum, quod in epistola ad Ephesios Paulus *summum* (5) *lapidem angularem* vocat, aliud quoddam non ab Origene, ceterisque Patribus modo, sed etiam a Paulo ipso indicatur, diciturque *fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*. Jamvero Origenes Christianum quemque, qui sit dignus hoc tanto nomine, petram commode dici arbitratur posse. Quotum autem quemque sese reperturos Protestan-

1 Horum ego aliquot numeravi *supra pag. 89. not. 1.* Accepisse autem eos ab Iohanne Hus, cujus est explosa a patribus synodi Constantiensis anno 1415. sententia, plane constat. Est enim hujus in Actis Concilii ejusdem *sess. xv. pag. 410. tom. VII. Concilior. edit. Hard.* Articulus sextus hujusmodi: „ Petrus non fuit, nec est caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ „. Qua ex *blasphemia* sequitur ne principem quidem Apostolorum fuisse Petrum.

2 Non modo e scripto illo *Encyclico*, quod a Græco nescio quo vulgatum hoc seculo fuisse diximus, sed etiam ex ὁμολογίᾳ τῆς ἀνατολικῆς ἐκκλησίας *confessione Orientalis Ecclesiæ* a Petro Mogila Metropolita Kioviensi conscripta, & a Patriarchis Nectario Hierosolymitanorum, Parthenio Constantinopolitanorum, Iohannicio Alexandrinorum, Macario Antiochenorum, & Paisio Hierosolymitanorum *annis* 1643. *&* 1652. probata. *& an.* 1662. in Belgio primum græce, tum Lipsiæ græce, & latine *an.* 1695. vulgata, descivisse ab antiqua Ecclesiarum omnium, certaque de primatu, præcipuaque auctoritate Petri sententia maximam partem Græcorum facile intelligitur. *Confess. Quæst.* LXXXV. *pag.* 136. *seqq. edit. Lips.*

3 *Cap.* x. *v.* 4. *epistol.* 1. *ad Corinthios*: „ Consequente eos petra; *petra* autem erat „ Christus „.

4 *Cap.* III. *v.* 11. „ Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum „ est, quod est Christus Iesus.

5 *Epist. ad Ephes. cap.* II. *v.* 20. „ Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

testantes, Græcique censent, qui esse discipulos Apostolorum, verosque Christianos ceteros Apostolis dignitate, auctoritateque pares defendat? Quum autem reperire omnino possint neminem, concedant necesse est, auctore Origene, statuendos esse gradus quosdam, ac seriem Ecclesiæ fundamentorum, quorum unum sit altero stabilitate, firmitate, dignitateque præstantius. Neque vero, quod Origenes in uno Petro ædificatam fuisse Ecclesiam neget, existimandum est, non, illius opinione, fuisse Petrum præcipuam post Christum petram, præcipuumque post Christum fundamentum Ecclesiæ. Hoc enim voluit: Petro præcipuo post Christum fundamento superaddita fundamenta Apostolorum fuisse, adversus quæ etiam, quoniam firmæ petræ inniterentur, *portæ inferi numquam prævalere possent.* Nam Petrum post Christum fundamentum esse Ecclesiæ, petramque, super quam constructa Ecclesia fuerit, adeoque præcipuam inter Apostolos obtinere & auctoritatem, & dignitatem, non ex iis Origenis locis tantum, quos supra descripsimus (1), intelligitur, sed ex Homilia etiam quinta in Exodum, exque his ipsis Commentariorum in Matthæum libris, quibus adversarii abutuntur.

Estque eadem, atque Origenis fuit, Eusebii Cæsariensis de petra, deque Ecclesiæ fundamento sententia. Nam qui Christum (2), idem etiam Petrum, non modo magnum Apostolorum, omnibusque discipulis (3) prælatum, sed etiam petram (4) vocat. Itaque Christum primum fundamentum, pri-

1 *Pag. 134. hujus vol. not. 1.*

2 *Homil. v. in Exod. num. 4. tom. II. opp. edit. Monach. s. Mauri Paris.* „ Sed quis, „ *inquit*, ita beatus est, ut sic tentationis pondus expediat, aut nulla menti ejus cogitatio „ ambiguitatis obrepat? Vide MAGNO illi ECCLESIÆ FUNDAMENTO, ET PETRÆ SOLIDISSI- „ MÆ, SUPER QUAM CHRISTUS FUNDAVIT ECCLESIAM, quid dicatur a Domino. *Modicæ*, „ inquit, *fidei quare dubitasti* „? Idem *in cap.* XVI. Matthæi *pag. 30. edit. an. 1604. tom. II.* „ Contraria, *inquit*, adhuc sibi erant in Petro veritas, & mendacium. Et de ve- „ ritate quidem dicebat: tu es Christus filius Dei vivi, In quo & beatificatus est, & per „ promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum „. *Lib. item v. in epistol. ad Rom. pag. 354. tom. II. opp. edit. an. 1604.* „ Et a Petro, cum SUMMA RERUM DE PASCENDIS OVI- „ BUS traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia „, nullius confessio „ virtutis alterius, nisi caritas exigitur.

3 Confer *not. 2. pag. 157. hujus vol.*

4 Vide *not. 1. pag. 134. seq. hujus vol.*

primamque petram, ac lapidem angularem; Petrum autem alteram petram, quæ firmitatem a Christo, soliditatemque consequuta esset, appellarit necesse est: nisi Eusebium quisquam pugnantia fuisse loquutum velit, quod certe ut credam, fieri omnino non potest. Non enim unius hoc Eusebii proprium, sed commune omnium veterum Christianorum (1) fuit, ut & Christum, & Petrum, & Apostolos ceteros aut petram, aut fundamentum dicerent (2), neque tamen secum ipsi pugnarent, cum gradus esse quosdam, seriemque fundamentorum, ac petrarum arbitrarentur; quarum quidem petrarum præcipua, quæ ceteris firmitatem daret, Christus; altera Petrus; tertia *constituta in soliditate Petri*, fundamentum Apostolorum a Paulo memoratum, esset. Sed si qui Eusebium accusant, quasi non considerasset, sed sortitus esset, quid scriberet; ii videant, ne Paulum in eamdem suspicionem vocent, qui cum nullum aliud fundamentum, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (3), poni negat posse, tum fundamenti meminit Apostolorum, & Prophetarum. Quod si de maximo fundamento, summoque angulari lapide Christo priore loco, secundo autem de alio fundamento, quod maximo innitetur, loquutum Paulum fuisse, ut debent, responderint; jam facile, opinor, existimabunt, quid sit iis, qui Eusebii testimonium implicant, respondendum.

De Athanasio hoc breve dico, ejus de petra sententiam esse Eusebii sententiæ similem. Id cum ex illius, quæ supra descripsimus (4), verbis constet, non est necesse, ut esse rursum demonstrandum videatur. Non probo autem quod de Hilario scribunt, negasse, eum in Petro, ut in petra, fuisse fundatam Ecclesiam. Qui enim *confessionem fidei Petri* petram dicit fuisse, is haud statuit, Petrum esse *petram* non posse. Utrumque enim concedendum est, & *Petrum*, & *confessionem Petri* & appellari, & esse petram. Caussa enim,

1 Consule quæ scripsi supra *pag.* 133. *seqq. hujus vol.*
2 Vide *pag.* 134. *seqq. not.* 1. *seqq. hujus vol.*
3 Vide *pag.* 165. *not.* 4. *hujus vol.*
4 *Pag.* 135. *not.* 1. & *pag.* 138. *not.* 1.

enim, quamobrem Petrus caput, petraque Ecclesiæ constitueretur, fidei confessio fuit, quæ sane fides tam immota, firma, stabilisque est; ut concuti, commoverique nullo modo possit. Quare a Patribus commode fides, fideique confessio comparatur petræ. Atque hoc illud est, quod Hilarius in libris, qui sunt de Trinitate, scripsit (1). In commentariis vero in Evangelium (2) Matthæi, atque in centesimum, ac tricesimum primum psalmum (3) ipsum Petrum esse a Christo petram Ecclesiæ, & fundamentum constitutum fatetur. Sunt porro horum similia, quæ Gregorius Nyssenus tradit in ea, quæ est de Adventu Domini, Oratione (4). Quum enim confessionem Petri petram dicit esse, tum Petrum *principem* appellat Apostolorum (5); quem certe, nisi *petram* putasset fuisse, numquam appellasset hoc nomine.

Atque eodem, quo dixi, cum de Origene, atque Hilario agerem, modo explicandus est Ambrosii (6) Mediolanensis de petra Ecclesiæ, deque fundamento locus. Nam eorum quidem, cum similes sint omnino sententiæ, similes etiam esse debent interpretationes sententiarum.

Johannes item Chrysostomus, qui modo fidem confessionemque Petri, modo (7) Petrum petram esse confitetur, satis aperte demonstrat Petrum, quod confessus firmam, ac stabilem fidem fuerit, consequutum ob *confessionem* fuisse firmitatem, stabilitatemque petræ: quare ut fidem, ita Petrum ipsum, non modo commode appellari posse, sed esse etiam petram Ecclesiarum.

Ab Hieronymo vero quis neget & Christum, & (8) Petrum fuisse appellatum petram? Quod cum ita sit, ne quam (si pugnantia eum fuisse loquutum concedam) maximo viro

1 Confer supra Hilarii locum *pag.* 158. *seq. not.* 2.
2 *Pag.* 135. *seq. not.* 1.
3 *Ibid.*
4 Vide supra *pag.* 136. *seq. not.* 2.
5 *Ibid. & pag.* 140. *not.* 4.
6 Confer Ambrosii loca *pag.* 158. *seq. not.* 11. & *pag.* 137. *seq. not.* 3. *hujus vol.*
7 Johannis Chrysostomi testimonia descripsi *pagin.* 159. *seq. not.* 1. & *pagin.* 137. *seq. not.* 3. *hujus vol.*
8 Vide quæ de Hieronymo scripsi *pag.* 160. & *pag.* 138. *not.* 2. *hujus vol.*

viro injuriam faciam, fatear necesse est, primam petram, primumque Ecclesiæ fundamentum, illius quidem sententia, esse Christum, a quo ut a summo angulari lapide Petrus obtineat constantiam, atque firmitatem petræ.

Quod idem est de Augustino, cujus potissimum verbis abuti Protestantes solent, dicendum. Ille namque Petrum a petra nomen accepisse statuens, nihil certe statuit, quod a communi, pervulgatoque omnium orthodoxorum dogmate alienum esse videatur. Quotus enim quisque est nostrum (1), qui petram esse Christum, atque a Christo petra Simonem fuisse Petrum appellatum neget? Neque vero, quod petra illa, cujus fit in eo Evangelii Matthæi loco commemoratio, non Petrum, sed Christum indicari putet, in errorem incidit Lutheranorum. Non enim negat, petræ nomine intelligi etiam Petrum posse. Nam in eo ipso libri primi Retractationum loco (2) in quo petræ appellatione Christum significari confirmat, hoc etiam fatetur, non repugnare eorum sententiæ se, qui petræ nomine, apud Matthæum, Petrum ipsum indicari contenderent. Quinetiam idem ipse Augustinus, qui *in libro priore Retractationum* de Christo, alibi certe de Petro intelligi Matthæi locum oportere (3) statuit. Neque vero id satis habuit. In eo enim psalmo, quem contra partem Donati, ut publice a populo aut recitaretur, aut cantaretur (4) scripsit, Petri cathedram ipsam esse petram testatus est, quam vincere infero-

1 Consule Augustini *ex lib. 1. retractationum, & ex ejus tractatibus sermonibusque* locos, quos supra *pag. 160. not. 2. seqq. hujus vol.* diligenter descripsimus.

2 *Cap. XXI. pag. 23. tom. 1. opp. edit. Antuerp. Johannis Clerici an.* 1700. „ Librum „ *inquit*, contra epistolam Donati . . . scripsi . . . in quo dixi in quodam loco de Apostolo „ Petro, quod in illo, tamquam in petra, fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur „ ore MULTORUM in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait: *Hoc ipsa* „ *petra Ecclesiæ canente culpam diluit*. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, „ quod a Domino dictum est: *tu es Petrus &c.* ut super hunc intelligeretur, quem con- „ fessus est Petrus dicens: *tu es Christus &c.* . . . . HARUM AUTEM DUARUM SENTENTIA- „ RUM QUÆ SIT PROBABILIOR, ELIGAT LECTOR „. Hæc ille, quæ tamen non efficiunt probabilem solum, non vero certam esse Catholicorum de primatu Petri, deque Petro petra sententiam. Nam hanc certam esse, pluribus in locis defendit. Vide quæ dixi supra *pag. 139. hujus vol. not.* 1.

3 Vide *pag. 139. not. 1. hujus vol.*

4 Confer eamdem *notat. 1. pag. 139.*

ferorum portæ non possunt. Atque is profecto Augustinus non fuit, qui præter præcipuam Ecclesiæ petram, præcipuumque fundamentum, atque angularem lapidem, aliud secundarium, ut dicimus, fundamentum, aliamque secundam petram dici nequire arbitraretur. Qui enim Pauli epistolas non legerat modo, sed interpretatus etiam fuerat, is certe non ignorabat, ab eodem Doctore Gentium, qui fundamentum aliud, præter Christum, poni a nemine posse (1) dixisset, nominatum deinde fuisse fundamentum Apostolorum, (2) & Prophetarum. Nisi vero alteram post Christum petram Augustinus confessus esset, quo tandem modo affirmasset, fuisse Petrum a Christo constitutum caput, principemque (3) Apostolorum? Jam de Theodoriti, Eucheriique sententia, qui ut Christum, *confessionemque* (4) Petri, sic Petrum dici petram oportere statuunt, non est, cur esse multis disputandum putem. Quæ namque, qualisque sit, ex iis, quæ paullo ante de Hilario (5), de Ambrosio, deque Augustino ostendimus, cognosci facile, perspicique potest.

Atque hæc explicandorum veterum auctorum latissime patet ratio. Quare qui Felicis III. (6), qui Hormisdæ (7), qui Gregorii I. (8) Pontificum aut epistolas, aut libros legunt, ii quidem intelligunt, non *fidei* modo, quæ everti, concutique nequeat; sed Petro etiam similitudine quadam firmitatis fuisse a Christo Servatore accommodatam appellationem petræ.

De Anastasio autem Sinaita (9) quid loquar? qui cum *confessionis soliditatem*, Petrique fundamentum commemoret, satis aperte demonstrat, non *fidem*, *confessionemque fidei* solum,

1 I. *ad Cor. cap.* III. *v.* II.
2 *Ad Ephes. cap.* II. *v.* 20.
3 Consule *notat.* 1. *pag.* 139. *hujus vol.*
4 Vide *pag.* 160. *seq. hujus vol.* & *pag.* 142. *not.* 3. Eucherii autem locos descripsi *pag.* 161. & *pag.* 142. *not.* 4. Consule etiam ejus libellum Symmacho Papæ oblatum, qui extat *tom.* II. *Concilior. pag.* 956. *tom.* II. *edit. Harduini Paris.*
5 Confer *pag.* 165. *seqq. hujus vol.*
6 *Pag.* 161. *seq. hujus vol.* & *pag.* 143. *not.* 1.
7 *Pag.* 162. & *pag.* 143. *not.* 6.
8 *Pag.* 162. & *pag.* 144. *not.* 3. *hujus vol.*
9 *Pag.* 162. *hujus vol.*

ſolum, ſed Petrum etiam vocari Eccleſiæ *fundamentum*, atque *petram* poſſe. Quemadmodum enim propria eſt petræ ſoliditas; ſic in ſacris novi Teſtamenti libris, quod petra, idem interdum appellari fundamentum ſolet.

Iſidori (1) vero, ac Bedæ de Chriſto *Eccleſiæ petra* oratio, quoniam tota ex Auguſtino eſt, cujus ſupra explicavi locos, nova, eaque jam copioſa interpretatione non eget.

Multa dici de Beda rurſum (2), de Damaſceno (3), de Hadriano I. (4) Pontifice, deque aliis (5), quorum dictis adverſarii abutuntur, poſſent. Sed ne moleſtus lectori ſim, hoc breve dico. Eorum omnium, qui & *fidem*, & *fidei confeſſionem* appellarunt petram, ſummam item fuiſſe de Petro *Eccleſiæ petra* conſenſionem. Atque hæc ſane illi a majoribus acceperunt. Quare cum aliis in locis explicata ſint, nunc omittantur.

At Jacobus Apoſtolus (6) non in Petro, ſed in *petra fidei* fundatam Eccleſiam fuiſſe ſcribit. Quaſi vero quiſquam ſit doctorum, criticæque facultatis peritorum hominum, qui aut Jacobum auctorem fuiſſe liturgiæ, quæ illius circumfertur nomine, aut *fidem* dici *petram* non poſſe arbitretur. Verum de Petro in hac diſputatione, non de religione, ac *fide* quæritur. Qui autem *fidem* appellat *petram*, is certe Petrum appellari *petram* oportere, non negat. Quamobrem omnes fere, quos proxime nominavi, Patres & *fidei*, & *Petro* tributam fuiſſe a Chriſto fatentur appellationem *petræ*. Cujus quidem rei cauſſa Petrum divinitus conſtitutum fuiſſe cenſent principem, & caput Apoſtolorum. Ita fit, ut liturgiæ Auctor, quem adverſarii Jacobum vocant, dum

1 *Pag. 162. ſeqq. hujus vol.*
2 *Ibid.*
3 *Pag. 163. hujus vol.*
4 *Ibid.*
5 Eos equidem nominavi ſupra *pag. 159. hujus vol.* quorum ſunt teſtimonia deſcripta ab Johanne Launojo *epiſt. VII. lib. V. ad Johannem Uſelium tom. V. p. II. opp. pag. 106. ſeqq. edit. Colon. an. 1731.*
6 In Liturgia, quæ Apoſtolo Jacobo tribuitur *pag. 41. edit.* Aloyſii Aſſemani *tom. IV. p. II. Codicis Liturg. edit. Romanæ an. 1752.* hæc leguntur: „ In confirmationem ſanctæ „ tuæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quam fundaſti ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως *ſuper* „ *petram fidei* „. Confer etiam Editionem Sanctesii *Antuerp. an. 1560. pag. 26. ſeq.*

fidem petram appellat, Petro neque adimit, neque adimi significat petræ appellationem posse. Quapropter si ut adjumento nobis non est, ita ne esse quidem detrimento potest. Ac de principatu, præcipuaque auctoritate, atque dignitate Petri satis dictum est. Nunc de Cypriano breviter, cujus sane caussa omnis hæc est a nobis instituta de Petro quæstio.

Nego igitur, illius sententia, nullum a Christo fuisse dictum principem Apostolorum. Igitur cum communis, ac pervulgata Ecclesiarum, Patrumque hæc sententia fuerit, ut Petrum & caput, & petram, & fundamentum, & principem fuisse a Christo constitutum Apostolorum omnes ad unum confiterentur, tum assentiri nos Cypriano, si contra sentiat, oportere, persuaderi mihi non opinione, sed ad veritatem plane velim. Ego enim eorum, qui nulla præjudicata opinione teneantur, arbitror futurum omnino neminem, qui cum tot Ecclesiarum monumenta, totque virorum, & doctrina, & peritia Christianarum rerum, & antiquitate illustrium testimonia, diligenter considerarit, tantamque in iis concordiam, conspirationemque ad rem eamdem constituendam animadverterit, qua majorem quisquam non modo non desiderare, sed ne cogitare quidem possit, unum tamen ex omni seculorum memoria, neglectis ceteris, quærendum putet, cui dissentienti fides habeatur. Nam qui verum amat, is non dicam de tradita divinitus religione, nam est id quidem certissimum, sed de rebus ipsis a majoribus gestis agens, numquam committet, ut contemtis omnibus omnium temporum scriptoribus, a quibus idem sit monumentis mandatum litterarum, unum aliquem, qui ab ceteris sine ratione dissideat, sequutus fuisse videatur. Quæ autem ratio adducere Cyprianum poterat, ut ita fuisse Apostolos pares existimaret, nullus ut inter eos reperiretur, qui reliquis dignitate, potestateque præcelleret? Quum enim decretorum Christianæ religionis ratio scripturarum, traditionisque auctoritate contineatur; cumque in Scripturis & locus prior, & petræ appellatio, & cura non ovium modo, sed etiam fratrum, hoc est Apostolorum, tribuatur Pe-

tro,

tro, ſitque ea de re concors omnium veterum, novorumque ſcriptorum ſententia, qui repugnat, is quidem certe non rationem ſequitur, ſed impotentiam animi, temeritatemque ducem. Quanto autem conſultius adverſarii ſibi, ac Cypriano, quo patrono gloriantur, caviſſent, ſi ejus de pari Apoſtolorum honore, poteſtateque dictum explicare, cumque ceterorum Patrum doctrina componere curaſſent! Atque multæ quidem erant cauſſæ, quamobrem ſtatuerent, doctum, ſanctumque Martyrem id, quod Petri principatum tolleret, non ſolum non ſcripſiſſe, ſed ne cogitaſſe quidem. Quis enim Petrum ceteris Apoſtolis æquatum ab eo ſcriptore fuiſſe putet, a quo quidem ſcriptore litteris fuiſſe commendatum ſciat, *in Petro fuiſſe fundatam Eccleſiam, ab eoque incipere* (1) *unitatem* verorum Chriſtianorum, ut a fonte rivi, ab radice rami, a ſole radii proficiſcuntur? Cum igitur hæc omnia ſcripta, publicata, confirmata fuerint a Cypriano, quæ plane efficiant, præcipuam fuiſſe in coetu Apoſtolorum dignitatem Petri, niſi eum pugnantia fuiſſe loquutum velimus, quod fieri ſine ſumma optimi, ſapientiſſimique viri injuria non poteſt, fateamur neceſſe eſt, quod ille de pari Apoſtolorum honore, atque poteſtate dixit, non de præcipua in Eccleſia dignitate, auctoritateque, quam Petro conceſſit, ſed de honore, ac poteſtate Apoſtolatus (2) intelligi oportere. In Apoſtolis autem condendarum ubique Eccleſiarum, ſcribendorum ſacrorum voluminum

1 Confer *pag. 70. ſeqq. hujus vol. not. 3. ſeqq.*

2 S. Thomas *in epiſt. ad Galat. cap. II. lect. 3. pag. 267. edit. Antuerp. an.* 1620. „ Dicendum eſt, *inquit*, quod Apoſtolus fuit par Petro in executione auctoritatis, non „ in auctoritate regiminis „. Quod idem dici de ceteris Apoſtolis commode poſſet. Ceterum Cypriani eam fuiſſe, quam ipſe explicavi, ſententiam, plerique Catholici arbitrantur. Ac Natalis quidem Alexander *in IV. Diſſertat. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſecul. 1. pag. 90 tom. III. edit. Lucenſis an.* 1749. „ De eſſentiali poteſtate Apoſtolatus loquutum „ fuiſſe Cyprianum, *cenſet*, non de extrinſeca, quæ in ordine, ac diſpoſitione regiminis „ poſita ſit, qua inferiores fuiſſe S. Petro ceteros Apoſtolos, Patres omnes cum eodem Cypria- „ no docent „. Id vero ſic explicat. „ Singuli, *inquit*, Apoſtoli pleniſſimam, & ſupremam ha- „ bebant poteſtatem (Apoſtolatus) reſpectu aliorum omnium Chriſtianorum, non autem inter „ ſe, quia S. Petrus ſic caput erat omnium Chriſtianorum, ut etiam ipſorum Apoſtolorum „ caput eſſet „. Atque hoc ſane pro certo habendum, cum Cyprianus Petrum & centrum unitatis, & caput, & Primatem fuiſſe confiteatur. Sed rem ſupra multis demonſtratam, non eſt cur rurſum eſſe copioſe tractandam exiſtimem.

num, edendorum prodigiorum, constituendorum Episcoporum, ferendarumque Ecclesiasticarum legum, quæ ad rectam morum institutionem pertinerent, parem auctoritatem fuisse quis negat? Hoc vero in genere cum eadem auctoritas esset Apostolorum, quid impediebat, quo minus unus in collegio eorum esset, qui princeps, atque caput ceterorum esset, qui Ecclesias quasque in officio contineret, quique ab omnibus fundamenti, centrique unitatis loco haberetur?

At Ambrosius, dicet quispiam, in eo libro, quem inscripsit *de Incarnatione*: ,, Petrum, non immemorem loci ,, sui, primatum egisse, sed confessionis utique, non hono- ,, ris; fidei, non ordinis primatum (1) ,, censet. Quid obstat autem, quo minus hac ratione de Apostoli ejusdem primatu, si modo ejus usquam meminerit, loquutum fuisse Cyprianum putemus? Nam quod Ambrosio dicere licuit & Episcopo Mediolanensi, & Romano civi; non licuisse Africano, eidemque Antistiti Carthaginiensi Cypriano, quis credat?

Equidem cum tam multa, tamque perspicua de primatu, non confessionis, ac fidei, quem hæretici Petro facile concedunt; sed honoris, atque dignitatis testimonia Ambrosii afferri solere videam; hoc uno loco induci me, ut eum contra reliquos Patres omnes, ac se etiam ipsum pugnasse arbitrer, numquam feram. Sit illa in Protestantium levitate perversitas, ut in contrarias, interque se diffidentes opiniones veteres scriptores invitos trahere conentur, quorum assequi, si velint, mentem, tuerique constantiam, & veritatem dictorum possint. Ego vero sic existimo. Quærendum tibi ante, quid auctor ad demonstrandum susceperit eo in loco, quem interpretari statueris; inde conferendas inter se, diligenterque considerandas auctoris ejusdem variis in locis scriptas de re eadem sententias; post, quum in aliquam incideris, de qua dubites, componi cum reliquis, nec

1 S. Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento capit.* IV. *numer.* XXXII. *pag.* 140. *tom.* IV. *opp. edit. Monach. S. Mauri Veneta an.* 1751.

nec ne possit; tum si possit, quorsum ea spectet, significandum; sin minus, indicandam, argumentisque ostendendam repugnantiam illius non verborum solum, sed etiam rerum esse; ne quid temere tibi sumpsisse videare. Hoc Protestantes persæpe negligunt. Ita fit, ut in quo maxime eorum se jactare consuevit oratio, id totum evertatur delectu, quem dixi, comparationeque sententiarum. Atque Ambrosius in eo ipso de *Incarnatione* libro, de Petro, qualis agente cum mortalibus Christo, non qualis post Christi in cælum ascensione fuerit, loquitur. Petrum autem tunc a Christo designatum principem Apostolorum, confessionis laude antelatum collegis fuisse concedimus; honoris vero, ac dignitatis *primatum*, manente in terris eodem Servatore Christo, sibi vendicasse, non item. Sed hac *fidei confessione* Petrum ad *primatum* honoris, & potestatis sibi munivisse viam, traditum ab Ambrosio est, (1) in eo quidem libro haud obscure, in aliis autem (2) clarius. Rursum quo Ambrosius, dum de *primatu confessionis* scribebat, respexerit, disquirendum est. Proposuerat ille sibi de Christo Deo disserere. Ubi ad Apostolos venit, ostendit, quid illi ab ipso Servatore interrogati, responderint. Animadvertit autem alios omnes, quæ vulgi opinione dici consuessent, exposuisse; unumque Petrum, non quod vulgus hominum somniaret, sed quod res esset, confessum, passum nullo modo fuisse, ut hæc sibi tanta gloria a quoquam deriperetur. Quamobrem egisse tunc illum, dixit, primatum *non hono-*

1 *Ibid. num.* XXXIII. *pag.* 140. *seq.* „ Hic est ergo Petrus, qui respondit pro ceteris „ Apostolis, immo præ ceteris, & ideo fundamentum dicitur, quia novit non solum pro„ prium, sed etiam commune servare.

2 Vide quæ scripsi supra *pag.* 138. *hujus vol. not.* 1. Quod autem ad rem, caussamque maxime pertinet, illud est, quod *ibid. ex exposit. Evang. secundum Lucam l.* x. *n* CLXXV. *pag.* 1505. attuli, estque hujusmodi: „ Non est dubium credidisse Petrum, & credidisse, „ quia dilexit, dilexisse, quia credidit, unde & contristatur, quia & tertio interroga„ tur: *amas me?* Is enim interrogatur, de quo dubitatur. Sed Dominus non dubitat, „ qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in cælum amoris sui „ veluti Vicarium relinquebat.... Ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus ante„ fertur.... Denique tertio Dominus non jam *diligis me*, *sed amas me* interrogavit, & „ jam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos, nec oviculas, ut secundo, sed „ oves pascere jubetur, perfectiores ut perfectior gubernaret „. Quibus verbis ostendit se, ut in rebus ceteris, ita in hac, quæ ad Petri primatum pertinet, fuisse Basilio consentientem. Nam is quoque in *Prooem. de Jud. Dei p.* 221. *tom* II. *edit. Paris. Monachor. S. Mauri*: „ Petrum Apostolis ceteris prælatum fuisse scribit.

(1) *honoris, & ordinis, sed fidei, & confessionis*. Itaque addidit: *Hoc* (2) *est dicere, nunc nemo me vincat. Nunc meæ partes sunt. Debeo compensare, quod tacui; debeo prodesse, quod silui. Lingua mea non habet spinas; sine impedimento fides non debet exire*. Verumtamen post ascensionem Christi in cælum, egisse *primatum honoris*, atque *potestatis* Petrum, non modo non negavit Ambrosius, sed etiam sæpe ac multum, ut ante docuimus (3), omni asseveratione confirmavit.

Nunc Marci Antonii de Dominis, ut ante promiseram, opinionem exponam, atque confutabo brevi. Is in primo de Republica Ecclesiastica libro, (4) omni officio, ac munere Apostolico, omnique potestate fuisse omnes Apostolos pares scribit. Hos, etsi ita instituti erant, ut neminem sibi auctoritate præstare existimarent, tamen *primatum* aliquem concessisse Petro. Sed eam *primatus* rationem non fuisse talem, qualem Romani hisce scripturarum locis: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & pasce oves meas, & tibi dabo claves regni Cælorum*, Patrumque testimoniis,ostendi censent. Patrum enim componi cum dogmate Romanorum nullo modo posse sententiam. Itaque Christianæ Reipublicæ rationem non Monarchicam, sed Aristocraticam statui oportere.

Atque Apostolos quidem omnes fuisse omni & potestate, & dignitate pares, eo potissimum argumento demonstrari posse, efficique putat, quod ex locis Johannis: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*, & Matthæi: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ab hæreticis nostræ potissimum ætatis concluditur. Huc autem spectare, quæ ab Augustino *de dispositis per Apostolos Ecclesiis*, ab Hieronymo *de principatu Apostolorum*, & a Nicolao I. Pontifice *de constitutis pastoribus, qui Ecclesiam regerent*, disputantur. Quare curam Ecclesiæ creditam omnibus Apostolis fuisse. Quod si credita æque omnibus est, jam Christianæ Reipublicæ tor-

1 *Ibid. num.* XXXII. *pag.* 140.
2 *Ibid.*
3 *Pag.* 138. *hujus vol. not.* 1.
4 *Cap.* III. *seqq. pag.* 21. *seqq. edit. Londin. an.* 1617.

formam fuiſſe a Chriſto non monarchicam, ſed ariſtocraticam conſtitutam. Id vero confirmari ſacrorum Bibliorum locis poſſe. *Æque* enim omnes a Chriſto diſcipulos fuiſſe *eruditos*, *æque formatos*, *æque perfectos ad munus Apoſtolorum*, *æque demum repletos Spiritu Sancto*. Quare Ignatium Martyrem, Irenæum, Tertullianum, cum de Apoſtolis pari modo, ac ratione inſtitutis differunt, nihil ſingulare de Petro dicere. Hoc idem Patres quintæ œcumenicæ Synodi feciſſe. Neque eſſe quidquam a Cypriano, Hilario, Hieronymo traditum, quod cum Proteſtantium de Ariſtocratia Eccleſiaſtica doctrina pugnare videatur. Mirari ſe Catholicorum frontem, ac confidentiam, qui Cypriani locos *ad Petri Monarchiam detorqueant*. Quæ dicta a Cypriano ſunt, ea omnia in epiſtolis Anacleto adſcriptis legi. Aſſentiri Cypriano Victorem Epiſcopum Carthaginienſem. Cajetanum, Eckium, Bellarminum, qui veterum teſtimonia explicare conati fuerint, nihil profeciſſe. Unum adduci Leonem I. Pontificem poſſe, qui Petri monarchicum principatum defenderit. Gregorii I. locum, qui negotium multis exhibere ſoleat, explicari partim fortaſſe poſſe, partim omnino non poſſe. Nam ei, qui Petrum *primum Eccleſiæ membrum* vocaverit, ſeſe non admodum repugnare. Multis enim nominibus primatum aliquem conveniſſe Petro. Ferri tamen, quod Gregorius de Andrea, de Johanne, de Paulo *capitibus ſingularium populorum* addit, ſi *ſenſu* quodam pio intelligatur, vix; ſin minus, ferri nullo modo poſſe.

Ad *vicarios* Chriſti quod attinet, *Spiritum Sanctum paraclitum* Chriſti nunc partes in terris agere. Hujus rei non Tertullianum modo, ſed Auguſtinum etiam, ſeu libri *quæſt. Vet. & Nov. Teſt.* auctorem locupletiſſimos teſtes eſſe. Apoſtolis porro, ut miniſtris commiſſam fuiſſe vicariam gubernandæ Eccleſiæ curam, ut eſt ab Ambroſio, ab Auguſtino, a Paulo denique ipſo ſcriptum, qui Paulus ſibi, collegiſque attribuit *Chriſti legatorum* nomen.

Dici quidem a veteribus Principem, atque Protocoryphæum Apoſtolorum Petrum, idque primatus Petri indicium

quoddam esse; sed non *Monarchiæ*. Quis enim neget vocatum etiam interdum iisdem nominibus fuisse Paulum, quem Catholici *cum jurisdictione primatem*, *ac superiorem* reliquorum fuisse Apostolorum, numquam concedent. Petrum ergo primatum *confessionis ac fidei* obtinuisse, ut est auctor *in libro de Incarnatione* Ambrosius, non *ordinis*, & *dignitatis*. Jam vero claves non ipsi Petro pro se fuisse, sed Ecclesiæ per Petrum datas, Augustinum defendere. Quinetiam fuisse ante *confessionem* auctum primatus honore Petrum. Sed qualis is fuerit honos, id vero esse accuratius investigandum. Johannem Chrysostomum in ea fuisse sententia, ut propter præcipuam virtutem, ac probitatem fuisse ceteris Petrum antelatum arbitraretur. Ceterum noluisse Christum, ut quisquam suorum discipulorum princeps esset. Quare fateri Chrysostomum, præstitisse quidem ceteris Apostolis Petrum, ut stella est alia stella præstantior; in collegio autem Apostolorum principatu fuisse potitum, non item. Idem Victori Antiocheno, atque Augustino placuisse, qui non unum Petrum, sed Johannem etiam, ac Jacobum primas obtinuisse partes contendunt. Neque vero his rebus solum, sed ætate quoque (nam ceteris erat provectior) & vocatione, ut qui primus omnium a Christo vocatus fuerit, & amoris, caritatisque laude fuisse Petrum collegis præstantiorem. Hasce res, non jurisdictionis, & potestatis amplitudinem, caussam fuisse, quamobrem princeps diceretur Apostolorum.

Verba Christi, *tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: *Tibi dabo claves Regni cælorum*: *& pasce oves*, *atque agnos meos*, non eodem modo explicari a majoribus consuesse. Ac de petra quidem alias. De clavibus autem, omnibus Apostolis parem clavium fuisse a Christo potestatem datam, qui palam neget, veterum patrum reperiri omnino neminem. Cyprianum, Hilarium, Gaudentium Brixiensem, Ambrosium, Augustinum, Theophylactum, æqualem in omnibus Apostolis agnovisse auctoritatem.

Petro quidem dictum illud a Christo fuisse: *pasce oves meas*, e Patrum libris, exque serie Johannis verborum liquere;

re; unum autem Petrum, ob id dictum, constitutum fuisse pastorem, non modo non liquere, sed ne dici quidem sine gravi, turpique errore posse. Dedisse namque Ecclesiæ Christum, Paulo teste, quosdam Apostolos, alios doctores, & pastores. Non esse igitur solum Ecclesiæ pastorem Petrum. Vidisse hoc Basilium, Augustinum, Ambrosium, atque Gregorium; quare Petrum aut omnium pastorum figuram, aut procuratorem fuisse dixerunt, qui, nomine aliorum, acceperit pascendarum ovium potestatem. Atque his quidem verbis *pasce &c.* plus fuisse Petro, quam Apostolis, tributum suspicari qui possumus? Nam ut *τὸ pascere*, ita *τὸ mitti* a Christo, quemadmodum missus ipse a Patre fuerat, *pastores* constituit, hosque jam præcipuos Ecclesiarum. At si primum Petro, alterum certe omnibus Apostolis dictum est. Quare nihil fuisse a Christo singulare, atque eximium attributum Petro, quod æque reliquis Apostolis non competeret. Eoque id magis confirmari Christi Servatoris verbis posse, quæ Matthæi Evangelii octavo, ac vigesimo capite continentur. Christum enim, cum datam sibi omnem in cælo, atque in terra potestatem fuisse dixisset, tum ostensurum, velle se, ut discipuli ejusdem participes potestatis essent; mox addidisse: *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* Quum autem non latius pateat *τὸ pasce*, quam *τὸ sicut misit me pater, & ego mitto vos, & τὸ euntes ergo docete &c.* nihil esse caussæ, cur quisquam *Monarcham, præcipuumque pastorem* Petrum, non vero omnes Apostolos pari præditos potestate (ut aristocratice Ecclesiam moderarentur) principes, pastoresque fuisse constitutos, putet. Itaque Apostolos a Cælestino, & a Chrysostomo Doctores omnium gentium, atque Pontifices appellari. Veri autem videri simile cuiquam posse, ovium, quas Christus Petro commendavit, nomine intelligi *oves, quæ perierant, domus Israel* oportere. Illud certum esse; Petro demandatam numquam fuisse curam Apostolorum. Non enim docere potuisset eos, qui ob doctrinam, *lux mundi* vocati a Christo fuerant. Quid, si ne castigare quidem? Monitum sane,

correptumque Petrum a Paulo fuiſſe nos alicubi legere; a Petro vero inſtitutum, aut redargutum quemquam Apoſtolorum nuſquam. Quamobrem ſapienter Auguſtinum ſtatuere, Apoſtolos & paſtores, & oves fuiſſe; paſtores quidem, ut qui reliquos Chriſtianos paſcerent; oves, propterea quod a Chriſto ſupremo paſtore omnium, ac principe paſcerentur.

His ab ſe, ut quidem exiſtimat, poſitis, atque conſtitutis rebus, quærit Marcus Antonius, quid cauſſæ fuerit, cur ſoli Petro curam ovium paſcendarum Chriſtus crediderit, ſi omnibus parem dedit regendarum, paſcendarumque earumdem ovium auctoritatem? Quæſtionem ut expediat, cauſſas ſe reperiſſe, ſcribit, omnino quinque. Harum primam indicari ab Hieronymo, & ab Optato Milevitano, qui *vinculum Collegii Apoſtolici* fuiſſe factum, Chriſti inſtitutione, Petrum teſtantur: alteram ab Ambroſio, & Auguſtino, figuram omnium Paſtorum, Eccleſiæque univerſæ fuiſſe Petrum, ajentibus: tertiam fortaſſe a Cypriano, qui cum principatum Petri neget, ſatis oſtendit, quod dictum de ovibus a Chriſto eſt, eſſe de *ovibus, quæ perierunt, domus Iſrael* intelligendum: quartam a Gregorio Nazianzeno, a Chryſoſtomo, ab Auguſtino, a Cyrillo Alexandrino, qui trinam *negationem trina confeſſione* delendam, addendamque de paſcendis ovibus *promiſſionem* fuiſſe tradunt, ne Petrus in deſperationem incideret: quintam denique a Leone & Nicolao Pontificibus Maximis, qui Petro fuiſſe ſingulari modo demandatam paſcendarum ovium curam ſcribunt, propterea quod ſeniori plus ceteris eſſet in vinea Domini laborandum. Nihil propterea ſe diſtinctiunculas Romanorum morari. Inducere ſe in animum non poſſe, ut in ſumma illa Patrum in eadem re explicanda diſſenſione, diſcordiaque ſententiarum, loco tam variis, tamque diſcrepantibus explicato modis, confirmandum eſſe Petri principatum, exiſtimet. Deſcendit ad Patres Græcos, Origenem, Euſebium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Epiphanium, Cyrillum, Chryſoſtomum, Damaſcenum; ac Latinos, Cyprianum, Ambroſium, Optatum, Arnobium, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem,

nem, Gregorium, Bedam, Bernardum, aliosque; quorum testimonia, quæ a nostris ostendendi primatus Petri caussa describuntur, exponi commode, aptarique ad Aristocraticorum opinionem posse censet.

Nihil autem eos statuisse, quod cum novi testamenti libris pugnare videatur. Primatum autem Petri componi cum iis, quæ Matthæi, Marci, Lucæ, & Johannis Evangeliis continentur, nullo modo posse. Quid? Si ne cum iis quidem, quæ scripta ab Apostolis, in Epistolis, & a Luca in Actis fuerunt? Ex his enim facile intelligi, neque Apostolos primatum monarchicum concessisse Petro, neque Petrum voluisse, ut sibi ab Apostolis concederetur. Factum proinde recte, ac sapienter a Cypriano, ab Augustino, ab Ambrosio, aliisque Patribus fuisse, qui hoc genus principatus *removendum* a Petro judicarunt.

Id esse reliquum, ut (sublata Monarchia Ecclesiastica, quam a Christo in Evangeliis reprobatam putat) Aristocraticam certo quodam modo esse gubernandæ Ecclesiæ rationem confiteamur. Hujus esse Aristocratiæ ab Apostolo in litteris ad Corinthios, & ab Ignatio Martyre in ea, quæ est ad Philadelphienses, epistola, mentionem factam. *Certo quodam modo*, dicit, propterea quod ne Aristocratica quidem omnino credenda sit, cum nescio quid mixti e Monarchia, & Democratia continere videatur. Argumenta, quæ ab Orthodoxis ad evertendam sive Aristocratiam, sive Democratiam Protestantium Ecclesiasticam adduci solent, nullius ponderis, ac momenti esse. Articulos Johannis Hussi in Synodo Constantiensi damnatos aut nihil habere *assertionibus Spalatensis Archiepiscopi* simile, aut si habeant, non fuisse legitime damnatos. Atque his quidem sive momentis rationum sive responsis, expugnatum ab se fuisse, Spalatensis existimat, Ecclesiasticum principatum Petri.

Sed de hujus scriptoris errore, cum ejus & levia sint argumenta, & partim a nobis, partim a doctissimis viris ita confutata, atque explosa sint, ut qui ea rursum refellere constituerit, laborem frustra suscipere videatur, agam equidem, ut dixi, brevi,

vi, ut non iis modo, qui mihi quoque hanc esse operam sumendam arbitrarentur, sed iis etiam, qui meum omne tempus utilioribus rebus transmitti cuperent, satisfaciam. Nego igitur, omni officio, ac potestate omnes Apostolos pares fuisse. Nam etsi credita omnibus Ecclesiæ cura a Christo fuit, non tamen sequitur, tam eos æquales fuisse, nullus ut inter eos reperiretur, qui dignitate, potestateque ceteros antecederet. Neque me movet, quod missi (1) omnes a Christo fuisse dicantur, ut missus idem Christus a Patre fuit. Quemadmodum enim *τὸ sicut* ejusmodi non est, ut fateri nos cogat æquales fuisse Apostolos honore, atque potestate Christo, ita ne coget quidem, ut contra tot Scripturarum, Patrumque, quot ante sunt a nobis descripti, locos, pares omnino eosdem Apostolos dignitate, auctoritateque fuisse confiteamur. Quo magis miror adduci a Spalatensi Augustini (2), atque Hieronymi (3) *de dispositis Ecclesiis ab Apostolis, deque horum principatu* testimonia potuisse, quæ quidem testimonia excellenti dignitate Apostolos ipsos præditos fuisse ostendunt; pari autem & dignitate, & auctoritate, nullo modo. Estque generis ejusdem, quod mox adjungit de constitutis a Deo, Nicolai (4) primi sententia, pastoribus, qui Eccle-

1 *Johann. cap. xx. v. 21.* Idipsum est de Matthæi loco *e cap. xxviii. Evangelii v. 19.* dicendum: *Euntes in mundum universum prædicate &c.* quo quidem loco Spalatensis abutitur. Etsi enim inde missos Apostolos divulgatum Evangelium a Christo intelligam, missos tamen omnes pari auctoritate fuisse, nullo modo prorsus intelligo.

2 *Epist. liv. al. cxviii. ad Januarium cap. vi. num 8. pag. 96. tom. II. opp. edit. Antuerp. Clerici an. 1700.* „ Ideo non præcepit (*Dominus*) quo deinceps ordine (*Eu-* „ *charistia*) sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc „ locum.

3 *In cap. 1. Isaiæ Proph. pag. 20. tom. III. opp. edit. Martianæi, & in præfat. in epist. ad Galatas tom. iv. opp. parte 1. pag. 223.* quibus in locis Apostolos fuisse constitutos, ait, *principes Ecclesiarum*.

4 Nicolaus I. P. M. *epist. xlii. ad universos Episcopos Galliæ*, quæ quidem epistola extat etiam in Actis Synodi Romanæ celebratæ *an. 865. t. v. Concil. edit. Paris. Harduini p. 590. seqq.* Ut autem omnes intelligant, qua demum fide versatus in hoc genere argumenti Spalatensis fuerit, qui quasi Nicolai verbis rem confecisset, Cajetano insultans scribit: *cap. iii. lib. I. §. 2. pag. 22. negare Cajetanus id non potuit*; ut, inquam, omnes, qua fide versatus in hac re fuerit Spalatensis, intelligant, describam non detruncatum, ut ille, sed integrum ejusdem Pontificis de Apostolis locum: „ Quamvis singularum Ecclesiarum, „ quæ propter diversitatem terrarum multæ esse dicuntur, cum una sit, & unica sponsa „ sua, sicut ipse in canticis canticorum dicit: *una est columba mea*, & per Psalmistam: „ *erue*

Ecclesiam moderarentur. Non enim, pastoresne plures constituti a Christo fuerint; sed an unus aliquis inter eos principatum obtinuerit, quærimus. Id vero cum nec Augustini, neque Hieronymi, neque Nicolai testimoniis efficiatur, qua demum confidentia Spalatensis, iis adductis, concluserit, *æque omnibus Ecclesiæ creditam fuisse curam* (1), ne suspicari quidem possum. Quod *æque* omnes Apostolos a Christo Servatore *eruditos*, cum rudes antea fuissent, *æque formatos*, & ad munus *Apostolicum perfectos*, *æque Spiritu Sancto repletos* scribit, non est ad rem. *Æque enim eruditi, formati, perfecti, si non æque aut caritate inflammati, aut religionis confitendæ studio* incitati, aut re quapiam alia ornati sint, imparibus præmiis donari possunt. Factum igitur hinc est, ut qui ceteris, aut fidei confessione, aut caritatis fervore, aut aliis nominibus præstabat, is deligeretur, ut caput, princepsque collegii vocaretur, & esset (2). Miror autem quid sit, quod sui erroris Ignatium Antiochenum testem appellet. Nam ut mittam de vera, ac genuina Martyris ejusdem, atque Episcopi Ignatii ad Philadelphienses epistola dicere, in qua nihil est (3) eorum, quibus Spalatensis abutitur; quid tandem in vitiata illa, atque interpola-

„ *erue de manu canis unicam meam*, Pastor, & Episcopus, ac Pontifex Dominus noster „ Jesus Christus, qui hanc creavit, & redemit, existat, ita ut ille veraciter, ac principaliter ista sit omnia, juxta quod fidelibus per primum Apostolum dicitur, *conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*, & juxta quod egregius „ prædicator de eo loquens, *talis*, inquit, *decebat, ut nobis esset Pontifex*; subiturus tamen ad cælos hanc Apostolis commendavit, ac per eos tamquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos Pastores, & Episcopos, ac Pontifices super ipsam „ constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati filii, & pro eis „ constituti principes, in omnem terram imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi. Verum & inter beatissimos Apostolos, sicut & ille magnus Leo scribit, in similitudinem honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni „ tamen datum est, ut ceteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta „ distinctio, & magna dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed „ essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia. Et „ rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, „ per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluerer, & nihil unquam a „ suo capite dissideret „. Sunt item alia in eadem epistola, quæ præcipuam & dignitatem, & auctoritatem Petri demonstrent, quæque ipse per se consulere lector poterit.

1 Spalatensis *ibid.* §. 111. *pag.* 22.

2 Vide quæ scripsi *pag.* 93. *seqq. hujus vol.* & *pag.* 130. *seqq.*

3 Confer, si licet, genuinam epistolam Ignatii ad Philadelphienses §. v. *pag.* 153. t. II. *Apostolicor. Patrum edit. Londin. an.* 1746.

polata (1) est, quod exhibere negotium orthodoxis possit pro Petri principatu pugnantibus? Nemo enim est Christianorum, qui ut malo Pseudo-Prophetas, & Pseudo-Apostolos, ita bono ac sancto spiritu fuisse Apostolos, atque Prophetas instinctos neget. Etsi vero uno eodemque Spiritu Sancto incitati Prophetæ, atque Apostoli fuerunt; non est tamen consequens, in Apostolis, qui auctoritate, dignitateque antecelleret reliquis, fuisse omnino neminem. Atque hoc sane restaret, ut Spalatensis novum Testamentum præstare veteri inficiaretur, quod utrumque ejusdem Spiritus Sancti afflatu, instinctuque traditum, perscriptumque sit. Estque jam generis ejusdem, quod affert ex Irenæo. Irenæus enim doctrinam Christi Apostolorum (2) opera in Ecclesias manasse scribens, quid tandem dicit, quod primatum Petri tollere videatur? Contra vero, quod mox, ut Spalatensis scribit, *exemplificat* in Romana Ecclesia, nonne demonstrat, Petrum, a quo constituta, diuque administrata est, caput fuisse, ac Principem Apostolorum? Non enim Irenæus potioris principalitatis Romanæ Ecclesiæ meminisset, nisi obtinuisse in Apostolorum collegio censuisset *potiorem principalitatem* Petrum. At ea Irenæi verba Spalatensis, de Irenæo hoc loco differens, prætermisit, ne illius Scriptoris, ex quo sibi præsidium quæsisset, auctoritate oppugnatus, atque dejectus videretur. Nihilo est opportunior Tertulliani e libro de Præscriptionibus locus. Nam quod *Apostolos sese (3) auctores habere*, affirmat, *qui nihil e suo arbitrio elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam nationibus adsignaverunt*, etsi certum, exploratumque est, ad institutum tamen non pertinet. Ac si bona fide Spalatensis agere voluisset, jam non hunc

1 Pseudo-Ignatius *in vitiata epistola ad Philad. quæ extat in Appendice tomi modo indicati pag.* 133. §. v. „ Sicut Pseudo-Prophetæ, & Pseudo-Apostoli unum eumdemque ma-
„ lignum, & seductorem, & populum errare facientem spiritum assumpserunt, sic iterum
„ veri Prophetæ, & veri Apostoli, unum eumdemque sanctum, bonum, principalem, &
„ verum, atque doctorem per Christum acceperunt spiritum „.

2 Irenæus *lib.* III. *contra Hæreses cap.* III. *pag.* 175. *seq. num.* 1. *seq. edit. Veneta Massueti Monach. s. Mauri ann.* 1734. Confer quæ scripsi supra *pag.* 48. *seq. not.* 2. *hujus vol. & pag.* 72. *seq. not.* 1.

3 Tertull. *lib. De Præscript. cap.* VI. *pag.* 204. *edit. Veneta an.* 1748.

hunc, ſed illum, qui paullo poſt ſequitur *de Primatu Petri*, Tertulliani deſcripſiſſe locum (1). Atque eſt item leviſſimum, quod ex Synodi quintæ oecumenicæ loco, quem nos ſupra protulimus (2), concludere conatur. Ab gratia namque Spiritus Sancti, quo inſtincti omnes Apoſtoli fuerant, ad poteſtatem condendorum ſacrorum librorum, dirimendarumque controverſiarum, ſiquæ ortæ de religione fuiſſent (qua poteſtate ſinguli Apoſtoli excellebant, ut qui ne errarent, ſuſtinerentur) quemadmodum Synodus deſcenderit, video: a poteſtate autem decidendarum controverſiarum ad omnis poteſtatis, officiique æqualitatem, ita ut nullus eorum genere aliquo auctoritatis, dignitatiſque ceteris anteiret, quam in eis fuiſſe commentus eſt Spalatenſis, quo tandem modo deſcendere quiſquam poſſit, non video. Ab inſtinctu enim ad *inerrantiam*, quam dicimus, venire ordine quidem licet; ab *inerrantia* autem ad parem honoris, dignitatis, & auctoritatis in omni genere gradum, non licet (3). Nihil de Cypriano dico, ne actum agam. Quod

1 Hunc, alioſque Tertulliani locos, quibus præcipuam auctoritatem, dignitatemque Petri commendat, attuli ſupra *pag.* 60. *ſeqq. & pag.* 133. *not.* 1. *hujus vol.*

2 *Pag.* 54. *not.* 2. *hujus vol.*

3 Ejuſdem ſunt rationis, quæ ex Hilario Pictavienſi Spalatenſis collegit. Habet autem Hilarius hoc modo *in Pſ.* CXXXVIII. *p.* 445. *t.* 1. *opp. ed. Mon. s. Mauri Ven. a.* 1749. „In corpore „ oculos principalis eſſe officii, ac virtutis nemini dubium eſt. Et quia oculi potiores ceteris „ membris ſunt, in his Apoſtolos ſignificari, non ambigendum eſt, per quos lumen Eccleſiæ, & „ operationis divina myſteria præbentur ... Apoſtoli itaque, qui Eccleſiæ, id eſt Chriſti cor„ poris oculi ſunt, lucidi, & ſimplices jubentur eſſe corpore toto lucido his ſimplicibus man„ ſuro„. At quorſum hæc? Quis noſtrum recte Apoſtolos oculis Eccleſiæ fuiſſe ab Hilario comparatos negat? De *æqualitate*, parique in omni genere poteſtate agimus. Id vero ex his Hilarii verbis non ſequitur. Alioqui pares eſſent Sacerdotes Apoſtolis omni officio, ac poteſtate, qua re quid demum dici poteſt obtuſius? Nam addit Hilarius: „ Ex quo ingenti periculo Sacer„ dotes, qui Eccleſiæ oculi ſunt, negotiis ſeculi, curis pecuniæ, familiarium rerum „ incrementis, & conviviorum luxibus occupantur „. Eſſe igitur in iis oculis, quos Hilarius indicat, aliquod diſcrimen poteſt. Confer Hilarii teſtimonia, quæ paullo ante deſcripta a nobis fuerunt *pag.* 135. *not.* 1. Quod autem de Hilario dixi, dicendum de Hieronymo eſt, qui *epiſt.* V. *al.* CXLVIII. *ad Marcellam pag.* 167. *tom.* IV. *p.* 1. *opp. edit. Martianæi*: „ fuiſſe Chriſtum, *affirmat*, uno eodemque tempore & cum Apoſtolis quadraginta „ diebus, & cum Angelis, & in Patre, & in extremis finibus maris. In omnibus locis ver„ ſatum fuiſſe, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrio, cum Tito „ in Creta, cum Andrea in Achaia, cum ſingulis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris in ſingu„ lis, cunctiſque regionibus „. Nam præterquamquod Spalatenſis hoc teſtimonio æquare Apoſtolis honore, ac poteſtate Apoſtolicos viros deberet (quod certe falſum eſt) ex *inerrantia*, quam vocant, Apoſtolorum, quamque omnes concedimus, parem in Apoſtolis

autem mirari se Spalatensis frontem Catholicorum scribit, ridiculum est. Norunt enim omnes, quæ ejus audacia, quæ frons, quæ temeritas fuerit, ut, quæ perspicua essent, ea summa confidentia calumniando obscurare, atque pervertere conaretur. Nam ut alia ejus impudentiæ exempla præteream, satis hoc fuerit indicasse, quod ad Cyprianum spectat. Videat Lector, quos supra descripsimus, Cypriani locos (1), tumque jam facile, quo cum homine, quam furioso, quamque impudenti pugnem, judicium ferre poterit. De Anacleti sententia non laboro. Fatetur namque Spalatensis, nihil tale ab Anacleto fuisse scriptum (2). Quamquam iisdem ipsis verbis Anacleti, sive illius scriptoris, qui sibi nomen Anacleti sumsit, error adversarii oppugnari, evertique potest (3). Fateor equidem consensisse Cypriano Victorem Carthaginiensem Episcopum (4). Sed is de Apostolatu, non de administrandæ, regendæque Ecclesiæ universæ, deque tuendæ unitatis potestate, ita omnino, ut Cyprianus, loquutus est. Nam de Christiana fide agens; *Ad quam*, inquit, *omnes beatissimi Apostoli pari honoris, ac potestatis consortio præditi populorum agmina convertentes &c.* Neque vero Spalatensi datum id munus a quoquam fuit, ut quidquam ne sint Cajetanus, Bellarminus, Eckius assequuti, statueret. Satis fuisset, si ipse se respexisset. Venio ad Leonem Magnum. Nego unum illum fuisse, qui pro principatu Petri pugnaverit. Plurimos enim, immo vero omnes Patres

stolis omnibus dignitatem, ac potestatem omni in genere fuisse, nunquam efficiet. Hieronymus autem eo in loco, de auxilio Christi, quo præsto omnibus Apostolis, Apostolicisque viris erat, loquitur, non vero de potestate, *infallibilitateque* Apostolicorum virorum. Apostolis enim concessum id privilegium est, viris autem omnibus Apostolicis non item, nisi iis, quos instinctos Spiritu Sancto fuisse, e sacris scripturis intelligimus.

1 *Pag.* 134. *not.* 1. & *pag.* 71. *seqq. not.* 1. *seqq. hujus vol.*

2 *Ibid.* §. VIII. *pag.* 23.

3 Scribit enim Pseudo-Anacletus apud Spalatensem *ibid.* hoc modo. „ Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio, & licet pares essent (sive omnes essent Apostoli), Petro „ tamen a Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, ut reliquis omnibus „ præesset Apostolis, & Cephas, idest caput, & principium teneret Apostolatus „. Consideret nunc Spalatensis, num paritatem, quam jactat, extundere quisquam ex iis Pseudo-Anacleti sententiis queat. Nam quod pares Apostolos dicat fuisse, id ita est intelligendum, ut esse similia Cypriani verba intelligenda ostendimus *supra pag.* 172. *seq hujus vol.*

4 Vide *secret.* II. *synodi* 1. *Lateranensis sub Martino* 1. *tom.* III. *Conciliot. edition. Harduini pag.* 754.

tres eam conceſſiſſe dignitatem Petro, tam eſt a me clare demonſtratum, ut nihil deſiderari ſupra poſſe videatur (1). Eſt autem ineptum, atque inſolens, quod addit: eſſe ſibi Gregorium Magnum partim amicum, partim inimicum. Quaſi vero unus idemque auctor de re eadem eodem in loco diſputans, ſciens volenſque pugnantia loquatur, ut & amicus hoſti religionis eſſe, & eodem tempore inimicus poſſit. *Quod Petrum*, inquit, *dicat primum membrum ſanctæ, & univerſalis Eccleſiæ, nobis vel nihil, vel parum admodum eſt contrarius.* Nihil ne? At id Spalatenſis Apoſtatæ non modo concutit, ſed funditus evertit ſententiam. Quemadmodum enim Gregorius (niſi ratione potioris & dignitatis & poteſtatis) primum Eccleſiæ membrum appellaſſet Petrum (2)? Hos nobis Spalatenſis ſuos eſſe amicos narrat.

Cur autem Gregorii de Paulo, & Andrea locum ferri neget poſſe, non video. Neque enim tam immemor Gregorius fuit, aut tam imperitus chriſtianarum rerum, ut eorum, quæ a Paulo ſcripta de *ſollicitudine* omnium Eccleſiarum fuiſſent, vel eſſet oblitus, vel ſcientiam non haberet. Atque hoc ſibi ad oſtendendum propoſuerat: Johannem Conſtantinopolitanum, qui *Oecumenicum* hoc eſt *univerſalem* Epiſcopum ſeſe vocare auderet, ſuperbe agere. Nam Petrum (3) qui primus Apoſtolorum, primumque Eccleſiæ (4) membrum erat; nec Petrum modo, ſed etiam Paulum, Andream, Johannem, qui etſi ea, quæ tam late pateret, & dignitate, & auctoritate Apoſtolatus præſtabant, peculiarem tamen certarum quarumdam, deſtinatarumque plebium curam ſuſceperant, numquam ſibi nomen Epiſcopi *Oecumenici* arrogaſſe

1 *Pag.* 89 *ſeqq. hujus vol.*

2 *Spalat. ibid.* §. xxxv. *pag.* 32.

3 Gregorius *lib.* v. *Al.* iv. *epiſt.* xviii. *al.* xxxviii. *pag.* 743. *edit. Pariſ. Monach. s. Mauri an.* 1705. „ Certe Petrus Apoſtolorum primus, membrum ſanctæ, & univerſalis „ Eccleſiæ; Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud, quam ſingularium ſunt plebium ca„ pita? & tamen ſub uno capite omnes membra. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis „ adſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficien„ tes corpus Domini, in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, & nemo ſe umquam univerſa„ lem vocari voluit.

4 In prioribus editionibus epiſtolæ ejuſdem ſic legitur: *Petrus Apoſtolus primum membrum Eccleſiæ eſt*. Sed Monachi s. Mauri uſi Mſs. Codicibus *Vatic. Anglic. Norm.* ita eſſe legendum putarunt, ut vidimus notatione ſuperiore.

gasse (1). Id vero qui tamdem sacrorum Bibliorum, traditionique Ecclesiæ repugnet, persuaderi mihi si minus plane ad veritatem, at opinione saltem velim. Quod cum fieri omnino nequeat, relinquitur, ut injuria a Spalatensi Apostata fuisse Gregorium reprehensum putem (2). Ac mirabile fortasse cuiquam videbitur, quid sit, quod cum tot exstent Gregorii Magni de principatu, præcipuaque auctoritate Petri, tamque illustria monumenta, eo tamen uti Spalatensis voluerit, quod nonnihil implicatum, neque tam facile intellectu esset. Non est autem necesse, ut multis de Hieronymo (3) deque Augustino agam, quos etiam pro *æqualitate*, hoc est pro pari *dignitate*, potestateque Apostolorum pugnasse (4) Spalatensis jactat. Hieronymus enim, quod supra vidimus, in eo ipso, quo adversarius abutitur loco, sanctum Petrum constitutum caput fuisse, scribit, Apostolorum, ut eo constituto, schismatis tolleretur occasio. Sine jurisdictione vero, quam Petro Spalatensis negat, caput esse Petrus, christianosque in unitatis officio continere qui poterat? At Hieronymus ut Ecclesiam in Petro fundatam, ita quoque fundatam, & ex æquo super omnes Apostolos solidatám dicit. Quid igitur Hieronymum, quem constantem (5) vocat, loquutum Spalatensis defendet? Nam *incon-*

1 Gregorius enim, amplissimæ auctoritatis Apostolatus esuss, Apostolos ipsos primos pastores vocat *part. II. Regul. Pastoral. cap. IV. pag. 17. tom. eod.*

2 *Epist. XL. lib. VII. Indict. XV. al. lib. VI. epist. XXXVII. ad Eulogium Alexandrinum* „ Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, qui firmi„ tatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? Cui veritatis voce dicitur: „ *tibi dabo claves regni cælorum*. Cui rursus dicitur: *& tu aliquando conversus confir„ ma fratres tuos*. Iterumque: *Simon Iohannis, amas me? pasce oves meas*. Itaque cum „ multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum principis sedes in aucto„ ritate convaluit „. Confer ejusd. *lib. VI. epistol. LV. ad Protasium Episcopum Aquens. Gallia pag. 832. & epist. XX. lib. V. al. XXXII. lib. IV. pag. 748. ad Mauricium Augustum*, ubi de Johanne Constantinopolitano scribens: „ Cunctis, *inquit*, Evangelium scien„ tibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro principi Apo„ stolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre amas me? Pasce oves „ meas ... Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Ipsi dicitur: *tu es Petrus, „ & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c*. Ecce claves regni cælestis accepit, „ potestas ei ligandi, ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus com„ mittitur, & tamen universalis Apostolus non vocatur, & vir sanctissimus consacerdos „ meus Johannes vocari universalis Episcopus conatur „. *Et lib. XI. epist. XLV. ad Theotistam Patriciam pag. 1129.*

3 Hieronym. *lib. adv. Iovinian. pag. 168. tom. IV. operum edit. Martianæi.*

4 De Dominis *ibid. §. IX. pag. 24.* 5 Spalatensis *ibid. §. X. pag. 24.*

inconſtans fuiſſet, ſi, quem & fundamentum Eccleſiæ, & principem Apoſtolorum (1) uno in loco dixerat, eumdem alio in loco negaſſet & fundamentum, & principem fuiſſe Apoſtolorum. Si enim *ex æquo* in omnibus Apoſtolis fundata, ac ſolidata Eccleſia eſſet, jam quid eſſet reliqui, quo Petrus conſtitui princeps Apoſtolorum poſſe videretur? Etenim quod *fundata* in Petro Eccleſia ſit, Hieronymus concludit, Petrum *principem* fuiſſe Apoſtolorum. Fac autem ut commune Apoſtolorum id fuerit, ut *ex æquo* fundamentum omnes, & petra eſſent; ſequeretur, ut *ex æquo principes* omnes haberentur, & eſſent, nemoque inter eos inveniretur, quem Apoſtolorum principem dicere liceret. Itaque ut ne a ſe ipſo Hieronymus diſſideat, ſtatuendum eſt, eum, cum ex æquo fuiſſe ſuper omnes Apoſtolos ſolidatam Eccleſiam ſcribit, non de fundamento, & capite unitatis agere, ſed de fundamento Apoſtolatus, cujus eſt a Paulo facta mentio. Hoc autem poſtremum, illius quidem ſententia, commune omnium Apoſtolorum; primum vero proprium fuiſſe Petri.

Nam illud admodum ridiculum, quod mox addit, confirmareque ſe poſſe putat auctoritate Hieronymi, æqualem ceteris Apoſtolis fuiſſe Petrum, propterea quod Jacobus, & Johannes, qui plus petiiſſent, quam impetrare potuerint, dejecti non fuerint de gradu, dignitateque (2) Apoſtolorum. Quaſi vero teſtimonio Hieronymi (3) opus ſit, ut id ſtatuatur, quod nemo chriſtianorum negat. Neque enim ulli unquam aut orthodoxorum, aut hæreticorum in mentem venit, *imminutam* Johannis, atque Jacobi *dignitatem* fuiſſe, quod plus petiiſſent, quam impetrarint. Conſequens autem hinc eſſe, parem ceteris Apoſtolis & dignitate & auctoritate dici oportere Petrum, id vero tam eſt abſurdum, ut ferendum non videatur. At Hieronymus Damaſum Apoſtolorum ſucceſſorem vocat. Non vocaſſet autem, ſi Petrum ceteris eſſe præferendum exiſtimaſſet. Argute!

1 Vide locum Hieronymi ex *Dial. contra Pelag.* deſcriptum a nobis *pag.* 118. *hujus vol. not.* 2.

2 Spalat. *ibid. pag.* 24. §. 11.

3 Hieronym. in eodem *adverſus Jovinianum* l. 1. *p.* 220. *tom.* IV. *opp. edit. Martianæi*.

te! Nempe qui Petri (quem Hieronymus ſuſtinuiſſe omnium Apoſtolorum perſonam ſcribit) ſucceſſor eſt, is, auctore Spalatenſi Apoſtata, niſi pares poteſtate Apoſtoli fuerint, dici ſucceſſor Apoſtolorum non poteſt. Miſeret me hominis, qui quæ in vulgi concione non valeant, ea valere poſſe arbitretur in Scholis Dialecticorum. Quid enim? An qui Hieroſolymitas Epiſcopos ſucceſſores Cyrilli, Alexandri,& Jacobi vocat,is continuo ſtatuit Jacobi dignitatem, & auctoritatem fuiſſe dignitati, auctoritatique Cyrilli parem? Sexcenta licet ejuſmodi proferre, ſed non eſt neceſſe. Eſt enim tam perſpicuus Hieronymi ex Epiſtola ad Damaſum de Petro Eccleſiæ petra locus, ut intellegi plane poſſit,Hieronymum non eum fuiſſe, qui æquandos ipſi eſſe Petro ceteros Apoſtolos judicaret. *Ego*, inquit, *nullum præmium, niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque tecum non colligit* (1) *ſpargit.*

Satis multa de Hieronymo. Reſtat ut de Auguſtino videam,quem item ſibi Spalatenſis ſubſidio venire jactat, quod affirmet claves, cum *Petro datæ ſunt*, datas fuiſſe (2) Eccleſiæ, cujus idem Petrus perſonam præſeferebat. Sed is auctor aut diſſimulavit, aut non animadvertit quid ſibi illis verbis Auguſtinus voluerit. Atque ſi paullulum, quo demum ſpectaret Auguſtini oratio, Apoſtata conſideraſſet, niſi tantum apud eum præjudicata o pinio valuiſſet, ut veritatis nullam habuiſſet rationem, numquam in tam abſurdas, tam-

1 Hieronym. *epiſt.* XIV. *al.* LVII. *ad Damaſum pag.* 19. *tom. eodem.* „ Quoniam vetu-
„ ſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam
„ minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, ut inter lacus
„ contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons ſignatus, & hortus ille concluſus
„ ſit, poſſit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam
„ cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, unde olim Chriſti veſti-
„ menta ſuſcepi ... Apud vos ſolos incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Quamquam
„ tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. Ego nullum præmium,niſi Chriſtum
„ ſequens, beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior. Super ILLAM
„ PETRAM ÆDIFICATAM ECCLESIAM SCIO. Quicumque tecum non colligit, ſpargit.

2 Spalat. *ibid.* §. XII. *ſeqq. pag.* 24. *ſeq.* Laudat autem Auguſtini, ut vocat, de *Agone Chriſtiano* librum, qui liber non eſt Auguſtini, *cap.* XXX. *& librum tertium de Baptiſmo contra Donatiſt. cap.* VII. *& tract.* L. *in Johan. & ſermonem* XIII. *de verbis Domini, & librum* L. *Homiliar. Hom.* XLIII. *& Enarrat. in Pſ.* CXLII.

tamque alienas ab Evangelii doctrina sententias sanctissimum, doctissimumque virum incidisse existimasset. Nam Augustinus, cum nomine Ecclesiæ acceptam a Petro clavium fuisse potestatem, dixit, non eo dixit, quo acceptam revera ab eo, ut a capite Ecclesiæ, Principeque Apostolorum non fuisse arbitraretur; sed quo sciret, acceptam ab eo fuisse, ut ad unius Ecclesiæ commodum, atque utilitatem referretur. Quare, propter Ecclesiam, clavium potestatem fuisse concessam Petro & capiti, & Principi, exque ipso in Apostolos, reliquamque Ecclesiam manasse, statuit. Neque me movet, quod idem adjungit Augustinus, gessisse Petrum *figuram Ecclesiæ*. Non enim eam *figuram* gessisse Petrum aut casu quodam, aut quasi ceteris par potestate, atque dignitate esset; sed gessisse, testatur, ut Principem, qui excellenti quodam, atque singulari modo Ecclesiam exhiberet; idque jam non meo arbitratu, sed Augustini auctoritate, testimonioque fretus dico (1).

Nam quæ mox Spalatensis concludit, iisdem sunt in erratis fere, atque illa superiora. Ea enim sumit ad concludendum, quibus concessis, nihilo secius, quod vult, effici nullo modo possit (2). *Augustinus*, inquit, *Apostolos summos* (3) *arietes, gregis pastores, præcipua pastoris membra, ducesque ovium appellat*. Quis negat? *Apostolorum igitur par honor, auctoritasque fuit*. Id vero quem sibi umquam concessurum censet? Nam si Augustinus Apostolos cum Apostolis contulisset, consequens id esse, quod Spalatensis conficere conatur, etsi essent qui inficiarentur, tamen ipse,

1 Augustinus *in Ps.* CVIII. *num.* 1. *p.* 911. *t.* IV. *opp. edit. Antuerp. Clerici an.* 1700. „ Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen „ habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in „ figura gestasse personam PROPTER PRIMATUM, QUEM IN DISCIPULIS HABUIT, sicuti est, „ *tibi dabo claves regni cælorum* & si qua hujusmodi „. *Et tract.* CXXIV. *in Iohann. num.* V. *pag.* 599. *tom.* III. *p.* II. *opp.* „ Ecclesiæ Petrus Apostolus PROPTER APOSTOLATUS SUI PRINCIPATUM gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum „ proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, ABUNDANTIORE „ GRATIA UNUS IDEMQUE PRIMUS APOSTOLUS.

2 Spalat. *Ibid.* §. XIII. *pag.* 25.

3 Augustinus *serm.* CXXXV. *al. Homil.* XXIII. *lib.* L. *Homiliar. cap.* VI. *pagin.* 459. *tom.* V. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

ipſe, ſi minus facile, at ægre ſaltem fortaſse paterer. Cum autem non Apoſtolos cum Apoſtolis, ſed Apoſtolos cum grege contulerit, ita ut, hujus quidem comparatione, eſse eos & *ſummos arietes*, & *gregis paſtores*, & *præcipua paſtoris membra*, & *ovium duces* dixerit, quemadmodum æqualitas illa non poteſtatis ſolum, ſed etiam dignitatis, his rebus ſumtis, effici, concludique poſſit, nullo modo prorſus intelligo. Nec vero quidquam impedit, quin ſummi paſtores ſupremum aliquem ducem habeant, qui eos, ut illi ceteros, moderetur. Quid? Annon Patres (1) Epiſcopos quoſque ſummos Eccleſiæ Sacerdotes vocant? At hi parem eſse eorum honorem, ac poteſtatem non modo non dicunt, ſed etiam (2) vehementer negant. Nihil eſt igitur cauſsæ, quamobrem quiſquam, Apoſtolorum nullum omnino fuiſse Apoſtolum ducem, ac Principem, arbitretur (3).

Venio ad Chriſti Vicarios, in quibus Spalatenſis (4) Spiritum Sanctum paracletum imprimis numerat. Qua ſane re nihil fingi poteſt abſurdius. Quis enim tam eſt inſanus, ut eum ſpiritum, cujus eamdem eſse naturam, ac Patris Filiique confiteatur, *Vicarium* eſſe Chriſti defendat? *Vicariam*

1 Confer quæ ſcripſi *tom.* IV. *hujus operis pag.* 295. *not.* 3.

2 Auguſtinus *lib.* I. *contra duas epiſtolas Pelagianorum cap.* I. *pag.* 272. *tom.* X. *opp. edit. Anterp. an* 1700. ad Bonifacium Pontificem Max. ſcribens: „ Non dedignaris, *inquit*, qui non alta ſapis, quamvis altius præſideas, eſſe amicus humilium, & amorem „ rependere impenſum „: *Et pag.* 273. „ Cum vero (hæretici) non deſinant fremere ad „ Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemtas oves aditus unde- „ cumque rimari, communeque ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, „ quamvis ipſe in ea præmineas celſiore faſtigio, ſpecula paſtoralis; facio quod poſſum &c. Conſule Nicolai Coeffetau O.P.: *Pro ſacra Monarch. Eccl. adverſ. Rempubl. Marci Anton. de Dom. diſcuſſ. lib.* I. *cap.* III. *pag.* 35. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1623.

3 Multa ibid. Spalatenſis de Chryſoſtomo, de Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi, deque Theophylacto turbat. Quum enim Ambroſiaſter ſecundo de Spiritu Sancto *libro cap.* III. *pag.* 81. *edit. Venet. an.* 1751. *tom.* IV. ſcripſiſſet: *unam gratiam fuiſſe in his, quos Spiritus Sanctus elegerat, nec Paulum fuiſſe inferiorem Petro, quamvis Petrus Eccleſiæ fundamentum, & Paulus ſapiens Architectus fuerit*, & Chryſoſtomus *in cap.* II. *epiſt. ad Galatas pag.* 684. *tom.* X. *opp. edit. Pariſ. Monach. S. Mauri*, *nihil opus Paulum habuiſſe Petro, ſed honore illi fuiſſe parem* dixiſſet, inde Spalatenſis concludi putavit poſſe, non fuiſſe Apoſtolis a Chriſto antelatum Petrum. At hi Patres non de ratione regiminis agunt, ſed de munere Apoſtolatus, ut paullo ante vidimus. Itaque non eſt, cur in eorum locis explicandis diutius eſſe operam conſumendam putem. Multo enim ſunt clariora eorum, quæ ſupra deſcripſi teſtimonia de præcipua auctoritate Petri, quam ut obſcurari implicarique Spalatenſis fallaciis, artibuſque poſſint.

4 Spalatenſis *Ibid. cap.* IV. §. I. *pag.* 32. *ſeqq.*

riam enim poteltatem obtinere, nisi qui est inferior, nullo modo (1) potest. Itaque Spalatensis Apostata, dum Petri principatum oppugnat, in errorem incidit Macedonianorum. Nam quod Christus promiserat futurum, ut *nomine* (2) *suo* a Patre Spiritus mitteretur, Spiritum quidem Sanctum afflatu suo Apostolos docuisse, confirmasse in fide, incendisseque, ut veræ religionis caussam, defensionemque susciperent, demonstrat; Vicarium autem fuisse Christi, non item. At Tertullianus *vicariæ* (3) Christi potestatis meminit. Fateor. Sed quam multi sunt, qui eum minus recte de Trinitatis (4) dogmate scripsisse censeant? Fuit item gravissimus Tertulliani de Paracleto Montano error, postquam ad hæresim accessit Cataphrygarum. Postremo *vicariæ potestatis* vocibus non eo est usus Tertullianus, quo Spiritum Sanctum inferiorem Patre, Filioque potestate, atque natura esse, vicesque agere Christi; sed quo missum a Filio, a quo etiam procedit, Apostolis, quæ a Christo didicerant (5), explanasse,

1 Confer Coeffetau *l. indic. Discuss. cap.* xv. *pag.* 66. *seqq.*

2 Johann. *cap.* xv *Evang. v.* 26.

3 *Lib. de Præscription. cap.* xiii. *pag.* 207. *edit. an.* 1675.

4 Consule Petavium *lib.* 1. *De Trinit. cap.* v. *pag.* 34. *tom.* II. *Theologicor. Dogmatum edit. Paris.* & Coeffetau *ibid. pag.* 68.

5 Tertull *lib. de Præscript. cap.* xiii. *pag.* 207. *edit. opp. Paris. an.* 1675. „ Sedisse „ *dicit*, filium ad dexteram Patris, misisseque vicariam vim Spiritus Sancti, qui creden- „ tes agat „. *Et lib. de Velandis Virginibus .cap.* 1. *pag.* 173. *edit. ejusd.* „ Propterea „ Paracletum misit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non „ poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur disciplina „ ab illo vicario Domini Spiritu Sancto. *Adhuc*, inquit, *multa habeo loqui vobis. sed* „ *nondum potestis ea bajulare. Cum venerit ille spiritus veritatis, deducet vos in om-* „ *nem veritatem, & supervenientia renunciabit vobis* „. Hæc ille. Ex quibus facile intelligitur, non *proprie* quidem, sed *latiore* quodam sensu fuisse ab eo *Vicarium Domini* vocatum Spiritum. Nam ea Spiritum Sanctum in homines beneficia contulisse ostendit, quæ a Deo quidem concedi possint, a re autem creata non possint. Ac Spiritum quidem Sanctum Deum esse eadem, ac Patrem, Filiumque potestate præditum, ille ipse est testis Tertullianus cum aliis pluribus in locis, quos describit Maranus Congregationis s. Mauri Monachus in *eo opere*, quod inscribitur: *Divinitas Domini Nostri Jesu Christi manifesta in scripturis, & traditione lib.* iv. *cap.* xi. *pag.* 442. *edit. Paris. an.* 1746. tum *capit. imprimis* II. *libri contra Praxeam pag.* 501. *edit. ejusd. opp. Tertull.* quo in loco „ Salva „ *inquit*, præscriptione, utique tamen propter instructionem, & munitionem quorum- „ dam dandus est etiam retractatibus locus, vel ne videatur unaquæque perversitas non „ examinata, sed præjudicata damnari, maxime hæc, quæ se existimat meram veritatem „ possidere, dum unicum Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eumdemque & „ Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dicat. Quasi non sic quoque unus sit omnia, dum ex

„ UNO

nasse, eosque incitasse, ut magno, excelsoque animo essent,

,, UNO omnia per SUBSTANTIÆ scilicet UNITATEM, & nihilominus custodiatur œconomiæ ,, sacramentum, quæ UNITATEM in TRINITATEM disponit, tres dirigens Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: tres autem NON STATU, sed gradu, NEC SUBSTANTIA, sed ,, forma (hoc est persona), nec POTESTATE, sed specie ,,. Unius igitur ejusdemque naturæ, ac potestatis, & status Tertullianus esse fatetur Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum. Immo vero, cum esse Christianorum aliquos videret, qui quærerent, quo eandem modo tres sint personæ sine divisione naturæ, statim addidit: ,, Quomodo autem numerum ,, sine divisione patiuntur, procedentes retractatus demonstrabunt. Simplices enim quippe ,, ne dixerim imprudentes .... non intelligentes UNICUM quidem, sed cum sua œconomia esse credendum, expavescunt ad œconomiam. Numerum, & dispositionem TRINITATIS divisionem præsumunt UNITATIS, quando UNITAS ex semetipsa derivans TRINITATEM, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos, & tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt, quasi non & UNITAS irrationaliter collecta hæresim faciat, TRINITAS RATIONALITER EXPANSA VERITATEM CONSTITUAT. ,, Monarchiam, inquiunt, tenemus ... sed Monarchiam sonare student Latini, œconomiam intelligere nolunt etiam Græci. At ego, si utriusque linguæ præcerpsi, Monarchiam nihil aliud significare scio, quam singulare, & unicum imperium, non tamen præscribere Monarchiam, ideo quia unius sit, eum cujus sit, aut filium non habere, aut ,, ipsum se sibi filium fecisse, aut Monarchiam suam non per quos velit administrare ,,. *Cap.* III. *pag.* 502. ,, Quale est, ut Deus divisionem, & dispersionem pati videatur in Filio, & in Spiritu Sancto secundum, & tertium (*non ratione scilicet honoris, aut potestatis, sed ordine processionis*) sortitis locum tam consortibus substantiæ Patris? ... *Cap.* IV. *pag.* 502. ,, Ceterum qui Filium non aliunde deduco, sed de substantia Patris, ,, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem a Patre consequutum potestatem, quomodo possum de fide destruere Monarchiam? .. Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, ,, qui Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium ,,. Hactenus ille. Jam vero, qui sic de Spiritu Sancto agit, ut hunc ejusdem esse ac Patrem, Filiumque potestatis palam testetur, is ne non ejusdem Spiritus eam potestatem, de qua scribit, esse; sed *vicariam* filii affirmasset? Credat id quidem oppugnator principatus Petri Apostata Spalatensis, non ego. *Vicariam* ergo Tertullianus Spiritus Sancti *potestatem* dixit, quod missus & nomine Filii, & a Filio, ut est in Evangelio, Spiritus fuerit, cujus Spiritus tamen eadem ipsa est, ac Patris, *& Filii potestas, atque substantia*. Confer Nicolaum le Nourry Monachum Benedictinum Sancti Mauri *tom.* II. *Apparat. in Biblioth. Ss. PP. Dissertat.* IV. *in Tertull. cap.* VIII. *art.* III. *&* IV. *pag.* 1295. *seq. edit. Paris. ann.* 1715., & si licet, Georgium Bullum hominem de Anglorum Episcopalium secta *Defens. Fidei Nicænæ sect.* IV. *capit.* IV. *pag.* 280. *seq. edit. opp. Londin. an.* 1703. Quid autem hac Vicarii appellatione sibi Spalatensis velit, assequi nullo modo possum. An quia Spiritus *Vicarius* est Domini appellatus a Tertulliano, idcirco in Petrum *Vicarii* Christi nomen competere non potest? Non arbitror. Nam Spalatensis Apostata Apostolos item fuisse *Vicarios* Christi censet §. III. *ejusd. cap. pag.* 33. Quinetiam Tertullianus, quem idem laudat, Prophetas Dei Vicarios fuisse scribit. *Lib.* IV. *adv. Marcion. cap.* XXXV. *pag.* 451. *edit. Veneta an.* 1748. Quid ergo est, quod Petro Vicarii Christi & nomen, & dignitatem adimendam Spalatensis putet? At non repugnare se dicit, quin Petrus *Vicarius* appelletur, modo ne quid ei tributum singulare, atque eximium Catholici arbitrentur. Quasi vero nulla poni diversitas possit Vicariorum. Itaque erit Spiritus Sanctus, Spalatensi teste, æqualis Apostolis, quod ut ille, ita hi vocentur *Vicarii* a Tertulliano. Minime vero, inquit: Nam eo Petro ampliorem dignitatem ab se adimi, quo nihil ei plus fuerit datum a Christo in cælum ascensuro, cum Apostolis Ecclesiam commendavit. Ridiculum! Quis enim revocata idcirco a Christo, atque ademta Petro fuisse putet, quæ illi ante singularia data fuerant? Neque vero necesse erat, ut quæ semel, aut bis promissa, concessa, tradita Petro erant, eadem semper

ſent, utque in omnes regiones nunciandi Evangelii cauſſa proficiſcerentur, putaret. Breviter de Auctore Quæſtionum (1) veteris, & novi Teſtamenti dicam. Is Spiritum Sanctum æqualem Filii ſcribit eſſe; *Vicarium* autem nullo modo.

Sequitur de Apoſtolis. Fuiſſe his a Chriſto commendatam Eccleſiam, tam facile concedo, quam Ambroſius (2), Auguſtinus,

per a Chriſto repeterentur. At dixerat ille quidem Petro, *tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram &c. Paſce oves meas. Confirma fratres tuos &c.* Conſule quæ ſupra e libris Tertulliani deſcripſi *pag.* 133. *not.* 1. *hujus vol.*

1 Auctor *Quæſtionum veteris*, *& novi Teſtam. Quæſt.* XCIII. *ex novo p.* 69. *Append. tom.* III. *opp. s. Auguſtini edit. an.* 1700. „ Ideo cum venturum (ſpiritum) promittit, „ dicit: *vos videbitis eum*, *quia apud vos manebit*, *& in vobis erit*, ut ſecuri eſſent „ Apoſtoli, quia poſt aſcenſionem Domini non minorem, aut degenerem ad tuitionem ha- „ bituri eſſent paſtorem, aut regem &c. „ Hæc ubi Spalatenſis attulit, quæ ſane illius ſententiam evertunt, ſtatim addidit: Sed noſtri Monarchici volunt, hunc paſtorem, & regem, ſeu proregem fuiſſe Petrum „. Ita ne vero? *Spiritum* ergo *Sanctum Proregem* Spalatenſis facit. Quæ autem eſt, niſi hæc *blaſphemia* eſt? Ac recte ſane Coeffetau *ibid. pag.* 69. „ Nos, *inquit*, magnum illum paſtorem, nec Chriſti inferiorem ſuſcipimus Spi- „ ritum Sanctum, qui Eccleſiam excellentiſſimo quodam modo, ſed eo inviſibili, & in- „ terno dirigat, doceat, & inſtituat: Petrum vero Chriſti Vicarium *ordinario*, hoc eſt „ Domino ſuo longe inferiorem, qui ei in aſpectabili Monarchia Eccleſiæ operam ſuam *vi-* „ *cariam commiſerit* „. Miror autem, Spalatenſem, qui locum auctoris quæſtionum, qui ad rem minime pertineret, attulerit, non vidiſſe illum tam clarum, tamque perſpicuum, qui eſt de principatu, excellentique auctoritate Petri, cujus cauſſa hæc eſt omnis a nobis inſtituta quæſtio. Scribit enim is auctor *Quæſt.* LXXV. *pag.* 61. hoc modo: „ Salvator cum „ pro ſe, & Petro didrachma dari jubet, pro omnibus exolviſſe videtur, quia ſicut in Sal- „ vatore erant omnes cauſſæ magiſterii, ita & poſt Salvatorem in Petro omnes continen- „ tur. Ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, ut paſtor eſſet gregis Dominici... Mani- „ feſtum eſt, in Petro omnes contineri. Rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſ- „ ſe dignoſcitur „. Denique quod ad Vicarium Chriſti attinet, animadvertendum eſt, latam merito ab Academia Pariſienſi cenſuram in Spalatenſis *de Spiritu Sancto Vicario* propoſitionem fuiſſe, quæ cenſura, ut eſt apud Coeffetau *ibid. p.* 67. hujuſmodi eſt: *Hæc propoſitio eſt erronea*, *& periculoſa*, *atque hæreſim Macedonii expreſſe redolens in verbo Vicarii proprie ſumti*.

2 Auguſtin. *lib.* I. *contra Gaudentium Donatiſtam cap.* XX. *num.* XXII. *pag.* 438. *t.* IX. *opp. edit. an.* 1700. Quod adjungit Spalatenſis Ambroſium ſcripſiſſe, ab Apoſtolis fuiſſe *æque* repræſentatum Chriſtum, falſum eſt. Nihil enim ejuſmodi habet in *Pſ.* XXXVIII. Ambroſius. Namque hunc unum locum adverſarius laudat. Sic autem habet Ambroſius *ibid. num.* XXVI. *pag.* 152. *tom.* II. *opp. edit. Venet. an.* 1748. „ Videbis verum lumen æter- „ num, atque perpetuum Sacerdotem, cujus hic imagines videbas Petrum, Paulum, Johan- „ nem, Jacobum, Matthæum, Thomam „: Deſcribit item Spalatenſis Ambroſiaſtri locum e *Commentariis in* I. *epiſt. ad Rom. caput pagin.* 37. *tom.* IV. *opp. Ambroſii in Append. edit. ejuſd.* quo quidem in loco Apoſtoli Chriſti Vicarii appellantur. Verum Spalatenſis luculentiſſima, clariſſimaque Ambroſii, Hilariique Diaconi, quem Ambroſiaſtrum vocant, quæ nos ſupra *pag.* 138. *not.* 1. *& not.* 3. attulimus, teſtimonia præterit, eaque quæ ad rem non pertinent, conſectatur. Quis enim negat dici Apoſtolos omnes Vicarios Chriſti poſſe? De primate Eccleſiæ nunc eſt quæſtio, deque eo, qui Eccleſiæ caput, adeoque Vicarius *proprie* Chriſti conſtitutus fuerit, ullus ne ſit? qui ſit? quid juris obtinuerit?

nus, ceterique Patres, quos Spalatensis laudat, concesserunt. Sed non id quærimus. Est enim omnis inter nos, atque adversarium de auctoritate eorumdem Apostolorum, par ne omnium, an alicujus major fuerit, quæstio. Nos Scriptoribus sacris, nostrisque Majoribus (1) assentimur, qui præcipuam fuisse Petri dignitatem, atque potestatem confirmant. Contra vero Spalatensis negare id quidem, suo arbitratu, potuit; sacrorum autem Bibliorum, Patrumque locis ostendere numquam potuit.

Quod mox Spalatensis addit, Apostolos fuisse, auctore Paulo, *Legatos* (2) *Christi*, non est ad rem. Non enim de Apostolis, legati Christi Servatoris fuerint, nec ne, quærimus (ridiculum enim est quærere id, quod certum, exploratumque esse fateare) sed an ullus inter eos esset ceteris dignitate, auctoritateque præstantior. Neque vero præstantiore quopiam constituto, notio tollitur legatorum. Quid enim obstat, quo minus in legatis unus aliquis reperiatur, qui pluribus rebus reliquis antecedat?

Sed Spalatensis ubi animadvertit cum veterum Patrum sententia componi non posse suam, in mirificam sese latebram conjecit. Quod enim intelligeret, fore ut premeretur a nostris, quum ex eo caussas exquirerent, quamobrem Petrus vocatus ab antiquis Princeps, immo vero, *πρωτοκορυφαῖος primus* Apostolorum *Princeps* esset; Principem quidem fuisse persæpe appellatum Petrum (3) dedit, Monarcham autem Ecclesiæ, & Apostolorum numquam. Quasi vero, qui Princeps, aut *primus Princeps* dicitur, idem dici Monarcha non possit. Quamquam Orthodoxorum, qui *absolutum*, ut ajunt, Ecclesiæ *Monarcham* Petrum fuisse statuerit, inveniam omnino neminem. Nam quod proprium unius Chri-

1 Vide, quæ scripsi supra *pag.* 131. *seq.*

2 Spalatensis *ibid. pag.* 34. §. 12. Consule s. Pauli *epist.* II. *ad Corinth. cap.* v. *v.* 20. & *ad Ephes. cap.* VI. *v.* 20.

3 Marcus Antonius de Dominis *lib. de Rep. Eccles. cap.* v. *pag.* 36. *seq.* §. 11. „ Iste „ titulus, *inquit*, principis Apostolorum, si Monarcham inter ipsos, & verum cum ju„ risdictione primatem, ac superiorem denotaret, soli Petro tantus honor non esset defe„ rendus. Nam & Paulum non raro eodem titulo prænotatum observamus &c.

Chriſti (1) eſt, hoc in Petrum adminiſtrum, procuratorem, ac veluti proregem Eccleſiæ transferre velle, hominum eſſet non imperitorum modo, ſed etiam hæreticorum. Quare cum Petrum & *Principem*, & *primum Principem*, & *Monarcham* dicimus, non eo dicimus, quo eum *abſolutum* & *Principem*, & *Monarcham* fuiſſe, ſed quo talem Principatum, talemque Monarchiam obtinuiſſe putemus, qualis cadere in miniſtrum, & diſpenſatorem poſſit. At Paulus quoque Coryphæus (2), & Princeps vocatur Apoſtolorum. Quid ſi etiam Jacobus, ejuſque frater Johannes? Aſſentior. Sed eſt hoc totum diſſimile. Ac de Paulo quidem mox videro: nunc de Jacobo, atque Johanne, verum breviter. Igitur (3) hos item, etſi perraro, atque a paucis, Coryphæos tamen vocatos fuiſſe invenio; petram autem, in qua ſit fundata Eccleſia, aut centrum unitatis, aut caput Apoſtolorum, non item. Contra Petrus & fundamentum (4) & caput, & Princeps, & primus Princeps, & petra, (5) cum ſæpe, tum a multis eſt appellatus; quod certe non vocationis, & amoris præcipui ſolum, ſed etiam juriſdictionis, ac poteſtatis eſt argumentum. Quemadmodum enim, non dicam conſtitui, ſed fingi petra, & caput, & pri-

1 Confer quæ ſcripſimus *pag.* 16. *hujus vol.* Vide etiam Michaelis Lequienii O. P. opus inſcriptum: „ Stephani de Altimura Ponticenſis Panoplia contra Schiſma Græcorum „. *Proluſion. de Eccleſiis Catholicis & Roman. appellatione* §. xxvi *p.* 20. *ſeq. edit. Pariſ. ann.* 1718.

2 Spalatenſis Apoſtata *loc indic.*

3 Ac Marcus Antonius Spalatenſis Apoſtata tres tantum laudat, a quibus Jacobus, & Johannes una cum Petro aut πρῶτοι τῶν ἀποστόλων *primi Apoſtolorum* (Confer Chryſoſt. *in epiſt. ad Galat. cap.* 1. *num.* 1 *tom.* x. *opp. edit. Monach. s. Mauri curata a Montfaucono pag.* 658.) aut *honoratiores in Apoſtolis* (Vide Auguſtinum *in cap.* II. *epiſt. ad Galat. num.* XIII. *pag.* 690. *tom* IV. *opp. edit. Antuerp. Monach. s. Mauri a Johanne Clerico curata an.* 1700.) aut *Coryphæi* (Conſule Victorem Antiochenum, qui poſt Chryſoſtomum vixit, *in cap.* 12. *Evang. Marci tom.* IV. *Bibliothecæ Patrum edit. Lugdunen. an.* 1677. *pag.* 390.) appellantur.

4 Vide quæ ſcripſimus ſupra *pag.* 133. *ſeqq.*

5 Ut mittam ceteros, de quibus ſupra demonſtratum eſt, Gregorius Nazianzenus *orat.* xxvi. *pag.* 453. *tom.* 1. *opp. edit. an.* 1690. „ Vides, *inquit*, quemadmodum ex „ Chriſti diſcipulis, magnis utique omnibus, & excelſis, atque electione dignis ὁ μὲν „ πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται *hic* (ſcilicet Petrus) „ *quidem petra vocetur, & in fidem recipiat Eccleſiæ fundamenta*, ille impenſius ametur (nempe Johannes) & ſupra pectus Chriſti requieſcat, ac reliqui diſcipuli eos ſibi „ præferri æquo animo ferant „. En ut Petrum petram eſſe, inque fidem apoſtolos reliquos recipere, adeoque eis præponi, Gregorius Nazianzenus confiteatur.

primus princeps, & unitatis Ecclesiasticæ centrum carens dignitate, potestate, jurisque dictione potest?

Jam de Ambrosii (1), atque Augustini (2) locis, quibus Spalatensis (3) abutitur, exposui supra quid sentiam. Itaque omittendos existimo, ne actum agam. Primatum vero ante confessionem obtinuisse in Apostolorum Collegio Petrum, numquam concedam. Manente namque in terris Christo, designatus quidem Petrus, ut ante docuimus, fuit; constitutus autem primas non fuit. Itaque primo loco numerari solebat, quod designatus, non quod constitutus caput atque primas esset. Præcipuæ autem virtutis, qua valeret, caussa, fuisse Petrum principem appellatum neque Chrysostomus (4) dixit, neque ipse in animum inducam, ut credam. Ejus namque virtutis caussa præstantior ceteris Apostolis censeri Petrus fortasse poterat; petra autem, & fundamentum, & caput, & pastor appellari non poterat. Ex qua re intelligitur, quam falsum sit, noluisse Christum, ut quisquam principatu in Apostolorum collegio potiretur. Quemadmodum enim principem Apostolorum Chrysostomus vocasset eum, cui negatum a Christo principatum nosset? Redeo ad Johannem, & Jacobum. Hos quod acceptiores Christo fuerint propter virtutem, nominatos nonnunquam a Patribus coryphæos fuisse, facile patior. Nam Princeps is etiam dici potest, qui aliqua ratione ceteros antecedit. Quare Cicero & sui temporis Philosophorum Cratippum,

1 Confer, quæ scripsi supra *p. 174. not. 1. seq. hujus vol.* Vide etiam Coeffetau *ibid. discuss. lib. 1. cap. v. pag. 78. seq.* qui priore loco fuisse ante memoratam confessionem numeratum ab Evangelistis Petrum, ostendit, quia tunc, cum scribebant, Petrus principatum in universa Ecclesia exercebat, nam in cælum jam Christus ascenderat; aut quia jam usque ab eo tempore, quo venit ad Christum Petrus, vocatus fuit ab eo Cephas, seu Petrus, designatusque proinde princeps Apostolorum, additque: „ Cum igitur hæc de mu„ tando nomine pollicitatio velut quædam prolusio esset ad futurum primatum Petri, quam „ jam animo concepisset, ac destinasset Christus, merito Evangelista primum inter Apo„ stolos recensuit &c.„ Atque hoc modo intelligi nos quoque volumus, quæ animadvertimus supra *pag. 174. seq. hujus vol.* cum Ambrosii locum interpretaremur.

2 Vide *pag. 191. hujus vol. not. 1.*

3 Spalat. *ibid.* §. 1 v. *pag.* 37.

4 Non enim appellatum principem, aut priore loco numeratum solum, sed etiam constitutum a Christo administratorem, principemque dixit. Vide, quæ supra disputavimus *pag. 94. seqq. pag. 131. not. 3. & pag. 137. not. 5.*

tippum, & in ſtudiis doctrinæ Demetrium principem appellavit. Quod ſi Patres principem ſolum, idque perraro, ut Johannem, atque Jacobum, ita etiam appellaſſent Petrum, movere nos ſcilicet, conturbareque, prolatis Chryſoſtomi, Victoris, & Auguſtini locis, Spalatenſis poſſet. Sed cum Chryſoſtomus, Auguſtinus, Victor, omnium denique ſeculorum Orthodoxi ſcriptores, ut ſæpe alias dixi, omnes ad unum, idque multoties & primum principem, & caput, & petram, & fundamentum, & paſtorem appellarint Petrum; Johannem vero, atque Jacobum non appellarint: qui nobis a Spalatenſi Patrum loci objiciuntur, tantum abeſt ut nos ab ſententia deterreant, ut in ea potius confirmare videantur. Quæ autem Apoſtata de Petro ætate ceteris Apoſtolis provectiore, ideoque principe appellato, turbat, quoniam confutata alio loco ſunt, (1) nihil moror. Eamdemque ob cauſſam, quæ mox addit de Chriſti Servatoris verbis: *tu es* (2) *Petrus &c.* omittenda puto. Quo namque modo explicata a Majoribus noſtris fuerint, ſatis eſt a nobis diligenter, ut arbitror, demonſtratum. Non ſum neſcius, fuiſſe aliquos, qui locum ex Evangelio Johannis: *Paſce oves meas*, ſecus interdum, atque a nobis fieri ſoleat, interpretarentur. Sed hi eo ipſo loco demonſtrari præcipuam & dignitatem, & auctoritatem Petri, non ſolum non negarunt, ſed etiam oſtendi, efficique poſſe, judicarunt. De clavibus hoc breve dico: traditas quidem earum omnibus Apoſtolis fuiſſe poteſtatem a Chriſto, ſed non parem (3). Atque injuria Spalatenſis ſui erroris teſtes Cyprianum,

1 Confer *pag.* 93. *not.* 2. Quod ſi Johannes Chryſoſtomus Petrum & *primum vocatum* (Vide ſupra *p.* 94.) & primogenitum (Vide *p.* 131. *not.* 3.) vocavit, non dixit tamen ante Andream primum fuiſſe Petrum, qui Chriſtum ſequeretur, neque ſignificavit, Petrum non fuiſſe conſtitutum petram, & principem, & caput Apoſtolorum a Chriſto, cum ſint ejus de præcipua auctoritate Petri luculentiſſima teſtimonia. Vide Coeffetau *l. c. pag.* 83. *ſeqq.*

2 Spalat. *ibidem capit.* VI. *pagin.* 43. *ſeqq.* Conſule Coeffetau *diſcuſſ. capit.* VI. *lib.* I. *pag.* 97. *ſeqq.*

3 Recte eruditiſſimus Præſul Nicolaus Coeffetau Ord. Præd. *loc. citat. diſcuſſ. cap.* VII. *pag.* 146. „ Fatemur, *inquit*, ligandi ſolvendique pleniſſimam poteſtatem Apoſtolis quo- „ que fuiſſe conceſſam, ac commiſſam; ſed pari auctoritate fuiſſe cum Petro, negamus. Ne- „ que vero umquam probaverit, cuique eorum dictum, quod uni Petro dictum docet Evange- „ lium;

num, Hilarium, Gaudentium, Ambrosium (1), atque Augustinum (2) vocat. Neque ii nos sumus, qui ob dictum Ser-

„ sium: *tibi dabo claves regni cælorum*. Vertat se in omne latus, omnem moveat lapi-„ dem, nihil simile invenerit, adeoque frustra fuerit in eorum cum Petro æqualitate „ constituenda. Præclare certe Ambrosius: *potestatem remittendorum peccatorum Petri* „ *hæreditatem* (*lib.* 1. *de Pœnit. cap.* VII. *pag.* 505. *tom.* III. *opp. edit. Venet. Monach. S. Mauri an.* 1751.) vocat. Itaque nostra sententia est, speciali quadam, ac privata ra-„ tione promitti Petro procurationem clavium, haud solum cum amplitudine potestatis „ ligandi, atque solvendi, hoc enim & ad Apostolos spectat, sed etiam cum titulo, ac „ dignitate capitis, ut quædam ejus imperii vis etiam in reliquos Apostolos transfundatur; „ sed quam nonnisi ordine quodam, ac relatione ad Petrum unitatis Ecclesiasticæ fontem a „ Christo constitutum nanciscantur „. Confer etiam, quæ mox ibidem addit e Patribus Coeffetau, & quæ nos supra descripsimus Tertulliani *p.* 64. *seq.* Cypriani *pag.* 134. & aliorum Patrum *pag.* 134. *seqq. hujus vol.* testimonia.

1 Vide, horum Patrum, quos supra descripsimus, locos *pag.* 134. *seqq.*

2 Consule locos Tertulliani, quos descripsi *pag.* 64. *seq. hujus volum.* quibus quidem in locis, etsi hæresim tuetur Montanistarum, Petro tamen *potestatem clavium fuisse emancipatam* scribit; *& pag.* 133. *not.* 1. ubi: Petrum *claves regni cælorum consequutum* fuisse testatur: Origenis *tom.* XIII. (*non* XIV. ut errore Typographi supra *pag.* 134. *hujus vol. not.* 1. legitur) Tomo inquam XIII. in Matthæum *pag.* 70. *num.* XXXI. ubi: „ Quo-„ niam, *inquit*, præ iis, qui ter arguerunt, peculiare aliquid Petro, & qui ter fratres „ arguerunt, commune aliquid dictum sit, privatim illud Petro attributum est: *Dabo* „ *tibi claves regni cælorum*, priusquam illud: *quæcumque alligaveritis super terram &c.* „ At sane si ad Evangelica scripta animum diligenter appellamus, ibi magnum invenie-„ mus discrimen, & excellentiam eorum, quæ Petro, præ iis, quæ aliis dicta sunt, etiam „ in iis rebus, quæ Petrum inter, eosque, qui ter fratres objurgaverunt, communes esse „ videntur. Nec enim exigua differentia est, claves non unius cæli Petrum, sed pluri-„ morum accepisse, & quæcumque super terram alligaverit, non in uno cælo, sed in om-„ nibus ligata esse, quæ pluribus aliis, qui super terram & alligant, & solvunt, ita ut hæc „ alligata, & soluta sint, non in cælis, sicut Petro concessum est, sed in uno cælo „. Cypriani item, quos supra protulimus *pag.* 134. *not.* 1. Idem Cyprianus *lib. de Unitate Eccles. pag.* 106. *edit. Oxon. an.* 1682. „ Loquitur, *inquit*, Dominus ad Petrum: *ego* „ *tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, &* „ *portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quæ liga-* „ *veris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solveris super terram,* „ *erunt soluta in cælis*. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas* „ Super unum ædificat Ecclesiam suam, & quamvis Apostolis omnibus parem potestatem „ tribuat, & dicat: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum,* „ *si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur*, tamen ut „ unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate di-„ sposuit „. Quo ex loco cognosci facile potest, Cyprianum, qui pari honore Apostolatus ornatos omnes fuisse Apostolos defendit, nihilo secius affirmare, manere se in priore sententia, ut super unum Petrum ædificatam fuisse Ecclesiam, Petroque fuisse claves datas, creditamque *curam* pascendi gregis arbitraretur, quod ille constitutus caput, centrumque Ecclesiasticæ unitatis esset. Vide etiam testimonia Firmiliani, & Eusebii Cæsariensis *pag.* 134. *hujus vol. not.* 1. Hilarii *ibid. pag.* 135. *not.* 1. Gregorii Nazianzeni, Basilii *pag.* 136. *seq. not.* 2. *& pag.* 197. *not.* 6. Cyrilli Hierosolymitani *Catech.* XIV. *num.* XXVI. *pag.* 218. *edit. opp. Parisiensis ann.* 1720. Gregorii Nysseni *de Castigatione tom.* II. *opp. edit. Paris. an.* 1615. *pag.* 746. „ Nihil, *inquit*, falsi, aut mendacii scriptum „ est in Evangeliis, neque Christi prædicatio exitum fallacem habet. διὰ πέτρου ἔδωκε „ τοῖς ἐπισκόποις τὴν κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων τιμῶν. *Per Petrum dedit Episcopis clavem*

„ *cæle-*

Servatoris Christi: *pasce* (1) *oves meas*, unum Petrum fuisse Pastorem creatum arbitremur. Pastorum quippe nomen in Apostolos, inque eorum successores Episcopos cadere commode posse, quis neget? Sed gradus quosdam esse constituendos pastorum, ita ut horum alii aliis sint excellentiores & honore, & potestate, confitendum est. Alioqui ne Christus quidem, qui sese in Evangelio pastorem (2) vocat, suis esset Apostolis, discipulisque præstantior. Quo quid dici potest obtusius? Cum igitur Christus & ovium, & agnorum pascendorum tribuerit potestatem Petro, ac pro eo oraverit, ut non deficeret (3) ejus fides, & is aliquando conversus suos confirmaret fratres, idque nulli alteri Apostolorum concesserit; argumento est, eorum, qui posteaquam in cælum Christus ascendit, functi pastorum officio sunt, principem, qui sub aspectum caderet, pastoremque fuisse Pe-

„ *cælestium honorum* „. Epiphanii, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Ambrosia- „ stri, Optati, Leonis, cæterorumque Patrum, quorum verba descripsimus supra *p.* 137. *seqq.* Confer quæ disputat Coeffetau *Discuss. cap.* VII. *lib.* I. *pag.* 152. *seqq.*

1 Vide locum Cypriani *notat. superiore*, & Ambrosii *p.* 175 *not.* 2. *hujus vol* Johannes Chrysostomus *Homil.* LXXXVIII. *in Evang. Johann. cap.* XXI. *v.* 15. *num.* 1. *pag.* 525. *tom.* VIII. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri*. „ Et cur aliis prætermissis, de his hunc „ alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os discipulorum, & cœtus illius caput. Ideo „ Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul ostendens, ei oportere deinceps fidere, qua- „ si abolita negatione, fratrum ei præfecturam committit, neque negationem commemo- „ rat, vel exprobrat. λέγει δὲ, ὅτι εἰ φιλεῖς με, προΐστασο τῶν ἀδελφῶν. *Dicit autem*, „ *si amas me, fratrum præfecturam suscipe* „. Sexcenta ejusmodi Patrum dicta proferre licet. Sed his nos erimus, brevitatis caussa, contenti.

2 *Evang. Johan. cap.* X. *v.* 14.

3 s. Leo *serm.* III. *cap.* III. *pag.* 10. *tom.* I. *opp. edit. Rom. Cacciari Ord. Carmelit. viri clarissimi*, & *amici mei an.* 1753. „ Instante, *inquit*, passione sua Dominus, quæ „ discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni inquit (*Luc. cap.* XXII. *v.* 23.) *Si-* „ *mon ecce Satan expostulavit vos, ut cerneret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te,* „ *ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Commu- „ ne erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & divinæ protectionis „ auxilio pariter indigebant, . . . & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & „ pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens „ principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita „ ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apo- „ stolis conferatur „. Johannes Chrysostomus *Homilia* III. *in Acta Apostolorum num.* 3. *pag.* 26. *tom.* IX. *opp.* „ *Primus* (Petrus) *auctoritatem habet in negotio* πρῶτος τοῦ πράγ- „ ματος αὐθεντεῖ *aut cui omnes commissi fuissent* ἅτε αὐτὸς πάντας ἐγχειρισθεὶς. Huic „ enim Christus dixerat, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos* „. Hunc Chrysostomi locum aut non vidit, aut consulto prætermisit Launojus *Epist.* V. *lib.* V. *ad Jacobum Bevilaquam pag.* 74. *tom.* V. *p.* II. *opp. edit. Colon. Allobrog. an.* 1731. Confer veterum testimonia, quæ collegit Josephus Augustinus Orsius *lib.* IV. *de Auctoritat. Rom. Pont. cap.* III. *pag.* 364. *seqq. tom.* II.

ſe Petrum. Quod ſi Baſilius (1), Auguſtinus, Ambroſius, Gregorius, aliorum Apoſtolorum nomine, accepiſſe Petrum paſcendarum ovium auctoritatem ſcripſerunt, non eo ſane ſcripſerunt, quo de gradu principis paſtorum eum eſſe dejiciendum, ſed quo ab ipſo Petro principe in alios eam poteſtatem manaſſe, arbitrarentur.

Neque vero quidquam eſt cauſſæ (2), quamobrem Chriſti verborum, quæ ſcripta in Evangelio Johannis leguntur, (3) ſeſe præſidio munitum putet. Quemadmodum enim τὸ *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, efficere non poteſt, ut parem Chriſti, Apoſtolorumque fuiſſe arbitremur aut honorem, aut poteſtatem, ita ne illud quidem poteſt, ut omnes Apoſtolos omni genere dignitatis, auctoritatiſque æquales fuiſſe confiteamur. Nam τοῦ καθὼς, hoc eſt τοῦ *ſicut* non tam eſt preſſa, tamque anguſta ſignificatio, ut nihil impar, nihilque inæquale, eodem etiam in genere, pati poſſit. Itaque etſi τὸ καθὼς, quod quidem poſſum, & vero debeo, concedam; manebit nihilo ſecius Patri præcipua in Apoſtolorum

1 Baſilius *Conſt. Monaſt. cap.* XXII. *num.* V. *pag.* 573. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Garnerii Monachi Congreg. S. Mauri*. „ Hoc ab ipſo Chriſto edocemur, qui poſt ſe Petrum „ Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituit. *Petre enim*, inquit, *diligis me plus his? paſce oves* „ *meas*. Atque etiam omnibus futuris paſtoribus, ac magiſtris eamdem poteſtatem tribuit. „ Et hujus rei argumentum eſt, quod omnes perinde, atque ille ligant, & ſolvant „. Mirum ni Spalatenſis Abbates Monachorum, de quibus eo in loco agit Baſilius, æquare non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Apoſtolus, & Petrum ipſum auctoritate, dignitateque, opponat. Igitur Baſilius eamdem poteſtatem tribui omnibus paſtoribus, dicit, ſed ita, ut alios majore, minore alios excelluiſſe, eamque poſt Chriſtum fuiſſe in Petro præcipuam arbitretur. Confer quæ ſcripſi ſupra *pagin.* 136. *not.* a. *hujus voluminis*. Jam plus millies dixi, quæ fuerit Auguſtini de Petro ſententia, impriniſque *pag.* 139. *ſeq. hujus vol.* & *pag.* 169. Quamobrem non eſt neceſſe, ut rurſum, quæ Spalatenſis *ex Enarrat. in Pſ.* LXXX. & *tract.* XLVI. & XLVII. *in Joh. ex Homil. ſeu ſerm. ſeu libro de Paſtoribus*, e *ſermon.* L. *de verb. Domini*, e *ſerm.* XXIV. *de ſanctis*, objicit, eſſe iterum explicanda putem. Quod ipſum etiam eſt de Ambroſio dicendum, quamquam non Ambroſii, ſed alterius cujuſquam eſt opuſculum de *Sacerdotum dignitate*, cujus caput ſecundum nobis eſt objectum a Spalatenſi. Neque mihi negotium exhibet, quod ex LXXXVII. Homilia Johannis Chryſoſtomi in Johan. Evang. opponit, cum, quæ fuerit Chryſoſtomi ejuſdem de Petro in eadem Homilia ſententia paulo ante p. 101. animadverterim. Ac nihilo gravius eſt, quod affert ex Gregorii *l.* I. *Indict.* IX. *ep.* XXIV. Confer *p.* 144. *not.* 3. *h. vol.* Vide quæ egregie a Coeffetau diſputantur *cap.* VIII. *lib.* I. *pag.* 169. *Monarch. Eccleſ. Catholica adverſus Remp. Marci Antonii de Dominis edit. Pariſ. an.* 1623.

2 *Spalat. ibid. cap.* VIII. §. V. *pag.* 87.

3 *Johann. Evang. cap.* XX. *v.* 21. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*.

rum collegio & pastoris,& capitis,& primi principis (1)auctoritas. Longe autem est levius,quod ex eo etiam Evangelii loco(2):*Euntes docete &c.* concludere se posse Spalatensis sperat.Non enim intelligo,cur esse eos,qui docent,pares honore, ac dignitate (3) oporteat.Estque generis ejusdem quod e Cælestini, atque Chrysostomi sententia consequens (4) esse defendit. Illi namque, Apostolos pastores, atque Pontifices fuisse, statuunt; pares autem omni auctoritate, (5) digni-

 tate-

1 Recte Coeffetau *ibid. cap.* VIII. *pag.* 174. *seq.* ,, Impiam, *inquit*, sententiam habes (Spalatensis interpretatio) quæ nimirum decus, & ornamentum dignitatis Petri, ac magnificentiam Christi sua parsimonia imminuat, & Christum ipsum simplicitati Petri illudentem induent. Ad quid enim, ut dicebamus, tot illæ ceremoniæ? Quorsum repetitæ de amore, quo se prosequeretur, interrogationes? Quorsum tam magna pompa injunctum pascendarum ovium munus, si præ ceteris nil est ei tributum? Quam melius, & sapientius Chrysostomus *Homil.* LXXXVII. *in Johan* (*nunc* LXXXVIII. *n.* 2. *pag.* 527. *t.* VIII. *opp. edit. Paris. Monach. Congregat. S. Mauri.* ἐπεὶ σὺν μεγάλα αὐτῷ προεῖπε, καὶ τὴν οἰκουμένην ἐνεχείρισε, καὶ τὸ μαρτύριον προανεφώνησε, καὶ ἀγάπην ἐμαρτύρησε πλείονα τῶν ἄλλων, βουλόμενος καὶ τοῦτον λαβεῖν κοινωνὸν φησιν: οὗτος δὲ τί; *Quia ergo magna ipsi* (Petro) *prædixerat*, *Orbem commiserat*, *martyrium prænunciarat*, *majorem*, *quam ceterorum*, *amorem ejus indicaverat*, *volens Petrus hunc* (Johannem) *consortem habere*, *dixit*: *hic autem quid?* Itaque magna erant, quæ sibi tributa cognosceret Petrus, & horum quidem collegam, & socium habere cupiebat Johannem ... Non igitur, sententia Chrysostomi, par Iohannes Petro, & tamen in eorum quoque numero erat Iohannes, quibus dixerat Christus: *sicut misit me Pater*, *& ego mitto vos*,,. Confer, quæ idem Coeffetau persequitur *ibid. pag.* 275. *seqq.*

2 *Matth. cap.* XXVIII. *v.* 19. *Euntes docete omnes gentes &c.*

3 Coeffetau *ibid. pag.* 275. ,, Chrysostomi sententia, est Petri amplificata a Christo dignitas, cum ei dictum est, *pasce oves meas*, *pasce agnos meos*, ac eximiæ dignitatis ei supra Apostolatum facta est accessio. Tergiversatur Spalatensis, & urget hunc ipsum sanctissimum Patrem de Apostolis dixisse: *Cum essent orbis terrarum curam suscepturi*, *simul amplius esse*, *non oportebat*. Respondeo primum ea verba *collective*, ut locus ostendit, non *distributive* accipienda esse. Intelligis adversarius, qua velim. Erant non singuli totius orbis curam suscepturi, quamquam non negaverim ad eos quoque extraordinario jure hoc munus pertinuisse, sed, sortitione facta, erat quisque eorum in aliquam orbis terræ partem se daturus, ut scilicet *in omnem terram exiret sonus eorum &c.* Deinde loquitur Chrysostomus de munere prædicationis, censetque totum orbem subjectum Apostolis promulgandi Evangelii respectu, quod nimirum illis dictum sit: *euntes docete &c.* At de regimine ordinario, quo Ecclesiam suam informasset Christus, non loquitur. Ad eamdem prædicationis vim respectans, dixit de Paulo magnus Pater illum gubernasse τὴν οἰκουμένην ἅπασαν totum universum (*serm.* II. *de laud. Paul.*) .... Idem sanctissimus Pater (*Orat.* VI. *contra Iudæos*) Timotheo *orbem terrarum commissum pronunciat*, *scilicet ex officio caritatis*, non ratione *potestatis*, *aut auctoritatis*, quam in totum orbem esset consecutus ... Hinc scilicet Apostolos amplissima potestate ornavit Christus, sed ea, quod extra ordinem esset concessa, una cum illis interiit, ac finem invenit, parte tantum ejus, ut explicabitur, ad Episcopos derivata. Petri vero auctoritas, quod ex ordine esset, ut fulciendæ unitati non minus insecuturis seculis, quam prioribus, necessaria foret, ad finem usque seculi est duratura.

4 Spalat. *ibid.* §. IV. *seq. pag.* 86. *seq.*

5 S. Cælestinus I. P. M. *Epistola ad Concilium Ephesinum tom.* 1. *Concil. edit. Hard.*

Concil.

tateque, non item. Quod addit: Petrum a Christo fortasse ovium domus Israel, quæ perierant, non vero omnium Christianorum constitutum fuisse pastorem (1), commenticium est, discrepatque a communi dogmate (2) Catholicarum Ecclesiarum. Falsum etiam illud est, quod paullo post adjungit, pati se illos non posse, qui Petro ceteros Apostolos (3) ut oves fuisse commendatos arbitrarentur. Quid enim caussæ est, cur principi Apostolorum fuisse curam Apostolorum demandatam negem? Neque vero, quia docendi a fratre Apostoli non erant, ut qui accepissent doctrinam, atque disciplinam a Christo; idcirco (ut unitatis & caput, & centrum) colere Petrum, cumque eo conjuncti perpetuo manere, ac, ni mansissent, quod factum a confirmatis in gratia numquam fuisset, coerceri, redireque ad officium non (4) debebant. Redargutum porro a Paulo fuisse Petrum, facile patior. Verum cujusmodi hæc reprehensio fuerit, satis constat. Ad rem namque, ut supra est demonstratum (5), non pertinet. Mitto, quæ profert Augustini verba de Apostolis (6), qui pastores, & oves; pasto-

Concil. Eph. Act. II. *pag.* 1467. „ Hæc ad omnes in communi Domini Sacerdotes mandatæ „ prædicationis cura pervenit: hæreditario in hanc sollicitudinem jure constringimur „ quicumque per diversa terrarum, eorum vice, nomen Domini prædicamus, dum illis „ dicitur: *Ite, docete omnes gentes*. Advertere debet vestra fraternitas, quia accepi- „ mus generale mandatum. Omnes etiam nos id agere voluit, qui illis sic omnibus in com- „ mune mandavit officium. Necesse est, ut competenter nostros sequamur auctores „. Hæc de Cælestini verbis Spalatensis affert, cujus quidem Spalatensis, si vera est, atque recta argumentandi ratio, hoc efficiet: esse Episcopos Apostolis omni jure, ac potestate pastorali pares, propterea quod ab Cælestino cum Apostolis comparentur. At non hoc uno Cælestini loco contentus esse debebat. Sunt enim ejus Pontificis, Synodique, ad quam scribit, perspicua de Petri in Apostolorum collegio principatu, præclaraque testimonia, quæ vide supra *pag.* 140. *not.* c. & 2. Confer etiam, quæ scribit Coeffetau *ibid. pag.* 174. De Chrysostomo paullo ante diximus. Consule *pag.* 94. *seqq. hujus voluminis*, & *pagin.* 137.

1 Spalat. *ibid.* §. v. *pag.* 87.

2 Atque ad eum errorem refellendum satis erunt testimonia Patrum, quæ idem protulit §. II. pag. 85.

3 Spalat. §. VI. *pag.* 87. Confer Coeffetau *loc. indic. pag.* 176. & quæ nos supra ex Optati libris descripsimus *pag.* 139. *not.* 2.

4 Consule Coeffetau *ibid.* & Natalem Alexandrum *dissert.* IV. *sec.* I. *pag.* 90. *tom.* III. *Hist. Eccl. edit. Luc. an.* 1749.

5 *Pag.* 115. *seq.* & *pag.* 99. *seqq.*

6 *E serm.* 2. *de Verbis Domini*, (*nunc serm.* CXXXVIII. *cap.* IV. & V. *pag.* 468. *edit. an.* 1700. *tom.* V.) At in hoc etiam sermone singulare quidpiam tribuere videtur Augustinus Petro. Hunc enim priore loco, *alios* deinde *confuse* commemorat. Similia habet *lib. de Pastoribus*, *seu serm.* XLVI. *cap.* XIII. *pag.* 268.

paſtores quidem aliorum Chriſtianorum, oves autem Chriſti eſſent. Id enim non impedit, quo minus, qui præcipuus Chriſti in terris miniſter, & princeps Apoſtolorum conſtitutus fuit, idem Chriſti ipſius nomine Apoſtolis, ut caput, centrumque unitatis, præeſſet.

Eſt autem illud certiſſimum, Petro fuiſſe paſcendarum ovium poteſtatem datam, etſi Apoſtoli omnes conſtituti eſſent paſtores Eccleſiarum. Sed rationes ejus rei, cauſſæque, quas Spalatenſis (1) adducit, neque ſolæ ſunt, neque ita ab eo explicatæ, ut Patres, quibus ſe patronis gloriari dicit, voluerunt. Non enim *vinculum Collegii Apoſtolici* Hieronymus, & Optatus (2) ſolum, neque ſolum *figuram Eccleſiæ, paſtorumque* (3) Ambroſius, atque Auguſtinus, neque ſolum paſtorem ovium, quæ perierant, domus Iſrael, Cyprianus vocavit Petrum (4), neque ſolum *trinam Petri negationem trina Chriſti promiſſione delendam* Nazianzenus (5), Chryſoſtomus, Auguſtinus (6) Cyrilluſque Alexandrinus dixerunt; neque ſolum ob provectiorem ætatem ſingularem Petrum obtinuiſſe adminiſtrandæ Eccleſiæ, oviumque paſcendarum curam, Leo (7), & Nicolaus Pontifices putaverunt; verumetiam perplura alia decora addiderunt, ex quibus præcipuam & dignitatem, & poteſtatem fuiſſe eidem Apoſtolo a Chriſto conceſſam, intelligeretur. Quod Spalatenſis ſcribit (8), nihil ſe diſtinctiones Catholicorum mora-

1 Spalat. *ibid.* §. VIII. *pag.* 89.

2 Confer quæ ſupra deſcripſimus ex Optati libris *pag.* 139. *not.* 2. & Hieronymi *p.* 138. *not.* 3. *hujus volum.*

3 Vide Ambroſii teſtimonia ſupra *pag.* 138. *not.* 1. & Auguſtini *pag.* 139. *not.* 2. & *pag.* 191. *hujus vol.*

4 Confer Cypriani locos ſupra deſcriptos *pag.* 134. *hujus vol. not.* 1.

5 Conſule Nazianzeni teſtimonium *pag.* 197. *hujus vol. not.* 5. & Chryſoſtomi locos *pag.* 92. *ſeqq.* & *pag.* 137. *not.* 3.

6 Vide Cyrilli Alexandrini, & Auguſtini locos ſupra deſcriptos *pag.* 119. *ſeqq.* & *p.* 191. *hujus volum.*

7 De Leone conſulenda quæ ſcripſimus *pag.* 141. *hujus volum. not.* 2.

8 Spalat. §. XIV. *pag.* 93. Sed non animadvertit, diſtinctiones ejuſmodi adhibendas eſſe, quod ita loci Patrum poſtulent. Quis enim tam eſt inſanus, ut invidiam creare Patribus audeat, defendatque explicari eorum teſtimonia nullo modo poſſe, fuiſſeque loquutos pugnantia? Siquas ergo diſtinctiones noſtri adhibuerunt, eæ quidem ointæ iis ſanctorum Patrum locis ſunt, in quibus Petrum ceterorum Apoſtolorum caput, principemque fuiſſe, ut ſupra demonſtratum eſt, affirmarunt.

morari, inane eſt. Non enim nobis, quid ille moretur; ſed quid Scriptura, Patreſque poſtulent, curæ eſt. Atque hoc illi certe oſtendendum erat, *diſtinctiones*, quibus uti Scriptores Catholici conſueſſent, componi cum Scripturarum, Patrumque verbis nequire. Quod cum aut non fecerit, aut minus candide, recteque fecerit; contemni quidem debet, audiri autem non debet. Nec vero quod variis interdum modis locum aliquem Scripturarum interpretati Patres fuerint, concludendum continuo eſt, eum argumenti loco non eſſe habendum. Cum enim varios ſenſus *admittere* idem locus Scripturarum poteſt, tum unus eorum ſenſum alterum non evertit, quem iidem Patres & conſtanter, & ſæpiſſime dixerint eſſe retinendum. Atque ſi cuiumquam, ei certe loco id competit, quem nobis opponere Spalatenſis non dubitat. Jam de Græcis (1) Origene, Euſebio, Baſilio, Nazianzeno, Epiphanio, Cyrillo, Chryſoſtomo, Damaſceno, deque Latinis Cypriano, Ambroſio, Optato, Hieronymo, Auguſtino, Leone, Gregorio, Beda, quid de Petri principatu ſenſerint, tam eſt multis demonſtratum, ut nihil ſupra deſiderari poſſe videatur. Unus reſtat Bernardus (2), cujus item aptari ſententia decretis Ariſtocraticorum nullo modo poteſt. Nam de Arnobio (3) quid dicam, quem neque auctorem operis in Pſalmos eſſe, neque ſi eſſet, a nobis diſſidere conſtat? Jamvero nihil ſtatuiſſe Patres, quod pugnare cum novi Teſtamenti libris videatur, facile

1 Vide *pag.* 134. *ſeqq. hujus vol.*

2 Hujus præter ceteros inſignis eſt in ſecundo de Conſideratione *libro cap.* VIII. *p.* 422. *vol.* 1. *edit. Pariſ. Monach. Congreg. S. Mauri an.* 1690. locus „ *Paſce oves meas.* „ quas? *inquit*, illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? *Oves* „ *meas*, inquit, cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil „ excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes ceteri condiſcipuli erant, cum „ committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno paſtore, ſecundum illud: *una eſt columba mea, perfecta mea*. Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui „ numeri perfectionem non habent, ſed diviſionem recedentes ab unitate, inde eſt, quod „ alii ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes ſacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, una contentus eſt Hieroſolyma, Petro univerſitatem cedens „. Vide Coeffetau *ibid. pag.* 176.

3 *In Pſ.* CXXXVIII. *pag.* 320. *tom.* VIII. *Biblioth. Patrum edit. Lugdun.* Jam quam parum Arnobium ſibi eſſe conſentientem Spalatenſis confideret, oſtendit *lib.* 1. *cap.* X. *p.* 116. Nam etſi non ſibi valde repugnare ſcribit, tamen parum ſe ejus auctoritate moveri autumat.

facile patior. Primatum autem Petri cum novi Testamenti libris pugnare, id vero vehementer nego. Nam quæ adducit ex Evangeliis (1), exque Actis, Epistolisque Apostolorum, aut ad institutum non spectant, aut si spectant, confirmant ea sane, non tollunt, principatum Petri. Qua deinde fron-

1 Adducit Spalatensis *cap.* xi. *lib.* i. *de Republica* §. 1. & 11. *pag.* 123. locos *ex Evang. Matthæi cap.* xxvii. *v.* 56. quo quidem in loco mater filiorum Zebedæi, quæ e longe staret cum ceteris mulieribus, Christumque cruci adfixum cerneret, memoratur; & ex *cap.* xx. *v.* 20 *seq.* ubi dicitur petiisse eam a Christo, ut alter filiorum suorum ad dexteram Christi, alter ad sinistram sederet, Jesum vero, ad Deum Patrem id pertinere, respondisse: & *ex cap.* xviii. *v.* 1. *seqq.* qui locus sic habet: „ In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, quis putas major est in regno Cælorum. Et advocans Jesus parvulum, statuit „ eum in medio eorum, & dixit: amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini „ sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut „ parvulus iste, hic est major in regno cælorum „. *Et ex Marci cap.* ix. *v.* 34. ubi sic habetur: „ Residens vocavit duodecim, & ait illis: si quis vult primus esse, erit omnium „ novissimus, & omnium minister „. & *c.* x. *v.* 35. quo in loco de Zebedæi filiis, quorum alter ad dexteram, alter ad sinistram Christi sedere cuperet, agitur. Et *v.* 41. *seqq.* quibus quidem versibus hæc continentur: „ Et audientes decem cœperunt indignari de Iacobo, & „ Iohanne. Iesus autem vocans eos, ait illis; scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem „ in vobis; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister, & quicumque vo- „ luerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & Filius hominis non venit, ut „ ministraretur ei, sed ut ministraret „. *Et ex Luca cap.* ix. *v.* 46. ubi hæc leguntur: „ Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset: at Iesus videns cogitationes „ cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se... Nam qui minor est „ inter vos omnes, hic major est „. *Et ex cap.* xx. *v.* 23. quo in versu sic habetur: „ Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est „ autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: reges „ gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: „ vos autem non sic. Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui re- „ cumbit? Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat „. *Ex cap.* vi. *& ex c.* viii. *Act. Apost.* quibus in locis delecti, constitutique septem Diaconi, non ab uno Petro, & Petrus, atque Johannes à collegis missi in Samariam fuisse dicuntur. *Ex cap.* ii. *epist. ad Galatas*, ubi legimus, reprehensum a Paulo fuisse Petrum. Mitto locos ceteros, qui eodem fere pertinent. At quid inde sequatur, quod evertere Petri principatum possit, non video. Fac enim Matrem filiorum Zebedæi, quod Christo ministrasset, petiisse, ut Jacobus, & Johannes in regno, ille ad dexteram, hic ad sinistram Christi sederent, neque quod petierat, impetrasse; an continuo primatus Petri tolletur? Quod si Christus eum, qui primus velit esse, minorem futurum, omnesque, ut ipse faciebat, ministrare aliis oportere, dixit; non propterea efficiet, Petrum principem non esse Apostolorum. Alioqui ne princeps quidem Ecclesiæ Christus esset, qui *venisse* ait se, *non ut sibi ministraretur*, *sed ut ministraret*. Verum quo sensu intelligi hæc scripturæ testimonia debeant, explicatum a nobis est *t.* iv. *hujusce operis p.* 143. *seq.* Neque vero quod septem Diaconi electi ab omnibus fuerint, idcirco sublata, aut imminuta auctoritas Petri fuit. Non enim omnia semper princeps Collegii, sine aliorum consilio, & suffragiis agit. Quod vero Petrus missus ab Apostolis in Samariam dicatur, nihil impedit, quo minus princeps Apostolici Senatus esset. Nonne mitti Senatores a plebe solent, & Herodes misit Magos in Bethleem, in quem nullam obtinebat auctoritatem? Confer Baronium *ad ann.* xxxv. *num.* xi. & quæ nos ostendimus supra *pagin.* 143. *volum.* iv.

de fronte Spalatensis scribit: in ea fuisse Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, aliosque Patres opinione, ut eumdem principatum removendum arbitrarentur? Quorum testimonia tam esse perspicua ostendimus, ut nulla tergiversatione obscurari, implicarique posse videantur. Illud autem perridiculum est, quod paullo post Spalatensis opponit, fuisse a Paulo (1) in litteris ad Corinthios, & ab Ignatio Martyre in Epistola ad Philadelphienses Aristocratiæ mentionem factam. Nempe id ille in sacris monumentis, inque libris vetustissimorum Ecclesiæ Scriptorum videt, quod nemini umquam homini videre licuit. Quod addit de Aristocratia, quæ nonnihil Monarchici, Democraticique contineat, suo arbitratu fingit, multisque a nobis alio in loco confutatum est. Extremum est, ut Lectores *Articulum* Iohannis Hus (2) ab Synodo Constantiensi damnatum cum hæretico Spalatensis dogmate conferant. Statim namque intelligent esse hoc illi tam simile, quam ovum ovo. Vidit hoc quidem Apostata; itaque articulum illum legitime fuisse damnatum negavit. Scilicet hoc restabat, ut Spalatensis transfuga Synodis etiam Oecumenicis adimeret damnandarum hæreseon auctoritatem. Ac de Spalatensi quidem hactenus

Ex iis, quæ hactenus, disputata sunt facile quisque cognoscet; Monarchicam esse oportere regendæ Christianæ reipublicæ rationem. Nam quæ Democratica, (3) & Aristocratica (4) non est, cujusmodi tandem, nisi Monarchica, esse debet? Quæ res eo confirmari magis, constabilirique potest,

1 S. Paulus 1. *ad Corinth. cap.* XII. quosdam quidem Apostolos fuisse datos, scribit. alios autem Pastores, & Doctores. Ignatius vero Epistola ad Philadelphienses *tom.* I. Apostolicor. PP. *p.* 157 *ed. Londin.* Collegium nominat Presbyterorum. At hinc nemo non videt, concludi Aristocratiam Ecclesiasticam non posse. Itaque non est, cur multis esse hac in re Spalatensem confutandum existimem.

2 Johannis Hussi artic. VII. a Synodo Constantiensi an. 1415. damnatus, sic habet *t.* VIII. *Concil. col.* 410. „Petrus non fuit, nec est caput Ecclesiæ Catholicæ „. Hæc nos breviter adversus Spalatensis rempublicam scripsimus. Qui plura volet, consulat Nicolaum Coeffetau *Discuss. cap.* X. *seq. p.* 226. *seqq.* Martinum Becanum Soc. Iesu Theologum *de republ. Eccl. lib.* II. *cap.* I. *seqq. edit. Moguntina an.* 1619. *pag.* 45. *seqq.* Et *Censuram sacræ facult. Paris.* quam refert Abrahamus Bzovius in opere inscripto: *Pontifex Romanus cap.* XXVIII. *pag.* 375. *seqq. tom.* I. *Biblioth. Pontif. Rocaberti edit. Rom. an.* 1698.

3 *A pag.* 17. *hujus vol. ad pag.* 25.

4 *Pag.* 25. *seqq.*

teſt, quo unum omnium maxime (1) delectum a Chriſto fuiſſe liqueat, qui Chriſtianorum caput, atque moderator eſſet. Is enim Monarcha, qualem ſupra deſcripſi, eſt; qui divinitus ſit conſtitutus ſupremus in ſocietate princeps, qui nemini mortalium obnoxius ſit, quique in republica ſummo cum imperio, ac dignitate verſetur. Eſt autem hujuſmodi, qui principatum in univerſa Eccleſia obtinet. Eſt igitur is princeps Monarcha. Non enim Majorum traditione ſolum, ſed etiam Sacrorum novi Teſtamenti Bibliorum auctoritate conſtat (2), Petrum fuiſſe a Chriſto & nomine, & poteſtate dictum, conſtitutumque caput, fundamentum, petram, principem, coryphæum, centrum unitatis, paſtorem denique univerſæ Eccleſiæ (3). Qui autem tanta cum poteſtate creatus a Chriſto petra, caput, paſtor, atque princeps fuit, niſi contra quidquam Chriſtus idem aliquando præſcripſerit, nemini mortalium obnoxius eſſe poteſt. Chriſtus vero nihil contra uſquam præſcripſit. Fit ergo ita, ut jam uſque ab eo tempore, quo principatum in Eccleſia ob-

 tinere

1 Confer *pag.* 89. *ſeqq.*

2 Ludovicus Ellies Dupinius *de Antiqu. Eccl. Diſcipl. Diſſert.* IV. *edit. Pariſ. an.* 1686. *cap.* I. §. 1. *pag.* 304. *ſeqq.* Primatum Petri, etſi ex aliis locis Scripturarum demonſtrari poſſit, ex eo tamen Matthæi loco *c.*16. *Tu es Petrus &c.* demonſtrari nequire defendit, propterea quod ab interpretibus, & ſanctis Patribus variis modis exponatur. Id vero ille acceperat ab Launojo *epiſt.* VII. *ad Guillel. Voellum lib.* V. *pag.* 99. *ſeqq. tom.* V. *p.* II. *edit. an.* 1739. Sed quod eo loco Launojus de Inerrantia, ſive infallibilitate dixit, hoc ad primatum traxit Dupinius. Quamquam Launojus idem, atque Dupinius ſentiat *lib.* II. *epiſt.* V. *pag.* 213. *ſeq. t.* V. *p.* I. Quod autem interpretes interdum fundamentum, petramque Eccleſiæ Chriſtum, Petrique confeſſionem dixerint, non efficit, reprobatam ab eis fuiſſe, quam aliis in locis tradiderant, de Petro Eccleſiæ petra, ac fundamento interpretationem. Quum enim iidem ipſi de Petro etiam eum eſſe locum intelligendum ſumma conſenſione ſtatuerint, quid eſt, quod inde concludere quiſquam *primatum Petri* merito nequeat? *Petrum* vero quemadmodum petram dixiſſent, in eoque fundatam Eccleſiam affirmaſſent, niſi ad indicatum Matthæi locum reſpexiſſent? Confer teſtimonia, quæ ſupra *p.* 133. *ſeqq.* deſcripſi, nempe Tertulliani, Origenis, Cypriani, Firmiliani &c. Quod ſi ea Scripturæ teſtimonia, quæ variis interdum modis explicarunt Patres, ad rem quampiam demonſtrandam afferri non poſſe Dupinius putat, videat ne nullum reperire queat, quod ad plura alia decreta religionis confirmanda adduci poſſe videatur.

3 Hugo Grotius in Annotatis ad conſultationem Caſſandri *art.* VII. *pag.* 617. *tom.* III. *opp. Theologicor. edit. Londin. an.* 1679. „ Bene, *inquit*, Caſſander ad Eccleſiam diſcer-
„ nendam a Schiſmaticis addidit unitatem ex Chriſti ipſius dicto Ioh. XIII. 35. Hæc unitas
„ non animo tantum retinenda eſt, ſed & ſacramentorum communione, quatenus fieri po-
„ teſt. Id vero fieri non poteſt, niſi plebs præpoſitis obſequatur. Eſt enim Eccleſia corpus
„ quoddam, & proinde juncturis quibuſdam compaginatum. *Epheſ.* IV. 16. Hæ juncturæ
„ ſunt

tinere cœpit, nemini mortalium obnoxius Petrus esset. Rursum qui Monarcham Ecclesiæ suæ instituit, is, nisi nullum post ejus Monarchæ interitum sese Monarcham deinceps velle decrerit, *μοναρχικῶς monarchice* semper suam Ecclesiam regi voluit. Atqui Christus ita constituit Monarcham Petrum, ut nusquam nullum se deinceps Monarcham

,, sunt Episcopi in parte minore, in majore Metropolitæ, aut ut in Africa Episcoporum seniores: in parte adhuc majore ἔξαρχοι, sive primates, quales illi Carthagine, & alibi: rursum in majore alii Patriarchæ: & in toto corpore is, qui princeps est Patriarcharum, EPISCOPUS ROMANÆ URBIS: QUÆ OMNIA CONFORMATA SUNT AD EXEMPLAR PRINCIPATUS EJUS, QUEM PATRES INSTITUTO CHRISTI HABUIT IN APOSTOLOS. Unitas enim Antistitis optimum adversus schismata est remedium, quod & Christus monstravit, & comprobavit experientia. Hunc principatus in Episcopo Romano utilitatem ingenue agnovere MELANTHON MULTIS LOCIS, JACOBUS REX BRITANNIÆ, MULTIQUE IN PROTESTANTIBUS VIRI ERUDITI ,,. Idem post addit Grotius *pag.* 618. ,, Principatus in Ecclesiæ partibus minoribus, & majoribus a Deo est. Hos principes Angelos vocat Apocalypsis, quomodo a Malachia vocati fuerant Sacerdotum Hebræorum principes. Quod autem summus ille apex Romæ collocatus est, id venit ex consensu universalis Ecclesiæ honorantis duorum maximorum Apostolorum memoriam, & eorum exemplo edoctæ non esse locum spargendo Evangelio in omnes partes terrarum, & retinendæ compagi magis idoneam ,,. Ita ille quod Instituto Christi concessum Petro fuisse, quodque ad tuendam consociationem populi Christiani necessarium fatetur esse, id non divino jure, sed summa omnium Ecclesiarum consensione attributum Pontifici Romano putat. Itaque quod primum constituit, idem mox evertit, ne cogitans quidem, eos, qui primatum Pontifici concedendum olim testati sunt, ex eadem eumdem ipsum primatum auctoritate manare putasse, ex qua Petri principatus manaverat: quare ut Petrum, ita ejus successores Episcopos urbis Romæ primatum divino jure obtinere in universa Ecclesia. At Grotius, ejusque similes non traditione divina, sed suo arbitratu agere de rebus Theologicis voluisse videntur. Eadem fere Grotius in *Animadversionibus adversus Andream Rivetum hæreticum*, a quo fuerat exagitatus, *art.* VII. *pag.* 641. *tomo eodem* scribit: ,, Sicut exercitus, *inquit*, sicut navis regi non potest, nisi per gradus Præfectorum, qui gradus in unum desinant, ita nec Ecclesia. Etiamsi omnes, qui sunt in Ecclesia essent dilectione summa præditi, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula, sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo. Hic ordo quis esse deberet, monstravit in Petro Christus. Ei enim claves regni cælorum dedit pro toto Collegio, tamquam Collegii principi ,,. Allatis porro Cypriani *ex libro de Ecclesiæ Unitate* verbis, addit: ,, Vides hic primatum, quod nomen in omni collegio aliquam secum fert potestatem. Pulcherrima, quæ Ecclesiam continet, coagmentatio, non ex imperio Romano fluxit, sed Christo monstrante, sequentibus Apostolis ,,. Consultatio Cassandri, quam Grotius illustrare conatus est, *art.* VII. *pag.* 568. *tom. eod. Grotii* sic habet: ,, Quod ad unitatem hujus externæ Ecclesiæ requirunt obedientiam unius summi rectoris, qui Petrum in regenda Christi Ecclesia, & ejus ovibus pascendis successerit, non est a consensu priscæ quoque Ecclesiæ alienum. Certe Ambrosius Damasum sua ætate Episcopum Romanum totius Ecclesiæ Christi rectorem vocat ,,. Profert mox Cassander aliorum Patrum testimonia ad eam rem demonstrandam, deinde hoc potestatis genus Romano Pontifici attributum consensu universalis Ecclesiæ, ac proinde non divino jure, fuisse defendit. Similia persequitur Philippus Melanthonus *in artic. Smalcaldicis pag.* 338. *Et in epistol. ad Joachimum Camerarium prid. nonas Septem. an.* 1530. ut est apud Christianum Kortholtum *in Annotation. ad* VIII. *epist. Leibnitii tom.* I. *pag.* 17. *edit. Lips. an.* 1734. qui in sententia deinceps Melanthonum mansisse negat.

cham velle decreverit. Christus igitur *μοναρχικῶς* suam Ecclesiam perpetuo regi voluit. Hæc cum non omnes Catholici solum, verum etiam Protestantes quidam considerarint; in eam inducti sententiam sunt, ut regendæ reipublicæ Christianæ formam, divina quidem institutione, monarchicam esse arbitrarentur. Sed cum iidem illi, quos memoravi, Protestantes partibus studerent (1) Calvinianorum, (2) aut Lutheranorum; quod inficiari nequiverant, implicare conati sunt. Itaque etsi Monarchiam Ecclesiasticam divino jure niti statuerant, tamen, ne quid forte affirmasse, quod erroris socios læderet, viderentur, genus illud potestatis, quod Romanis Pontificibus jam inde a primis seculis nominis Christiani tributum est, aut ambitione partum, aut arbitrio hominum in Christianorum societatem invectum fuisse dixerunt. Igitur quod dogma, cum generatim de administranda Ecclesia loquerentur, probaverant, idem (ubi ventum ad Pontificem est) aut præjudicata opinione decepti, aut odio in Romanam Sedem incitati, aut metu suorum perterriti, reprobarunt.

1 Vide *not. superior.*

2 Godefridus Guilielmus Leibnitius *epist. ead. octava pag.* 15. „ Quum Deus, *inquit*, „ sit Deus Ordinis, & corpus unius Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ uno regimine, hie- „ rarchiaque universali continendum juris divini sit, consequens est, ut ejusdem sit juris „ supremus in eo spiritualis magistratus terminis se justis continens (hæc verba nunc addo) „ directoria potestate, omniaque necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agen- „ di facultate instructus, tametsi locus ac sedes hujus potestatis in Metropoli Christiani „ Orbis Roma ex humanis considerationibus placuerit „ &c. Verum non intelligo, quemadmodum divini juris cum sit, unus ut in Ecclesia extet, qui summam obtineat potestatem, ea potestas sit jure Ecclesiastico in Pontifice, quem jure tamen divino majores nostri principem esse populi christiani, pastoremque universæ ejusdem Ecclesiæ affirmarunt. Idem fere repetit Leibnitius *epist.* XI. *num.* 1. *pag.* 21. *&* *epist.* XII. *num.* 1. *pag.* 23. Quod hic de Pontifice Romano Leibnitius jactat, simile est eorum, quæ scripsit in *Præfat. Codici juris gentium diplomatico præfixa*, & in libro, quem nomine Cæsarini Fursteneri edidit, inscripsitque *de jure suprematus, ac legationis Principum Germaniæ*, ut *est ibid. pag.* 17. a Kortholto animadversum. Salomon Deylingius *p.* IV. *observ. sacrar. Exercit.* VI. *p.* 420. *edit. Lips. an.* 1747. quæ exercitatio est *de Novitate Regiminis Monarchici in Ecclesia*. „ Mirati sumus, *inquit*, virum illustrem G. G. Leibnitium in eam devenire potuisse opi- „ nionem, regimen Monarchicum in Ecclesia universa juris esse divini, licet Romanæ Se- „ dis prærogativæ humani sint juris „. At Leibnitio consenserant Molanus, ut est ab eodem Leibnitio memoriæ proditum, atque jam conjicere licet, Iohannes Fabricius, ad quem modo indicatæ VIII. XI. & XII. epistolæ scriptæ sunt.

§. III.

Sitne omnino Monarchica, an Monarchica temperata Ariſtocratica; an denique Monarchica admixta Ariſtocraticæ, & Democraticæ, adminiſtrandæ, regendæque Eccleſiæ ratio.

Cum multis ſupra demonſtratum ſit, non Democraticam, neque Ariſtocraticam; ſed Monarchicam eſſe adminiſtrandæ, regendæque Eccleſiæ rationem, ſequitur, ut eos ſcriptores numerem, quorum pars eam Monarchicam omnino eſſe; pars Monarchicam Ariſtocratica temperatam; pars denique Monarchicam Ariſtocraticæ, Democraticæque admixtam cenſet; videamque, quæ ſit earum ſententiarum ad veritatem propenſior. Itaque Robertus Bellarminus (1) in primo de Pontifice Romano libro Monarchiæ Ariſtocratiam, Democratiamque adjungendam ſcripſit, propterea quod hoc genus reipublicæ utilius in hac vita eſſe arbitraretur. Sed Natalis Alexander, (2) iique omnes,

1 *Cap.* III. *pag.* 255. *tom.* I. *opp. edit. Veneta an.* 1721. Huic præter ceteros aſſentitur Jacobus Gretſerus e Soc. item Jeſu Theologus *lib.* I. *Defenſ. controv. Bellarm. de Rom. Pontif. cap.* III. *pag.* 429. *ſeqq. edit. an.* 1609. *tom.* II.

2 *Differt.* IV. *in Hiſt. Eccleſ. ſec.* I. §. II. *pag.* 79. *tom.* III. *edit. Lucenſ. an.* 1749. Iiſdem fere, atque Alexander, utitur verbis Dupinius *de Antiq. Eccl. Diſcipl. Differt.* IV. *cap.* II. §. III. *pag.* 334. *edit. Pariſ. ann.* 1686. Nam Gallos, aliorumque quarumdam gentium Chriſtianarum Theologos, quibus aſſentitur, in ea verſari ſententia ſcribit, ut *Eccleſiam Monarchiam eſſe Ariſtocratico regimine temperatam* putent. Quamquam eſt Dupinii omnis a Richerio profecta opinio. Nam Edmundus Richerius *in libello de Eccleſiaſtica, & politica Poteſtate cap.* I. *pag.* I. *edit. Colon. ann.* 1701. „ Juriſdictio, *inquit*, Eccleſiaſtica primario, ac eſſentialiter Eccleſiæ, Romano autem Pontifici, atque aliis Epiſcopis miniſterialiter tantum, ſicut facultas videndi oculo, convenit „. *Cap. autem* III. *pag.* 21. „ Eccleſia eſt, *inquit*, politia Monarchica ad finem ſupernaturalem ſpiritualem inſtituta, regimine Ariſtocratico, quod omnium optimum, & naturæ convenientiſſimum eſt, temperata a ſummo animarum paſtore Domino noſtro „. *Et cap.* V. *pag.* 27. „ In Eccleſia ſtatus a regimine diſtinguitur: Nam ſtatus Monarchicus eſt, ad unitatem, atque ordinem vindicandum, nec non ad efficacem executionem canonum: regimen vero Ariſtocraticum, propter ſalutare conſilium &c. „. Eodem revolvitur Dupinius, qui loco modo indicato: „ Per Prælatos, *inquit*, jus clavium exercetur, non per ſolum Pontificem, licet primus ſit inter eos, qui jus illud habent. Hinc ajunt, ſtatum Eccleſiæ Monarchicum eſſe, regimen Ariſtocraticum &c. „ In eadem opinione ſunt plures alii, iique imprimis, qui in conſtitutionem Clementis XI. Pont. Max.

omnes, quos est auctores sequutus, omissa Democratia, Monarchiam Ecclesiæ temperatam quadantenus Aristocratia esse existimarunt. Contra Mauclerus, (1) Orsius, (2) aliique permulti, sic esse a Christo institutam Ecclesiam putaverunt, nihil ut ei deesse dicerent, quod ad *veram*, *perfectam*, *propriamque* Monarchiam spectare videretur.

Ac Bellarmini (3) præcipua hæc est ratio: quod utilius in hac

Max. libellos edere non dubitaverunt, quorum aliquos paullo post nominabo. Quare Josephus Languetus Episcopus Suessionen. *in* III.*Pastor. Monit. contra appellantes a Constitutione* Unigenitus *anno* 1718. *die* 18. *Novembris edito*: „ In hoc, *inquit*, argu„ mento versatur media pars libellorum, qui in constitutionem prodiere, neque alio ex fon„ te emanant hujusmodi conscriptiones. Tenet hoc dogma Quesnellus in suis memorialibus „ ..., & ceteri ferme omnes „. Miror autem quid sit, quod auctor *Dissertationis Polemica adversus Richeristas habita in collegio Romano an.* 1752. *p.* 17. *seq.* auctoritatem gubernandi, hoc est potestatem jurisdictionis, quam Richerius ordini solum Hierarchico tribuerit, extensam *a Quesnello ad totum Ecclesia corpus* fuisse scribat. Nam etsi capite secundo *pag.* 3. *immediate, & per se a Christo, claves sive jurisdictionem ordini Hierarchico collatam* dicit; tamen capite primo *jurisdictionem Ecclesiasticam primario, ac essentialiter Ecclesia, Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantum, sicut facultas videndi oculo convenit*. Neque plus *extensa* ab Quesnello Richerii opinio est, quam *extensa* fuerit ab ejusdem Richerii gravissimo, doctissimoque impugnatore Petavio *lib.* III. *de Eccl. Hierarch. cap.* XV. *pag.* 886. *seqq. tom.* III. *Theolog. Dogm. edit. Paris. an.* 1744.

1 Michael Mauclerus *de Monarch. Eccl. part.* II. *lib.* I. *cap.* IV. *pag.* 220. *edit. Paris. an.* 1722. cujus quidem capitis hæc est inscriptio: „ Ecclesiæ Principatum Monarchi„ cum tam quoad statum, quam quoad regimen esse probatur „. Quinetiam Dionysius Petavius, qui etsi Bellarmini, quem tamen non nominat, aliorumque multorum non reprobet de *Regimine* Ecclesiæ Monarchico Aristocratia temperato sententiam, pro una tamen Monarchia pugnat, *l. ind. cap.* XIV. *seqq. pag.* 879. *seqq.*

2 Ioseph Augustinus Orsius vir doctissimus *lib.* VIII. *de auctoritat. Romani Pontificis dissert. qua Ecclesiastica Monarchia forma seu ratio explicatur pag.* 559. *seqq. tom.* II. *part.* II. *edition. Rom. ann.* 1740. Is vero exponit, quo sensu sit locus Bellarmini intelligendus.

3 Bellarminus *loco supra indicato, & capite* V. *ejusdem libri pag.* 32. *edit. Sedanensis an.* 1619. quo loco „ Doctores Catholici, *inquit*, in eo conveniunt omnes, ut regimen „ Ecclesiasticum ... sit illud quidem Monarchicum, sed temperatum, ut supra diximus, ex „ Aristocratia, & Democratia „. Id vero præcipue ostendi a s. Thoma, a Turrecremata, atque a Sandero scribit. Sed de sancto Thoma, atque Turrecremata paullo post videro. Interea Andreas Duvallius, qui Richerium graviter refellit *lib.* I. *de suprema potestate Papa par.* I. *Quæst.* II. *pag.* 428. *tom.* III. *Biblioth. Pontificia Rocaberti* „ Monarchicum „ ergo regimen, *inquit*, omnium optimum est, & excellentissimum, ita tamen, ut ne in „ tyrannidem degeneret, illud Aristocratia conveniat temperari „. Et paullo post: „ Certum est Monarchicum illud regimen esse Aristocratia aliqua temperatum; ita ut non „ solum ab uno moderatore, sed etiam ab optimatibus, nempe Episcopis res Ecclesiæ de„ beant in solidum administrari, idque jure divino, & institutione Christi, qui unamquam„ que potestatem ad Ecclesiæ regimen necessariam instituit, Pontificiam, quæ suprema est; „ Episcopalem, quæ media; presbyteralem quæ infima. Sicut enim Christus dixit Petro „ *Matth. cap.* XVI. *Tibi dabo claves*. *Joh.* XXI. *pasce oves meas*. Ita dixit *Joh.* XX. Apo„ stolis,

in hac vita est, id fuisse probatum Christo constituenti Ecclesiam. Esse autem Monarchiam Aristocratiæ, Democratiæque admixtam in hac vita utiliorem. Monarchiam igitur Aristocratiæ, Democratiæque admixtam fuisse probatam Christo constituenti Ecclesiam. Quamobrem in cœtu Christianorum, quem Antistes Romanus regit, ac moderatur, Episcoporum (qui veri principes, pastoresque, non vicarii Pontificis Maximi sint) Aristocratiam etiam quamdam esse; locumque præterea habere Democratiam, cum nemo ex omni multitudine plebis sit, qui, modo dignus existimetur, creari Episcopus non possit.

Natalis autem Alexander, (1) Bossuetius, (2) Dupinius (3) aliique multi (4) discrepare civilem ab Ecclesiastica Monarchia contendunt. In civili namque Monarcham non esse ordinum, & comitiorum regni membrum, sed dominum; ordinesque auctoritatem ἀμέσως *immediate*, ut vocant, ab rege, non a Christo habere: in Ecclesiastica contra, Synodos œcumenicas obtinere ἀμέσως auctoritatem a Christo, non a Pontifice. Promissum namque Spiritum Sanctum Synodis fuisse, quo dirigente labi, errareque non

„ stolis, qui Episcopos præfigurabant, *sicut misit me Pater*, *&* *ego mitto vos*. *Et Lucæ x. Designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit eos binos ante faciem suam*. His autem LXXII. discipulis succedunt parœci, qui in partem sollicitudinis, & „ regiminis Ecclesiæ pro modulo suo vocantur.

1 Confer Natal. Alex. *dissert.* IV. *in Hist. Eccl. sec.* XV. *&* XVI. *art.* I. §. VI. *pag.* 358. *tom.* IX. *edit. ejusd.*

2 Bossuetius *Declarat. Cleri Gallic. p.* I. *lib.* I. *cap.* XXXI. *p.* 171. *edit. Amstelod. an.* 1745.

3 Dupinius *loco supra indic.* Sed hujus scriptoris de Pontifice Romano Bossuetius non omnino probandam censet sententiam. Nam quum ejus dictis Lutheranus quidam abusus esset, cujus Lutherani scriptum extat *tom.* I. *opp. Posthumorum Bossuetii pag.* 70. ut deinde est abusus Deyllugius *loco supra indicato*, id quidem pati Bossuetius omnino non potuit. Itaque respondit *part.* I. *sentent. de cogit. priv. cap.* XLI. *pag.* 123. *tomo eod. opp. Posthum. edit. Amstel. an.* 1753. „ Quod de Romani Pontificis Primatu minus plene, ac per- „ spicue (Dupinius) scripsit, nec nostri probant, & ipse sive exponit, sive emendat.

4 Confer *not.* 2. *seqq. pag.* 14. *seq. hujus volum. & vol.* IV. *pag.* 262. *seqq. not.* I. *seqq.* Quesnellus cum in lib. inscripto *Vains Efforts &c.* adversus Gaillandum edito, tum in VII. *Memoir. pour servir à l'Exam. de la Constitution* Unigenitus &c. *edit. an.* 1726. *ad Prop.* XC. *pag.* 84. *seqq. Justific. du Droit, & de la Canonicité de l' Appel &c. edition. an.* 1718. §. VII. *pag.* 44. Quesnelliique defensores, ut auctores Hexaplorum *tom.* VI. *part.* XIV. *pag.* 636. *edit. an.* 1721. aliique, quorum sunt libelli pene innumerabiles, Richerii doctrinam tuentur. Mitto de libris dicere, qui his annis paucis editi sunt, eodemque fere revolvuntur. Sed longe aliter sentiunt Duvallius, Mauclerus, Bossuetius *locis supra indicatis*, aliique, quos nunc recensere non vacat.

non poſſint. Quamobrem eos, cum quidquam ſtatuunt, hæc verba uſurpare ſolere: *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. Id vero Monarchiæ Eccleſiaſticæ Ariſtocratia temperatæ argumentum eſſe. Confirmari hæc quidem reſponſione Baſileenſium, qui Oratores Eugenii IV. Pontificis his omnino verbis exceperunt: *Non eſt comparandum corpus Eccleſiæ aliis politicis corporibus civitatum, & univerſitatum, quia in medio hujus corporis eſt Chriſtus, qui ipſum regit, ne erret. Alia autem politica corpora humanis, & variis voluntatibus gubernantur*. Huc Cypriani, Auguſtini, aliorumque Patrum teſtimonia ſpectare, quæ plane efficiant, ita eſſe Monarchiam Eccleſiam, ut Ariſtocratia temperata eſſe videatur.

Sed eorum, qui Monarchicam omnino eſſe regendæ reipublicæ Chriſtianæ formam defendunt, his ferme argumentis confirmari ſolet ſententia. Chriſtus ſuam Eccleſiam, quam latiſſime, longiſſimeque propagare decreverat, ſic inſtituit, ut velut reſpublica, ſeu civitas una, una domus, unus exercitus, unum ovile, unum denique corpus eſſet. Hujus ſive corporis, ſive domus, ſive reipublicæ, ſive civitatis conſociationem, conjunctionemque, non ullo fœdere, pactoque, ſed vi quadam, atque poteſtate divina niti, quæ rem eamdem publicam ſummo jure, auctoritateque gubernet, ac moderetur. Summam hanc poteſtatem, quæ ſummo imperio civitatem univerſam, ſeu rempublicam Chriſtianorum regat, aut penes unum, aut penes aliquos, aut penes univerſos eſſe; dicique, ſi penes unum, Monarchicam; ſi penes aliquos, Ariſtocraticam; ſi penes omnes, Democraticam oportere. Commune autem orthodoxorum omnium, pervulgatumque hoc eſſe dogma: inſtitutione divina rationem adminiſtrandæ regendæque reipublicæ populi Chriſtiani Monarchicam quidem, eamque penes Romanum Pontificem Petri ſucceſſorem eſſe. Quod cum ita ſit, injuria eos agere, qui cum Monarchiæ civili non ſingulos tantum, ſed univerſos etiam cives generatim ſubdi defendant, tum Eccleſiaſticæ antecellere Eccleſiam ipſam univerſam, hujuſ-

hujusque excellentiorem esse potestatem, putent. Nam hujus discriminis nullam commodam, veramque aut e Scriptura, aut e Patribus afferri rationem posse. Quæ autem ad Theologiam, Philosophiamve pertinent, ea certe, non arbitratu nostro, sed sacrorum Bibliorum, majorumve auctoritate, si sunt Theologica, si vero Philosophica, rationum momentis statuenda esse. Atque eos, qui Romanum Pontificem, etsi Monarcham Ecclesiæ confiterentur, tamen inferiorem esse Ecclesia universa dicerent, verbo quidem eum Monarcham facere solere, re autem vera, nullo modo. Nos quidem, non quo sit Principatus Ecclesiasticus appellandus nomine, sed cujus tandem sit modi, quærere. Quid enim, si rem tollas, vocabulum consectere, quod neque a Sacris Scriptoribus, neque usquam a Patribus, sed a Theologis ad rem opportune, recteque explicandam, usurpatum sit? Quod si est idem Principatus Monarchicus, qualem ipsum esse ne adversarii quidem negant, dandum esse scilicet, nihil ei deesse, quod ad notionem, naturam, ϰ̀ οὐσίαν Monarchiæ pertineat. Quum igitur ita sit comparata Monarchiæ ratio, ut non quique cives modo, sed etiam universa respublica ab uno pendeat, in quem non sit populo auctoritas; nullum esse dubium, quin Episcopi quique, Ecclesiaque ipsa sive per orbem terrarum diffusa, sive in synodum congregata, subdita esse Pontifici debeat, quem esse ejusdem Ecclesiæ principem, & Monarcham constet. Idque eo esse certius, quo momentis rationum, quibus adversarii uti solent, confirmari, constabilirique posse videatur. Nam sic eos argumentari: Christum administrandæ gubernandæque reipublicæ Christianæ ab se institutæ eam delegisse rationem credendum est, quam omnium esse optimam, præstantissimamque sciret. Est autem optima, præstantissimaque Monarchica administrandæ, gubernandæque Ecclesiæ ratio. Hanc igitur fuisse a Christo Ecclesiæ ab se institutæ regendæ, administrandæque rationem delectam, credendum est. Qua de re consulendum Natalem Alexandrum esse, in eo, quem supra indicavimus in primi seculi Ecclesiasticam Historiam Disser-

Dissertationis quartæ loco. Hinc vero facile intelligi, Christum, qui conciliandæ inter homines pacis, consociationisque tuendæ, atque conservandæ caussa optimum reipublicæ administrandæ genus delegerit; illud delegisse, quod ad eam rem maxime pertineret: cujusmodi est illud, quod majestatem, summumque imperium uni tribuit, qui initæ, constitutæque societati ita præsit, ut nulla re populi imperio subdatur. Atque huc sane spectare exempla, quibus Natalis Alexander, cujus modo facta est mentio, ad Monarchiam Pontificis Maximi demonstrandam uteretur. Eum namque sic scribere: *Probatur ex similitudinibus, sub quibus in veteri, & novo Testamento adumbratur Ecclesia: Terribilis dicitur, ut castrorum acies ordinata, Cantic.* VI. *At in acie ordinata, præter tribunos, & inferioris ordinis duces, unus esse debet Imperator, ad quem summa res militaris referatur, quique exercitui, quod facto opus sit, significet, ac decernat. In quamvis grandi exercitu unius signum exportatur*, inquit sanctus Hieronymus epist. quarta. *Ecclesia regnum est (Daniel c.* II.) *prædictum his verbis*: In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur. *Cum igitur regnum Christi sit præsentis temporis Ecclesia, in ea summus princeps esse debet, qui ipsam regat, ac moderetur. Ecclesia navis est, in qua per baptismum salvamur, in similitudinem eorum, qui in arca Noe salvabantur (1. Petr. cap.* III.) *Navi porro unus summus nauclerus præesse debet, qui singulis nautis sua munia præscribat. Ecclesia ovile est (Johann.* X.) fiet unum ovile, & unus pastor. *Numquid vero in ovili præter minores opiliones, non est aliquis summus Pastor, cui incumbat ovium curam gerere, easque universim regere, ac fovere?.. Ecclesia domus est. Nonne igitur unus esse non debet illius Dominus, unusque in ea œconomus constitui?... Ecclesia denique unum corpus est (ad Rom.* XII.). *Quemadmodum igitur in membrorum multitudine caput unum est, quod omnia nectit, ac regit; ita in Ecclesia Christi unum caput supremum esse debet. Quodnam porro illud est, nisi Romanus Episcopus?* Hæc vero exemplorum genera, nisi huc spectent, ut ostendant, Romanum Pontifi-

cem ſummam in Eccleſia obtinere auctoritatem, adeo ut non cœtus ſingulares modo, ſed univerſam etiam Eccleſiam, cui nullo pacto ſubſit, moderetur, quo demum ſpectent, ne ſuſpicari quidem nos poſſe. Quis enim aut exercitum univerſum duci; aut regi, qui μοναρχικῶς præſit, populum; aut nautas omnes navarcho; aut minores opiliones ſive coactos in unum locum, ſive diſperſos paſtori primo; aut univerſam familiam patrifamilias; aut reliqua membra corporis capiti non ſubeſſe dicat?

Jam vero eos, qui etſi regendæ reipublicæ Chriſtianæ formam Monarchicam prædicent, Ariſtocratica tamen temperatam cenſent; in hanc demum labi opinionem, ut neque Monarchicam, neque Ariſtocraticam, ſed *irregularem*, ut vocant, eſſe arbitrentur. Rerum enim publicarum alias *ſimplices*, alias *compoſitas* eſſe. Compoſitarum ea eſſe genera, quæ non unius imperii colligatione, ac nexu, ſed pactis, conventiſque quibuſdam contineantur. Simplicium rurſus quaſdam *regulares*, quaſdam vero *irregulares* vocari. *Regularium* tria illa eſſe pervulgata genera, Monarchiæ, Ariſtocratiæ, atque Democratiæ. Eſſe autem civitatis *abſolutæ*, *perfectæ*, ac *regularis* proprium, ut quæ ad eam gubernandam pertinent, velut ex animo uno, unaque voluntate proficiſcantur: Si qua vero ſunt genera *ſimplicium*, quæ ad tria illa referri nequeant, hæc quidem certe reponi in *irregularibus* oportere. Horum vix, propter incredibilem varietatem, numerum iniri, deſcribique poſſe. Referre porro in aliquod trium illorum generum rem Eccleſiæ publicam, qualem adverſarii comminiſcuntur, non licet. Non eſſe autem neceſſe, quidquam de populari republica, quam δημοκρατίαν Græci appellant, dicere. De hac enim nullam inter nos eſſe, temperatoſque illos Ariſtocraticos quæſtionem. Quamquam ſunt, qui Richerium verbo quidem pro Monarchia, & Ariſtocratia, re autem vera pro Democratia pugnaſſe ſcribant, qua de re paullo poſt oſtendam, quid ſentiam. Itaque reſtat, ut de Ariſtocratia agendum eſſe videatur. Formam igitur reipublicæ, quam aliqui, contra quos noſtri Theologi diſputant, pro-

probaverunt , neque Monarchicam omnino , neque Aristocraticam dici oportere , esseque proinde *irregularem*. Cum ergo neque Monarchia *simplex* , neque *simplex* Aristocratia , adversariorum quidem opinione , Ecclesia sit , disquirendum esse , eane ad Aristocratiam propius accedat , an ad Monarchiam ? Adversarios ad Monarchiam dicere , etsi est reipsa , iisdem auctoribus , ad Aristocratiam propensior . Esse namque Aristocratiæ , quod ante docuimus , proprium , ut summa potestas , atque omnia majestatis jura in optimates quosdam , non in unum principem (quod Monarchicum est) nec in plebem (quod est Democraticum) competat . Neque impedire quidquam , quo minus in Aristocratia sit , qui unus omnium maxime ceteris antecellat , ac præsit . Formam enim reipublicæ discrepare ab *administrationis modo* . Regem namque , qui de summis rebus ad Populum , Senatumve referat , non *dependentiæ* , ut ajunt , sed consilii caussa , specie quadam Democratica , Aristocraticave administrare imperium videri velle , non re, cum neque Populo , neque Senatui subdatur . Contra si quis in Democratia , aut in Aristocratia (1) magistratus,

vel

1 Dionysius Petavius S. J. Theologus *lib.* III. *de Eccl. Hierarch. c.* XV. §. II. *p.* 887. *tom.* III. *Teologicor. Dogm. edit. Paris.* „ Tria sunt , *inquit* , apud Platonem , Aristotelem , ac Philosophos ceteros rerumpublicarum , & gubernationum legitimarum genera „ notissima : Monarchia, Aristocratia & Democratia. Hæ inter se certa proprietate, & essentia „ dissident . Ea vero in administratione , ac regiminis modo, & ratione consistit : hoc est in „ eo , quod τὸ κύριον dicitur , ut scribit Aristoteles *l.* III. *Politic. cap.* VI. & XI. nempe , „ quod summum habet auctoritatis , ac potestatis , & cujus ex nutu , arbitrio , & imperio „ communitas pendet . Hinc enim τῶν πολιτειῶν , ac rerum publicarum differentiæ petuntur . Itaque Aristoteles idem in *Politicis* , inquirens , sitne ullum πολιτείας genus , „ an plura , respiciendum esse dicit ad id , quod est κύριον , hoc est , quod summam gerendæ rei auctoritatem obtinet : & a quo tamquam a fonte repetitur omnis potestas , & jurisdictio : idque est , quod vocat τὸ πολίτευμα Arist. *lib.* III. *Polit. cap.* VI. Ita τὸ „ πολίτευμα est regimen , sive *civile imperium* , quod πολιτείας *Glossarium* vetus Græcolatinum interpretatur . Hoc autem penes illud est , quod in civitate κύριον dicitur , „ quod videlicet in ea dominatur , ac prævalet , & cujus est τὸ κῦρος , vel κράτος , ut „ apud Homerum τοῦ γὰρ κράτος ἔστ' ἐνὶ οἴκῳ *in quo regiminis est summa* . Inde ergo „ reipublicæ , ac civilis gubernationis species , & discrimen ducitur , quo ab aliis secernitur . Ut siquis roget , quænam reipublicæ forma apud Athenienses fuerit ; non dubitabit , quin Democratiam respondeat , quoniam apud illos τὸ κύριον , id nempe , in „ quo summa potestatis fuit , erat multitudo . Atque idcirco *praeponderabantur ibidem* „ *nobiles , ac divites pauperibus , ac plebe* , ut ait Xenophon *init. lib. de rep. Athenien.* „ Tum civibus omnibus ad magistratus , & ad publicas consultationes , ac jurisdictionem

„ capes-

vel princeps exstet, qui de caussis cognoscat, leges condat, suumque publicis tabulis adscribere nomen soleat, cum populo, optimatibusve summa gerendæ reipublicæ potestas insit, esse eum profecto simulacrum regis; regem autem nullo modo. Fac igitur, ut, quemadmodum adversarii putant, ad rem Ecclesiæ communem administrandam statis temporibus synodi convocentur, aut Cardinales ex omnibus cœtibus delecti, cum Episcopis, quorum maxima est semper in Urbe multitudo, Senatum constituant; penesque Synodos, vel Senatum illum summa sit auctoritas, atque potestas; quamvis in Concilio, aut Senatu Pontifex sententiam dicat, suffragiumque primus ferat, suumque actis publicis nomen adscribi faciat, utque canones serventur, curet; quid demum consequere, hunc præ se quidem speciem quamdam Monarchæ ferre, rem autem omnino non ferre? Quod si sunt, qui perpetuum ejusmodi Concilium, perpetuumque Senatum in Ecclesia nullum esse dicant, quæ Synodus, quive Cardinalium, Episcoporumque Senatus de maximis rebus decernere debeat? eis se nostri hoc responsi genere satisfacere putant posse.

capessendam patebat aditus. Ita τὸ κύριον, & τὸ πολίτευμα, id est regimen, penes populum fuit. Atque complures in illa civitate magistratus erant, & hos inter unus insignis, cujus nomine anni singuli notabantur, & qui ἄρχων ἐπώνυμος dictus est. Cur non ergo vel Monarchicus illius reipublicæ status habetur, vel Aristocraticus, sive Timocraticus, siquidem tot in illa magistratus rem gerebant? Nonne propterea, quod plures isti principes nullam nisi a populo, & de ejus voluntate, potestatem haberent? Quod eos, si vellet, in ordinem cogeret? quod quæcumque publice decrevisset, illis exequenda mandaret? quod rationem ab illis suæ administrationis reposceret? Quod contra jussa facientes, aut male alioqui de se meritos, judicio, ac pœnæ subjiceret? Hæc enim supremæ sunt argumenta potestatis. Imprimis autem legum latio, & antequam receptæ sint, probatio, vel antiquatio, summæ est jurisdictionis signum.... Certe apud Romanos, cum popularis plurimum posset, ac prævaleret administratio, nulla lex, nisi jubente populo, recipi poterat, quem qui legem ferre volebant, *rogabant*, unde & *rogatio* dicta est, & hujus formula erat ista: *velitis jubeatis Quirites*. Et cum eam approbabant, singuli cives in tabella perscribebant: V. R. idest, *uti rogatis*, quæ argumenta sunt summæ jurisdictionis, ac potestatis penes populum, tametsi & consules ibi erant, & regio propemodum jure, & magistratuum aliorum ingens numerus, & Senatus denique amplissima auctoritate præditus. Sed hactenus, ut huic auctoritas tamquam propria tributa sit, populo vero *majestas*,,. Secum igitur ipsi pugnent adversarii necesse est, qui cum Ecclesiasticæ reipublicæ rationem Monarchicam esse definiant; tum *jurisdictionem* Ecclesiasticam præcipue, *proprie*, atque *natura* universæ Oecumenicæ synodo inesse, quæ in ordinem redigere Pontificem possit, existiment. Hæc enim posteriora meram esse Aristocratiam potius, quam Monarchiam efficiunt, vel saltem evincunt, formam esse Christianæ Reipublicæ omnino, ut dixi, irregularem.

posse. Non eos esse protecto se, qui ab adversariis Aristocraticam poni regendæ Ecclesiæ formam censeant, alioqui eam esse non *irregularem*, sed *regularem* futuram. Hoc unum se velle: eam induci ab iis Theologis, quos oppugnant, rempublicam videri, quæ Monarchica quodammodo sit, convertique in Aristocraticam, Ecclesiæ auctoritate, possit. Nam si penes Ecclesiam universam, œcumenicamque synodum summa potestas sit, cui Pontifex Romanus subsit; fieri certe Ecclesiæ auctoritate posse, ut synodus in multos annos producatur; tum ut legem (quam abrogare Pontifex nequeat) de alia synodo certo quodam tempore cogenda scribat, caveatque, ne quas controversias ad Ecclesiam universam spectantes Pontifex, antequam ea sit coacta, dirimat, neve migret canones, quos ipsa de administrandis quotidianis rebus ediderit; neve quidquam, inconsulto Cardinalium Senatu, agat. Hæc non in hominum cogitatione, sed re ipsa futura, si vera esset adversariorum sententia, e Decretis, Actisque Constansiensibus, atque Basileensibus constare. Nam, si demus, concilium œcumenicum, propterea quod universam rem Christianorum publicam exhibeat, ἀμέσως immediate a Christo habere potestatem, eique subesse, ejusque proinde legibus parere Romanum Pontificem oportere, ac si parere nolit, coercendum esse, ut Basileenses, atque Constantienses decrerunt, cur item illud absurdum, atque παράδοξον dari non debeat, intelligi non posse. Atque hinc sane factum fuisse, ut synodus Basileensis, frustra repugnante Eugenio Quarto, prorogata ad plures annos fuerit, omniaque referri ad sese jusserit, quæ adminstrari, perficique a Pontifice consuessent, multas universæ Ecclesiæ Principi leges præscripserit, Pontificemque obnitentem monuerit, in jus vocarit, canonicis pœnis subjecerit, dignitate privaverit, in ejusque locum alium, qui sese synodo obsequuturum polliceretur, suffecerit; alteramque synodum œcumenicam post annos omnino tres Lugduni celebrandam indixerit. Quamobrem jure Eugenium, Petrumque Meldensem Episcopum

ſcopum Caroli Septimi Francorum Regis Legatum conqueſtos fuiſſe „ Nobiliſſimam Politiam, quæ Beatitudinem „ cæleſtem habet pro fine, ad Democratiam, vel ad Ariſto- „ cratiam redigere Baſileenſes velle, & ulterius in malis „ procedendo unum ſibi in capite aſſumſiſſe, qui non eis „ præferretur „. Quinetiam: „ quid quæſo, *inquit Petrus*, „ magis poſſet in perpetuitatem ſchiſmatis tendere, quam „ Monarchiam Eccleſiæ, quæ Chriſtianos tenuit in unitate, „ tollere, & abolere? Quam auctoritatem ſupremam „ multitudini, quæ cito ſcinditur, tribuere? Quam po- „ teſtatem judicandi ſuperiores inferioribus dare? Et ſic de „ multis aliis, quæ in practica, & doctrina Baſileenſium „ concurrunt, quibus ſemel junctis, & ſtantibus, non eſt „ pax in Eccleſia Dei poſſibilis (1)„. Neque Adverſarios reprobare nefarios hoſce Baſileenſium conatus alia ratione poſſe, nec potuiſſe tunc Gallos, quam quod, ne tum ſynodus ſatis non exhiberet univerſam Eccleſiam, vererentur. Sed hoc ſemel conſtituto, fateri eos quidem debere, quidquid adverſus Eugenium, uſumque Apoſtolicæ poteſtatis Synodus Baſileenſis egit, acturam juſte, riteque fuiſſe, ſi ſatis univerſam Eccleſiam exhibuiſſet.

Quod ſi ſunt aliqui, qui reſpondeant: acta Synodi Baſileenſis, quibus everti Monarchia Eccleſiaſtica videretur, Romanorum Pontificum auctoritate, atque conſtantia, reſciſſa, atque abrogata fuiſſe; nihilo ſecius noſtri, quidquam inde commodi capere adverſarios poſſe, negant. Sic autem ſtatuunt. Eſt Monarchia reſpublica, in qua unus eſt princeps, cui ſoli ſumma imperii poteſtas inſit. Summam vero qui obtinet poteſtatem, is cum ceteros omnes regit, continet in officio, coercetque, ſi improbe agant, tum nullius imperio obnoxius eſſe, ſubditusque poteſt. At adverſarii ſummam poteſtatem non in uno Pontifice, ſed in Oecumenica Synodo, univerſaque Eccleſia eſſe ſtatuunt. Non ergo proprie, ut ajunt, Monarchica, ſed Ariſtocratica potius eſt, aut Democratica adminiſtrandæ, geren-

1 Apud Odoricum Raynald. *ad an.* 1441. *num.* 10. & 12.

gerendæque Christianæ reipublicæ ratio. Est enim in ea republica penes Præsules, aut Ecclesiam universam τὸ κύριον. Quod ut clarius intelligi, perspicique possit, circumspiciamus, quæ olim, cum opes florerent orthodoxorum, præcipuæ Christiani orbis partes essent. Ægyptum, Orientem, Thraciam, Pontum, Asiam omnium maximas Dioeceses fuisse, constat. Harum priorem Alexandrinus, alteram Antiochenus, qui Patriarchæ audirent, tertiam Heracleensis, quartam Cæsareensis, quintam Ephesinus Exarchi moderabantur. Orientalis autem Dioeceseos pars potior Palæstina fuit, quam deinceps, sumto Patriarchæ nomine, Hierosolymitanus Antistes obtinuit. Quodsi Occidentis Præsules ἀμέσως omnes Romano Pontifici parebant, tamen in Africam universam singularia quædam fuerunt Episcopi Carthaginiensis jura. Accedit Ecclesiarum Galliæ, Hispaniæque ratio, quas adversarii suis peculiaribus legibus, atque institutis regi consuesse, scribunt. Hæ igitur Dioeceses qua ratione gubernatæ fuerint, ut unum sub Romano Pontifice regnum, quemadmodum sub Rege omnes provinciæ Galliarum unam veram *propriam*, ac *regularem* Monarchiam, efficerent; intelligi quidem ex iis, quæ nostri Theologi tradiderunt, potest, ex adversariorum vero doctrina non potest. Nostri namque sanctum Irenæum auctorem sequuti (1); *ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem, (aut potiorem) ejus principalitatem necesse esse omnem Ecclesiam convenire*, hoc est ipsi in iis, quæ ad fidem, moresque pertinent, consentire, docent, quod hanc vim esse unitatis (2), quæ initium a Petri Sede, atque originem ducat, arbitrentur. Hoc autem jacto fundamento cognosci facile potest, quod in omnium oculos incurrit, ut *proprie*, *vereque* Monarchiæ notio Ecclesiæ Catholicæ universæ competat. Sed longe est adversariorum ratio discrepans. Hi enim fas esse Episcopis censent, de iis omnibus,

quæ

1 S. Irenæus *lib. III. contra Hæreses cap. III. pag. 175. tom. I. edit. Veneta Monach. Congr. S. Mauri an. 1734.*

2 Confer Petrum de Marca *lib. I. de concord. Sacerd. & Imperii cap. II. num. VI. pag. 12. edit. Francof. an. 1708.*

quæ decreta, ſancita, conſtituta a Pontifice fuerint, non cognoſcere modo, ſed etiam judicium, ac ſententiam ita ferre, ut ſi ſacrorum Bibliorum auctoritati, traditionique Majorum conſentanea eſſe compererint, probent; ſin minus, reſpuant. Rurſum ſi unus aliquis minorum gentium Antiſtes decretis, conſtitutionibuſque Pontificis reſiſtendum putet; hunc cogi, ut ad officium redeat, punirique debere, concedunt; ſin autem majorum illarum Eccleſiarum ulla, ut Ægyptia, ut Aſiana, ut Thracica reſiſtat, hanc pugnant ab eodem Pontifice cogi, ut pareat, non poſſe; ab œcumenica vero Synodo plane poſſe. Quam quidem ad rem confirmandam exempla congerunt Aſianorum Antiſtitum, qui Victori; Africanorum, qui Stephano; Orientalium, qui Cæleſtino ſumma vi, contentioneque animorum reſtitiſſe feruntur. At ex hac opinione adverſariorum, qui tandem eſſe conſequens poterit, regi, adminiſtrarique *μοναρχικῶς*, idque jam *proprie, vereque*, univerſam Eccleſiam? Nam ſi jus illud repugnandi decretis Pontificum Romanorum (quod quidem jus præcipuorum cœtuum præſulibus tribuunt) Monarchiam *veram*, *propriamque* non tollit, quid umquam ſit, quod tollat, non video. Ita ſcilicet adverſarii (qui non conſiderent, libertatem nullam, quam ſub rege pio, gratiorem (1) eſſe) ut liberi ſint, Monarchiam, pro qua certare ſe putant, funditus labefactare, atque evertere conantur. Ac ſi *libertates*, quas vocant, his argumentis tueri pergent; caveant, ne ut liberi in civitate verſentur, perinde reſiſtendum arbitrentur Regi. Atque e ſacris quidem novi Teſtamenti libris conſtat, poteſtatem omnium ovium paſcendarum a Chriſto fuiſſe tributam Petro, ovibus autem, vel aliquibus, vel omnibus fuiſſe ullam in Petrum tributam, non item. Alienum autem ab inſtituto eſt, quod quidam ex Evangelio Matthæi opponunt, *eſſe inter te, & ipſum ſolum, fratrem, qui adverſum te peccarit, corripiendum &c.* Nam quo demum

1 Claudian. in 2. *Conſulat. Stilicon. v. 113. ſeqq.*
Fallitur, egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium. Numquam libertas gratior extat,
Quam ſub rege pio.

demum pertineat, quod explicatum ſupra fuerit, quum adverſus Chamierum, atque Spanhemium diſputarem, non eſt cur eſſe rurſum explicandum putem. Ut autem nonnihil de exemplis, quibus adverſarii utuntur, dicam; cujuſmodi tandem eam eſſe *libertatem* cenſent, quam inducendorum errorum, labefactandæque pacis, unitatiſque disjungendæ cauſſam eſſe, tam eſt certum, tamque perſpicuum, ut negari nullo modo poſſe videatur? Quid enim Polycrati, Aſianiſque ceteris? Quid Cypriano, Africanis, Antiſtitibuſque Ponti? Quid Orientalibus, qui Neſtorii cauſſam defenſionemque ſuſceperant? Quid Gallis, qui probatam Romanis Pontificibus ſeptimam Synodum oppugnarunt? Quid iis, qui Pontificum Maximorum ſcriptas adverſus Janſenianam hæreſim conſtitutiones, amplecti renuerunt, libertas illa, quam ſibi vindicare non dubitaverant, profuit? Contra quis umquam eorum lapſus in errorem fuit, qui Romanis Pontificibus controverſias de religione dirimentibus adhæſiſſet? Et hanc obſequendi Sancti Petri ſucceſſoribus rationem, cui ſatis tuto ſeſe omnes commiſerint, neceſſitatem quiſquam, non autem veram libertatem Chriſtianam dicet? Grotius in primo (1) *De Jure Belli & Pacis* libro de iis differens, qui ſibi *mutuam quamdam ſubjectionem fingerent, ut populus univerſus parere recte imperanti, rex autem male imperans, ſubjici populo deberet*, ſic demum ſtatuit: *Si hoc ii dicerent, non facienda ob regis imperium ea, quæ manifeſte iniqua ſunt, verum dicerent, & quod apud omnes bonos confeſſum eſt; ſed id nullam includit coactionem, aut jus aliquod imperii*: quod ipſum nobis eſt hoc loco dicendum adverſus eos, qui Romanum Pontificem poteſtate, qua excelleret, abutentem, ſubjici Eccleſiæ oportere defenderent. Scilicet, ſi hoc dicerent: facienda non eſſe ob imperium Pontificis, quæ iniqua manifeſte eſſent, atque ab Evangelii decretis, ac legibus abhorrerent; verum dicerent. Quis enim umquam Stephano Septimo in Formoſum (2) fu-

1 *Cap.* III. §. IX. *pag.* 108. *edit. Amſtel. an.* 1735. *tom.* I.
2 Confer Baronium *ad an.* 897. n. II. *ſeqq.* VI.

furenti parendum exiſtimaſſet? Id vero poteſtatis illius, quam ſibi Conſtantienſes, atque Baſileenſes arrogaverant, quaque Romanum Pontificem decreta Eccleſiæ ſervare renuentem coercendum ab ſe eſſe arbitrabantur, argumentum eſſe non poteſt. Addit mox Grotius: (1) *Quod ſi populo alicui propoſitum fuiſſet partiri cum rege imperium, fines certe poteſtati utriuſque adſignari debuiſſent tales, qui cognoſci facile poſſent ex locorum, perſonarum, aut negotiorum diſcrimine*. Id vero adverſarii factum a Chriſto fuiſſe negent, neceſſe eſt. Nam verbis illis: (2) *Tu es Petrus &c.* Petrum a Chriſto Monarcham Eccleſiæ conſtitutum fuiſſe arbitrantur. Quid? Si ſummam etiam Apoſtolorum collegio fuiſſe ab eo tributam (3) poteſtatem putent? Quamobrem eſſent, adverſariis auctoribus, ſummæ in Eccleſia poteſtates omnino duæ, quarum certe fines, tacentibus ſacris Scriptoribus, dijudicari, dignoſcique non poſſent. Quæ res cum forma illa Reipublicæ ab Grotio indicatæ pugnat. Pergit Grotius (4): *Bonitas autem, aut malitia actus, præſertim in civilibus, quæ ſæpe obſcuram habent diſceptationem, apta non ſunt ad partes diſtinguendas, unde ſummam confuſionem ſequi neceſſe eſt, cognitionem de re eadem pro jure poteſtatis, obtentu actus boni, malique, hinc ad ſe rege trahente, inde populo: qualem rerum perturbationem introducere, nulli, quod ſciam, populo in mentem venit*. At in mentem veniſſet Chriſto, ſi talem inſtituiſſet, qualem adverſarii cenſent, rempublicam. Nam ille nuſquam indicavit, quibus Petri poteſtas limitibus contineatur. Eſt autem ſapienter a Bernardo (5) animadverſum, ubi nihil diſtinguitur, nihil omnino excipi oportere. Cum ergo nihil a Chriſto poteſtatem tribuente Petro diſtinctum fuerit, ſequitur, ut nihil exceptum fuiſſe videatur. Sed adverſarii parendum jubenti, *claveque non errante* definienti Pontifici confitentur. Verum in cauſſis Eccleſiaſticis, in iiſque

que

1 *Ibid.*
2 Matth. *c.* xvi. *v.* 18. *ſeqq.*
3 Matth. xviii. *v.* 18. *quæcumque alligaveritis &c.*
4 *Ibid.*
5 *Lib.* II. *De conſider. cap.* viii. *pag.* 422. *Vol.* I. *edit. Pariſ. an.* 1690.

que potissimum, quæ pertinent ad religionem, quæque obscuram sæpe disceptationem habent, quis umquam, errarit clavis, nec ne, constituet? Polycrates ne ille Ephesius, an Cyprianus Carthaginiensis, quorum nos exemplis obtundere adversarii consuerunt? Synodus, ajunt, œcumenica, vel summa consensio Ecclesiarum. Ita ne vero? At tueri se Synodorum œcumenicarum auctoritate qui poterunt, quarum nullam ante Nicænam fuisse celebratam constat? Nicænam autem post annum a Polycrate, & Victore centesimum fere atque tricesimum; a Cypriano vero, & Stephano septuagesimum circiter coactam scimus. Quis igitur eo tam longo, quod intercessit, temporis intervallo controversias diremisset, quo haberi nulla Synodus œcumenica poterat? Quid? si eis ne perfugio quidem uti liceat consensus Ecclesiarum (1)? *Cum enim refragante insigni aliqua parte, uti Asiatica, Africana, Orientali, aut Gallicana, aliarum Ecclesiarum cum Romano Pontifice consensus, adversariorum opinione, pro unanimi Ecclesiæ consensu haberi non possit: si error aliquam ex iis Ecclesiis invaserit, frustra se pravorum dogmatum sectatores, & architecti a Romano Pontifice, & ab aliis Ecclesiis pro hæreticis haberi contendent. Sic frustra Eutychen, & Dioscorum S. Leo, frustra Sergium, & alios regiæ urbis Episcopos S. Martinus, aliique Romani Pontifices ob Monothelismum velut hæreticos judicassent, quamquam eorum judiciis totius fere orbis Episcopi consentirent. Quid enim (si vera sunt, quæ de necessitate Conciliorum adversarii jactant) opus fuisset ad eos velut hæreticos judicandos quarta, & sexta Synodo, si antequam illæ celebrarentur, Eutyches, & Dioscorus, Sergius, & alii Monothelitæ pro hæreticis habiti fuissent, aut haberi ab omnibus debuissent? Deinde cum liber esse debeat, ut adversarii volunt, ejusmodi consensus, & adhibito propriæ mentis, ac rationis judicio, præstari a singulis Episcopis debeat; vix erit, ut in re potissimum obscura, & multis altercationum nebulis implicata, non plures ab Apostolica definitione dissentiant, ac proinde vix erit controversia, quæ hac via componi efficaciter possit.*

1 Orsius *ibid. cap. 11. pag. 595. seqq.*

possit. Contendent enim refractarii, eam esse quæstionis obscuritatem, ut ad eam terminandam, & in bono lumine collocandam, Synodi congregatione sit opus. Denique, ut quod caput est, & huc maxime pertinet, attingamus, si unicuique Episcopo in excipiendis Apostolicis decretis fas est judicii sui libertate uti, quid fiet Monarchicæ Romani Pontificis potestati? Quæ est enim Monarchia, in qua vigor legum ex subditorum judicio pendeat, ac derivetur? Quemadmodum ii volunt decretorum fidei robur invictum, & immobilem firmitatem ex Episcoporum judicio, & cum Romano Pontifice consensione pendere. Quo semel posito, frustra jactatur, Romani Pontificis auctoritatem vinculum esse, quod in eamdem fidem omnes adstringat Ecclesias, aut ejus judiciis universam hanc molem, & singulas ejus partes, velut una mente, atque uno spiritu vegetari: quæ, ut sæpe diximus, regularis respublicæ forma est. Non enim ideo in unam, & eamdem fidem omnes Ecclesiæ conspirant, quia sic Romano Pontifici visum est, aut ipse vult, suaque auctoritate decernit; sed ideo una ubique fides obtinet, quia sic omnibus, & singulis Episcopis judicio suo, & ratione utentibus visum est. Quæ magis Aristocratici regiminis forma est, aut systematis, ut vocant, sociorum inæquali fœdere nexorum; ideo quod ceteri Episcopi, aliæque totius orbis Ecclesiæ comiter colere, & reverentia prosequi Romanum Pontificem teneantur, ut qui non modo dignitate, & imperii majestate, verum & auctoritate, & quadam potestatis prærogativa ceteris antecellat. Quod tamen, ut omnes facile animadvertunt, quam longissime abest ab ea unitate, qua omnes Ecclesiæ partes in unum compingere, & colligare corpus Christus instituit, quod adeo longe validiori unius imperii vinculo constringendum fuit. Sed quid multis est opus? Præcipua majestatis jura, quæ in *regulari*, quam vocant, beneque instituta Republica, tribui *summæ potestati, summoque imperanti* solent, in Pontificem Romanum cadunt. Quod cum ita sit, ut paullo post demonstrabimus, nihil est caussæ, cur quidquam, quod ad veram, *propriamque Monarchiam* pertineat, Ecclesiasticæ Reipublicæ deesse arbitremur. At optimi sanctissimique Pontifices, ut præscriptum canonibus, legi-

legibusque Ecclesiasticis est, Christianam se Rempublicam moderari, ac regere testantur. Quid igitur? An idcirco eos subdi Conciliorum potestati putemus? Reges enim, Imperatoresque, qui legibus sese adstringi dicerent, Monarchas esse desiisse, quis credat? Quod si credat, Trajanus (1), Alexander Severus (2), Anastasius (3), aliique a dignitate discesserint Monarcharum necesse est, ut qui parendum sibi non esse confiterentur, si quidquam contra jus imperassent. Qua re quid dici potest obtusius? Igitur quæ rationes afferri solent ab iis, qui de optimis reipublicæ generibus commentarios (4) ediderunt, ut efficiant, Monarcham, cujus

1 Dion *in Trajan. l. 68. p. 778. edit. Hanov. an.* 1606. de Trajano disserens, cum Præfecto Prætorio ensem daret, scribit hoc modo: „ Hunc gladium, si juste imperaro, pro me; „ sin male, contra me stringito „. Plinius item in Panegyrico eumdem alloquens Imperatorem *cap.* LXV. *num.* 1. *pag.* 758. *edit. Lips. an.* 1711. „ In rostris, *inquit*, simili re- „ ligione ipsa te legibus subjecisti: legibus Cæsar, quas nemo principi scripsit. Sed tu „ nihil amplius vis tibi licere, quam nobis.

2 Alex. Severus *Cod. lib.* VI. *tit.* XXIII. *de Testamentis lege* 3. *Ex imperfecto pag.* 266. *edit. Lips. Heinnecc. an.* 1735. „ Licet lex imperii solemnibus Imperatorem solverit, ni- „ hil tamen imperii tam proprium est, quam legibus vivere.

3 Is ad Matronianum scribens *Codic. lib.* I. *tit.* XXII. *si contra jus, vel utilit. leg.* 6. *fin. Omnes pag.* 68. „ Omnes, *inquit*, cujuscumque majoris, vel minoris administratio- „ nis universæ nostræ reipublicæ judices monemus, ut nullum rescriptum, nullam prag- „ maticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quæ generali juri, vel utilitati „ publicæ adversa esse videatur, in disceptationem cujuslibet litigii patiantur proferri; „ sed generales sacras Constitutiones modis omnibus non dubitent observandas „. Theodosius etiam, & Valentinianus Augusti ad Volusianum P. P. an. 429. scribentes: *Cod. lib.* I. *tit.* XIV. *de Legib. & Constitut. leg.* IV. *Digna vox pag.* 54. „ Digna vox, *inquiunt*, est „ majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeo de auctoritate juris „ nostra pendet auctoritas. Et revera majus imperio est, submittere legibus principatum, „ & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus „. Similia sunt, quæ Tiberio Orientis Imperatori adscribuntur a Nicephoro *lib.* I. *histor. cap.* XVII. *pag.* 84. *edit an.* 1630. Antiochum præterea Tertium ad Civitates, Præsidesque Asiæ scribere consuesse ferunt: „ Si quid contrarium legibus per epistolam jussero, nolite parere; „ sed me ignoratione lapsum putetis „. *Plutarch. in Apophthegmat. pag.* 183. *edit. Paris. an.* 1624. *tom.* 2. Confer Orsium *l. c. cap.* IV. *pag.* 626. *seq.*

4 Confer, si licet, Puffendorfium *lib.* VII. *de J. N. & G. cap.* VI. §. III. *pag.* 184. *tom.* III. *edit. Londin. an.* 1740. Arnisæum *lib. de Jure majest.* I. *cap.* III. *num.* 7. *seqq.* aliosque plures. Itaque *Andr. Isern. in Prælud. Feud. quæst.* II. *n.* 16. etsi quod ad forum humanum attinet, Monarcham *teneri servare leges negat*, *teneri tamen affirmat*, *eas servare*, *ut rationes*. Confer Orsium *ibid. pag.* 628. *seq.* Is „ Ratio, *inquit*, & æquitas „ naturalis postulant, ut in rebus agendis principes, quid eos deceat, consulant; non „ quantum liceat; ut illud Tullii judices admonentis præ oculis semper habeant (*Orat.* „ *pro Roscio*) *vestri consilii*, *vestra sapientia est*, *spectare quid deceat vos*, *non quan-* „ *tum liceat vobis*. Est enim aliquid, ut idem monet (*Orat. pro Balbo*) *quod non opor-* „ *teat*, *etiamsi liceat*. Quo etiam pertinet illud Claudiani Honorium Imperatorem ad- „ loquentis:

Nec

cujus nullis finibus auctoritas continetur, teneri legibus civitatis: eædem multo magis accommodari, aptarique ad Pontificem Romanum possunt, cui majorem in modum, ut Apostolis, commendatam fuisse patientiam, mansuetudinem, atque lenitatem, scimus. Quare quod æquitas (1), quod honestas publica, quod ratio (2) denique ab Rege postulat, ut faciat ipse, quod ab aliis fieri & optat, & imperat: id cur a Pontifice, salva Monarchia, non postulet, ne suspicari quidem possum. Cavendum enim cuique est, ne quæ aut dicat, aut jubeat, ipse prior negligere videatur. Quamobrem præscriptum a Christo suis in Evangelio est, ut ne quemquam eorum imitarentur (3), qui quæ dicerent, ab aliis quidem perfici omnino; ab se autem nullo modo, vellent. Atque ipse quidem Servator Christus, etsi filius Dei, & summus, atque *absolutus* Monarcha Ecclesiæ est, tamen quæ jubebat, omnium primus exsequebatur. Itaque horta-

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

„ Porro ut nihil magis æquum, honestum, ac decorum principi, quam submittere legi-
„ bus principatum (Confer quam supra descripsimus *legem*, quæ incipit: *Digna vox*)
„ quod Guntherus *libro* VIII. *de gest. Frider. Imperat. seqq.* versibus expressit:

Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum,
Aut regale puto, quam legis jure solutum
Sponte tamen legi sese supponere regem.

„ Ita nihil ab æquitate disjunctius, quam ut jugum aliis imponat, quod sibi intolerabile
„ videatur. Quo spectat illud Minucii Consulis his apud Dionysium Halicarnassæum (*L.* VII.
H. R.) verbis increpantis plebem Romanam: *Et quæ vos ipsi ferre nolletis, æquum puta-*
„ *tis, alios ea ferre?* Quod Christus Dominus in eo capite (XXIII. *Evang. Matth.*)
„ In quo Pharisæorum superbiam, & hypocrisim carpit, primum in illis, & gravissimum
„ reprehendit, juberque, ut ab eo maxime discipuli sui caveant: *secundum opera eorum*
„ *nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera gravia, & impor-*
„ *tabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.* Ad
„ quem locum hæc s. Johannes Chrysostomus observat (*Homil.* LXXII. *al.* LXXIII.) *Du-*
„ *plicem hic nequitiam memorat, quod a subditis, sine ulla venia, sedulam requirant*
„ *vitæ puritatem, multamque sibi licentiam permittant: quod contrarium est boni*
„ *principis officio, quod est in rebus ad se spectantibus judicem esse severum, ac sine ul-*
„ *la venia; in subditorum vero peccatis mitem, & ad veniam dandam pronum.* Quum
„ ergo nihil æque Christo cordi fuerit, quam a suis discipulis Pharisæorum jactantiam, &
„ hypocrisim removere, volueritque in hoc ipso capite, ut, qui futurus erat eorum prin-
„ ceps, ceteris humilitate præstaret, eorumque minister esset; quid mirum, si Aposto-
„ lorum principis successores, & sese, & suam Ecclesiam ceterarum principem eisdem le-
„ gibus regant, ac moderentur, quas aliis Episcopis, & Ecclesiis præscribunt?

1 Vide *notat. superiorem.*

2 Confer *eamdem notationem*, & exempla, quæ Orsius *loco modo ind. p.* 630. describit.

3 Consule *eamdem notationem.*

hortari diſcipulos conſueverat, ut in ipſum inſpicere, indeque ſibi exemplum ſumere (1) ſtuderent. Quid? ſi legibus quibuſdam ita conſiſtat reſpublica, ut eæ a Principe, quamlibet libero, ac præpotenti, perrumpi, tollique (2) nequeant? Has enim qui aut mutare, aut evertere conatur, nihilo plus agit, quam ſi det operam, ut, ſublatis fundamentis, altiſſimæ ædes immotæ, ſalvæque maneant. Nam leges, quæ ſunt de annona, de importandis, vendendis, emendiſve mercibus, de pœnarum aut acerbitate, aut lenitate, mitigare quidem, atque mutare licet; eas vero, quæ latæ ſunt, conſociationis, ſalutiſque civium tuendæ cauſſa, non licet. Eſt enim præcipua omnium gentium conſenſione firmata lex, *ſalutem (3) populorum ſupremam legem eſſe oportere*. Quid autem impedit, quin de his legibus, quæ cum longo, diuturnoque uſu conſtitutæ ſunt, tum ſanctitatem Eccleſiæ, religioniſque, poſt Evangelicas, Apoſtolicaſque, muniunt, intelligi veterum Scriptorum, imprimiſque Pontificum (4) teſtimonia

1 *Evang. Matth. cap.* xx. *v.* 28. *Marci cap.* x. *v.* 45. *Lucæ c.* xxII. *v.* 27. *Joh.* xIII. *v.* 15. *& rurſum Matth. cap.* xI. *v.* 29.

2 Huc Orſius ſpectare ſcribit *pagin.* 635. quæ Bodinus diſputat *lib.* Iv. *de Republica cap.* II.

3 *Lex* xII. *Tabul. apud Cicer. lib.* III. *de legib. cap.* III. *pag.* 231. *tom.* III. *opp. edit. Genev. Oliveti*: „ Regio imperio duo ſunto, iique præeundo, judicando, conſu„ lendo, prætores, judices, conſules appellantor. Militiæ ſummum jus habento, nemini „ parento. Ollis ſalus populi ſuprema lex eſto „.

4 Natalis Alexander *Diſſert.* Iv. *in Hiſtor. Ecc. ſec.* xv. *&* xvI. *art.* I. §. v. *p.* 358. *ſeq. tom.* Ix. *edit. Luc. an.* 1752. multa Ss. Patrum teſtimonia deſcribit, ut ſuam confirmet ſententiam, imprimiſque illud Joh. Chryſoſtomi *ex Homil.* LXVI. *in cap.* xx. *Matth.* „ Non „ externis ſimilia noſtra ſunt. Nam apud gentes qui principes ſunt, ipſi dominantur; apud „ nos autem, qui ultimus eſt, ipſe ſumma tenet „. Et illud Hieronymi *ex epiſt.* xxx. *ad Oceanum*. „ Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit „. Addit Auguſtini *ex epiſt.* CLX. *ad Apringium judicem* locum. „ Alia „ cauſſa eſt Provinciæ, alia Eccleſiæ. Illius terribiliter gerenda eſt adminiſtratio, hujus „ clementer commendanda eſt manſuetudo „. Et s. Leonis *epiſt.* LIv. *ſeu* LXXVIII. *Queſnell. edit. ad Marcianum Auguſtum*: „ Alia ratio eſt rerum ſecularium, alia divinarum „. *Et ex epiſt. Cæleſtini ad Epiſcopos Illyrici*. „ Dominentur nobis regulæ, non regulis do„ minemur. Simus ſubjecti canonibus, cum canonum præcepta ſervamus „. Et Leonis rurſus *ex epiſt. ad Epiſcopos Mauritaniæ Cæſarienſis*: „ Quam diligens, & quam prudens „ habenda eſt diſpenſatio divinorum munerum, & cæleſtium dignitatum, ne in aliquo Apo„ ſtolica, & canonica decreta violentur, & his Eccleſia Domini regenda credatur „. Et Gelaſii I. *ex epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ*: „ Neceſſaria rerum diſpenſatione conſtringimur, „ & Apoſtolicæ ſedis moderamine convenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, „ & retro præſulum, deceſſorumque noſtrorum præcepta metiri, ut quæ præſentium ne„ ceſſitas

nia debeant, quibus omnis adversariorum nititur, atque exultat oratio? Sed hujusmodi leges (cum etiam Conciliorum œcumenicorum abrogari auctoritate non possint) ut Conciliis iisdem, ita ne supremæ quidem Pontificum potestati obsunt. Quod si adversarii discrepare nihilominus Ecclesiasticam a civili Monarchia dicere, idque jam Patrum testimoniis confirmare pergent, sic habeant: mirabile non esse, ut quæ virtute, natura, communique hominum existimatione conveniunt, inter se quandoque, cum tamen splendore, ac specie quadam differant, re ipsa, ipsoque etiam nomine differre non dicantur modo, sed etiam videantur. Altaribus, templisque Christianos carere, primorum Ecclesiæ seculorum Patres (1) ajebant. At si altaris, templique notio quæ sit, diligenter consideremus, facile quidem certe, non minus nostris, quam Ethnicis altaria, atque templa fuisse, intelligemus. Verum cum nostra ab Ethnicis exteriore quadam specie discreparent, veriti Patres, ne qui nostris sacris recens initiati essent, communis vocabuli ratione deciperentur, atque in superstitionem inducerentur, altaria, templaque nulla apud nos esse dixerunt. Quod si ex Scripturis, Patrumque locis concludi, templa nulla veteribus Christianis fuisse, non potest; ita ne illud quidem, de vera, propriaque Monarchia ex Ecclesia tollenda (2), potest. Fastum enim illi, supercilium, superbiæque conjunctum (3) dominatum tollunt; imperium certe, dominatumque omnem non tollunt.

Age

„ cessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest, temperemus: quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum „. Et ex Indic. ab Hormisda Legatis Ennodio, atque Fortunato dato: „ *Canones solvere in religionem committere est* „. Mitto, quæ profert ex Gregorii Magni *lib.* II. *ep.* VII. Ex Silvestri II. *ep. ad Seguinum Senonensem Archiep.* Ex Gregorii VII. *epistol.* LVIII. *lib.* II. *&c.* Ex Eugenii III. *epist.* X. Ex Innocent. III. *epistol.* CXV. *lib.* XI. quod eodem fere pertineant. At hæc non magis subditum esse legibus Ecclesiæ Pontificem ostendunt, quam cegoi legibus Gallorum Regem. Est enim apud Barbeyracium in *not. ad lib.* VII. *Puffendorfii de J. N. & G. cap.* VI. *num.* X. referri a Sidneo, quod est in *tract. Des Droits de la Reine de France edit. an.* 1688. jussu Ludovici XIV. Regis: *que les Rois ont cette heureuse impuissance de ne pouvoir rien faire contre les loix de leur Pays.*

1 Horum ego testimonia describam in eo libro, qui erit de *templis veterum Christianorum*.

2 Petrus de Marca *lib.* II. *de concord. Sacerd. & Imperii c.* XVI. *num.* VI. *pag.* 187. *edit. Francof.* 1708.

3 Orsius *ibid. pag.* 637. *seq.*

Age vero certis quibuſdam , deſtinatiſque legibus , quibus Rex teneatur , latis ; an erit conſequens , eum ab dignitate diſcedere , ac Regem deſinere vocari ? Grotius ſane ac Puffendorfius (1) , qui a multis principes habentur juris peritorum ; eum , qui ut imperio potiretur , ſuam populo obligarit fidem , ſanćteque promiſerit , iis ſe legibus , quibus , ut fundamentis eſt nixa reſpublica , civitatem adminiſtraturum , poſſe nihilo ſecius Monarcham & appellari , & eſſe , putant . Quamquam enim in quavis ſocietate ſumma poteſtas ita antecedat plebi , ut nemini mortalium ſubdatur , eſſe tamen interdum diſcrepantem cenſent , diſſimilemque in Monarchis regendæ reipublicæ rationem . Nam principes alios libere , alios regulis quibuſdam adſtrićtos populis imperare , atque illorum quidem *abſolutam* ; horum *ſummam* tantum poteſtatem eſſe . Itaque eam , quæ *abſoluta* ſit , *ſummam* etiam eſſe oportere ; quæ vero *ſumma* tantum , eamdem *abſolutam* non ſemper haberi poteſtatem. Sed *ſummum* principem , etſi *abſoluta* poteſtate non gaudeat , quod tamen eodem jure , iiſdemque ornamentis excellat , quibus in *abſoluta Monarchia* excellunt Reges , Monarcham eſſe exiſtimandum . Illud autem inter *ſummum* tantum , atque *abſolutum* Monarcham intereſſe . Hunc , qui ſolutus legibus ſit , ſui unius judicio , illum contra concilio optimatum , cœtuve plebis convocato , rem gerere . Jam vero componi id etiam cum veri Monarchæ notione poſſe. Nam quæ concilium, cœtuſve decrerit, horum vim omnem, aućtoritatemque ex principis aućtoritate manare . Hæc in *irregularem, mixtamque* rempublicam nullo modo competere . In *irregulari* enim duas, in noſtra vero unam principis, civitatiſque voluntatem eſſe ; quum ea quidem & ſua , & principis ; hæc vero quæ velit , principis , non ſua voluntate velit . Quod ſi fieri jure interdum poſſit , ut poſitis quibuſdam conditionibus, nequeat princeps nonnulla velle , quæ fruſtra velit; eum tamen locum obtinere ſummum , neque habendum eſſe op-

1 Grotius *lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* III. §. XVI. *p.* 120. *ſeq. tom.* 1. *opp. edit. Amſtelod. an.* 1735. Puffendorfius *lib.* VII. *de* J. N. & G. *cap.* VI. §. VII. *ſeqq. tom.* III. *edit. Lond. an.* 1740. *p.* 189.

timatum concilio, plebisve cœtu, cujus quidquam consensu statuit, inferiorem. Non enim aut libidine, aut immensa imperandi & facultate, & libertate auctoritas *summa* mortalium; sed æquitatis, rationisque limitibus continetur. Quid? si ne populus quidem illo est præstantior principe, cui jubenti non obtemperare aliquando possit. Scit namque fas sibi non esse imperare ei, cui contra pacta, conventaque imperanti non pareat. Explicat hæc patrisfamilias exemplo Grotius: *qui si quid familiæ facturum se promiserit, quod ad familiæ gubernationem pertineat, non eo desinet in sua familia jus summum, quantum fert familia, habere*. Qua ex re intelligitur, summam in Ecclesia, & *super Ecclesiam* Romani Pontificis potestatem futuram, etiamsi certis idem legibus teneretur. Fac igitur firmæ, immotæque sint, quas *Ecclesiarum libertates* Theologi quidam vocant; harum tamen vis, auctoritasque omnis, non ex alia, quam ex Pontificis auctoritate manaret. Quamobrem Petrus de Marca Antistes Parisiensium in tertio de concordia Sacerdotii, atque Imperii libro: *Solet*, inquit (1) *a plerisque pragmaticis hoc fere præcipuum constitui libertatis Gallicanæ theorema: Concilium œcumenicum superius esse summo Pontifice. Unde sequatur, nihil a Sedis Apostolicæ præsulibus tentari posse, quod Synodorum generalium definitionibus adversetur... Attamen si cum bona magistrorum venia id, quod sentio libere profiteri liceat, existimo libertates Ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti... Nam libertates perinde tuemur, si de Concilii generalis novis decretis, ac si de Romani Pontificis novis constitutionibus agatur... Quare non est, quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & quæ rebus nostris non prospicit, ut par est. Fruatur Summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis generalibus, aut superiori. Illud unum in foro expendetur, an nova constitutio, vel novum rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut noceat. Si receptos canones, vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente. Præterquamquod enim hæc novarum le-*

gum

1 *Cap.* III. *pag.* 120. *edit. supra indic.*

gum conditio est, & præcipue Ecclesiasticarum, ut assensu eorum, quorum interest, probentur; id sibi præcipue vendicat canonum reverentia, ut iis Pontifices Romani derogare velle non censeantur, etsi fortasse formulis rescripti, ex stilo Curiæ aliter cautum sit. Et in fin. num. 2. *Itaque non agimus cum Sede Apostolica, quasi cum potestate quadam certis regulis ita devincta, ut eas nullo casu egredi possit; cum sciamus canonum dispensationem, cujus est in politia Ecclesiastica frequentissimus usus, summo Pontifici præcipue concreditam: sed veluti ex pollicitatione, quam suis decretis canonum, & constitutionum executionem spoponderunt, a B. Petri successoribus cum debita reverentia exigimus. Quantum enim canonibus detulerint Romani Pontifices, per omnes ætates perpetuo & verbis, & factis testati sunt, eademque opera libertates nostras inviolatas spondere visi sunt.*

Non discrepant a Petro de Marca (1) Pithœus, (2) Cappellus,

1 Petrus Pithœus in *Breviar. Gallicanar. libertat. cap. v. pag. 20. seqq. tom. 1. edit. an. 1715.* ,, Etsi Pontifex, *inquit*, supremus habeatur in rebus spiritualibus; in Gallia tamen ,, locum non habet potentia infinita, & absoluta, sed circumscribitur canonibus, & re- ,, gulis antiquorum Conciliorum in hoc regno receptis. Et in eo maxime consistit liber- ,, tas Gallicanæ Ecclesiæ, ut disertis verbis universitas Parisiensis pronunciat ,,. Ad quæ quidem verba, quæ suo arbitratu coarctat *novus Adnotator not. 2. ad eumdem locum pag. 31. operis ejusd. inscript. Commentaire de M. Du Puy sur le Traitè des libertez de l'Eglise Gallicane de M. Pierre Pithou Avocat en la Cour de Parlement, Edit. Paris. an. 1715.* nihilo secius Ludovicus Thomassinus *Differt.* XVIII. *in Synod. Roman. an. 532. pag. 741. Dissertationum in Concilia tom. 1. edit. Paris. an. 1667.* ,, Audin, *inquit*, ,, *supremam, absolutam, infinitam* potestatem Ponsificis? In Gallia tamen revinctam an- ,, tiquis canonum vinculis, & decretis priscorum Pontificum. Ibi nec verbum sonat de li- ,, te, & victoria concilii supra Pontificem. Nempe cum & Pontificis infinita, suprema- ,, que potestas agnoscatur ,,. Verum quidem est negare Pithœum *cap.* XL. *pag.* 110. superiorem esse Concilio Papam; at quo sensu hoc negarit, indicat ibid. Thomassinus *p.* 741. ,, *seq.* Negat, *inquit*, superiorem esse Concilio Pontificem . . . nec tamen . . . superior ,, inde Synodus Pontifice efficitur. Ligantur enim & Synodi aliarum Synodorum, ligatur ,, & Ecclesia suis ipsa legibus, ligantur & Pontifices suis, ligantur denique successores an- ,, tecessorum Pontificum decretis, ne, ut Paulus ait, secum conflictabunda auctoritas, ,, quæ struxit destruat, quæ finxit, diffingat. Nec tamen in hac exemplorum strue minor ,, aut inferior est, qui legibus tenetur. Denique, auctore Pithœo Gallia uno tenore er- ,, ga Synodos Generales, Pontificesque, utrorumque leges non omnes admisit, veterum ,, auctoritate nova declinavit ,,. Hæc quam sint vera, iidem scriptores viderint. Nostri certe non esse concedenda pugnant. Ceterum utcumque se habeant, potiorem esse Synodi auctoritatem Pontificis potestate numquam efficient.

2 Jacobus Cappellus *libertez de l'Eglis. Gallic. an. 1639. pag. 41.* ,, Licet Papa habeat ,, plenitudinem potestatis; tamen si sine necessitate, aut communi utilitate discedat a ju- ,, re sanctorum Patrum, aut contra dispenset, non est fidelis dispensatio, sed crudelis dis- ,, sipatio, secundum Bernardum ,,. Confer Orsium *loco citato & Thomassinum loco citato pag. 742.*

pellus, Hotmannus (1), Coquillæus (2), Lescasserius (3), Thomassinus (4), aliique, quos recensere neque necesse est, neque vacat. Scio equidem reprehendi Marcam a Bossuetio (5), quod cum summa doctrina excelleret, tum ingenio *versatili, & æque in utramque composito partem* esset. Sed hæc tam illiberalis objurgatio, quæ minus habet disputationis, quam acerbitatis; probari iis, apud quos præjudicata opinio valeat, fortasse potest; liberis profecto, nullaque ejusmodi adstrictis necessitate, ut certam quamdam sententiam tueantur, non potest. Nam quod Bossuetius urget, non ita libertati, quam defendendam susceperat, prospexisse Marcam, ut poscere ratio videbatur, si quid efficeret, errasse quidem eum, efficeret; fuisse autem simulationis reum, non item. Iniquum autem est levitatis, inconstantiæ, versutiæ arguere hominem, cui, quod tibi probetur, non placeat.

At licet adversus (6) *extraordinaria mandata præscriptione uti, estque in canonibus firmum aliquid, & invictum, quod potestate Ecclesiæ constitutum sit, qua potestate coerceri Pontifex si extra limites efferatur, atque castigari possit. Quare non alio firmiore telo usa ad tuendam libertatem Gallorum Ecclesia, quam appellatione fuit. Hæc autem nulla esset, nisi statuas* Synodum *œcumenicam potestate Pontifici antecedere.*

Sed

1 *Libertez de l' Eglise Gallic. an.* 1639. *pag.* 14. 197. 308. 309. 322. 323. Adeundus Thomassinus *loc. cit. pag.* 742. ubi de Hotmanno agens: „ Post Constantiensem, *inquit*, „ ac Basileensem Synodum perhibet ille quidem vexatam fuisse quæstionem illam, an superior sit Papa concilio, Sorbonicis negantibus, legistis ajentibus, teste Gersonio . . . supersedisse Tridentinos Patres, mox ait ea quæstione attingenda, & tamen concludit, „ *nec facile dirimi posse litem illam . . . . Conducibilem esse modestam libertatem, sed* „ *deprimi plus æquo Pontificiam dignitatem*.

2 Guido Coquillæus *Libertez de l' Eglise Gallic. an.* 1639. *pag.* 425. & apud Thomassinum *loc. cit. pag.* 743. „ In Gallia, *inquit*, excogitata est ratio hæc honesta cohibendo- „ rum conatuum, quibus corruptela in Ecclesiam inveheretur: non ab abusu appellando „ a concessione rescriptorum Pontificiorum. In Pontifice enim agnoscitur supremitas in „ negotiis Ecclesiasticis: sed tamquam ab usu provocando ab executione ejusmodi rescri- „ ptorum. Ita in impetrantes culpa derivatur, concedentis honori parcitur.

3 Lescasserius *in iisdem libert. pag.* 501. *& pag.* 546. *seqq.* Confer Thomassinum *l. c. pag.* 743. *seqq.*

4 Thomassinus *Dissert. ead. num.* c111. *pag.* 734. *seqq.*

5 *Lib.* x1. *Defens. prop. Cler. Gallic. cap.* xv. *pag.* 138. *edit. Luxemburg. an.* 1730.

6 *Ibid.*

Sed nisi forte Bossuetius, ut libertati consulat, Ecclesiasticam Monarchiam, quam alioqui tuendam arbitratur, oppugnare, labefactareque velit, quorsum hæc evadant, nullo modo prorsus intelligo. Nam si, æquata principis, optimatumque potestate (1) consistere Monarchia nequit; consistere, Principe Senatui subacto, qui poterit? Itaque verbo ille Monarchiam ponet, re tollet; ut qui libertati consulens, Ecclesiæ potestatem Pontificiæ non parem quidem esse, sed præstantiorem putet.

Quid igitur? An non interdum Ecclesiæ quædam ad Synodum appellarunt? Ferent id quidem, facileque fortasse concedent nostri; sed vereor, ne deceptum fuisse Bossuetium vocabulo *appellationis*, idque sibi pro certo, quod aut controversum, aut falsum esset, sumsisse arbitrentur. Est enim ab Orsio scriptum in quinto Dissertationis illius, quam supra indicavi, capite: (2) *Stultum esse putare a Majestate appellari posse, quum appellatio semper procedat ab inferiori ad superiorem, majestate vero nihil superius fingi possit: nisi forte putemus*, inquit Arnisæus (3), *ab eadem ad se ipsam appellandum esse: quomodo Græcorum quidam Philippo Macedonum Rege poto ad eumdem sobrium appellavit: & ab Imperatore male informato ad eumdem melius informatum provocari posse... Hujusmodi ferme olim fuisse appellationes ab initio seculi* XIV. *ac deinceps in Galliis frequentatas. Quum enim simul, & ad Synodum, & ad Pontificem, qui Synodo præfuturus erat, provocaretur, ut* a Pontifice ipso ad ipsummet, vel ad successorem, *inquit Thomassinus* (4), ita a Pontifice ad Synodum supplicatio erat, etsi provocatio dictitaretur. *Id quamquam passim, ac promiscue, immo & umquam admittendum non sit, non tamen adeo Monarchicæ potestati repugnare, ut repugnat appellatio, qua vere, proprieque a Pontifice ad generalem Synodum provocetur.*

Manet

1 Adeundus, si licet, Puffendorfius *lib.* VII. *de J. N. & G. cap.* IV. §. XIV. *pag.* 152. *seq. tom.* III. *edit. Londin.*

2 Orsius *ibid. cap.* V. *pag.* 650. *seq. Thomass. p.* 738. *seq. num.* CV.

3 Arnisæus *lib.* II. *de jure majest. cap.* IV. *num.* 8. *pag.* 307. *edit. an.* 1610.

4 Thomass. *Differt. eadem* XVIII. *num.* CV. *pag.* 740.

Manet ergo, summam esse Pontificis in Ecclesia potestatem, *si vere, proprieque* Monarcha is est Ecclesiæ. Est autem vere, proprieque Monarcha, ut ostensum est. Est igitur illius in Ecclesia potestas summa. Restat ut sit ne etiam *absoluta*, videamus. Quod quidem quæstionis genus, cum esse plenum invidiæ, difficultatisque viderent nostri, caute imprimis esse expediendum, dirimendumque putarunt. Atque illud priore loco animadverterunt, non eo Regem aliquem, quo solutus naturæ, divinisque legibus sit, *absolutum* appellari, ac consuesse *liberum* (nullus namque Monarcha mortalis est, qui non iisdem sese legibus adstringi confiteatur), neque quo salutem publicam, utilitatemque, cujus sunt caussa constituta imperia, tueri non debeat; sed quo ita regat, administretque rempublicam, ut nullo modo humanis illis statutis, ac legibus teneatur, quæ sine detrimento salutis, immo magno interdum commodo sociorum immutari, tollique possunt. Quamobrem quærentibus nostris *absolutane*, an veluti finibus quibusdam limitibusque Romani Pontificis constricta Monarchia fuerit, illud certe numquam in mentem venit, ut solutusne naturæ, Deique legibus, iisque statutis sit, sine quibus consistere consociatio Christianorum, salusque non potest, investigandum arbitrarentur. Atque ut mittam, quæ sunt de naturæ, Deique legibus, quibus certe de rebus, qui dubitaret, invenimus omnino neminem; pro certo illud quoque habendum est: *ne regum quidem promissis regiam auctoritatem coarctari*. *Observat autem Puffendorfius*: (1) *Regem, cum ei primum defertur imperium, ad recte, probeque illud administrandum obstringi aut generali, quæ tacita vel expressa est, aut etiam speciali quadam promissione* (2). Tacita, *inquit*, promissio regni bene gerendi in ipsa ejusdem susceptione inesse intelligitur, etiamsi nihil expresse dictum fuerit. Frequentissimum tamen est, promissionem illam fieri expresse, non sine juramento, certaque rituum solemnitate. Neque

1 Orsius *ibid. cap.* VI. *pag.* 652. *seqq.*
2 *Lib.* VII. *de* J. N. *&* G. *cap.* VI. §. X. *pag.* 195. *tom.* III. *edit. Lond.*

Neque id inusitatum, ut in ea promissione officium Regis describatur per periphrasim, aut numerationem præcipuarum partium. Puta: se diligenter invigilare velle saluti publicæ promovendæ, bonos defensurum, malos coerciturum, justitiam integre administraturum, neminem oppressurum, & similia. *Quæ omnia tacite insunt delationi, ac susceptioni imperii: Atque adeo neque ad hæc promissa respicimus in illa imperii in absolutum, & limitatum divisione. Neque enim ullum imperium est, quod non quibusdam limitibus, qui ex ipsa justi imperii natura profluunt, circumscribatur. Quum enim regendi jus ad utilitatem, & securitatem civium tuendam introductum sit, constat plane, non in eorum debere damnum, atque perniciem redundare; ac proinde utilitas, atque securitas reipublicæ limites imperii sunt, ultra quos proferri non debet illius usus. Absolutum itaque manet jus regendi cives summo Imperanti, cui nullæ aliæ conditiones præscriptæ sunt, quam quæ ipsi delationi imperii ipso jure cohærent. Penes autem ipsum est arbitrium judicandi, & statuendi de his, quæ ad pacem, & salutem reipublicæ procurandam apta, & idonea suis quæque locis, ac temporibus videantur. Hæc tamen generalis promissio quamquam simplex esse videatur, cum ad particularia negotia accommodatur, mirum quot capita complectatur! Vix enim fieri potest, ut receptæ in aliquo regno consuetudines, aviti mores, & leges fundamentales convellantur, quin pax, & tranquillitas reipublicæ perturbetur, atque adeo in ipsa Regni susceptione, & in ea generali expressa, vel tacita promissione hæc etiam quodammodo comprehenditur, ut leges, & consuetudines diuturno usu firmatæ, & quæ etiamnum vigent, iisque vigentibus ipsa quoque respublica floret, ac viget, non modo a principe non rescindantur, atque labefactentur: verum etiam, ut omnem is operam conferat ad earum observantiam promovendam, intelligatque id esse imperii sui potissimum munus, ut leges obtineant, & inviolabiles habeantur. Quo profecto, & non alio spectant plurima veterum Romanorum Pontificum testimonia, qui se non violatores, & infractores, sed custodes, & executores (1) cano-*

1 Zos. & Martin. *Pontif. apud Ors. ibid. pag.* 654.

canonum profitentur. Hoc ipso ergo, quod Apostolicum thronum Romanus Pontifex conscendit, se vindicem, ac defensorem canonum profitetur. Cumque se obstringat ad Christianam rempublicam inculpate, sancteque gubernandam, & ad pietatem, ac religionis studium, morumque sanctitatem in Clero, & in populo promovendam, hoc ipso etiam spondet, aut spondere censetur sanctissimarum legum custodiam, ac tuitionem, atque earum imprimis, quibus Christiana pietas maxime continetur, & quibus vigentibus ea maxime floret, quæque post Evangelicas, fundamentales Ecclesiæ leges dici quodammodo possunt. Ea porro generali sponsione tantum abest, ut imperium absolutum esse desinat, ac limitatum reddatur, ut Puffendorfius etiam adjungat, neque id semper contingere, cum princeps in eas regnandi leges, seu regulas speciali promissione consentit. Advertit enim duobus modis concipi, ac præstari posse hujusmodi promissionem. Primo ut ea solum conscientia principis teneatur. Secundo, ut habeatur veluti necessaria conditio, qua prætermissa, ab obedientiæ debito soluti populi intelligantur. Quod ut melius percipiatur, videtur tres incidere posse casus, in quibus a constitutis promissisque regulis princeps discedat: Primo ut salus reipublicæ id sine mora, palam, ac necessario requirat: Secundo ut non sit tam evidens, urgensque necessitas, quin ea de re comitia populi, aut Senatus conferri commode queant: Tertio ut non modo nulla urgente, seu dubia necessitate, sed mero arbitrio, atque ex libidine præscriptas regulas transgrediatur. Nulla porro esse potest controversia, quin etiam in regno legibus circumscripto, ubi præsens necessitas urgeat, liceat principi præter leges agere: quum salus reipublicæ suprema lex sit, ad quam ceteræ dirigendæ sunt. Multis etiam videtur, quod & in regno libero, & absoluto principi fundamentales, ut ajunt, leges passim, & ex libidine violanti, quod ad ejus fieri potest, sine graviore ipsius reipublicæ perturbatione parendum civibus non est. Quod vero pertinet ad casus dubios, & qui in disceptationem venire possunt; de his intelligendum videtur quod ait Puffendorfius, Regis promissis ejus solum obstringi religionem, si nullum in regno constitutum sit concilium (1): Quod

1 *Puffendorf. ibid.*

Quod Rex teneatur consulere, siquidem ab iis promissis tempora reipublicæ discedere jubeant: atque ejusmodi concilium jure suo, non precario, super illis negotiis cognoscere possit, & citra cujus consensum Regis jussis circa talia cives non obligentur. *Quoniam si nullum ejusmodi concilium in regno est, neque Rex ad illud cogendum in iis casibus teneatur, jus civibus non est jussa principis detrectandi, & ejus acta veluti contra datam fidem, & promissionem admissa, irrita denunciandi. Quoniam si princeps contendat, salutem publicam, aut insignem reipublicæ utilitatem postulasse, ut a regulis discederetur, quod sane de principe communiter præsumendum est: nihil habent subditi, quod reponant, quoniam eorum non est statuere, satis gravis necessitas fuerit, nec ne, quæ principem a præscriptis deflectere regulis compulerit. Statuit ergo laudatus auctor, populo, qui principi circumscriptam auctoritatem conferre velit, instituendum esse publicum cœtum aut populi, aut optimatum, ad quem principes referat ea negotia, quæ ad merum illius arbitrium non spectant, & citra cujus consensum nihil omnino de iis decernat, ac si secus factum fuerit, velut irritum habeatur.* Tali, *inquit*, modo qui Regem sibi constituit populus, obsequium ipsi promsisse intelligitur, non absolute, & in omnibus, sed quatenus imperium ad capitulationem, & leges fundamentales congruit, a quibus discrepantes actus ipso jure sunt irriti, neque vim obligandi cives obtinent. *Atque eadem ratio est, si princeps populi, vel procerum comitia in ejusmodi casibus cogere teneatur. Ad hanc ergo doctrinam Romani Pontificis Monarchiam exigamus.*

Christus Servator, qui auctor potestatis Ecclesiasticæ est, Petrum caput constituens, principemque Reipublicæ populi Christiani, ita se illi dedisse claves regni cælorum dixit, ut quæcumque ille in terris ligasset, solvissetve; (1) ea ligata, solutave etiam in cælis essent. His autem verbis, quibus nihil *limitati*, nihilque velut angustiis quibusdam, finibusque constricti, terminatique contineatur; subjectam fuisse quis credat auctoritati Ecclesiæ auctoritatem Petri?

 Nam

1 Matth. *cap.* XVI. *v.* 18. *seq.*

Nam ſi populus ſumma imperii cuiquam, nulla lege, conditioneve adjuncta, demum tradat, promittatque, quæcumque ille ſanxerit, decreverit, caverit, ea ſeſe rata perpetuo habiturum; fore quidem pleroſque non dubito, qui *abſolutam* ejus eſſe Principis auctoritatem pugnent; qui autem neget, omnino neminem. Quod ſi conceſſa deinde *ligandi, ſolvendique* ceteris Apoſtolis poteſtas fuit, cum in *ædificationem*, (1) non *in deſtructionem*, ut eſt a Paulo dictum, conceſſa fuerit, confirmare id ſcilicet *abſolutam* Petri Monarchiam nullis anguſtiis, finibuſque a Chriſto coarctatam poteſt; *deſtruere* certe non poteſt. Age vero quem umquam Senatum, cœtumve Chriſtus inſtituit, quem Petrus, quique ei ſucceſſiſſent, conſulerent, cuique de cognitis, diremtis, dijudicatis gravioribus cauſſis, controverſiiſque rationem reddere cogerentur? Quum autem Senatum ejuſmodi, cœtumve nullum cognoſcendarum litium, controverſiarumque dijudicandarum cauſſa convocari juſſerit; immo vero Petro quidquid eſt gentium chriſtianarum, populorumque ut agnos, oveſque paſtori ſubdiderit (2), quid eſt, quod eam eſſe limitandam, quam Chriſtus limitibus numquàm conſtinxerit (3), poteſtatem putem?

Non ſum neſcius, fuiſſe aliquos, qui cum promittere olim Pontificem (4) ſeſe canones, reſque Eccleſiæ ſervaturum, daturumque operam, ut ab aliis ſervarentur, conſueſſe, ſcirent; legibus quibuſdam coarctari ejus Monarchiam

1 II. *ad. Cor. cap.* X. *v.* 8.

2 Johan. *cap.* XXI. *v.* 15. *ſeq.*

3 S. Gregorius *lib.* XI *epiſt.* XLV. *ad Theoctiſtam pag.* 1130. *edit. Pariſ. Monachorum Congregationis S. Mauri*. „ Si Beatus Petrus, *inquit*, cum a fidelibus culparetur, (*quod* „ *ad Gentiles Chriſtianos factos accedens, cum eis comediſſet*) auctoritatem, quam in „ ſanctam Eccleſiam acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, ut paſtorem ſuum oves „ reprehendere non auderent „. Eadem fere habet S. Avitus Viennenſis *Ad Senatores Urbis aliorum Galliæ Epiſcoporum nomine ſcribens T.* II. *Concil. edit. Hard. p.* 983. *ſeq.* „ Reddet, *inquit*, rationem, qui ovili Dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum „ curam adminiſtratione diſpenſet: ceterum non eſt gregis paſtorem proprium terrere, „ ſed judicis.

4 *In lib. diurno Roman. Pontiſic. edit. Garnerii pag.* 29. *In Profeſſ. fidei* ſic promittebat electus Pontifex: „ Diſciplinam, & ritum Eccleſiæ, ſicut inveni, & a ſanctis præceſſo„ ribus meis traditum reperi, illibatum cuſtodire. Et indiminutas res Eccleſiæ conſerva„ re, & ut indiminutæ cuſtodiantur, operam dare... Si qua vero emerſerint contra diſci„ plinam canonicam, emendare; ſacroſque canones, & conſtituta Pontificum noſtrorum, ut „ divina, & cæleſtia mandata, cuſtodire.

chiam arbitrarentur. At hi si animadver tissent,quæ mox promittens ille addere soleret,numquam in eam venissent opinionem,ut id ex illius verbis concludi dicerent,quod reipsa concludi nullo modo posset. Nam si leges, statuta, canones aut migrasset, aut negligentia quadam prætermisisset, ejus se, adjungebat, sive culpæ, sive negligentiæ rationem, non populo, sed Petro (1) Christi Vicario redditurum. Quod quidem declarationis genus, indicium Monarchiæ constitutæ a Christo, & a Petro rectæ, administratæque erat; limitibus vero, angustiisque humanarum legum constrictæ, non erat.

Quamquam eos se nostri Theologi negant esse, qui Regem, aut Pontificem judicent, (propterea quod summam, *absolutamque* in civili, aut in Ecclesiastica republica potestatem obtineant) inconsultis prudentibus, sapientibusque viris de gravissimis rebus decernere debere. Manere namque *summam*, *absolutamque* auctoritatem, adhibito in consilium Senatu, posse, auctor est Puffendorfius (2) in septimo *De Jure Naturæ,ac Gentium* libro.Non enim in eo summa *absoluta* Monarchiæ consistit ratio, ut quod libeat, hoc cæco, temerarioque impetu princeps agat; sed ut suo in administranda republica judicio,quocum consultatio certe non pugnat, utatur. Quare etsi Romani Pontifices nihil se grave, atque arduum sine consilio (3) Cardinalium acturos olim pollicebantur; convocatisque interdum Episcopis, quid facto esset opus, quærebant; hinc tamen nihil sibi, *absolutæque* monarchiæ, quam regerent, metuendum arbitrabantur.

1 *Ibid.* „ Utpote tibi (B. Petro) redditurum me sciens de omnibus, quæ profiteor, districtam in divino judicio rationem „. Rursumque: „ si præter hæc aliquid agere præsumpsero; vel ut præsumatur, permisero, eris mihi in illa terribili die divini judicii depropitius „. Itaque Ennodius, cujus est a Synodo Romana an. 503. probata sententia *tom.* II. *Concilior. edit. Hard. pag.* 983. „ Voluit Deus B. Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam „.

2 *Lib.* VII. *cap.* VI. §. XII. *pag.* 199. *tom.* III. *edit. Londin.*

3 *Lib. Diurn. Rom. Pontif. ibid. pag.* 30. „ Si qua vero emerserint contra disciplinam canonicam, communicatione filiorum meorum S. R. E. Cardinalium, cum quorum consilio, directione, & rememoratione ministerium meum geram, emendare, aut patienter, excepta fidei, & Christianæ religionis gravi offensione ... tolerare.

tur. Tunc enim solum coarctari, limitarique principis auctoritatem norant, cum (1) *Subditi in ipsa imperii delatione cum eo pacti sint, ut si quid circa quædam negotia haud adscitis regni comitiis, privato judicio, & propria auctoritate statuat, decretum irritum sit, & nullius roboris habeatur. Quod Romæ numquam obtinuit. Nam quod graviora Ecclesiæ negotia, ut habet hujus temporis disciplina, nonnisi per sacras Congregationes, aut in Consistorio expediantur, ex ipsorum Pontificum voluntate pendet. Atque id etiam aliquando sine partitione majestatis in iis regnis obtinuit, quæ pleno jure, ac sola principis voluntate regebantur. Multum enim, ut ait Grotius* (2), *falluntur, qui existimant, cum Reges acta quædam sua nolunt rata esse, nisi a Senatu, aut alio cœtu aliquo probentur, partitionem fieri potestatis. Nam quæ acta eum in modum rescinduntur, intelligi debent rescindi regis ipsius imperio, qui eo modo sibi cavere voluit, ne quid fallaciter impetratum pro vera ipsius voluntate haberetur. Quale erat Antiochi* III. *Regis rescriptum ad magistratus, ne sibi parerent, si quid legibus adversum jussisset. Quare hæc res, quemadmodum laudatus Grotius subjungit, similis est testamentis, quibus adjectum est, ne posterius testamentum valeat: nam hæc quoque clausula efficit, ut posterius testamentum non ex vera voluntate profectum præsumatur. Ad hanc porro regulam exigi etiam debet, quod Theologi, & juris canonici interpretes tradunt de Pontificis rescriptis haud exequendis, si vel in maximam alicujus regni perturbationem, aut in apertam Christianæ reipublicæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ læsionem, atque perniciem ea cedere compertum sit. Docent enim in eo casu reverenter agendum cum Romana Sede, ita tamen, ut executio rescriptorum suspendatur* (3). *Quod tamen, ut sapienter*

1 Orsius *Dissert. supra indicata cap.* VI. *pag.* 660. *seq.*

2 *Lib.* 1. *de J. B. & P. cap.* III. §. XVIII. *num.* 1. *pag.* 124. *tom.* 1. *edit. ejusdem Amstelod.*

3 Orsius ibid. *pag.* 662. „ *Non quod aliquis possit esse judex Papæ, aut auctoritatem* „ *habeat in illum, sed per modum defensionis*, inquit Cajetanus tractatu de Auctoritate „ Papæ cap. XXVII. *Cuilibet enim est jus ad resistendum injuriæ & impediendum, defen-* „ *dendumque*. Eademque est sententia Innocentii IV. & Hostiensis *in capit. de con-* „ *suet.* Cardinalis Turrecrematæ *lib.* II. *de Eccl. cap.* CVI. Silvestri *in summ.* v. *Papa* „ §. XV. Jacobatii *lib.* VIII. *de Conciliis art.* XII. Victoria *de Potest. Papæ, & Conc.* „ *Prop.* VII. & Cordubensis *de Potest. Papæ quæst.* VIII.

ter monet Illustrissimus de Marca (1) *sic interpretandum est, ut inde argui non possit defectus auctoritatis in Summo Pontifice, sed defectus intentionis &c. Profecto si Reges ipsi, ac principes seculares e suorum executione decretorum desisti jubent, aut id velle censendi sunt, si jus violetur, aut damnum ex eis reipublicæ existat* (2), *quanto magis judicare, & præsumere debemus, eam esse Romanorum Pontificum voluntatem, si aliquando eis excidat, quod sanctiori disciplinæ, legibusque, ubi reapse florent, ac vigent, officere videatur* (3).

At dicet aliquis: si vera hæc sint, jam concidat funditus necesse est Vallii, Bellarmini, Sanderi, Turrecrematæ, & quod caput est, S. Thomæ sententia, formam, rationemque Christianæ reipublicæ non Monarchicam omnino, sed Aristocratia, Democratiaque temperatam esse ajentium. Ego vero de Turrecremata, & S. Thoma mox videro. De Bellarmino (4) paucis explicabo, quod sentio. Is, non quo Pontificem æquandum, aut subdendum Synodo, Ecclesiæve universæ putaret, sed quo Episcopos veros Principes, pastoresque, non Vicarios Antistitis Romani esse sciret, Monarchiam Ecclesiasticam Aristocratia; rursumque, quod omnibus Christianis aditum ad præcipuas dignitates, si modo apti existimentur, patere perspiceret, Democratia quoque esse temperatam dixit. Itaque verbo quidem a nobis dissidet, re autem vera, nullo modo. Quid enim impedit, quin *vera, propria, summa, absoluta* Monarchia sit ea, in qua aliqui singulares sint singularium Urbium, verique principes, non Vicarii Regis; quos tamen Rex, cum auctoritate,

1 *Lib.* III. *Concord. Sacerd. & Imperii cap.* XV. *num.* IX. *pag.* 306. *edit. Francford.* quo loco explicans quod de *intentionis*, ut quidam loqui solent, defectu scripserat: „ Nec „ enim existimandum est, *inquit*, ab illa sede, quæ paternarum regularum, & juris, „ & æqui custodiam ab aliis exigere solet, alienas a commodis Ecclesiæ institutiones con„ sulto proficisci. Etsi enim legibus ceteris non teneretur, a rectæ rationis legibus solvi „ non potest: quare ita se gerere solet, & debet, *ut præmittat clavem discretionis ante* „ *clavem potestatis*, quemadmodum loquitur Innocentius IV. *cap. Quant. de Jurejurand.*

2 Confer, quæ *ibid.* Orsius *ex Plutarchi Apophtegmatibus*, exque l. 2. *cod. tit.* XIX. *de precib. Imperat. offerend.* exempla describit *ibid. pag.* 663.

3 Hine Hilarius Papa *epist.* IV. *tom.* II. *Concilior. edit. Harduin. pag.* 792. „ Nihil ad„ versum venerandos canones; nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei judicium valeat; „ quidquid obreptum nobis esse constiterit.

4 *Bellarm. loc. supra indic. ex cap.* III. *&* V. *lib.* 1. *de Rom. Pontif.*

tate, poteſtateque abutantur ſua, punire, pellereque e principatu, ſi velit, poſſit? Rurſum hos ſi ita ſubeſſe oſtendas Regi, ut cum contra jus, faſque agant, ab eo corripi, redargui, coerceri, ac ſi opus ſit deturbari de gradu, non queant modo, ſed etiam debeant; tum ejus, etſi diviſi, junctive fuerint, tamen non ſolum non ſuperent poteſtatem, ſed ne æquent quidem: confiteare neceſſe eſt, Regis illius Monarchicum omnino eſſe, non Ariſtocratia temperatum imperium. Quare Bellarminus, qui Epiſcopos & diviſos, & congregatos ſubeſſe Pontifici, ſtatuit; verbo quidem negat, re autem, ut dixi, vera ſtatuit nullum habere in adminiſtranda Chriſtiana republica Ariſtocratiam locum. Quamquam eſt etiam eorum probanda ratio, qui hujus ſcriptoris opinionem interpretaturi (1) ſtatum reipublicæ, ab imperandi, quem princeps velit, modo diſtinguendum putant. Atque hi quidem Regium eſſe animadvertunt ſtatum illius civitatis poſſe, cujus ſit civitatis Democratica, vel Ariſtocratica gubernatio. Id autem ſibi Bellarminum velle, *cum regimen eſſe tribus reipublicæ gubernandæ formis temperatum ſcripſit*. Quod ſi eſt aliquis, qui nihilo ſecius tolli a Bellarmino abſolutam Eccleſiæ Monarchiam pugnet; caveat ille quidem, ne nullam invenire tam perfectam, tamque abſolutam Monarchiam poſſit, quæ non aliquam præ ſe formam, rationemque Ariſtocratiæ gerere videatur. Hanc ſi Natalis Alexander, Boſſuetiuſque temperationem adhibuiſſent, experti numquam Romanos adverſarios, oppugnatoreſque fuiſſent. At hi non temperatum, ſed mixtum neſcio quid e Monarchia, & Ariſtocratia excogitarunt; ex quo *irregularis* quædam, non egregia illa, quæ pacem, ſtabilitatemque reipublicæ populi Chriſtiani contineat, forma proficiſceretur.

Nunc de S. Thoma (2) deque Johanne a Turrecremata dicen-

1 Orſius *ibid. pag.* 665.

2 S. Thomas *in* IV. *lib. contr. Gent. c.* LXXVI. *pag.* 368. *ſeq. edit. Antuerp. an.* 1568. ubi conſtituit: „ Neceſſe eſſe, ut ſit aliqua ſuperior poteſtas in Eccleſia alicujus altioris „ miniſterii, quæ ordinis ſacramentum diſpenſet, & hæc ſit Epiſcopalis poteſtas, quæ etſi, „ quantum quidem ad conſecrationem corporis Chriſti non excedat Sacerdotis poteſtatem, „ excedit tamen eam in his, quæ pertinent ad fideles; nam & ipſa Sacerdotalis poteſtas ex „ Epi-

cendum breviter est, quos Bellarminus pro Monarchia Ecclesiastica,

„ Episcopali derivatur, & quidquid arduum circa populum fidelem est agendum, Episcopis reservatur, quorum auctoritate etiam Sacerdotes possunt hoc, quod eis agendum committitur . . . & sic manifestum est, quod summa regiminis fidelis populi ad Episcopalem pertinet dignitatem „: sic demum addit: „ sicut in uno speciali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius populi caput; ita in toto populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ caput. Item ad unitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri. Per diversitatem autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiæ in necessariis non defecit, quam dilexit, & pro ea sanguinem suum fudit . . . Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit. Adhuc nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum, per quem reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Optimum autem regimen multitudinis est, ut regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax. Pax enim, & unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior caussa est unus, quam multi. Manifestum est igitur, regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesiæ præsit. Amplius. Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur. Unde & Johannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de cælo . . . In triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet Deus: Dicitur enim Apocalyps. 21. *Ipsi populus ejus erunt &c.* Ergo & in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Hinc est, quod Osea 1. dicitur: *congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum*, & Dominus dicit Joh. x. *fiet unum ovile, & unus pastor*. Si quis autem dicat, quod unum caput, & unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus: non sufficienter respondet. Manifestum enim, quod omnia Ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat &c. & tamen, quia corporaliter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, ut alicui committeret, qui loco sui universalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit ante ascensionem: *pasce oves meas*. Joh. ult. Et ante passionem: *Tu iterum conversus confirma fratres tuos.* Luca xxii. Et ei soli promisit: *Tibi dabo claves regni cælorum*, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Non potest autem dici, quod etsi Petro hanc dignitatem dederit; per eum tamen ad alios non derivatur. Manifestum est enim quod Christus Ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem seculi duratura: secundum illud Isaiæ ix. *super solium David, & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitia amodo, & usque in sempiternum*. Manifestum est igitur, quod ita illos, qui tunc erant, in ministerio constituit, ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem seculi. Præsertim cum ipse dicat *Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*. Per hoc autem excluditur quorumdam præsumtuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subjectione Petri, successorem ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes „. Hunc ego locum, etsi longiusculum, describendum tamen censui, ut quæ S. Thomæ fuerit de Petri, successorumque Pontificum Monarchia sententia, quibusque argumentis niteretur, liqueret. Quo etiam ex loco intelligi facile posse arbitror, quam magno in errore versetur Johannes Georgius Dorscheus Argentoratensis, qui in eo pleno calumniarum libro, quem inscripsit *Thomas Aquinas Confessor veritatis.... Augustana Confessione repetita sect. IV. Thes. III. pag. 82. Ecclesiam particularem Romanam* auctore Thoma, *ita potuisse deficere*, scribit, *ut in extrinseco cultu, & fidei professione pateretur detractionem, & additionem vitiosam. Et Thes. XVII. pag. 198. edit. Francof. an. 1656. Ecclesiæ ministros constituere, opus esse Ecclesiæ totius, adeoque non vel magistratui soli, vel soli ordini Ecclesiastico attribuendum.*

ſiaſtica, Ariſtocratia, Democratiaque temperata pugnaſſe exiſtimavit. Ego igitur, qui Thomam in eo, quem doctus hic ſcilicet Cardinalis, ac ſapiens indicavit, loco, de ſumma Pontificis poteſtate, deque Epiſcopis principibus, paſtoribuſque ſingularium Eccleſiarum egiſſe, non modo non repugnem, ſed etiam libens patiar; egiſſe etiam de Monarchia Eccleſiæ, quaſi Ariſtocratia temperata ſit, numquam patiar. Nihil enim eſſe in eo libri *contra Gentes* quarti capite video, ex quo poſtremum illud, non dicam brevi, diſtincta, atque perſpicua (nam eſt id omnino difficile) ſed longa, eaque jam implicata rerum ſerie, conſecutioneque concludi, cognoſcique poſſit. Eſt autem ſententiæ Thomæ ſententia Turrecrematæ (1) omnino ſimilis, ut mirum ſit Bellarminum eos ſuæ theſeos appellaſſe teſtes, qui eam non modo non probaſſent, ſed ne cogitaſſent quidem.

Neque vero qui Theologi reipublicæ populi Chriſtiani ſtatum ab imperandi ratione diſtinguendum cenſent, ita ſunt inſtituti, ut Richerianorum probent ſententiam. Nam Richerius ſtatum ab regimine disjungens, etſi verbis Monarchicum ſtatum, Ariſtocraticum vero regimen eſſe defendat, tamen in errorem incidiſſe videtur Democraticorum. Qui enim unum eſſe Eccleſiæ Monarcham Romanum Pontificem dixerat, eumque canonibus a Synodis oecumenicis conſtitutis ſubdiderat; idem claves non Vicario Chriſti Petro per ſe, ut viſibili capiti Eccleſiæ ſummo, ejuſque ſucceſſoribus, ſed *miniſterialiter* datas ſcripſit, propterea quod eas *toti Eccleſiæ datas fuiſſe, ut per unum exercerentur*, putaret. Quamquam non ſum neſcius, fuiſſe aliquos, qui eſſe alias Richerianæ illius ſententiæ interpretationes poſſe arbitrarentur: harum eſſe primam, ut Chriſtus in conſtituenda Eccle-

1 *Lib.* II. *de Eccl. cap.* II. *pag.* 116. *ſeqq. edit. Veneta Tramezzinor. ann.* 1560. Immo vero is auctor *pag.* 118. „ Hoc magis, *inquit*, & congruentius ſit, ſi principatus „ fuerit apud unum, ſicut eſt in regno, quam ſi fuerit apud plures, ſicut in Ariſtocratia, „ ſive in politia: unitatis enim, & pacis congruentior cauſſa eſt unus, quam plures. Ergo ſequitur, quod talis Eccleſiæ principatus, ſcilicet Monarchicus, ſive Regalis, in „ quo omnium ordinatorum reductio, ac adunatio eſt, redigatur ad unum principem poteſtate, & auctoritate omnibus præſidentem. Hinc Eccleſia per arcam Noe deſignatur &c. „ Conſulat, ſi libet, lector, quæ ſequuntur.

Ecclesia integram potissimum, totamque Christianorum societatem formandam decreverit, atque hunc sibi tamquam ultimum, ac præcipuum finem proposuerit, ut rempublicam quamdam sacram, velut corpus ex membris omnibus, capite videlicet, ac ceteris, coalescens perficeret: (quod si Richerius voluisset, ob implicatam scribendi, qua usus est, rationem redargui fortasse debuisset, nihil tamen absurdi, falsique dixisset) alteram vero, ut potestas, jurisdictioque ecclesiastica insit communitati orthodoxorum; atque id quidem genus interpretationis modis rursum duobus accipi posse. (1) *Primum ut penes ipsam Ecclesiæ communitatem ab origine, institutioneque sua, jurisdictio illa fuerit ei a Christo tributa, sed eam subinde in unum aliquem transtulerit, ut esset deinceps politia Monarchica. Quod in omnibus imperiis, ac regnis usuvenisse putant, qui de rebus publicis scripserunt, ut jus, & potestas omnis a natura ipsa communitati conveniat, quæ eam postea vel in plures magistratus, ac rectores partiatur, vel integram in unum aliquem transferat; deinde, ut communitas ipsa fidelium potestatem, ac jurisdictionem, quam primario possidere dicitur, sic in alterum derivet, ac trajiciat, ut eam non amittat, sed retineat, ac solam ejus functionem, executionemque, vel, ut idem Richerius loquitur, ministerium* (2) *committat;*

1 Petav. *lib.* III. *de Eccl. Hierarch. cap.* XIV. *pag.* 880. *tom.* III. *Theolog. dogmat. edit. Paris.*

2 Richerius *lib. de Eccles. & Polit. Potest. cap.* 1. *p.* 1. *tom.* 1. *edit.* Colon. *an* 1701. Quare Dionysius Petavius *lib.* III. *de Hierarch. Ecclesiast. cap.* XV. §. 1. *pag.* 886. *t.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Paris.* „ Si quibus verbis, *inquit*, opinionis suæ summam Riche-
„ rius expressit, attente consideremus ... judicabimus hanc illius fuisse mentem, ut Ec-
„ clesiastica jurisdictio toto in Ecclesiæ corpore tamquam in subjecto etiamnum hæreat, ita
„ ut non eam ipsam, sed hujus tantummodo usum & executionem Romanus Pontifex, &
„ Episcopi omnes obtineant ... Duo sunt in illa complexione verborum; alterum: *totam*
„ *jurisdictionem Ecclesiasticam proprie, ac essentialiter Ecclesiæ convenire* (*Rich. l.* 1.
„ *cap.* 1.) alterum: *Romano Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantum*,
„ (*Richer ibid.*) *& quoad executionem convenire*: (*Richer. ibid.*) Hic primum appa-
„ ret, quod ait, convenire jurisdictionem idem esse, ac veluti in subjecto residere,
„ & hærere, quemadmodum in magistratu auctoritas inesse, ac potestas, imperiumque di-
„ citur. Quocirca jurisdictionem censet in tota Ecclesia, & communitate fidelium inesse
„ proprie, non autem in Pontifice Summo, vel in Episcopis, quibus potestatis executio, &
„ ministerium, velut instrumentis convenit ... Non igitur potestatem, & jurisdictionem
„ Ecclesiasticam habent Præsules, & Episcopi, sed tota multitudo fidelium ex Richeriano
„ illo dogmate „. Hæc vero Richeriana paradoxa nisi statum Ecclesiæ Democraticum efficiant, quid demum efficere possint, non video.

quemadmodum in populari republica, velut Athenis, ac Romæ, ita magistratus creabantur, & quidem maxima interdum præditi potestate, ut tamen summa penes populum esset.. Sed quum iidem ipsi scriptores, horum duorum, quæ postremo loco memorata sunt, alterutrum voluisse Richerium; falsum autem utrumque, & ἀσύστατον, esse ostenderint; non est necesse, ut iisdem in rebus copiosius demonstrandis, frustra esse tempus conterendum putem.

Sed quoniam de Richerii sententia disputatum est, non alienum videtur esse, quæ ille ad an. 1631. gesserit, utque aliquando, quæ scripserat, explicarit, proponere. Is igitur Cadusiæ in Diœcesi Lingonensi natus, cum Lutetiam studiorum caussa venisset, ac Presbyter, & Doctor, deindeque Syndicus S. Facultatis Parisiensis anno 1608. (1) creatus esset; anno demum 1612. ob publicatum anno 1611. (2) *De Ecclesiastica, & Politica Potestate* libellum, comitiis sociorum de Syndici gradu dejectus (3) est. Hac accepta calamitate, etsi subjectum ab se libellum censuræ, atque judicio Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæque fuisse diceret (4), perstitit tamen in antecœpta opinione, eamque non longa apologia solum, sed etiam anno 1613. scripto testamento (5) defendit. Sed anno 1620. ut Cardinali de Rets Parisiensi Archiepiscopo obtemperaret, eo se animo libellum *De Ecclesiastica, & Politica Potestate* edidisse, scripsit, ut quæ vetus Parisiensis Scholæ doctrina esset, intelligeretur. Nihilo secius fuisse aliquos, qui nonnulla, quæ obscura

ra

1 Ita namque de se scribit *in suo testamen. pag. 31. tom. 1. defens. libelli sui edit. Colon. ann.* 1701.

2 *Ibid. pag.* 32.

3 Confer Jacob. Benign. Bossuet. Episc. Meldens. *Defens Cleri Gallic. p. 11. lib. 1v. cap. xxiv. seq. edit. Amstelod. an. 1745. tom. 1. Acta 1. Facult. Paris. in caussa Richerii tom. 11. defensionis lib. de Eccl. & Polit. Potest. a Richer. scripta pag. 68. seqq. edit. Colon. an. 1701. in append. La Bibliotheque, ou Tresor du Droit Francois : par M. Laurent. Bouchel tom. 111. edit. Paris. an. 1671. pag. 597. ad v. syndic. de Theologie. Collect. de nov. erroribus &c. a Carolo Du Plessis d'Argentre perfectam tom. 11. pag. 58. seqq. edit. Paris. an.* 1728.

4 *Ut est in Concl. s. Facult. Paris. fact. in comitiis ordin. celebr. an. 1612. die 1. Septemb. tom. 11. defens. Richer. edit. Colon. an. 1701. pag. 79. in append.*

5 Extat apud Carolum DuPlessis d'Argentre *ibid. pag. 303. seq. & tom. 1. defens. lib. de Eccl. & Polit. Potest. pag. 31. edit. Colon. an.* 1701.

ra propter brevitatem essent, in pejorem partem rapere auderent, hisque de auctoritate Pontificis nonnihil dereptum vociferarentur. Se autem eorum, quæ statuisset, rationem, si visum opportunum esset, perfacile redditurum. Interea *subjici* ab se, ut sæpe alias fecerat, sua quæque opera Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæque Sedis judicio (1). Hanc ille *declarationem*, quam vocant, anno 1622. suo chirographo confirmavit, omissisque iis, quæ ante de caussa *ostendendæ scholæ Parisiensis doctrinæ* adnotaverat, suo libro præfigi curavit (2). Anno 1625. ut quæ vellet, quæque sentiret, posterorum memoriæ commendaret: eos, qui de se quidquam ab æmulis dici intellexissent, obtestatus etiam atque etiam scripto est, ut si umquam ipsum in eas angustias redactum accepissent, ut suum *de Ecclesiastica, & Politica Potestate* librum rejiceret, aut illius partem ullam immutaret, reprobaretve, contra atque *declaratio* anno 1622. coram *notario* litteris tradita, atque obsignata ferret; id ipsum non sponte, sed vi, ac metu, qui in virum constantem caderet, fecisse; atque adeo totum falsum, confictum, inaneque esse arbitrarentur (3). Anno 1629. cum decima octava junii mensis die eam rursus edere *declarationem*, quam an. 1622. perscripserat, decrevisset; idque, ita ut fit, enunciari, spargique in vulgus cœpisset, septimoque idus Decembris certior a Card. Richelio factus esset, placere Regi, ut pax in Sorbonæ Collegio servaretur: dissensiones tolli *declaratione* illa non posse: quare conscribi, publicarique accuratiorem alteram oportere; *declarationem* secundam ab eodem Cardinali, ut ferunt, *dictatam* descripsit, atque *consignandam ad notarios detulit* (4). Erat hæc illius *declarationis* summa. Eorum, quæ libello *de Ecclesiastica & Politica Potestate* continerentur, nonnulla a malevolis abripi in pejorem partem. Hoc se omnibus testatum esse, perspectumque cupere. Voluisse semper, velleque se, ut libellus idem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ,

Ii 2

1 Confer Carolum DuPlessis *ibid. pag.* 301.
2 *Tom.* 1. *defens. Richer. pag.* 22. *edit. Colon. an.* 1701.
3 DuPlessis d'Argentre *ibid. pag.* 302.
4 *Tom.* 1. *defens. Richer. p.* 22. *edit. Colon. an.* 1701.

manæ, Sedisque Apostolicæ judicio *subjiciatur*; eoque se vehementer angi, quo intelligeret, esse quosdam, qui imminutam ab se Pontificis, Præsulumque Ecclesiasticorum potestatem fuisse contenderent. *Propositiones* quascumque, *quatenus* Ecclesiæ Catholicæ, *Apostolicæ, & Romanæ judicio, ut sonant, contrarias*, vehementer ab se non *improbari* modo, sed etiam *condemnari*. Id se non coactum, sed sponte, libereque facere (1). Interea conqueri pertinaciores Richeriani, carpere Cardinalem Richelium, vim Richerio illatam dicere. Alii contra Richerium laudare, qui colendæ pacis caussa *Declarationem* probasset; excusare; testari denique, eum non unius Apostolicæ Sedis, sed Ecclesiæ universæ, Sedisque Apostolicæ junctim censuræ, judicioque suum *subjecisse* librum, perstitisseque in sententia (2), idque *Testamento* confirmavisse, quod vicesima quarta Decembris die anno 1629. *recognorit, concluserit, obsignarit* (3). Anno 1631. cum gravi nephritidis morbo Richerius laboraret, palinodiam satis longam scripsisse fertur (4) dixisseque Doctoribus tribus, qui ipsius invisendi caussa venerant, calumnia suos inimicos agere, qui, quod ipse sponte fecisset, id factum fuisse jactitarent metu (5). Fateor autem nescire me, quæ ratio Andream Duvalium, Petavium, Argentreum, Bossuetium, Gravesonum, Nisseronum, aliosque impulerit, ut hanc palinodiam a Fontaine allatam prætermitterent, cum horum aliqui ceteras Richerii declarationes, ad depellendam invidiam, colligendas, describendasque putaverint. Quamquam ne Fontaine quidem mirari satis rationem possim, qui eam afferens, a quo demum acceperit, indicandum non existimavit. Nam quod scribit,

1 Apud DuPlessis d'Argentre *ibid. & tom.* 1. *defens. Richer. p.* 23. *edit. Colon. an.* 1701. Spondanum *Continuat. annal. Baron. ad ann.* 1629. *num.* 1x. *&* Duvalium *tom.* 11. *opp. edit. Paris. an.* 1630. *& tom.* 111. *Biblioth. Pontific.* Rocaberti *pag.* 406. *edition. Rom. ann.* 1698.

2 *Tom.* 1. *defens. Richer. pag.* 24. *edit. Colon. an.* 1701.

3 *Ibid. pag.* 31.

4 Hanc describit P. la Fontaine *t.* 111. *Constitutionis Unigenitus propugnatæ prop.* xc. *pag.* 1194. *edit. Rom. ann.* 1721.

5 Apud Duvalium *ibid.*

ſcribit, relictam eam in Muſeo fuiſſe a *moriente* Richerio, vereor, ne movere nequeat Richerianos, qui res imprimis teſtatas, recteque conſtitutas calumniando pervertere conantur. Itaque etſi tot graviſſimorum hominum, teſtimoniis, Richerium *declarationem* a Cardinali Richelio propoſitam ſponte, libereque ſubſcripſiſſe conſtat; id tamen vi fuiſſe factum, non dixerunt modo, ſed etiam litterarum mandarunt monumentis. Eſt enim apud Claudium Bartholomæum Moriſotum (1): compoſitum ab Richerio fuiſſe Henrici Borbonii hortatu *de Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate librum*. Graviter id tuliſſe Urbanum VIII. Pontificem. Itaque primum Eſpernonio Duci, tum Cardinali Richelio promiſiſſe, ejus ſe filium, hujuſque fratrem in Cardinalium Collegium cooptaturum, modo eorum auctoritate, potentia, artibuſque Richerius aut in Romanorum poteſtatem veniret, aut revocare, quæ ſcripſerat, cogeretur. Suſceptum fruſtra hunc fuiſſe laborem ab Eſpernonio. Richelium, qui Pontifici confirmarat, eam rem ſibi curæ futuram, uſum fuiſſe Joſephi Capuccini, qui tunc Lutetiæ agebat, opera. Ab hoc igitur, qui hoſpitio Notarium Apoſtolicum in Galliam ab Urbano miſſum exceperat, quibuſque poterat modis non minus Pontifici, quam Richelio ſatisfacere conſtituerat, Richerium ad prandium fuiſſe vocatum, imprudentemque, ac nihil tale ſuſpicantem oppreſſum, armatiſque ſatellitibus adductis coactum, ut non deſcriberet modo, ſed etiam probaret παλινῳδίαν eorum, quæ libello *de Eccleſiaſtica, atque Politica Poteſtate* continerentur. Inde Richerium trementem revertiſſe domum cumque ſecum, quæ ſibi evenerant, cogitaret, ad Moriſotum ſcripſiſſe: indignum eſſe illius amicitia ſe; *ultimum ei vale dicere; ſolvi ſe, fatalemque ignaviam pænitentia, & morte expiare*. Hac ſcripta, *clauſa, obſignataque epiſtola eum inclinantem ſe, ut ego*, inquit Moriſotus, *noviſſime accepi, in vicinum menſæ thorum, cælumque aſpicientem animam emiſiſſe*. Ac de Moriſoto quidem alias. Quod autem Johannes Georgius Schelhornius

1 *Centuria I. epiſt. 12. ad Courtetum pag. 16. ſeq. edit. Divionenſis an. 1656.*

hornius in Epistolam ad Cardin. Quirinum (1) Morisoti locum, lectoribus rem gratam facturus, transtulerit, ut quæ a Monarchicis Pontificiis in hominem grandævum gesta fuissent, ostenderet; tam indignum viro & sapiente, & bene morato est, ut ferri nullo modo posse videatur. Sapiens enim beneque moratus qui est, nunquam committet, ut ipsum quisquam circumventum fuisse mendaciis, quæ facile possint detegi, arbitretur. Quis vero tam est ignarus Richerianæ historiæ, ut non animadvertat, Morisoti Epistolam plenam esse mendaciorum? Imprimis ann. 1631. Richerium decessisse constat (2). Quæ igitur confidentia Morisoti fuit, ut perinde de Richerio ageret, ac si anno 1633. supremum clausisset diem? Ille enim 1633. anno epistolam ad Courtetum dedit, quæ sic habet: *Jam vita Richerii nostri terminata est*. Et paullo post: *Quibus scriptis, clausaque, & obsignata Epistola, ut ego novissime accepi .... pressam recenti malo animam emisit*. Quemadmodum autem *novissime accepi* dixisset, nisi anno, quo scribebat, obiisse Richerium putasset? Expectasse vero tamdiu amicos, ut de re tanta virum Richerio devinctum certiorem facerent, suspicari qui possumus? Deinde quid illud est, quod addit *de recenti malo*? Annon Richerius anno 1629. hortatu Richelii, proponente Josepho Capuccino, *declarationem* scripsit, annoque 1631. biennio nempe postea quam scripsit, interiit? Non ergo, si ullum fuit umquam, tam recens id malum fuit, ut ejus, non ætatis, adversæque valetudinis caussa, homo *grandævus*, ut Schelhornius Morisotum sequutus jactat, & gravissimo diuturnoque nephritidis morbo laborans, periret. Est autem horum simile, quod Morisotus de Henrico Borbonio Principe (3) mentitur; cum Richerius, non Henrici Borbonii,

1 *De consilio de emendanda Ecclesia edit. Tigur. an. 1748. pag. 18. seqq.*

2 Confer *Testimonium Doctorum trium Parisiensium apud Duvalium l. c.*

3 Morisotus ibid. „ Libellulum, *inquit*, anno salutis 1611. scripserat *De Ecclesiastica, & Politica Potestate* suadente Henrico Borbonio primo Principe. „ At Richerius in suo Testa- „ mento „ *pag. 31. tom. 1. defens. edit. Colon. an. 1701.* „ Anno 1611., *inquit*, post „ solutionem Capituli-Generalis Dominicanorum, rogatu, atque impulsu viri amplissimi „ Nicolai Verduni primi Præsidis curiæ Parlamenti, ego libellum *de Ecclesiastica, & Po-* „ *litica Potestate lucubravi* .... quem libellum publici juris feci, quando caussa Aca- „ demiæ Parisiensis contra Jesuitas in amplissimo ordine perorata est „.

bonii, sed Nicolai Verduni hortatu, atque *impulsu* id ab se opus fuisse perscriptum tradiderit. Neque est verius, quod idem adjungit Morisotus, quodque Schelhornius confirmat, *pervenisse ad extremam senectutem, nempe ad annum ætatis suæ* 84. Richerium. Anno 1613. die 22. Novembris, ut est in ejus Testamento (1) ætatis ille annum agebat quinquagesimum tertium *cum mense uno & duobus, ac viginti diebus*. Quare an. 1631. quo certe obiit, (2) annum ætatis 71. non 84. numerarit, necesse est. Qua quidem ex re intelligitur, tam indiligentem virum, qualis Morisotus fuit, ut neque quot tunc annos natus Richerius fuerit, neque quo æræ Christianæ anno e vita migraverit, neque cujus viri impulsu animum ad scriben-

1 *Pag.* 31.

2 Apud Duvalium l. c. „ Anno Domini 1631. die nona Decembris coram me Petro Le „ Gay sanctæ Sedis Apostolicæ, & Curiæ Archiepiscopalis Parisiensis notario . . . Subsignato, & in præsentia testium infra nominandorum, comparuerunt Magistri Leonardus Fourment, Presbyter Curatus Parochiæ S. Jo. Evangelistæ Collegii Cardinalis Monachi, in „ Universitate Parisiensi fundati, Carolus Ternois etiam Presbyter, & Theologiæ Baccalaureus . . . . & Johannes du Tour Presbyter Doctor Theologus . . . qui pro salute, & animæ Ecclesiæ, & s. Sedis Apostolicæ honore, & ut integra prædicti collegii fama conservetur, credentes se in conscientia adstrictos esse ad testandum, & declarandum, quod „ acceperunt, & audierunt a Venerabili viro Magistro Emundo Richer, dum viveret, doctore Theologo . . . . super declaratione libri sui de Ecclesiastica, & Politica Potestate „ ab eo a duobus annis habita, nec non protestatione, & submissione sua inter manus DD. „ Eminentissimi Cardinalis de Richelieu vivendi, & moriendi in obedientia sanctissimi „ D. N. Papæ ob obstruendum os maledicentium, & calumniantium contra memoriam, & „ famam, atque sana consilia dicti defuncti Richer, ea quæ sequuntur declarant, & testantur. Scilicet prædictum Richer sponte, & absque cujusquam impulsu, & requisitione „ significasse, & constanter affirmasse prædictam suam declarationem, & protestationem a se „ cum amplissima libertate, & plenaria voluntate, nec non absque cujusquam respectu factam fuisse, & nullas minas, nullasque promissiones vim ullam apud se umquam habuisse, „ quatenus diceret, & declararet ea, quæ sibi minime arridebant, aut contra mentem „ suam pugnabant; seque facta hac declaratione in quiete, & tranquillitate diem suum „ extremum clausurum, eo quod beneficio illius sibi ipsi conciliasset eos, qui sibi antea „ infensi, & inimici credebantur. Insuper testantur prædicti Fourment, & Ternois, se „ mense Augusto nuper elapso cum ipso Richerio, post resolutionem ab eo captam sustinendi incisionem, seque propterea ad mortem præparandi, pro debito sui officii de prædicta declaratione, & protestatione egisse, qui quidem ea, quæ supra sunt exposita, eis „ reiteravit: quod nempe declarationem, & protestationem prædictam, quam de libro suo „ fecerat, approbabat, & eos esse suos inimicos declarabat, qui rumorem spargebant, „ se prædictam declarationem invitum, & contra voluntatem, aut sententiam suam, seu „ propter reverentiam, atque respectum erga prædictum Dominum Cardinalem de Richelieu fecisse, & habuisse &c. „ Quis autem præferendum his, qui præsto Richerio aderant, Morisotum & absentem, & qui ab aliis, quæ scripsit, acceperat, arbitretur? Nam quod ille ait, literas se ab Richerio accepisse, tam verum est, quam est verum, quod scribit de mortuo anno 1633. eodem Richerio, quem constat biennio ante supremum obiisse diem. Nisi forte velimus eam esse Epistolam falso Morisoto adscriptam.

bendum de Ecclesiastica Potestate librum appulerit, nec quorum caussa, quo suo sensu, quibus modis, quo tempore *declarationem* probaverit, sciret; amici Richerii nomine fortasse vix, scriptoris autem, cui sit credendum, auctoritate, ne vix quidem dignum videri. Quis enim sibi persuadeat, eum, si tam conjunctus amicitia Richerio, quam jactare solebat, fuisset, tanta in Richerianarum rerum ignoratione versari potuisse? Quod si in describendis rebus, de quibus nulla esset dissensio, quasque exploratas, cognitasque habere facile poterat, turpiter; de παλινῳδία differens turpius errarit necesse est, quum dogmatum Richerianorum, rumorumque vulgi studiosior investigator, quam Richerii diligens, verusque amicus esset. Nihilosecius Schelhornius, contra Doctorum Parisiensium trium, qui brevi morituro Richerio aderant (1), ipsorumque Richerianæ defensionis Editorum fidem, Morisoto scriptori & minus diligenti, & male in nostros animato credendum censet.

Sed Richerii *declaratio* deterrere illos, quos supra commemoravi, scriptores, ipsumque Sarpii defensorem Franciscum Courajerum a falsa opinione non potuit. Itaque pergere, potestateque clavium *immediate, directeque toti* Ecclesiæ datam tum fuisse, cum primum Petro, inde ceteris Apostolis data fuit, acriter, vehementerque defendere. Habere namque se Patres, dixerunt, testes veritatis opinionis, & doctrinæ suæ. Tertullianum enim in eo libro, quem incripsit *Scorpiacen*, sic habere: *Memento Claves hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiae reliquisse*. Consentire Cyprianum in ea, quæ est ad Jubajanum, epistola: Ecclesiam *enim unam esse*, dicere, *quae tenet, & possidet omnem sponsi sui, & Domini potestatem* (2) Neque diffidere Hilarium, qui *fidem*, quæ communis est universæ Ecclesiæ, claves habere regni cælestis in sexto de Trinitate libro

1 Editores Defensionis Richerianæ *tom.* 1. *pag.* 22. „ Cum color quæreretur pacis in „ collegio Sorbonico stabiliendæ, quam Richerius ne tantillum quidem umquam labefacta- „ rat &c. Ut ergo publicæ, atque privatæ pacis amantissimus, declarationem sibi a Cardinali „ Richeleio dictatam, & oblatam in ejus ædibus exscripsit, atque obsignavit in Camera „ Patris Josephi Ordinis Capuccinorum &c. „. Multa de Richerio disputant Bailletus in *ejus vita* (sed is Morisotum sequutus, errat) *Nisseronus*, aliique, quos numerare non vacat.

2 *Pag.* 203. *edit. Oxon. an.* 1682.

ſibro teſtatur . Atque illud conſiderari , animadvertique etiam , atque etiam oportere, quod idem addit Hilarius, *fidem, quæ Eccleſiæ fundamentum ſit, Regni cæleſtis claves habere.* Quamobrem ſic ſtatuere : *ſit fides alia , ſi Eccleſia* alia eſt futura (1). Horum eſſe ſimilia , quæ Baſilius , (2) Ambroſius , (3) Chryſoſtomus (4) , Hieronymus (5) , Auguſtinus (6) , Fulgentius Gre-

1 *Lib.* VI. *De Trinit. num.* XXXVIII. *pag.* 229. *tom.* II. *edit. Veneta Monachor. Congr. s. Mauri an.* 1750. Abutuntur hoc Hilarii loco Auctores *Hexaplor. ad Prop: damnatam* &c. *Queſnelli . Tom.* VI. *pag.* 646. *edit. Amſtelod. an.* 1721.

2 s. Baſilius *Conſtitut. Monaſtic. cap.* XXII. *num.* 5. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monach. Congregat. s. Mauri pag.* 573.

3 Auctores *Hexaplorum loc. modo indic.* locum e *lib. de Dignitate Sacerdotali* quaſi ſit Ambroſii , proferunt . Confer *lib. eumdem cap.* II. *tom.* IV. *opp. s. Ambroſii in appendice pag.* 438. *edit. Veneta Monach. Congr. s. Mauri an.* 1751.

4 Johannes Chryſoſtomus *Homilia de non anathematizandis vivis , atque defunctis num.* III. *tom.* I. *opp. edit. Pariſ. Monach. Cong. s. Mauri pag.* 693. Ecquis tu es tantæ „ potentiæ , & auctoritatis ? Tunc enim ſedebit filius Dei , ſtatuetque oves a dextris , & „ hædos a ſiniſtris . *Cur tantam uſurpaſti dignitatem* τί οὖν τῆς τοσαύτης ἐπελάβου ἀξίας. „ *cujus Apoſtolorum cœtus tantum conſors fuit* ἧς τὸ κοινὸν μόνον τῶν ἀποστόλων ἠξίωται , „ *nec non ii , qui cum omni accuratione illorum ſe ſucceſſores exhibent* , καὶ οἱ κατὰ πᾶσαν „ ἀκρίβειαν τούτων ὡς ἀληθῶς γεγονότες διάδοχοι ; pleni gratiæ , & virtutis „ ? Hæc item proferunt *ibid. Hexaplorum Queſnellianorum Conditores* .

5 *Lib.* I. *adverſ. Jovinian. tom.* IV. *opp. edit. Pariſ. Martianæi Monachi Congregationis s. Mauri pag.* 168. „ Cuncti claves regni cælorum accipiunt , & ex æquo ſuper eos „ Eccleſiæ fortitudo ſolidatur .

6 Auctores Hexaplorum *ibid. pag.* 636. *Hujus propoſitionis veritatem conſtanter a Patribus , veteribuſque Theologis agnitam , teſtimoniiſque eorum confirmatam* , ſcribunt , *excommunicandi poteſtatem partem eſſe poteſtatis clavium s. Petro , Apoſtoliſque tributam, atque hanc poteſtatem tunc fuiſſe datam immediate, ac directe Eccleſiæ.* Iidemque Queſnelli ſententiam explicantes, ſic ſtatuunt: cum in libro, quem inſcripſit: *Vains Efforts des Jeſuites. Ed. a.* 1713. *art.* X. *p.* 132. oſtendiſſe : *qu'on ne pouvoit en conclure, que le pouvoir des clefs dût eſtre exercé par les ſimples fideles* : „ j' ai dit poſitivement le contraire, *ce ſont* „ *ſes termes* , & j' ai exclus expreſſement tout laïque , tout ſimple fidele , tous ceux , en un „ mot, qui ne ſont ni Eveques, ni Prêtres , en diſant , que l'Egliſe a l'autorite d'excommu„ nier pour l' exercer par les premiers paſteurs „ . At hæc ſi ita ſe habent , ut ipſe ſcribit , quid cauſſæ eſt , cur non Præſulibus , ſed Eccleſiæ eam poteſtatem datam ſcribat , totque Patrum teſtimonia colligat , producatque , quibus Eccleſiæ eam auctoritatem tributam fuiſſe poſſit evincere ? Atque Queſnellus , quique ejus defenſionem ſibi ſuſcipiendam putarunt , Richerium imitari videntur . Qui cum *Cap.* 1. *libelli de Eccl. & Polit. Poteſt. p.* 1. dixiſſet: *Iuriſdictio Eccleſiaſtica primario , ac eſſentialiter Eccleſiæ , Romano autem Pontifici , atque aliis Epiſcopis miniſterialiter tantum , ſicut facultas videndi oculo , convenit* , idque confirmare conatus eſſet hoc modo : *vulgare eſt , atque indubitatæ fidei axioma , Deum & naturam prius , atque immediatius ad totum ſuppoſitum , quam ad aliquam partem ſuppoſiti, quamvis nobiliſſimam, intendere . . . ſchola Pariſienſis hoc infallibili munita firmamento congruenter ad mentem omnium antiquorum doctorum Eccleſiæ perpetuo, conſtanterque docuit : Chriſtum fundando Eccleſiam , prius , immediatius , atque eſſentialius claves , ſive juriſdictionem toti dediſſe Eccleſiæ , quam Petro , ſeu quod eodem redit : claves toti contuliſſe Eccleſiæ , ut per unum miniſterialiter exercerentur* . Quandoquidem tota juriſdictio *primario , proprie , ac eſſentialiter Eccleſiæ convenit , Romano autem*

(1), Gregorius (2), Beda (3) scribunt. Constare item, Patres Con-

tem Pontifici, atque aliis Episcopis instrumentaliter, *ministerialiter*, *& quoad executionem tantum*, *sicut facultas videndi oculo*; hisce dictis cum locum Pauli *ex epist. ad Cor.* 1. *cap.* III. *v.* 21. *omnia vestra sunt &c.* laudasset, cumque ab Andrea Vallio vapulasset, quasi democraticam esse constituisset gubernandæ Ecclesiæ rationem; tum calumnia Vallium egisse respondit *demostr. cap.* 1. *pag.* 3. *quæ calumnia sola lectione capitis secundi libelli de Eccl & Pol. pot.* propulsari posset: propterea quod hoc sit ejusdem secundi capitis argumentum: *Christus immediate, ac per se claves, sive jurisdictionem ordini Hierarchico contulit, per immediatam & realem missionem omnium Apostolorum, & discipulorum*; atque hæc eodem ipso secundo in capite legantur: ,, Cum Dominus noster, *cap.* XVI. *Mat-*
,, *thei*, verbo futuri temporis claves nomine totius Ecclesiæ B. Petro sic despondisset, *& ego*
,, *tibi dabo claves &c.* tum demum eas actu ordini Hierarchico confert: Primum *Matth.*
,, *cap.* XVIII. ubi Ecclesiam sibi sufficientem, & architectonicen ita constituit: *dic Ecclesiæ*:
,, Secundo per realem missionem &c. quando igitur missio vera, & realis est collatio jurisdi-
,, ctionis auctore Apostolo *cap.* X. *ad Roman. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*
,, Christus autem omnes Apostolos, atque discipulos, qui Episcopalem, & Presbyteralem
,, ordinem referebant, immediate, & individue, & collective misit, sicut a Patre suo,
,, idest cum justa, & spirituali auctoritate ad Ecclesiam gubernandam necessaria, missus fue-
,, rat: consurgit: totum ordinem Hierarchicum Episcopali, & Sacerdotali ordine con-
,, stantem immediate, proportionate tamen, & subordinate, suam potestatem, & jurisdictio-
,, nem, hoc est facultatem regendi Ecclesiam, a Christo derivare: quemadmodum in Gal-
,, liis inferiores judices, ac magistratus, quamquam subditi Parlamentis, æque tamen im-
,, mediate auctoritatem suam a Rege Christianissimo mutuantur, quam ipsa Parlamenta ,, :
Hinc autem constare ait: *Se, quando dicit claves datas Ecclesiæ, nominatim de Sacerdotali Ecclesia, aut ordine Hierarchico loqui, cui soli Dominus Sacerdotium suum cum facultate regendi Ecclesiam credidit*. At si hoc Richerio erat in animo, cur demum capite superiore dixerat: toti Ecclesiæ *prius*, *immediatius*, *essentialius datas fuisse claves*, *Romano autem Pontifici*, *atque aliis Episcopis instrumentaliter*, *ministerialiter*, *& quo ad executionem tantum, sicut datur facultas videndi oculo?* Nam pugnant hæc quidem, ut est sapienter a Petavio animadversum, & datas *esse toti Ecclesiæ immediatius*, *prius*, *essentialius claves*, *instrumentaliter vero*, *atque ministerialiter Episcopis*: *& solis Sacerdotibus*, *seu ordini Hierarchico tantum eam esse potestatem datam*. Et: solis Sacerdotibus fuisse, ordine servato, tributam. Confer Petavium *lib.* III. *de Hierarch. Eccles. c.* XV. *pagin.* 887. *seqq. & cap.* XVI. *pagin.* 893. *seqq. tom.* III. *Theolog. dogm. edit. Paris.* Sed age videamus, quibus non Richerius modo, sed etiam Quesnellus, Quesnellique asseclæ Augustini locis abutantur. Afferunt ergo illi hæc s. Doctoris ex *Comment. in Ps.* CVIII. *verba*: ,, Quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec
,, tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agno-
,, scitur in figura gestasse personam, propter primatum, quem in discipulis habuit; si-
,, cut est: *tibi dabo claves &c.* & siquæ sunt hujusmodi ,, . Sunt autem horum verborum similia, quæ adhibet idem S. Doctor *Tract.* L. *in Iohan. Tract.* CXVIII. *Tract.* CXXIV. *serm.* XIII. *de verbis Domini*. *Serm.* CVI. *de diversis*. *Lib.* III. *de Bapt. cap.* XVIII. *& lib.* VI. *& lib.* VII. *cap.* LI. quæ fere omnia ex *Demonstration.* II. *cap. libelli Richeriani pag.* 10. *seqq.* mutuati sunt auctores *Hexaplor. ibid. pag.* 636. *seqq.* Quesnellus *septieme memoire edit. an.* 1716. *pag.* 84. *seqq. ad Prop.* XC. alitque.

1 *Lib.* II. *de remiss. peccat. cap.* XX. *pag.* 182. *edit. Veneta an.* 1741. ,, Hinc est, quod
,, etiam cum B. Petro, hoc est Ecclesiæ suæ, in terra ligandi, solvendique tribuit pote-
,, statem &c.

2 *Lib.* VI. *cap.* III. *exposit. in lib.* I. *Regum tom.* III. *opp. edit. Paris. ann.* 1705.
,, Quod antiquis nusquam dicitur, modo universali Ecclesiæ dicitur: *quodcumque ligaveris super terram &c* ,, *pag.* 387.

3 *In cap.* XXII. *Joh. tom.* V. *pag.* 622. *& in cap.* XV. *Matth. pag.* 52. *&c.*

Concilii (1) Arelatensis, quod anno 314. celebratum est, in eadem fuisse sententia.

Ego vero miror quid sit, quod Tertullianum, Cyprianumque sui erroris testes appellent ii, qui cum tam esse peritos rerum se, tamque versatos in veterum monumentis jactent, ut alios interdum, quasi antiquitates ignorent Ecclesiarum, impudenter insectentur, ac lacerent; tum aut non animadverterint, aut se non animadvertisse simularint, quæ de tributa Petro ligandi, solvendique potestate libris eorum Patrum, quorum abuti auctoritate solent, continerentur. Sed age, quid majores nostri hac de re scripserint, & quo demum sensu intelligenda sint, quæ ab adversariis proferuntur, testimonia, videamus. Fateor igitur, in Ecclesia Catholica esse solvendi ligandique, hoc est clavium, potestatem. At illud disquirendum est, eane in omnibus membris, an in Præsulibus tantum, an in capite potissimum universæ Ecclesiæ, auctoribus Tertulliano, atque Cypriano, insit. Quis autem tam est insanus, ut fuisse, Tertulliani, Cyprianique sententia, omnibus membris Ecclesiæ a Christo tributam tantam, tamque excellentem potestatem putet? Ac Tertullianus quidem cum in libro de Pudicitia, tum in iis, quos de Præscriptionibus hæreticorum, deque Monogamia publicavit, Petro, in quo ædificata Ecclesia est, traditam fuisse, defendit, solvendi, ligandique auctoritatem (2). Immo vero adeo acriter studuit partibus Cataphrygarum, ut jus Petri in posteros manasse inficiaretur (3). Quemadmodum ergo inducere in animum potuit, ut claves *universæ Ecclesiæ corpori* datas fuisse existimaret? Itaque sibi si constitit, quod *per Petrum Ecclesiæ relictas claves* (4) fuisse dixit, hoc modo intellexerit necesse est, ut Petrum, non quasi legatum, sed velut supremum post Christum, & sub Christo rectorem, moderatoremque Ecclesiæ consequutum fuisse clavium potestatem arbitraretur. Cumque quod in capite, prin-

 cipe-

1 *Tom. 1. Concilior. edit. Hard. pag. 263.*

2 Confer, quæ descripsi Tertulliani testimonia *pag. 64. hujus vol. & pag. 133. not. 1.*

3 Vide *pag. 64. hujus vol.*

4 Scorpiaces *cap. x. pag. 456. edit. Parif. an. 1675.* „ Nam etsi adhuc clausam putas cœ„ lum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ reliquisse, quas hic „ unusquisque interrogatus, atque confessus feret secum.

cipeque communitatis est, hoc dici commode tributum communitati, cujus caussa Principi est tributum, possit; sciretque Tertullianus, fuisse hoc genus auctoritatis ob utilitatem Ecclesiæ Petro, successoribusque datum; Ecclesiæ per Petrum regni cælorum claves fuisse relictas testatus est (1).

Eademque ratione est Cypriani explicandus celebris ille ex epistola ad Jubajanum, de Ecclesia tenente omnem sponsi sui, ac Domini potestatem, locus. In ea namque epistola Cyprianus Petro claves fuisse datas, auctoritatemque ligandi in ejus successores divino jure, non Ecclesiæ decreto, manasse, atque in ceteros Episcopos *ex parte* redundasse tradit (2).

Jam

1 Quamquam eo in loco Tertullianus *latiore* sensu de clavibus Regni Cælorum, non strictim, pressèque disserit. Non enim clavium nomine potestatem alios ligandi, atque solvendi, hoc est administrandæ, regendæque Ecclesiæ, & absolvendorum eorum, qui peccarint, si eos scelerum pœniteat, coercendorumque censuris eorum, qui sese corrigi, emendarique non sinant; sed aperiendarum sibi cæli januarum confessione, ac martyrio facultatem indicat. De quo quidem genere clavium nulla esse potest contentio. Atque huc sane illius sententia illa pertinet: *Quas (claves) unusquisque interrogatus, atque confessus feret secum*. Simile autem est horum, quod habet in libro *de anima cap.* LV. *&* LVI. *pag.* 304. „ Perpetua „ fortissima martyr sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres suos „ vidit; nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint. „ si crucem tuam tollas, & sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota paradisi clavis tuus „ sanguis est „. Quod autem Tertullianus in alium sensum, more suo, translulit, id in *Ecclesiasticam potestatem*, de qua aliis in locis, ut demonstravimus, disputat, contorquere velle, hominum quidem est, non illustrandæ veritatis caussa, sed involvendæ, implicandæque scribentium. Quod si nihilo secius adversarii de *Ecclesiastica potestate* Tertullianum egisse pergent dicere, jam hoc concedant necesse est: *unicuique interrogato*, atque *confesso*, sive Sacerdos sit, sive laicus, fas esse absolvere, ac ligare, seu peccata dimittere, ac retinere, censurisque ad officium alios redire cogere. Quam rem absurdam imprimis, falsamque illam ipsi, contra quos disputo, vehementer negant.

2 Etsi Cyprianus *epist.* LXXIII. *quæ est ad Jubajanum pag.* 203, *edit. Oxon. ann.* 1682. „ Ecclesiam esse unam, quæ tenet, & possidet omnem sponsi sui, & Domini potestatem „ dicit; tamen quo sensu dicat, ipse per se explicavit. Paullo enim ante de Petro disserens *pag.* 201. „ Petro primum, *inquit*, Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde „ unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut inde solveretur „ in cælis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur, dicens: *sicut misit me pater, & ego mitto vos* &c. Unde intelligimus nonnisi in „ Ecclesia præpositis, & in Evangelica lege, ac dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid posse, nec solvi, „ ubi non sit, qui aut ligare possit aliquod, aut solvere. Nec hoc frater carissime sine „ scripturæ divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege, ac propria ordinatione divinitus cuncta esse disposita, nec posse quemquam contra Episcopos, & Sacerdotes „ usurpare sibi aliquid, quod non sit sui juris, & potestatis „. Petro igitur primum, quem centrum unitatis fatetur fuisse, tum ceteris Apostolis potestatem clavium a Christo, non omni Ecclesiæ, tributam Cyprianus censet; quare etiam summo Pontifici maxime, quem alibi Petri successorem dicit, indeque reliquis Episcopis, qui Apostolis successerunt; non

autem

Jam de Hilarii loco ſatis multa diſputata a nobis ſunt, cum de *Primatu* Petri adverſus Proteſtantes ageremus (1).

Quod ex Baſilii libris obiiciunt, fateor me neſcire, quorſum evadat. Quid enim? An Queſnelli aſſeclæ, pares eſſe Epiſcopos ceteros Pontifici Romano cenſent? Nam habet locus ille Baſilii hoc modo: *Omnibus deinceps Paſtoribus, ac magiſtris eamdem tribuit* (ac Petro) poteſtatem, cujus quidem *rei ſignum eſt, quod omnes ſimiliter, atque ille, ligent, ac ſolvant*. Ita ſi cenſent, jam deſinant devotos ſe eſſe Apoſtolicæ Sedi, Principatuſque defenſores, dicere, cumque Britannis ſeſe ſentire confiteantur. Sin minus, illud omnino nobis concedant, Baſilii locum ad rem minime pertinere. Non enim quærimus, Epiſcopis ne omnibus, Præpoſitiſque ligandi, ſolvendique poteſtas, limitibus tamen quibuſdam, finibuſque conſtricta, inſit; id namque nemo unquam negavit Orthodoxorum. De hac autem agit Baſilius. Alioquin auctoritatem Abbatum, de quibus ibidem loquitur, æquaſſet auctoritati Petri, qua re nihil dici, excogitarique poteſt abſurdius. De ſumma nunc in Eccleſia poteſtate diſſerimus, deque hac oritur inter nos quæſtio, Petro ne, ejuſque ſucceſſori Romano Pontifici Eccleſiæ capiti, an toti Eccleſiæ, hoc eſt omnibus Chriſtianis, tributa fuerit. Jam vero Baſilius (2) Petro eam fuiſſe tributam affirmavit. Qua ex re concludi facile poteſt, eam ipſam in Petri ſucceſſores, non in corpus Eccleſiæ manaſſe. Neque enim Chriſtus illud reipublicæ genus conſtituiſſe cenſendus eſt, quod Petro vita functo funditus tolleretur. Si ergo unum Eccleſiæ caput, Baſi-

autem toti Eccleſiæ, ita ut in ea auctoritas tanta inſit, ſintque ejus inſtrumenta miniſtri ſacrorum. Caput autem Eccleſiarum, & radicem; atque adeo auctoritatis, poteſtatiſque clavium poſſeſſorem Romanum Epiſcopum agnoſcens Cyprianus „ Nos autem, *inquit epiſtola eadem* „ *pag.* 198. qui Eccleſiæ unius caput, & radicem tenemus, pro certo ſcimus, & fidimus, „ nihil illic extra Eccleſiam licere &c. Sed de poteſtate clavium Romano Præſuli, ceteriſque Epiſcopis, non univerſæ Eccleſiæ, competente, confer quæ diſputata a Cypriano ſunt, a nobiſque in tom. IV. hujuſce operis translata *pag.* 327. *not.* 1. *&* *pag.* 435. *not.* 1. *&* 2. *pag.* 347. *not.* 3. *&* *pag.* 548. *not.* 1. *&* 2. *& volumine hoc quinto pag.* 70. *ſeqq.* De Cypriani ejuſdem ex *libro de Unitate Eccleſiæ* loco, quo Paulus Sarpius, ejuſque Adnotator Courayerus *lib.* 11. *Hiſt. Concil. Trident. pag.* 240. *tom.* 1. *edit. Baſileenſis an.* 1738. abutuntur, ſatis eſt ſupra *pag.* 89. *ſeqq.* diſputatum.

1 Confer Hilarii teſtimonia *pag.* 135. *hujus vol. not.* 1. *& pag.* 168.

2 *Pag.* 136. *not.* 2. *hujus volum.* Vide quæ ſcripſi *pag.* 202. *not.* 1. *ejuſdem volum.*

Basilio teste, Petrum designavit Christus, eoque pacto Monarchicum esse Ecclesiæ statum, vivo eodem Apostolo, voluit, Monarchicum item perpetuo ut maneret, voluerit, necesse est.

De Ambrosio (1) autem quid dicam, cujus est de summa post Christum Petri auctoritate luculentissimum testimonium? Quod si in libro de dignitate Sacerdotii hæc leguntur: *Et oves, & gregem non solum B. Petrus suscepit, & cum eo illas nos omnes suscepimus*, animadvertendum adversariis omnino erat, neque eum librum Ambrosio tribuendum, neque tam ineptum habendum illius auctorem esse, ut pares omnes Episcopos auctoritate Petro esse judicaret. Oves enim Episcopis quibusque adsignatas esse, non modo non negamus, sed etiam libenter concedimus. At de summa in Ecclesia potestate nobis est, ut diximus, quæstio: quam ab Ambrosio, Auctoreque libri de Sacerdotii dignitate omnibus Episcopis æqualem fuisse attributam, numquam credam.

Quod de Ambrosii dixi, hoc idem est de Chrysostomi, deque Hieronymi (2) locis dicendum. Quamquam Chrysostomi sententiam cum dogmate Ecclesiæ possit; cum adversariorum autem errore componi nullo modo possit.

Multa sunt Augustini variis ex libris ab accusatoribus nostris congesta loca, quibus hoc demonstrari, efficique videtur: Ecclesiæ fuisse a Christo ligandi, solvendique per Petrum, qui figuram Ecclesiæ gereret, potestatem factam. At is quidem Doctor eo consilio hæc esse scribenda putavit, non quo Petrum, quasi legatus Ecclesiæ esset, id genus auctoritatis consequutum existimaret; sed quo Ecclesiæ nomine eum claves accepisse crederet, ut Ecclesiæ ipsius moderatorem: ea videlicet ratione, qua fit, ut Rex populi nomine gladium deferat, propterea quod quidquid habet splendoris, ac virium, hoc totum ad reipublicæ commodum, defensionemque convertere omnino debeat. Neque enim alio spectare potest Augustini oratio, ut qui Petrum personam Ecclesiæ ges-

1 Vide *pag.* 138. *hujus volum. n.* 1.
2 Vide *pag.* 137. *hujus vol. not.* 3. & *pag.* 138. *not.* 2. & *pag.* 168. *seq.*

gessisse scripserit, quod Ecclesiæ, Apostolorumque princeps esset (1).

Quæ

1 Augustini, quibus adversarii abutuntur, loci, quemadmodum intelligi debeant, explicavi *pag.* 191. *seq. hujus vol.* cum contra Marcum Antonium de Dominis Apostatam disputarem. Ceterum qui plura volet, is consulat Bellarminum *lib.* 1. *de Romano Pontifice cap.* XII. *pag.* 276. *edit. Veneta an.* 1721. *tom.* I. & Fontaine *in Propos.* XC. *constitut. Unigenitus cap.* VI. *pag.* 1173. *seqq. tom.* III. *edit. Rom. an.* 1721. Animadvertendum autem est, me, cum Augustini de *clavium potestate* sententiam *pag.* 191. contra Spalatensem exponerem, satis habuisse, si potestatem illam Petro fuisse datam, auctore Augustino, demonstrarem, quod hæc summa disputationis esset; inde vero in successores, Ecclesiamque reliquam, hoc est in Præsides sacrorum, qui præcipuam Ecclesiæ partem constituunt, fuisse propagatam ostenderem. Nunc autem ne quis putet Ecclesiæ nomine Augustinum, non Præsides sacrorum, sed Ecclesiam universam, sive orthodoxos omnes intellexisse, afferam in medium illius de auctoritate Præsulum cœtuum Christianorum loca. Igitur *epistola* LIII. *al.* CLXV. *ad Generosum n.* 2. *pag.* 91. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. ann.* 1701. „ Si ordo, „ *inquit*, Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & vere salubri„ ter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait: *super* „ *hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Petro enim successit Linus, Lino Cle„ mens &c. „ Quid autem est *figuram gessisse Ecclesiæ Petrum*, *nisi caput fuisse*, *principemque* Ecclesiæ constitutum a Christo, adeoque in eo *ædificatam Ecclesiam ipsam*, atque ita traditas claves cælorum regni fuisse, ut iis, eo decedente, successores potiti fuerint, quorum seriem, Donatistas auctoritate tanta repressurus, Augustinus recenset? Nam si Petrum in *figura* tantum expressisse Ecclesiam, eique a Christo Ecclesiæ nomine dictum fuisse, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam*, putasset, lapsus pueriliter sane fuisset, propterea quod existimasset: *super Ecclesiam fundatam fuisse Ecclesiam*, qua re nihil dici potest absurdius. Neque *Petra* nomine Christum seipsum indicasse, hoc loco censuit, cum a Christo dicta hæc *Petro* fuisse testatus sit, indeque Petrum præcelluisse ceteris in Ecclesia, idque excellentiæ genus in successores transfudisse demonstrarit. Quod si in Petrum ea verba cadunt, inque successores, cadant item consequentia: *Et tibi dabo claves &c.* necesse est: qua ex re intelligitur, præcipuam clavium potestatem Petro fuisse a Christo, successoribusque datam, figuræque nomine caput, ac principem indicari Ecclesiæ. Nam ut Princeps rem universam publicam, ita caput Ecclesiæ, cujusmodi fuisse Petrum, esseque illius successores constat, Ecclesiam exhibet, figuraque proinde Ecclesiæ hoc quidem sensu, Augustini judicio, dici potest. Neque vero aliorsum rem accipere Augustinus poterat, cum sæpe Innocentii I. Pontificis Maximi Epistolam ad Carthaginiensem Synodum laudarit, (vide Augustini *lib. De Peccat. Origin. contra Pelag. cap.* VII. *pag.* 171. *tom.* X. *opp. edit. ejusd. & lib.* II. *contra duas Epistolas Pelagianor. cap.* III. *seq. pag.* 287. *tom. eod. & lib.* I. *contra Julian. cap.* IV. *pag.* 331. *seq. tom. eod.*) a quo Innocentio res est omnis diligentissime explicata, *Epistola inter Augustinianas* CLXXX. *al.* XCI. *pag.* 482. *tom.* II. *edit. ejusd.* Sic enim eam epistolam orditur Pontifex: „ In requirendo de his rebus, quas omni cum sol„ licitudine decet a Sacerdotibus . . . antiquæ traditionis exempla servantes . . . nostræ Re„ ligionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis vera „ ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quod „ Apostolicæ Sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) de„ beatur, a quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem se„ quentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod pa„ trum instituta sacerdotali custodientes officio non censetis esse calcanda, quod illi non „ humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid, quamvis in disjunctis, remo„ tisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam „ perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quæ fuerit pronunciatio firmaretur, inde„ que sumerent ceteræ Ecclesiæ, veluti de natali suo fonte, atque cuncta procederent, „ &

Quos Fulgentii ex altero *de Remissione Peccatorum* (1), exque eo, qui de *fide ad Petrum* (2) inscribitur, libro opponunt locos, similes esse video superiorum. Sic enim Fulgentius disputat, ut discipulum Augustini possis agnoscere. Itaque eodem sunt ejus verba explicanda modo, quo tot illæ Augustini sententiæ, quibus post Magdeburgenses (3) Centuriatores, post Spalatensem (4) Apostatam, post Richerium denique, Quesnellus, sociique abutuntur. Nam quod Fulgentius statuit, *Beato Petro, hoc est Ecclesiæ, fuisse ligandi, solvendique* potestatem datam (5), non eo statuit, quo omnibus Ecclesiæ membris id juris tributum, universamque proinde Ecclesiam hac tanta auctoritate præditam esse arbitraretur;

„ & per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manarent, quid „ præciperent, quos abluerent, quos veluti cœno inemundabili sordidatos mundis digna „ corporibus unda vitaret „. Neque vero hanc solum, sed alteram etiam Innocentii, quæ est ad Synodum Milevitanam, epistolam, exstatque *eod. tom.* II. *opp. Aug. epist.* CLXXXII. *al.* XCIII. *pag.* 486. Augustinus cum laude commemoravit, qua quidem in epistola *n.* 2. hæc leguntur: „ Diligenter, & congrue Apostolici consulitis honoris arcana, honoris, „ inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ec„ clesiarum, super anxiis rebus quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ for„ mam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verum hæc missa „ facio, neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id actione firmastis, nisi „ scientes, quod per omnes Provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper „ emanent. Præsertim quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepi„ scopos nostros, nonnisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris auctorem referre de„ bere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ec„ clesiis in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malo„ rum ad duplicis relationem Synodi, sententiæ nostræ statutis viderint ab Ecclesiastica com„ munione sejunctos „. Quid est autem, nisi hoc est vendicare sibi, ob tributas S. Petro a Christo claves, præcipuam ligandi, solvendique in Ecclesia potestatem? Itaque Augustinus ipse *epist.* XLIII. *al.* CLXII. *pag.* 69. in Romana Ecclesia *semper Apostolicæ Cathedræ principatum* viguisse scribit. Principatum autem Pontificis caussa eidem attribuit, quem esse Petri successorem norat. Confer ejus *epist.* CCIX. *ad Cælestinum al.* CCLXI. *n.* IX. *pag.* 593. & *lib.* I. *cap.* I. *contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Rom. Eccl. Episc. pag.* 271. *tom.* X. De reliquis vero Præsidibus sacrorum, Ecclesiarumque præpositis agit pluribus in locis Augustinus, quos omnes non modo describere, sed ne numerando quidem recensere possum. His autem ubique dimittendorum delictorum, ac ligandi, solvendique potestatem competere, & quidem institutione divina, scribit; plebi autem numquam, id quod adversarii quidem negant. Quamobrem Ecclesiæ nomine, ut dixi, non Ecclesiam universam, sed potiorem Ecclesiæ partem intellexerit, necesse est.

1 *Cap.* XX. *pag.* 282. *edit. Veneta an.* 1741.

2 *Cap.* III. *num.* XXXVII. *pag.* 233. „ Pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ec„ clesia Catholica gerat, cui Deus in persona B. Petri ligandi, solvendique tribuit po„ testatem „.

3 *Centuria* V. *cap.* IV. *pag.* 380. *seqq.*, & *pag.* 408. *tom.* I. *edit. an.* 1560.

4 Vide quæ supra dixi *pag.* 190. *seq. hujus vol.*

5 *Cap. eod.* XX. *lib.* II. *pag.* 282.

tur; sed quo sciret, ligandi solvendique vim, ac potestatem Petro a Christo Servatore datam, divina institutione, ac voluntate in Pontificem Maximum, inque ceteros Præsides sacrorum christianorum, ea, quam alio loco opportune demostrabo, ratione, manasse; dicique propterea posse, *Ecclesiam habere, seu esse in Ecclesia* (1) potestatem illam; quod Præsides ipsi sacrorum, quibus eadem inest, potiorem Ecclesiæ partem constituant. Quare si vicesimo secundi *de Peccatorum remissione* libri capite dixit: *eam fuisse Beato Petro, hoc est Ecclesiæ* potestatem tributam, id certe alibi ita explicavit (2), ut se de potestate, quæ in Ecclesia sit, non quæ ab universis membris Ecclesiæ obtineretur, loquutum fuisse ostenderet. Nam si Regno, Publicæve Rei jus esse dicimus, quod uni in absoluta Monarchia Regi, in Aristocratia vero solis optimatibus competit; quid est, quod Ecclesiæ illud tributum Fulgentius dicere nequiret, quod capiti, ac fundamento Ecclesiæ Petro, ejusque deinceps (3) successo-

1 *Lib. 1. de Remiss. Peccatorum cap. xix. pag. 169.* „ In sola Ecclesia Catholica datur, & accipitur remissio peccatorum, quam ipse sponsus dicit esse columbam suam . . . quam super Patram fundavit, cui etiam potestatem ligandi, solvendique concessit, sicut B. Petro veritas ipsa veraciter repromittit dicens: *Tu es Petrus &c.*

2 Constat id quidem ex modo descripta Fulgentii de Petro sententia. Petro namque *veraciter* ab ipsa *veritate* repromissam *clavium* potestatem fuisse scribit. Quinetiam cum eum *epist. 11. ad Gallam viduam pag 74. edit. ejusd.* non ob aliam certe caussam, quam ob ea verba *Tu es Petrus &c.* præpositum Zacchæo fuisse dicat, satis ostendit, Petro summam post Christum in Ecclesia tributam auctoritatem.

3 Confer *serm. 1. de Dispensatoribus pag. 248.* „ Servorum, quos populo suo præposuit, Dominus speciale volens officium demonstrare, ait, quod in Evangelio audivimus. *quis putas fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* &c Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait, *vos vocatis me magister, & domine &c.* Quæ est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse dominus de manu inimici redemit . . . Hæc autem familia sancta est Ecclesia Catholica, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptam se pretioso sui Domini sanguine gloriatur. *Filius enim hominis*, sicut ipse ait, *venit non ministrari, sed ministrare &c.* Ipse est etiam pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis. Grex enim boni pastoris ipsa est familia redemptoris. Dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter, & prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus, qui de se, suisque sociis loquens ait: *sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Ne quis autem nostrum solos Apostolos dispensatores factos existimet . . . Ipse Beatus Apostolus Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: *oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Servi ergo patrisfamilias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus „.

ceſſoribus, ac Præſidibus, ita ut indicavi, ceteris ſacrorum tributum crederet? Itaque quod alicubi de Eccleſia dixit, hoc alibi de Petro imprimis, tum de Apoſtolis, quos Eccleſiæ fundamenta vocat, poſt de Epiſcopis (1), præcipueque de Pontifice Maximo dixit, cujus cauſſa Romanam Eccleſiam totius mundi cacumen (2) appellavit, ut qui demum, ſua ſententia, poteſtate clavium inſtructi eſſent, intelligeretur.

A Gregorio expectare Queſnelliani opem fortaſſe poſſunt, impetrare certe non poſſunt. Eſt enim illius eadem, ac reliquorum Pontificum, de præcipua Petri, ſucceſſorumque in Chriſtiana republica poteſtate ſententia (3). Quare quod Hexaplorum conditores opponunt, eſſe quædam in libris Gregorii, quæ illius ſucceſſoribus non probentur, convicium ſane eſt plenum calumniæ, ac mendaciorum. Quid enim proficiſci ex Sedis Apoſtolicæ defenſore potuit, quod non dignum Romanæ Eccleſiæ majeſtate, iis, qui deinceps floruerunt, Pontificibus videretur? Ac locus e ſexto Commentariorum in Hiſtoriam Regum libro, quo maxime loco adverſarii confidunt, nihil nobis negotii exhiberet, etiamſi Gregorio acceptus referendus eſſet. At Gregorio auctore aut ſcriptos, aut publicatos libros illos Commentariorum, quis credat, quos idem ipſe Gregorius injuſſu quidem ſuo conſcriptos fuiſſe teſtatus (4) aliquando eſt;

1 Confer *notat. ſuperiorem, & lib.* II. *de verit. prædeſt. & grat. cap.* XXII. *num.* 38. *pag.* 215. ubi: *Quantum*, inquit, *ergo pertinet ad hujus temporis vitam, conſtat quia in Eccleſia nemo Pontifice potior, & in ſeculo nemo Chriſtiano Imperatore celſior invenitur. Sed non ideo quilibet Epiſcopus vas miſericordiæ putatur in gloriam præparatum, quia Pontificali militia fungitur, ſed ſi pro grege ſibi credito ſollicitus ſemper invigilet &c.*

2 *Epiſt.* XVII. *ſeu lib. ad Pet. Diaconum cap.* XI. *pag.* 135. „ Duorum magnorum luminarium, Petri ſcilicet, Paulique verbis tamquam ſplendentibus radiis illuſtrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi cacumen eſt, tenet, & docet Eccleſia &c.

3 Confer quæ ſcripſi ſupra *pag.* 187. *hujus vol.*

4 Hoſce commentarios a Claudio Gregorii diſcipulo perſcriptos fuiſſe conſtat. Conſule *lib.* XII. *epiſt.* XXIV. *ad Johannem Subdiaconum pag.* 1195. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monachor. Congr. S. Mauri an.* 1705. quo in loco hæc præter cetera reperiuntur: „ Quæ „ cum mihi (Claudius) legiſſet, inveni dictorum meorum ſenſum valde inutilius fuiſſe per„ mutatum „. Juſſit quidem Gregorius, ut ad ſe hi ipſi libri tranſmitterentur, ut ſi publicandi eſſent, emendati publicarentur; ſed idne præſtiterit, nuſquam indicat. Immo vero cum eſſe quædam in iis commentariis liqueat, quæ cum Gregorii doctrina componi nullo modo poſſe videantur, ut oſtendunt Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri *tom.* III. *p.* 11.

est; jussu autem suo publicatos, numquam? Sed fac scripti, publicatique auctore Gregorio fuerint: quid demum in illis est, quod aut tollere, aut imminuere Pontificum Maximorum, reliquorumque Præsulum auctoritatem possit? Nam quod habent: *universali* Ecclesiæ dici, *quodcumque ligaveris*, ita certe intelligendum est, ut series (1) verborum auctoris, utque illius doctrina, quæ libris ipsius ceteris continetur; non ut Quesnellianorum decreta postulant. Jam vero ne in cogitationem quidem cadit, Gregorium, qui neque ignorarit, neque reprobarit, quæ tradita a majoribus de Romani (2) Episcopi, deque reliquorum Ecclesiasticorum Præ-

 sulum

p. II. *opp. s. Gregorii pag.* XV. *præf. edit. an.* 1705. magno id quidem argumento esse debet, ut ab eo Pontifice multis curis, adversaque valetudine impedito, emendatos numquam fuisse arbitremur.

1 Auctor idem *ibid. pag.* 387. „ Potest, *inquit*, per cornu, regni ejus videlicet, sanctæ Ecclesiæ sublimitas designari, quæ magna est, sed austera, & superba non est. De „ quo nimirum cornu superius per Annam Samuelis matrem dicitur: *sublimabit cornu* „ *Christi sui.* Hinc namque per Zachariam dicitur: *erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Cornu quidem salutis quid est, nisi sublimitas Ecclesiasticæ potestatis? „ Nam quod antiquis nusquam dicitur, modo universali Ecclesiæ dicitur: *Quodcumque ligaveris &c.* Quod profecto cornu erectum, & oleo plenum dicitur, quia sancta Eccle- „ sia cum sublimitate potestatis extendit viscera miserationis „. Quis autem non videat dicta hæc ab Auctore fuisse eo sensu, quo nos ipsi passim dicere solemus, Ecclesiam matrem esse piam, & misericordem? At non eo dicimus, quod *sublimitatem potestatis* omnibus Christianis datam, sed quod summo Pontifici imprimis datam, redundasse etiam in ceteros Ecclesiæ Præsules, qui Ecclesias, quas moderantur, *repræsentant*, putemus. Quare idem est auctor Claudius *lib.* III. *in cap.* IV. *lib.* I. *Regum num.* 10. *pag.* 150. „ In sancta Ecclesia plures præ- „ sulum ordines invenit, quia cum prærogativa aliis digniores sunt, etiam auctoritatem „ præcipiendi sortiuntur in culmine ordinis altioris „. En quibus demum ea potestas insit, quorum ratione (cum in Ecclesia sint, ejusque rectores merito appellentur) Ecclesiæ ea esse potestas tributa dicatur. In Præsidibus ergo sacrorum eam potestatem, non in universis Christianis, Ecclesia accepit, Claudii quoque Gregorii auditoris sententia. Quemadmodum enim Ecclesiam ante Christi adventum in Patriarchis, & Prophetis potestatem obtinuisse dixit, ita de Ecclesia post adventum Christi in Apostolis, eorumque successoribus potestatem accepisse dixerit, necesse est. Habet enim *lib.* I. *capit.* III. *pag.* 41. hoc modo: „ Sancta Ecclesia ante Redemptoris adventum cornu habuit: quia in „ Patriarchis, & Prophetis tam recte vivendi ordinem, quam delinquentes corrigendi po- „ testatem divinitus accepit „.

2 Confer præter ceteros S. Leonem Magnum *epist.* XII. *ad Anastasium Thessalonicensem cap.* XI. *pag.* 55. *edit. Rom. Cacciari*; quo loco sic habet: „ Connexio totius corporis „ unam sanitatem, unam pulchritudinem facit, & hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas „ sit communis, non est tamen ordo generalis, quoniam & inter beatissimos Apostolos in „ similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis & cum omnium par esset electio, uni „ tantum datum est, ut ceteris præemineret. De qua forma Episcoporum quoque est orta „ distinctio, & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent; sed es- „ sent

sulum auctoritate essent; quique Petrum ob acceptam clavium potestatem (1) *ostium*, & (2) *primum pastorem, cui specialiter commissa Ecclesia fuerit*, & *superiorem* (3) *Paulo*, & *primum* (4) *Apostolorum*, & *Ecclesiæ principatum tenentem*, *in cujus soliditate* (5) *firmata Ecclesia sit*, appellaverit; & *Petrum*

„ sent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & „ rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, „ per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil usquam a suo „ capite dissideret „. Potestatem igitur a Christo non omnibus Christianis, sed Apostolis datam, atque in Præsides sacrorum manantem, quæ tamen potestas, ut æqualis in omnibus Apostolis non fuit, ita ne in Episcopis quidem sit, Leo confitetur, a quo certe Gregorium numquam dissensisse constat.

1 Gregorius de Petro, de Apostolis, deque Præsulibus Ecclesiæ, quos Prædicatores vocat, disserens, ut sint ostia Ecclesiæ demonstrat *lib.* XXVIII. *in cap.* XXXVIII. *Job. cap.* XVIII. *pag.* 911. *num.* 38. *seqq tom.* 1. *opp.* „ Quid per ostia, *inquit*, nisi Prædicatores sancti? „ quid per vectem, nisi incarnatus Dominus designatur? qui hæc videlicet ostia contra „ sævientis maris impetum tanto valentiora opposuit, quanto ea sua observatione robora„ vit. Quia enim ista sanctæ Ecclesiæ ostia vectis hujus oppositione solidata sunt, potuerunt qui„ dem tundi fluctibus, sed effringi nequiverunt... Et quia doctores sancti prædicatione „ quidem sequentibus aperti sunt, auctoritate autem sua resistentibus clausi, non immeri„ to ostia vocantur, idest aperta conversationi humilium, & clausa terroribus superborum. „ Non immerito ostia vocantur, quia & ingressum fidelibus aperiunt, & rursum sese perfi„ dis, ne ingrediantur, opponunt. Pensemus quale Ecclesiæ ostium exstitit Petrus... „ (Simoni mago) per districtæ damnationis sententiam cælestis aulæ aditum claudit. „ Quid cuncti Apostoli, nisi sanctæ Ecclesiæ ostia existunt, quum vocem Redemptoris sui „ audiunt: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &* „ *quorum retinueritis, retenta sunt?* ac si illis aperte dixisset: per vos ingredientur ad „ me hi, quibus vosmetipsos panditis, & repellentur, quibus obseratis.

2 *Lib.* II. *Homil.* VI. *in Ezechielem num.* 9. *pag.* 1368. *tom.* 1. *opp.* „ Se minori fratri „ (hoc est Paulo) ad consensum dedit, atque in eadem re factus est sectator minoris sui, „ ut etiam in hoc præiret, quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset primus „ & in humilitate... Non ad memoriam revocat, quod primus in Apostolatum vocatus sit, „ non quod claves regni cælestis acceperit &c. „ *Et lib.* II. *Homil. in Evang.* XXI. *n.* 4. „ Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus, eum, quem cunctæ Ecclesiæ præferre „ disposuerat, ancillæ vocem pertimescere, & seipsum negare permisit. Quod nimirum „ magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, ut is, qui futurus erat pastor Eccle„ siæ in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset „. *Lib.* II. *Homil.* X. *in Ezechielem tomo eodem* 1. *pag.* 1425. „ Videamus si ipse primus pastor Ecclesiæ, qui sibi non „ vixit, sibi sit mortuus „. Agit autem de Petro. *Lib. item* II. *in Evang. Homil.* XXIV. *num.* 4. *pag.* 1542. *tom.* 1. *opp.* „ Ipsi, *inquit*, sancta Ecclesia est commissa, ipsi speciali„ ter dicitur: *Simon Johannis amas me? Pasce oves meas*.

3 Consule *notat. superiorem, & lib.* X. *in cap.* XI. *Job. n.* 9. *pag.* 342.

4 *Lib.* XVII. *in cap.* XXVI. *Job pag.* 553. *num.* 48. *capite* XXXI. „ Primus ille Apo„ stolorum, idest cælorum primus &c „. *Et pastoral.* II. *part. cap.* VI. *pag.* 21. *tom.* II. *opp.* „ Petrus auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenet.

5 *Lib.* VII. *epist.* XL. *ad Eulogium pag.* 887. *seq. tom.* II. *opp.* „ Suavissima mihi san„ ctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri Apostolorum Principis Cathedra locu„ ta est... Cuncta, quæ dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri Cathe„ dra locutus est, qui Petri Cathedram tenet... Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in

„ Apo-

trum, ac Romanam Sedem (1) *reciprocari*, atque *ire ad B. Petrum idem esse*, *ac ire ad Pontificem* (2) *Romanum*, & *ut Petrum*, *ita primatem Ecclesiæ Romanum Episcopum* (3) *esse*, & *in principatu solum Petri Apostoli Sedem auctoritate convaluisse*, & Romanum ipsum Antistitem *ministeriale* (4) *totius Ecclesiæ*, *& fidei* a Christo constitutum *caput*. & *jure divino quatuor Patriarchis* (5) *præpositum*, *& curatorem* (6) *Episcoporum*, & *judicem sententiarum* (7) *esse* dixerit; Episcopum autem quemque (8) *caput fidelium*, quibus præesset, & *lapidem* Sanctuarii, (9) & *pastorem* qui (10) *consequutus* divinitus *ligandi solvendi-*

„ Apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut „ Petrus a petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur: *Tu es Petrus &c.* Cui rursus di- „ citur: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: Iterumque: *Simon Johannis* „ *&c. pasce oves meas*. Itaque cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola „ Apostolorum Principis sedes in auctoritate convaluit &c.

1 Confer *adnotat. Monach. Congreg. s. Mauri ad epistol.* xxxvi. *lib.* 1. *pagin.* 526. *tom.* II *sep.*

2 Vide *epist.* XIII. *lib.* II. *pag.* 619.

3 Consule *epist.* LVII. *lib.* III. quæ est ab Johanne Ravennate ad Gregorium, probante certe Gregorio, scripta: *pag.* 668 quo loco sic habetur: „ Et quibus ausibus ego sanctis- „ simæ illi Sedi, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit, præsumserim obviare?

4 *Lib.* XIII. *epist.* XXXVII. *ad Johannem Panormitanum pag.* 1243. „ Illud admone- „ mus, ut Apostolicæ Sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status „ membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria.

5 Consule *lib.* II. *epist.* LII. *ad Natalem Episcopum pag.* 618.

6 Vide *epist.* LXVIII. *ad Eusebium Thessalonicensem lib.* IX. *pag.* 983.

7 *Lib.* X. *epist.* XXIX. *ad Constantium Mediolanensem pag.* 1061. „ Ne reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias „.

8 *Lib.* XV. *in Job cap.* XXXV. *pag.* 453. *tom.* I. „ Caput fidelium non immerito Sacer- „ dotes accipiuntur, quia pars membrorum Domini prima sunt .... Cornua ergo de ca- „ pite aufertur, cum supernæ remunerationis præmia etiam ipsi deserunt, qui in hoc Ec- „ clesiæ corpore præesse videbantur,

9 *Lib.* I. *Homil.* XVII. *In Evang. num.* 15. *pag.* 1503. *tom.* I.

10 *Lib.* II. *Homil.* XXVI. *in Evang. num.* V. *pag.* 1555. *tom.* I. „ *Quorum remiseritis* „ *peccata &c.* Illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ „ sunt perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis „ potestatem relaxationis accipiunt, principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice „ Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic, sic eos a Deo decebat eri- „ gi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei judicium me- „ tuunt, animarum judices fiunt „. Hoc nunc quæro, universis ne Christianis, qui tunc vivebant, an discipulis tantum hanc potestatem tributam Gregorius existimarit? Cum autem discipulis, illius sententia, tributam fuisse constet, quid est, quod Ecclesiæ nomine Apostolos, qui Ecclesiam exhiberent, non indicaverit? Nunc animum advertant Quesnelli asseclæ, & quæ sequantur, etiam, atque etiam considerare ne graventur: „ Horum „ (Apostolorum) nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent. Ligandi, atque solvendi aucto- „ ritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus „ istius est honoris. Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, judex

„ vitæ

vendique potestatem, non tam late patentem tamen, quam Romani Antistitis potestas pateat,& *Apostolorum locum tenentem,& grandem honorem* consequutum,sed *gravi honoris pondere* onustum esse, *cui ager Domini* (1) *est creditus* quidem affirmarit;ne in cogitationem quidem,inquam,cadit Gregorium,qui hæc scripserit,in ea fuisse opinione, ut Ecclesiæ universæ traditas claves fuisse, Ecclesiamque uti quasi instrumentis potestatis suæ Episcopis, ipsoque Romano Pontifice,arbitraretur, Nam qui Pontifici, Episcopisque ligandi, solvendique auctoritatem divinitus esse tributam credidit, isne tam esse absurdo ingenio potuit, ut omnibus Christianis, hoc est *Ecclesiæ universali*, datam defenderet, quæ Ecclesia iisdem Episcopis veluti istrumentis utatur?Quid si in illis ipsisCommentariorum in Historiam Regum libris legamus, quos Gregorio adversarii nihil hæsitantes adscribendos putant, Petrum *summum* fuisse *Patriarcham* (2), Pontificesque Maximos tanta auctoritate divino jure præstare, ut *explorare* (3) *prælatorum vitam, ordinare per orbem prædicatores, judicare de gravissimis* Ecclesiæ rebus possint; inveniamusque Episcopos ad alios regendos ordinari, (4) *pastores esse Ecclesiæ, a Deo ordinari ad culmen regiminis*,(5) *summum occupare locum*, rectoresque cœtus esse, cumque sint divinitus consequuti clavium potestatem, proiicere peccatores posse (6)? Hæc autem qui scripsit, is ne

„ vitæ fiat alienæ: & plerumque contingit, ut hic judicii locum teneat, qui ad locum vi-
„ ta minime concordat: ac sæpe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus
„ solvat: sæpe in solvendis, ac ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem caussa-
„ rum merita sequatur... Caussæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi, ac solvendi pote-
„ stas exercenda „. Hos ergo, quibus datam esse ligandi potestatem dicit, Ecclesiæ nomine significarit necesse esset, si auctor librorum in Historiam Regum fuisset.

1 *Lib.* VI. *epist.* LXIV. *ad Dominicum Episcopum pag.* 840. *tom.* II. „ Creditum nobis „ agrum Dominicum exerceamus.

2 *Lib.* VI. *Commentar. in lib.* I. *Regum num.* XXX. *pag.* 391. *tom.* III. *opp.*

3 *Lib.* V. *num.* 23. *pag.* 310. „ Summi Pontifices non solum subditorum facta discutiunt,
„ sed doctrinam Prælatorum. Istos quidem explorant, si bene agant, illos autem an recte
„ doceant... Et quia innumeri sunt Ecclesiarum Præsules, a speculatoribus Jonathas aspi-
„ citur; quia summum culmen universalis Ecclesiæ sic per orbem Prædicatores ordinat, ut
„ circa se Ministros habeat, per quos illorum doctrinam discutiat, & opera diligenter in-
„ quirat &c.

4 *Lib.* IV. *num.* XLI. *pag.* 214.

5 *Lib.* V. *pag.* 296.

6 *Lib.* VI. *num.* XIV. *pag.* 381.

is ne *universalis Ecclesiæ* vocabulis, non Pontificem summum, qui *Ecclesiam universalem* moderetur, neque *rectores* ceteros singularium Ecclesiarum, qui suos quique cœtus exhibeant, sed *populum Christianum* universum intelligi oportere existimavit? Credant id, si volent, Richeriani, quique Quesnelli partes sequuntur; ego enim numquam in animum inducam, ut credam.

Bedæ autem ecquis est usquam locus de Petro figura Ecclesiæ, non ex (1) Augustino? Quum vero multa de Augustini sententia supra disputata sint (2), non est cur esse copiose de Beda disputandum videatur. Quamobrem ut adversariis satisfaciam, explicabo hujus etiam scriptoris dicta, sed breviter. Igitur quibus in locis Beda aut accepisse Ecclesiam regni Cælorum *claves in* Petro, aut *officium ligandi* (3), *solvendique Episcopis, Presbyteris, & omni Ecclesiæ commissum* (4), aut *hoc fuisse ceteros Apostolos, quod erat Petrus*, adeoque *pasci ab eorum successoribus* (5) *gregem*, aut denique *omni electorum Ecclesiæ* dimittendorum, retinendorumque scelerum *auctoritatem* (6) tributam scripsit, non ita profecto scripsit, quasi in *universa Christianorum republica*, quam quique orthodoxi constituunt, clavium potestatem inesse putaret; sed ita, ut eam, cum in Petro maxime, non in ceteris Apostolis fuerit, indeque in successores potissimum

1 Vide epistolam Gaufridi Boussardi Cenomani, quæ extat *tom. VI. opp. Bedæ edition. Basileensis an.* 1563. *pag.* 1177. ubi hæc habentur. „ *Augustinus egit, Beda compegit. Augustinus texuit, Beda contexuit &c.* Ac si hi Bedæ loci cum Augustini testimoniis conferantur, nemo erit tam cæcus, quin expressos illos ex his fere ad verbum esse perspiciat.

2 Confer quæ scripsi supra *pag.* 263. *seq. not.* 1.

3 Beda *in cap.* 221. *Joh. pag.* 622. *tom.* V. *opp. edit. Colon. an.* 1612.

4 Idem *in cap.* XVI. *Evang. Matth. pag.* 52. *tomo eodem*: „ Hæc potestas sine dubio
„ cunctis datur Apostolis, *inquit*, quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter
„ *accipite Spiritum sanctum &c.* nec non Episcopis, & Presbyteris, & omni Ecclesiæ idem
„ officium committitur: quamvis quidam eorum non recte intelligentes arbitrentur se posse
„ damnare innoxios, & absolvere reos, quod nequaquam possunt; sed tentantes semetipsos
„ concessa potestate privare.

5 Idem *in vigil. ss. Apostol. Petri, & Pauli tom.* VII. *opp. pag.* 109. *edit. ejusdem*:
„ *Pasce oves meas*, omnibus dictum est. Hoc namque erant ceteri Apostoli, quod fuit Pe-
„ trus, sed primatus Petro datur, ut unitas Ecclesiæ commendetur. Pastores sunt omnes,
„ sed grex unus ostenditur, qui & ab Apostolis omnibus tunc unanimi consensione pascebatur,
„ & deinceps a successoribus eorum communi cura pascitur.

6 Homilia *in die sancto BB. Petri, & Pauli Apostolor. pag.* 112. „ Omni electorum
„ Ecclesiæ juxta modum culparum, & pœnitentiæ, ligandi, & solvendi datur auctoritas.

mum Petri Romanos Pontifices, atque, etsi non tam late patens, in reliquos tamen Præsides sacrorum, qui partes sunt potiores Ecclesiæ, summa Ecclesiæ ejusdem utilitate traducta sit; *acceptam ab Ecclesia* dici commode posse arbitraretur. Quare, ut quæ sua esset de hac tanta, quam Ecclesia obtineret, potestate sententia, intelligeretur, in ea ipsa, quam de S. Petro edidit, Homilia, non *Ecclesiam* in se, sed *Ecclesiam* in *Episcopis*, *Presbyterisque* clavium auctoritatem accepisse (1) dixit, propterea quod auctoritas Præsidibus sacrorum tributa in Ecclesiæ scilicet utilitatem, salutemque tota redundet. Quamquam non ita fuit animo institutus, ut æque omnibus Præsulibus fuisse datam defenderet. Præ ceteris namque Sancto Petro (2), ejusque successoribus (3) Romanis Pontificibus id esse juris tributum animadvertit. Quibus ex rebus perspici facile poterit, adversarios fide agere non bona, qui cum Patrum opera plena esse eorum, quæ ad auctoritatem clavium summo imprimis Pontifici, deinde ceteris Præsidibus sacrorum tributam pertinent, videant; tum ut Quesnellum ab erroris invidia liberent, implicata quædam consectentur, quæ tamen a majoribus ipsis iisdem in locis, quibus adversarii abuti consueverunt, explicata sint.

Quod Arelatensis primæ Synodi Patres ad Silvestrum Pontificem scripserunt, Donatistas *Iudice Deo, & matre* (4) *Eccle-*

1 *Ibid.* „ Quæ solvendi, atque ligandi potestas quamvis soli Petro videatur a Domino „ data, absque ulla tamen dubietate noscendum est, quia & ceteris Apostolis datur, ipso „ teste, qui post passionis, resurrectionisque suæ triumphum apparens eis insufflavit, & „ & dixit eis: *accipite Spiritum sanctum &c.* Nec non etiam nunc IN EPISCOPIS AC PRES- „ BYTERIS OMNI ECCLESIÆ officium idem committitur, ut videlicet agnitis peccantium „ caussis, quoscumque humiles, ac vere pœnitentes aspexerit, hos jam a timore perpetuæ „ mortis miserans absolvat; quos vero in peccatis, qui egerint, persistere cognoverit, „ illos perennibus suppliciis obligandos insinuet.

2 *Ibid.* „ Merito præ ceteris ipse collatis clavibus regni cælestis donatus est &c. Et paulio post: „ Sed ideo B. Petrus ... SPECIALITER claves Regni cælorum, ET PRINCIPA- „ TUM JUDICIARIÆ POTESTATIS accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant, quia „ quicumque ab unitate fidei, vel societatis illius, quolibet modo semetipsos segregant, „ tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec januam possint Regni cælestis ingredi „. Sed hæc *Hexaplarii* taciti prætermiserunt, ut quæ eorum caussam labefactarent.

3 Confer priorem illius *librum Hist. gentis Anglor. cap.* XXVII. *pag.* 18. *seqq. tom.* III. *opp. edit. ejusdem*.

4 *Synod. Arelat. an.* 314. *habita epist. ad Sylvestrum Papam tom.* 1. *Concilior. edit. Harduini pag.* 261.

Ecclesia aut damnatos fuisse, aut repulsos, detrimento esse Quesnellianis fortasse potest, adjumento certe non potest. Quemadmodum enim *judice Ecclesia damnati, repulsive* Donatistæ fuerint, ab iisdem est Patribus demonstratum. Ab se namque, qui judices essent, schismaticos fuisse repressos, sacrisque prohibitos Christianorum, tradunt, atque (1) *credimus*, inquiunt, *quia in eos severior fuisset sententia prolata, & te pariter* NOBISCUM JUDICANTE *cœtus noster majore lætitia exultasset*. Sed etsi judicum ipsis notio propria, appellatioque erat; quod tamen Ecclesias, quarum erant pastores, congregati exhibuissent, conjunctique *Ecclesiæ Catholicæ*, cujus potiorem partem constituebant, *societate communionis* essent, atque ita quidem judicium tulissent, ut *Ecclesiæ* ipsius postulabat *fides*: nemini se umquam errandi caussam futuros putarunt, *si judice Ecclesia damnatos, aut repulsos* hæreticos, Donatianæque factionis propugnatores fuisse dixissent. De Ecclesiæ vero *fide, communionisque societate*, quæ dixi, intelligi iisdem ex litteris plane possunt. Nam ut viam sibi Patres ad ea, quæ sunt *de Ecclesia judice* munirent, hæc primum scribenda judicarunt: (2) *Communi copula caritatis, &* UNITATE MATRIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ VINCULO *inhærentes ad Arelatensium civitatem piissimi Imperatoris voluntate adducti, inde te gloriosissime Papa commerita reverentia salutamus. Ubi graves, ac perniciosos* LEGI NOSTRÆ, ATQUE TRADITIONI, *effrenatæque mentis homines pertulimus, quos & Dei nostri præsens auctoritas, &* TRADITIO, AC REGULA VERITATIS ITA RESPUIT, UT NULLA IN ILLIS AUT DICENDI RATIO SUBSISTERET, AUT ACCUSANDI MODUS ULLUS, AUT PROBATIO CONVENIRET. IDEO JUDICE DEO, ET MATRE ECCLESIA, QUÆ SUOS (nempe quæ suam doctrinam traditionemque sequentes) NOVIT, *& comprobat, aut damnati sunt, aut repulsi*. Atque Episcoporum jus illud, judicii de hæreticis, schismaticisque ferendi, proprium fuisse, Constantinus Imperator confirmat, cui sane perspecta erat Antistitum, qui Arelaten convene-

1 Synodus Arelat. *ibid. pag.* 262.
2 *Ibid. pag.* 261.

rant, & explorata ſententia. Is enim cum in litteris ad Ælaſium Arelatenſem (1) & ad Chreſtum Syracuſanum (2), tum in iis maxime, quæ ſunt *ad Epiſcopos Catholicos* datæ (3), *gaudere ſe*, ſcribit, *quod tandem habita juſtiſſima dijudicatione, Donatiſtas ad meliorem ſpem, fortunamque revocaviſſent*. Sed fuiſſe aliquos ex ea turba, colluvieque hæreticorum, qui tam obfirmati in errore manſiſſent, *ut apud eos recta dijudicatio non profuerit*, immo vero *a recto judicio dato deſciverint, etſi Sacerdotum judicium ita debuiſſet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicaſſet*. Appellaſſe igitur eos Ethnicorum morem ſequutos ad Imperatorem, quamquam cæleſtia relinquere, ac ſecularia quærere nefas eſſet. Hæc ſi Queſnelli aſſeclæ diligenter conſideraſſent, bonaque fide agere voluiſſent, numquam nobis duo illa Synodi verba de *Iudice Eccleſia* oppoſuiſſent. Sed cum ſeſe implicatos viderent, obliti eorum, quæ adverſus Calvinianos animadverſa ab Arnaldo (4) fuerant, de non omittendis claris, perſpicuiſque veterum teſtimoniis, deque iis non producendis, quæ cum involuta obſcuritate ſint, tum evolvi, illuſtrarique claris, atque manifeſtis poſſunt; rationem ſunt imitati hæreticorum, qui cauſſæ diffidentes ſuæ, non modo obſcura colligere, ſed patentibus etiam veterum locis, quos decurtatos, mutiloſque afferunt, tenebras, ut poſſunt, offundere conſuerunt. Sunt enim a nobis ſupra deſcripti, deſcribenturque deinceps plurimi, iique tam luculenti Patrum de Petri, ſucceſſorumque, deque Præſidum ſacrorum ligandi, atque ſolvendi poteſtate loci, quos ſi contemnere adverſarii impudenter poſſunt, contorquere tamen, pertrahereque in ſuam ſententiam nullo modo poſſunt.

Mitto quæ e Synodis Meldenſi (5) anno octingenteſimo qua-

1 *Tom. 1. Concilior. edit. ejuſdem pag. 259.*

2 *Ibib. pag. 260. ſeq.*

3 *Ibid. pag. 268.*

4 Arnaldus *lib. inſcript. La Perpetuitè de la Foy de l' Egliſe Catholique touchant l'Eucharistie &c. edit. Pariſ. ann. 1666. pag. 102.* „ Quemadmodum enim, *inquit*, fieri poteſt, ut vir quiſpiam ſanæ mentis malit ſuam fidem niti duodecim fere obſcuris, quam innumeris veterum teſtimoniis, quæ nitide, litteraliterque continent, quæ docet Eccleſia? &c.

5 *Tom. IV. Concilior. edit. Harduini pag. 1478.* ubi hæc habentur: *Praf. Synodi*: „ Nulli

quadragesimo quinto, Lateranensi quarta (1) an. 1215. Constantiensi (2) an. 1414. seqq., & Tridentina an. 1545. seqq.

„ Nulli, qui sanum sapit, est dubium, ita Dominum omnia moderasse, ut clavibus Ecclesiæ datis, aditus ad vitam claudi debeat, vel referari „. His abutuntur Quesnelliani. At Synodi Patres paullo ante scripserant: „ Propheta sacerdotalem gestans personam, Domino loquente, præmonstrat dicens: *Ego constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas &c.* Quatuor enim prius ad demonstrandum prava, & duo postmodum ad statuendum recta, ostendit quid falce sacerdotali durius valeat, & sæpius debeat recidi. Quidquid terrena potestate, vel cupiditate &c. perversum in Ecclesia, recidendum. SACERDOTUM chorus os Domini appellatur, sicut scriptum est: *si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, cui etiam dictum est: *tu autem annunciabis eis*, quin populis universis, *ex ne: &, legem requirent ex ore Sacerdotis, quia Angelus Domini exercituum est*, & multa alia his similia .... SACERDOTUM est etiam imminentem gladium, quæ est animadversio divini furoris, atque judicii, populis nunciare. EORUM est nihilo minus verbi gladio, acutiore omni gladio ancipiti, qui penetrat usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullarum, atque cogitationum, & intentionum cordis in unoquoque Ecclesiæ filio prava resecare a rectis, pravosque in omni Ecclesia, si ita res poposcerit, ut seculi JUDICES, & judicii Dei præcones SEGREGARE DE RECTIS. Quia nulli qui sanum caput *ut supra &c.* Et quidquid ordine ordinato A SACERDOTIBUS in Ecclesia geritur, per gratiam sancti Spiritus ab illo geratur, qui quod EIS PROMISIT, nullatenus pro quocumque in quocumque dimisit „. En cur Ecclesia claves accepisse dicatur. Cum autem ea potestas Sacerdotibus competat, nec Patres Meldenses eam in Pontifice *pleno jure* residere negent, quid est, quod eorum adversus nos describendum esse testimonium Quesnelliani putarint?

1 Hunc *ex cap.* 1. *Synodi Lateranensis pag.* 18. *tom.* VII. *Concilior. edit. Hard.* proferunt Quesnellianorum Hexaplorum auctores locum: „ Hoc sacramentum (Eucharistiæ) nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Jesus Christus „. Id vero, qui neget, arbitror equidem esse neminem. At nos de potestate clavium Ecclesiæ universæ data quærimus, qua de re orta inter nos est, Quesnellianosque dissensio. Quid? si plenam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, cujus est ab Synodo facta mentio, silentio Quesnelliani Hexaplari i prætermiserunt: „ Romana Ecclesia, *inquiunt Patres ibid. cap.* II. *pag.* 19. cunctorum fidelium disponente Domino mater est, ac magistra „. *Et cap.* IV. *pag.* 22. „ Postquam Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus, ac fautoribus suis ab OBEDIENTIA SEDIS APOSTOLICÆ se subtraxit „: *Et pag.* 23. „ conformantes se tamquam obedientiæ filii SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ MATRI SUÆ, ut sit UNUM OVILE, & UNUS PASTOR „. *Et cap.* V. *pag.* 23. *seq.* „ Sancimus, ut post ROMANAM ECCLESIAM, quæ disponente DOMINO SUPER OMNES ALIAS ORDINARIÆ POTESTATIS OBTINET PRINCIPATUM, utpote MATER UNIVERSORUM CHRISTIFIDELIUM, ET MAGISTRA &c.

2 De Concilio Constantiensi confer, quæ post Emmanuelem Schelestratium *tract. de sensu & auctoritate Decretorum Constantiensis Concilii sess.* IV. *&* V. *edit. Rom. ann.* 1686. adversus Antonium Arnaldum, aliosque disputat vir doctissimus Josephus Augustinus Orsius Ord. Præd. S. Palatii Apostolici Magister *Tom.* III. *de Rom. Pont. P.* I. *de Romani Pontificis in Synodos Oecumenicas, & earum canones potestate pag.* 1. *seqq.* Idem differit de Synodo Basileensi *tom. eodem P.* II. *pag.* 339. *seqq.* At laudare eos etiam oportebat Synodi Florentinæ Decretum *unionis Græcorum tom.* VIII. *Conciliorum edit. ejusd. pag.* 433. in quo sic habetur. „ Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo PLENAM potestatem tra-

„ ditam

(1) celebratis, exque libris, aut Epistolis Paschasii (2) Rat-

„ ditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris „ canonibus continetur „. Consule, quæ nos de hoc Decreto fusius olim disputavimus apud Orsium *tom. eodem* III. *p.* II. *pag.* 458. *seqq. edit. Rom. an.* 1740.

1 Multa e Synodo Tridentina colligunt Quesnelliani. Abutuntur autem præcipue *can.* XV. *seff.* XIV. *cap.* XXI. *seff.* XXV. *cap.* II. *seff.* XXI. *can.* XI. *seff.* VII. *cap.* I. *seff.* XXII. quibus quidem ex locis Ecclesiæ datas fuisse claves constat. At quo sensu hæc a Patribus dicta fuerint, tam est manifestum, ut mirari satis impudentiam adversariorum non possim. Agit enim Synodus de clavibus Sacerdotibus tributis, ut iisdem ex locis liquet. De Romani Pontificis plena potestate confer, quæ in Synodo eadem habentur *seff.* VII. *canon.* 3. *& cap.* 1. *De Reform. seff.* VI.

2 Paschasius Ratbertus *Commentarior. in Matth. lib.* VIII. *pag.* 549. *tom.* XIV. *Bibliotheca Patrum edit. Lugdun. etsi omni Ecclesia* fuisse tributam ligandi, solvendique potestatem, atque *unumquemque fidelium*, *quantum imitator est Christi*, *petram esse*, dicit, non tamen eo sensu dicit, ac si *jurisdictionem* toti Ecclesiæ, omnibusque Christianis datam existimet, sed quod putet *Christianum quemque*, qui *fidem* defendat, moribusque prædicet, *janitorem* cæli appellari aliqua ratione posse, propterea quod & sibi, & aliis muniat ad æternam salutem viam. Quamobrem ubi de Petro agit, *primum eum super fundamento Christo*, & *capite positum recte* credi confirmat, paulloque post, *Petro, omnibusque Apostolis* (ita tamen, ut idem Petrus *primus*, & caput fuerit) *atque Episcopis* esse *ligandi solvendique* potestatem *specialiter attributam*, statuit, propterea quod potestas his quidem *& ordinis, & jurisdictionis* data sit, quæ in quosque Christianos competere non possit „ Non enim, „ *inquit*, ut quidam male putant (*errat hic quidem*, *temereque agit dum alios insectatur*, *quorum est traditione majorum*, *ut supra demonstravi*, *nixa sententia*) Petrus „ fundamentum totius Ecclesiæ est, quia *fundamentum aliud nemo potest ponere*, *præter* „ *id*, *quod positum est*, *quod est Christus Jesus*: licet super eodem fundamento PRIMUS ET „ SI PETRUS RECTA POSITUS CREDATUR, tamen in ea Petra, de qua nomen sibi ex dono „ traxit, & super quam tota construitur, & constabilitur illa cælestis Jerusalem, idest su„ pra Christum, ut firma permaneat in sempiternum. De cujus nimirum firmitate prior Abra„ ham in veteri testamento firmatus... deinde PETRUS IN NOVO, ut in eorum fide omnis „ repromissio firma maneat in Christo „. De Christianis inde omnibus Paschasius disserens, *in tantum*, inquit, *unumquemque* eorum *petram* esse, non in *quantum* ligare, & solvere, clavesque habere jurisdictionis Ecclesiæ possit, sed *in quantum imitator est Christi*: Mox ad Petrum rediens, ceterosque Apostolos, horumque successores: „ Unde, *inquit*, non su„ per uno Petro, verum super omnes Apostolos (*non æque tamen*, *alioqui Petrum numquam appellasset caput*) Apostolorumque successores Ecclesia Dei ædificatur. Descendit porro ad Christianos omnes, utque ostendat, quo demum modo aperiendarum cæli portarum potestatem obtineant: „ Unumquodque peccatum, *inquit*, per quod descenditur ad „ inferos, porta est inferorum ... Sicut sunt portæ inferorum vitia, & peccata, ita sunt por„ tæ justitiæ virtutes, per quas intrant justi in requiem „. Hac vero ratione facultas necuique Christiano inest claudendarum, aperiendarumque sibi januarum cæli, non quærimus. De *jurisdictione*, ac *potestate* Ecclesiastica sermo est; cujus (cum de Apostolis, Episcopisque Ratbertus loquitur) mentionem facit; cum vero de Christianis omnibus, non item. Itaque *p.* 550. „ Unusquisque, *inquit*, circumstantiam Lectionis hujus diligenter „ intendat, MAXIME TAMEN EPISCOPI, quibus videtur cum Petro, & cum omnibus Apostolis „ hæc potestas SPECIALIUS A DOMINO ATTRIBUTA; licet & omni Ecclesiæ eadem sit con„ cessa „. His postremis verbis maxime abuti Quesnelli asseclæ consuerunt; sed non animadverterunt, eam potestatem, quam *Ecclesia universa* hoc loco tributam Paschasius censet, non esse potestatem *jurisdictionis*; de qua nunc agimus, sed potestatem parandi sibi ad sempiternam felicitatem viam, quæ potestas omnium est nostrum communis. Nam addit continuo Ratbertus: „ Quoniam, qui hanc vult sibi vendicare gratiam, debet firmi-

„ tatem

Ratberti Abbatis Corbejensis, Hincmari (1) Remensis, Rhabani (2) Mauri, Hadriani (3) secundi Pontificis Maximi, Hugonis (4) Rotomagensis, Innocentii (5) Secundi, Petri Cellensis (6), Petri Lombardi (7) Magistri sententiarum, S. Thomæ Aquinatis (8), Thomæ Waldensis congerere adversæ

„ tatem Petri in petra tenere, fidemque moribus, & voce prædicare „. Quod si quidquam præsidii erroris sui in hisce verbis nihilominus adversarii locatum pugnent, concedant, necesse est, quemque Christianum exercere per sese clavium potestatem posse, quod nec ipsi volunt, nec Paschasio umquam in mentem venit. Confer quæ sequuntur, ex quibus plane intelligitur, Paschasio teste, Præsidibus sacrorum solum eam inesse *jurisdictionis* potestatem.

1 Hincmarus Remensis *epist.* xxii. *ad Hincmarum Laudunensem cap.* xx. iisdem utitur verbis, quibus est usus Beda, at ne ipsi quidem Hexaplarii negant. Itaque ut explicatæ sunt Bedæ, ita sunt Hincmari explicandæ sententiæ. Vide infra *not.* 3.

2 Hexaplorum conditores *ibidem pag.* 654. Rhabani locum e *Commentariis Rhabani in Matth. cap.* xvi. *afferunt*: „ Tibi dabo claves &c. Hæc ligandi, atque solvendi potestas, „ quamvis soli Petro data videatur, tamen ceteris Apostolis datur „. Id vero nemo nostrum negat. Sed videndum est, primatus ne Petro datus fuerit, an non. Hunc autem & Rhabanus admittit sæpe, & adversarii prætermittunt.

3 Similia sunt horum Rhabani verborum, quæ Hadrianus secundus Pontifex Maximus adhibet *epist.* xii. *ad Waldradam tom* v. *Concilior. edit. Hard. pag.* 703. Sed conferenda adversariis erant, quæ idem scribit Hadrianus *epistola* xiv. *ad Carolum Calvum Regem pag.* 706. *Ad sedem Apostolicam, utpote caput omnium Ecclesiarum*, & quæ exstant *ep.* 1. *p.* 691. *& ep.* xxx. *ad Carolum Calvum Regem p.* 727. ut etiam quæ sunt in epistolis Hincmari Remensis *ad Nicolaum I. Pontificem ibid. pag.* 651. *seq. & pag.* 657. *seqq.*

4 Hugo Rotomagensis *lib.* II. *Dialogor. apud Martenium tom.* v. *Thesauri Anecdotor. pag.* 908. *& lib.* v. *pag.* 958. eadem fere, atque Rhabanus, ceterique, quos supra nominavi, scribit.

5 Innocentius II. *epist. ad S. Bernardum Abbatem Clarevallensem, quæ est* cxc iv. *inter Bernard. epistolas pag.* 186. *tom.* 1. *opp.* Sed satis est eam Pontificis ejusdem, ceterasque epistolas, quæ exstant *tom.* vi. *Concilior. p.* II. *edit. Harduini* legere, ut quæ illius fuerit de clavibus Ecclesiæ data sententia, intelligi, perspicique possit.

6 Similia sunt eorum, quæ Innocentius, atque Hugo usurparunt, Petri Cellensis *lib.* I. *epist.* viii. *ad Archiepiscopum Senonensem p.* 6. *edit. opp. an.* 1671. & Petri Blesensis *epist.* cxiii. *pag.* 174. *& pag.* 233. *edit. an.* 1667. verba.

7 Magister *sententiarum lib.* iv. *dist.* xviii. Hunc, ceterosque Lector consulat, videbitque, quam bona fide adversarii agant.

8 Locus S. Thomæ, quem nobis Hexaplarii opponunt, est *ex* III. *p. q.* lxiv. *art.* viii. *ad* 2. *arg.* „ Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister. In „ verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem „ sacramenti „. Sed quærendum adversariis erat, quo pacto S. Thomas putarit, ministros esse Ecclesiæ Sacerdotes, eane ratione, ut auctoritatem suam in eos Ecclesia transferat, iisque veluti suis instrumentis utatur; an vero ita, ut a Deo in ipsos, non vero primum in Ecclesiæ corpus universum, inde in ipsos manaverit. At si id quæsissent, cognovissent quidem sic fuisse ab eo in iv. *libri contra Gentes cap.* lxxvi. *p.* 368. *seq edit. Antuerp. an.* 1569. statutum: „ Ecclesia militans ex triumphanti Ecclesia per similitudinem derivatur. In „ triumphanti autem Ecclesia unus præsidet, qui etiam præsidet in toto universo, scilicet „ Deus. Ergo & in Ecclesia militante unus est, qui præsidet universis. Si quis autem dicat, „ quod unum caput, & unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiæ sponsus, non „ suffi-

versæ (1) partis defensores solent; quod ita omnino esse explicanda, ut superiora Bedæ, atque Augustini, constet. Nam quæ ex novis quibusdam scriptoribus (2) afferunt, nihil moror. Quamquam esse horum etiam aliqua intelligo, quæ communi Orthodoxorum sententiæ non modo non repugnent, sed esse etiam consentanea videantur.

De

„ sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia Ecclesiastica sacramenta ipse „ Christus perficit; ipse enim est, qui baptizat, ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit „ in ara crucis, & cujus virtute corpus ejus in altari consecratur; & tamen quia corpora„ liter non cum omnibus fidelibus præsentialiter erat futurus, ELEGIT MINISTROS, per „ quos prædicta fidelibus dispensaret, ut supra dictum est. Eadem igitur ratione, quia „ præsentiam erat Ecclesiæ subtracturus, OPORTUIT UT ALICUI COMMITTERET, QUI LOCO „ SUI UNIVERSALIS ECCLESIÆ GERERET CURAM. Hinc est, quod Petro dixit ante ascen„ sionem: *Pasce oves meas*: Et ante passionem: *Tu iterum conversus confirma fratres* „ *tuos*, & ei SOLI promisit: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, UT OSTENDERETUR POTE„ STAS CLAVIUM PER EUM AD ALIOS derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem. Mani„ festum est autem, quod Christus Ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem seculi du„ ratura. Manifestum est igitur, quod ita alios, qui tunc erant, in ministerio constituit, „ UT EORUM POTESTAS DERIVARETUR AD POSTEROS PRO UTILITATE ECCLESIÆ usque ad fi„ nem seculi. Per hoc autem excluditur quorundam præsumtuosus error, qui se subduce„ re nituntur ab obedientia, & subjectione Petri, SUCCESSOREM EJUS ROMANUM PONTI„ FICEM UNIVERSALIS ECCLESIÆ PASTOREM NON RECOGNOSCENTES „. Vides ut s. Thomas caput Ecclesiæ constitutum a Christo Petrum, adeoque etiam successores Romanos Pontifices, hosque habere divina auctoritate claves; potestatemque ab eis, quibus eam Christus tradiderat, in Præsides sacrorum, non in universum Ecclesiæ corpus, hoc est in omnes Orthodoxos Christianos manasse, qui Præsides ministri Ecclesiæ dicuntur, quod instituti a Christo ipso Servatore sint pro UTILITATE ECCLESIÆ? Quare *cap.* LXXIV. *pag.* 367. Sacerdotes *comparari ad Christum*, scribit, *sicut instrumentum ad principale agens*; additque: „ Non est „ autem dicendum, quod potestas hujusmodi SIC DATA SIT A CHRISTO DISCIPULIS, quod „ per eos ad alios DERIVANDA NON ESSET. DATA EST ENIM EIS AD ECCLESIÆ ÆDIFICA„ TIONEM. . . tamdiu igitur oportet hanc potestatem perpetuari, quamdiu necesse est „ ædificari Ecclesiam. Hoc autem necesse est post mortem discipulorum Christi usque ad „ seculi finem . . . Quia igitur hæc spiritualis POTESTAS A CHRISTO IN MINISTROS ECCLESIÆ „ DERIVATUR . . . oportuit, quod hæc spiritualis potestas sub quibusdam sensibilibus signis „ hominibus traderetur . . . Dominus (autem) discipulis, quibus commisit sui corporis con„ secrationem, dedit etiam potestatem remittendi peccata, quæ quidem potestas per cla„ ves intelligitur. De quibus Dominus Petro dixit: *Tibi dabo claves &c.* „. Sexcenta sunt hujusmodi in operibus s. Thomæ, quæ certe conferenda erant cum iis pauculis verbis, quibus adversarii abutuntur, ut quo sensu de ministris Ecclesiæ sanctus idem Doctor, deque intentione ministri agentis in persona Ecclesiæ, pro cujus utilitate institutus sit a Christo minister, loquutus fuerit, intelligeretur.

1 Eodem omnino modo accipienda sunt, ut ex serie ipsa illius verborum constat, quæ scribit Thomas Waldensis, qui XV. Ecclesiæ seculo floruit, *tom.* 1. *de Sacramentis cap.* CXLV. *pag.* 251. *edit. an.* 1557.

2 Mitto cetera novorum scriptorum testimonia, quæ Hexaplarii congerunt, ne sim longior. Non enim mihi quid novi quidam, sed quid maxima pars Christianorum semper senserit, curæ est. Quid autem sit *ligandi*, *solvendique potestatem in Ecclesia tamquam in proximo subjecto residere*, *in s. Petro vero*, *ejusque successores*, *inque ceteris Episcopis*, *ac Sacerdotibus*, *tamquam in subjecto remoto*, ne suspicari quidem possum. Præter Pontificem

De Hieronymi Epiſtola ad Evangelum ſatis multa dixi volumine ſuperiore (1), cum de præcipua Epiſcoporum dignitate diſſererem. Nunc celebrem illius locum, a quo Centuriatores Magdeburgenſes (2), Spalatenſis (3), Deylingiuſque (4) præſidium petere audent, explicabo brevi. Jam hoc ſatis conſtat, fuiſſe unum aliquem eo tempore, qui Diaconos Presbyteris præferre non dubitaret. Hujus rei, cum certior factus Hieronymus fuiſſet, inimicum oppugnaturus Presbyterorum, ita ut ſæpe fit, ubi vehemens inter viros doctos de re quapiam oritur altercatio, ut quam tuentur partem extollant, deprimantque contrariam, potiora Diaconorum munera tacitus prætermiſit (5), ſicque dignitatem Presbyterorum defendit, ut æquaſſe eos Epiſcopis videretur. Sed cum eſſe Epiſcoporum ampliorem, divina inſtitutione, excellentioremque poteſtatem ſciret, ne in ſuſpicionem erroris (6) vocaretur, addendum continuo judicavit, eſſe quædam propria Epiſcoporum, quæ cadere in ſecundi ordinis Sacerdotes non (7) poſſint. Interea quod con-

tificem enim, Præſideſque ſacrorum, quibus aliis claves traditæ fuerint, neque in Evangeliis, ceteriſque ſacris codicibus uſquam, neque in majorum operibus legimus. Quid enim? An laicos claves obtinere, ac remittere, retinereque poſſe peccata, cenſent? Qui enim demto Pontifice, ſacrorumque miniſtris, præter laicos, ſuperſint, non video. Quod ſi Patres, datas Eccleſiæ fuiſſe claves interdum dixerunt, de Eccleſia, qua Præſides ſacrorum complectitur, non qua excludit Pontificem, Præſideſque ſacrorum, loquuti ſunt. In Pontifice enim, atque Præſidibus ſacrorum accepiſſe eam ligandi, ſolvendique auctoritatem affirmarunt.

1 *Tom.* IV. *pag.* 479. *ſeqq.* Quam novi editores ad *Evangelum*, eamdem antiquiores ad *Evagrium* ſcriptam ab Hieronymo epiſtolam ſtatuerunt.

2 *Centuria* IV. *cap.* VII. *pag.* 557. *ſeq. tom.* IV. *edit. an.* 1560.

3 *De Republ. Eccleſiaſt. cap.* VI. *lib.* II. *pag.* 262. *edit. Londin. an.* 1617.

4 Vide quæ ſcripſi ſupra *pag.* 57. *hujus vol.* Neque vero hi ſolum, ſed etiam ceteri Proteſtantes, qui primatum Eccleſiæ Romanæ oppugnare aggreſſi ſunt, hoc ipſo ſunt abuſi Hieronymi teſtimonio. In his, ut cæteros prætermittam, Claudius Salmaſius *de Primatu Papæ cap.* V. *pag.* 82. *edit. Lugd. Batav. an.* 1645.

5 *Epiſt.* CI. *al.* LXXXV. *ad Evangelum pag.* 802. *edit. Pariſ. Martianæi*: „ Audio quemdam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, ideſt Epiſcopis anteferret. „ Nam quum Apoſtolus perſpicue doceat eoſdem eſſe Presbyteros, quos Epiſcopos, quis „ patiatur, menſarum, & viduarum miniſter ut ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum „ preces Chriſti corpus, ſanguiſque conficitur „? Viden ut miniſterium menſarum, & viduarum memoret, *miniſterium* vero in altari, quod præcipuum eſt Diaconorum munus, non memoret?

6 Idcirco enim Aerium fuiſſe olim damnatum diximus *pag.* 479. *ſeq. tom.* IV. *hujuſce operis*, quod Epiſcopos Presbyteris æquaviſſet.

7 Epiſcopum namque *ordinare* dixit, quod negat cadere in Presbyterum poſſe *Hieron. ibid. pag.* 803.

confuetudine, quæ Romæ invaluiffet, ut ad Diaconi (1) teftimonium Presbyter ordinaretur, adverfarium niti, atque confidere videret; confuetudinem, quæ latius pateret; totius orbis oppofuit abufui, ut putabat, Romanorum, atque vel Presbyteros (2) omnes, quos etiam Epifcopos appellarat, five Romæ, fibi Eugubii, five Alexandriæ, five Tanis verfentur, ejufdem effe facerdotii, ac meriti, fi jus divinum fpectes, affirmavit; vel Epifcopum Romanum (eft enim paullo obfcurior Hieronymi de re tanta fententia) ejufdem effe, atque Epifcopos ceterarum urbium, meriti, facerdotiique dixit, non quod parem illum effe reliquis clavium poteftate, amplitudineque jurifdictionis, fed quod eodem ordinis, characterifque Epifcopalis, five facerdotii merito, auctoritateque inftructum effe arbitraretur. Non enim tam ignarus, tamque imperitus rerum Ecclefiafticarum erat, ut Metropolitas fimplicibus Antiftitibus, Primates Metropolitis, Romanumque Antiftitem univerfis præfectum effe nefciret. Immo vero cum pluribus in locis, in eaque præcipue, quam ad Damafum Pontificem (3) fcripfit, Epiftola, quan-

1 „ Nec altera Romanæ Urbis Ecclefia, altera totius orbis exiftimanda eft. Et Galliæ, „ & Britanniæ, & Africa, & Perfis, & India, & omnes barbaræ nationes unum Chriftum „ adorant, unam obfervant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis major eft „ urbe. Ubicumque fuerit Epifcopus five Romæ, five Eugubii, five Conftantinopoli, five „ Rhegii, five Alexandriæ, five Tanis, ejufdem meriti, ejufdem eft & facerdotii. Poten- „ tia divitiarum, & paupertatis humilitas vel fublimiorem, vel inferiorem Epifcopum „ non facit. Ceterum omnes Apoftolorum fucceffores funt. Sed dicis, quomodo Romæ ad „ teftimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis confuetudi- „ nem? &c.

2 Placet hæc Nicolao Coeffetau O. P. Epifcopo Maffilienfi refponfio: *De Monarch. Ecclef. adv. Spalat. Difcuff. cap.* VI. *lib.* II. *pag.* 500. *edit. Parif. an.* 1623. Mihi vero altera, quam mox afferam, ad Hieronymi fenfum videtur effe propenfior. Ceterum quæ hic Hieronymus, ut in æftu difputationis evenit, Romani Epifcopi decora tacuit, ea, ut paullo poft oftendam, cum fedato effet animo, alibi lubens commemoravit.

3 *Epiftola* XIV. *al.* LVII. *ad Damafum pag.* 19. *tom.* IV. *opp. edit. ejufd.* „ Ideo Ca- „ thedram mihi Petri, & fidem APOSTOLICO ore laudatam cenfui confulendam: inde nunc „ meæ animæ poftulans cibum, unde olim Chrifti veftimenta fufcepi. Neque vero tanta „ vaftitas elementi liquentis, & interjacens longitudo terrarum me a pretiofæ margaritæ „ potuit inquifitione prohibere. Ubicumque fuerit CORPUS, illuc congregabuntur aqui- „ læ... Vos eftis lux mundi, vos fal terræ, vos aurea vafa, & argentea... Quamquam „ igitur tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A Sacerdote victima falu- „ tem, A PASTORE præfidium ovis flagito... CUM SUCCESSORE PISCATORIS... loquor... „ Beatitudini tuæ, ideft CATHEDRÆ PETRI, COMMUNIONE CONSOCIOR, SUPER PETRAM ÆDI- „ FICA-

la, quanti Romanum penderet, demonstrarit, non eum fuisse ostendit se, qui Romanum ipsum æquandum esse Eugubino statueret. Atque hoc dixi, ut Deylingio, cujus supra est contra Pontificios, ut jactat, proposita ratio, satisfacerem.

Natali autem Alexandro (1), Bossuetio, atque Dupinio, quorum initio hujusce paragraphi explicata sunt argumenta de Synodo, responderi perfacile posse nostri putant. Non enim ita nos esse institutos, ut falli, decipi, errareque posse Synodum Oecumenicam, quæ subdita capiti Ecclesiæ, riteque congregata sit, arbitremur. Nam ejusmodi Synodo, cum, præside Romano Pontifice, universam Ecclesiam suo capiti, unitatisque centro conjunctam,

„ FICATAM ECCLESIAM SCIO. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus „ est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. . . Novi Vitalem, Me„ letium respuo, ignoro Paulinum (*erant hi tres Episcopi Antiochiæ*). Quicumque tecum „ non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est „. *Epistola quoque* XVI. *al.* LVIII *pag.* 22. *ad Damasum*: „ Ego interim clamito: si qui a CATHEDRÆ PETRI „ jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem „ credere, si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor „ Beatitudinem tuam .... ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito: ita in „ solio cum duodecim judicaturus sedeas, ita te alius senem cum Petro cingat, ita mu„ nicipatum cæli cum Paulo consequaris &c „. Si ergo Cathedram Petri, hoc est locum Petri tenere Damasum, huncque pastorem esse sui etiam, qui in Oriente degeret, successoremque Petri esse Hieronymus testatur, confirmatque se, qui communionis societate conjunctus Damaso sit, hoc est *Cathedra Petri*, *super quam* sit ædificata Ecclesia, in Arca versari, extra quam qui fuerint, perire regnante diluvio debeant; atque addit: eum qui *cum Damaso non colligat*, *spargere*, *& non esse Christi*; quemadmodum assentiri iis potuit, qui parem esse omnium Episcoporum potestatem, auctoritatemque defendunt, adeoque esse illis Romanum anteferendum inficiuntur? Mitto illustres ejusdem scriptoris locos de Petro Principe Apostolorum, petraque Ecclesiæ, & fundamento, quos supra descripsi *pag.* 138 *hujus vol. not.* 2. Consule *lib.* I. *Dialog. contra Pelagianos pag.* 491. *tom.* IV. *opp.* ubi: „ Petrus, *inquit*, Princeps Apostolorum, super quem Ecclesia Domini sta„ bili mole fundata est „. *Et epist.* LXXIV. *al.* LXXXIX. *ad Augustinum pag.* 621. *tom. eod. opp.* De epistola ad Evangelum, deque epistolis ad Damasum confer, quæ disputant Baronius *ad an.* LVIII. *num.* 3. *seqq. ad an.* CCCLXXII. *num.* 45. *seqq.* Coeffetau *l. supra indicato*, Abrahamus Bzovius *de Rom. Pont. cap.* XVII. *pag.* 143. *seq. tom.* I. *Bibliotheca Pontif. Rocaberti*, Mauclerus *de Monarchia Eccl. p.* II. *lib.* II. *cap.* III. *pag.* 280. *seq. & cap.* VII. *pag.* 293. *seqq. cap.* IX. *pag.* 311. *seqq. & cap.* X. *pag.* 318. *& cap.* XI. *pag.* 323. *& cap.* XII. *pag.* 330. *& lib.* III. *cap.* I. *pag.* 362. *& lib.* IV. *cap.* II. *p.* 487. *cap.* IV. *pag.* 502. *& lib.* V. *c.* IV. *pag.* 490. *&c.* Nicolaus Sanderus *De Visib. Monarch. Eccl lib.* VII. *num.* CLXV. *seq. pag.* 34. *edit. Lovan. an.* 1675. *& lib.* VI. *cap.* VIII. *pag.* 214. *seq.* & e novis, ut ceteros prætercam, Franciscus Antonius de *Simeonibus* I. I. *de R. P. Jud. Pot. cap.* VI. §. II. *pag.* 125.

1 Confer quæ scripsi *pag.* 214. *hujus volum.* Vide etiam Mauclerum *ibidem lib.* III. *cap.* XVI. *pag.* 251. *seqq.*

atque in Spiritu Sancto congregatam exhibeat, usurpare ea merito verba licere : *visum est Spiritui sancto, & nobis*. Quod si a capite sejuncta fuerit, adeoque rite congregata non sit, tam posse eam *Spiritum Sanctum* (qui certe subsidio tum ei afflatu, instinctuque suo non venit) appellare, quam eum appellare quælibet turba schismaticorum, hæreticorumque possit.

§. V.

Christianæ Monarchiæ Principem sanctum Petrum fuisse a Christo constitutum & Scriptorum Novi Testamenti, & Patrum auctoritate constat.

CUM autem & Monarchicam esse Christianæ reipublicæ regendæ formam, & unum aliquem fuisse illius principem constitutum, demonstratum sit; exponam deinceps necesse est, cuinam omnium primo Christi summi, atque absoluti Monarchæ voluntate, institutioneque obtigerit, ut eo ipso, quem supra descripsi (1), principatu in Ecclesia potiretur. Itaque scriptores sacros, majoresque nostros auctores sequutus, ad Petrum id genus principatus fuisse delatum, defendo. Hunc enim & priore semper in Evangeliis nominari loco (2), & tam singulari honore fuisse ornatum intelligo, ut non modo, principatus caussa, solus cum Christo didracma census persolverit (3), sed etiam *petra, super quam ædificaretur Ecclesia, & cælorum claviger, ut quod in terris ligasset, solvissetque, id ligatum, solutumque* in cælis esset (4), & pastor ovium, hoc est omnium, qui in societatem Christianorum venissent, designatus fuerit (5). Nam Isaaci Casauboni (6), Meisneri (7), Danhavveri (8), Schmidii (9), Deutschmanni (10), Lightfooti

1 *P. 51. hujus vol.* 2 *P. 92. hujus vol.* 3 *Pag. 130. seqq. hujus volum.*
4 *Volum. eodem. pag. 132. seqq.* 5 *Ibidem pag. 201. seqq*
6 *Exercitat. xv. in Annales Baronii p. 386. seqq. edit. an. 1614.*
7 *Depulf. Exaub. Papist. p. 228. & 211. seqq.* 8 *Idea Boni Interpret. pag. 257.*
9 *In tract. inscripto Petrus non Papa cap. III. pag. 116. seq.*
10 *Differt. de Petra Ecclesia tom. II. Thesauri Theologico-Philologici &c. pag. 255. seq. edit. Amstelod. an. 1702.*

ti (1), Richardi Montacutii, Guillelmi Cavei, Ægidii Strauchii, Johannis Georgii Walchii (2), aliorumque, quos partim ſupra nominavi, partim brevitatis cauſſa prætereo, grammaticas obſervationes, cavillationemque verborum, quibus rem bene conſtitutam conantur pervertere, nihil moror. Cui enim prudenti perſuadere Caſaubonus poterit, Petrum, propterea quod πέτρος, non πέτρα dictus a Matthæo fuerit, non eam eſſe, quam Chriſtus in Evangelio indicarit, πέτραν? Quid? Annon idem apud Syros eſt *Petra*, ac *Petri* (3) vocabulum? Cum igitur Chriſtum, qui in Palæſtina degit, Simonemque Galilæum appellavit Cepham, Syriace fuiſſe loquutum, conſtet; verique ſit ſimile, ſcriptum a Matthæo (4) Evangelium ea lingua, non Græca, fuiſſe; ecquid ex diſcrimine vocum πέτρου, & πέτρας præſidii Proteſtantes petent?

Ergo quum Chriſtus Simoni indiderit nomen *Cephæ*, quod *petram* (5) indicat, etiamſi Caſaubonus, qui πέτραν eſſe *ingentem lapidem*, πέτρον autem *parvum* ſtatuit, vera diceret, conſequens tamen eſſet, Simonem a Chriſto fuiſſe appellatum *petram*, conſtitutumque in eo dignitatis gradu, de quo

 illum

1 *Harmon. Evang. ad Joh.* 1. *v.* 42. *tom.* 1. *opp. pag.* 306.

2 Rich. Montac. *Origin. Eccleſiaſt. tom.* 1. *part.* 11. *pag.* 8. *edit. Londin. ann.* 1640. Guillelmus Cave Anglus *vita Petri cap.* 1. §. 111. *pag.* 194. *Antiquitatum Apoſtolicarum*. Ægidius Strauchius *Diſſert. de vita Petri*. *Faſciculo* v. *Exercitationum Philologicar. Thomæ Crenii pag.* 452. Walchius *Hiſt. Eccl. ſec.* 1. *cap.* 1. *ſect.* 11. §. 1v. *pag.* 200. *ſeqq. tom.* 1. *edit. Senenſis an.* 1744.

3 Oſtenſum id quidem a Bellarmino eſt *lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* x. *p.* 268. *ſeq. tom.* 1. *opp. edit. ejuſd. Veneta*, & a Maldonato *in cap.* xvi. *Matth. v.* 18. *p.* 339. *ſeq. Commentar. in Evang. edit. an.* 1682.

4 Scio eſſe aliquos e novis ſcriptoribus, qui græce fuiſſe Evangelium a Matthæo conſcriptum defendant; quibus etſi non repugnem, non tamen eſt concedendum, veri non eſſe ſimilem, quam veteres quidam Patres propugnarunt de Evangelio ab eodem hæbraice, ſeu ſyriace ſcripto, ſententiam. Confer Hieronymum *lib. de ſcriptor. Eccleſ. p.* 102. *tom.* 1v. *opp. edit. Martianæi*.

5 Eraſmus *in locum modo indicatum Matthæi tom.* v11. *critic. ſacror. edit. Amſtelod. an.* 1698. *pag.* 55. Hammondus *in locum eumdem Comm. in N. T. pag.* 71. *edit. Amſtel. an.* 1698. Quæ res confirmatur Verſionum etiam veterum auctoritate, ut Syriacæ, Arabicæ: *Bibl. Polyglot. edit. Pariſ. pag.* 80. Æthiopicæ, atque Perſicæ: *Bibl. Polyglott. Waltoni pag.* 81. *edit. an.* 1657. Quare Johannes Clericus in *cap.* xvi. *Matth. pag.* 81. *Commentar. Hammondi edit. ſupra indicata*: „ σὺ πέτρος, *inquit*, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέ„ τρᾳ. Similem παρωνομασίαν, *inquit*, obſervavimus ad *Geneſ.* xlix. Si vel hoc ſolum „ animadvertiſſent interpretes, numquam negaſſent PETRUM, ET PETRAM HIC ESSE UNUM „ EUMDEMQUE VIRUM.

illum Calviniani, Lutheranique grammatistæ ob græcum τοῦ πέτρου *Petri* ab interpretibus usurpatum vocabulum, dejectum vellent. Sed iac Matthæus Evangelium græce scripserit, nihil enim impedio, dandum certe illi, Evangeliorumque scriptoribus ceteris vitio non est, quod Simonem a Christo vocatum *Cepham*, nihilo secius πέτρον esse appellandum putaverint. Græce namque de mare cum scriberent, ea inflectendæ vocis ratione usi recte sunt (1), quæ una Græcorum sermone in marem caderet. Quamquam ne illud quidem concedendum Casaubono est, discrepare πέτραν a πέτρῳ, quod πέτρα ingentem, πέτρος vero exiguum lapidem indicet. Eamdem enim esse utriusque vocis significationem, quamvis altera communis Græcorum omnium, altera propria Atticorum, atque Poetarum esset, non Patres Græci (2) modo, quorum est sane insignis in hoc præsertim genere auctoritas, sed lexicographi etiam illustriores, in quibus fuit Henricus Stephanus (3), qui partibus studebat Calvinianorum, productis exemplis veterum demonstrarunt.

Est etiam illud perridiculum, quod Deutschmannus (4) opponit, Ecclesiam *ædificandam* super *Satanam* a Christo fuisse, si *super Petrum ædificata* fuisset, cum, qui nunc Petrus, idem mox *Satan* ab ipso Christo appellatus sit. Nam si ferri hæc sine risu, ac sibilis posset ratio, illud item moderate ferrem, fuisse *Satanam* pastorem constitutum Ecclesiarum, propterea quod in Evangelio legam, ei, qui *Satan* aliquando vocatus a Christo fuerit, fuisse a Christo eodem traditam pascendarum ovium potestatem. Qua re quid dici, aut excogitari potest absurdius? Nempe hoc etiam restabat, ut novus

1 Camero in eumdem Matthæi *locum pag. 564. tom. cod. critic. sacror.* „ Quidam dicunt πέτρον esse vocem Græcam, & significare saxum, quod verum est apud poetas, sæpe „ etiam apud Historicos, & Oratores, qui Attica usi sunt dialecto. Itaque cum ista vox „ puta pura attica, adeoque insolens sit, pro qua in scriptura λίθος, & πέτρα usurpa- „ tur . . . non est credibile Evangelistam nomen Syriacum isto nomine minus usitato voluis- „ se commutare. Cur ergo, dicet aliquis, πέτρον dixit, non πέτραν? Nempe non patitur „ lingua Græca, ut viris, nisi forte per ludibrium, & contemptum, nomina feminina „ tribuantur „.

2 Horum loca mox indicabo.

3 Ad v. πέτρος.

4 *Loc. indic.*

novus hic grammatistes *Satanam* præfectum collegio Apostolorum fuisse defenderet. Ego vero Petrum (principem a Christo, caput, petramque Ecclesiæ designatum, ut post ascensum Christi ejusdem in cælum rem publicam Populi Christiani moderaretur) *Satanam* fuisse appellatum video, non quod dæmon, seu diabolus, hostisque generis humani esset; sed quod hortatus Christum, ne in se ab hostibus sæviri sineret, adversari magistro non dubitasset. Nam *Satan* adversarium significat. Id vero non impedit, quo minus Petrus, quem etiam admissorum criminum pœnituerat, post ascensum Christi in cælum principatum in Ecclesia obtineret, cum jampridem, ut dixi, designatus a Christo princeps Christianæ Reipublicæ, ac petra fuisset. Sed missa hæc facio, ne bonum otium in meris nugis confutandis teram.

Itaque venio ad Patres, qui Evangelistas, ceterosque librorum Novi Testamenti scriptores sequuti, Petrum non ordine modo, sed dignitate etiam, auctoritateque primum omnium fuisse Apostolorum, cumque præcipua potestate in Ecclesia fuisse versatum, tradiderunt. Atque ut Clementem Romanum primi seculi scriptorem, qui in Epistola priore ad Corinthios Petrum præcipuo loco nominans, satis ostendit primas eum in Apostolorum collegio partes obtinuisse (1), utque Papiam Hierapolitanum (2), Ignatiumque Martyrem (3), qui extremo primo, atque ineunte secundo seculo floruit, quique in iis, quas ad Romanos scripsit, litteris sacrorum (4) Scriptorum morem imitatus Petrum primum, inde Paullum commemoravit, ut potiorem ejus fuisse auctoritatem, dignitatemque ostenderet, prætermittam; veniamque ad eos, qui deinceps suis operibus Ecclesiam illustraverunt; temporum seriem, ordinemque sequutus

1 Confer epistolam illius *ad Corinthios* 1. *pag.* 12. *tom.* 1. *collect. epistolar. Rom. Pontificum edit. Coustantii num.* v. *Paris. an.* 1721.

2 Vide Eusebium *lib.* III. *Histor. Ecclesiast. cap.* XXXIX. *pag.* 118. *edition. Taurinen. ann.* 1746.

3 *Epistola ad Romanos num.* IV. *pagin.* 204. *edition. Londin. ann.* 1746. *tom.* II. *PP. Apostolicorum.*

4 Confer quæ scripsi supra *pag.* 133. *not.* 1. *hujus volum.* Adde his ceteros Apostolorum discipulos, quorum certe opera in omnes Ecclesias manavit de principatu Petri traditio.

tus, ordiar ab Justino Martyre. Nam ceterorum, qui ante vixerunt, opera summo Christianæ reipublicæ detrimento perierunt.

I.

Numerantur Patres, qui secundo Ecclesiæ seculo de Petri Principatu loquuti sunt.

Justinus igitur Martyr, Irenæus (1), Dionysius Corinthiorum Episcopus (2), Hegesippus (3), Martyres Lugdunenses (4), Tertullianus (5), & qui carmina scripsit, quæ Tertulliani nomine circumferuntur (6), partim dilucide, perspicueque, partim ita de Petro loquuti sunt, ut eum Principem Apostolorum, Ecclesiæque universæ caput fuisse constitutum indicarent.

I I.

1 Vide locum, quem indicavi eodem *pag.* 283. *not.* 1. Cum enim *principalitatem* obtinere Ecclesiam Romanam a Petro, Pauloque constitutam scribat, Petrum principem fuisse Apostolorum putarit, necesse est. Confer quæ scripsi *supra pag.* 73. *hujus volum.*

2 Apud Eusebium *lib.* II. *Histor. Ecclesiast. cap.* XXV. *pag.* 76. & *lib.* IV. *cap.* XXIII. *pag.* 159. *seq. edit. ejusd.*

3 Apud Eusebium *lib.* IV. *cap.* XXII. *Histor. Ecclesiast. pag.* 155. quo loco cum Hegesippus se Romam petiisse narret, ut quæ ejus esset Ecclesiæ doctrina cognosceret, satis indicat, ei se Ecclesiæ primas tribuisse partes, propterea quod instituta a Petro principe Apostolorum fuisset.

4 Apud Eusebium *lib.* V. *Histor. Ecclesiast. cap.* III. *pag.* 184. Cur enim ad Eleutherium Romanum Pontificem pro pace Ecclesiarum scripsissent, nisi existimassent eum principatum in Ecclesia obtinere, quia successor erat Petri Principis Apostolorum?

5 Vide supra *pag.* 61. *seq.* & *pag.* 64. & *pag.* 67. *seqq* & *pag.* 123. *seq*

6 *Lib.* III. *contra Marcionem edit. opp. Tert. Veneta ann* 1748. *pag.* 635. Consentit hic tertii seculi auctor Origenes *pag.* 131. *hujus vol not.* 1. & 134. *n.* 1. Hinc Ecclesiam ille Romanam, ut quam omnium esse præcipuam arbitraretur, propterea quod instituta a Petro esset, sibi visitandam censuit. Nam ἀρχαιοτάτην omnium non alio sensu, quam præcipuæ dignitatis ratione, dicere potuisset. Non enim tam erat imperitus Historiarum sacrarum, ut ante alias quasdam fuisse fundatas nesciret, quam constituta Romana esset, proindeque hanc esse omnium *antiquissimam* arbitraretur. De Romano autem Origenis itinere, sic habet Eusebius in VI. *Hist. Eccl. l. cap.* XV. *pag.* 238. „ Adamantius, Zephyrino per hæc tempo-„ ra Romanam Ecclesiam gubernante, se in Urbem Romam advenisse scribit, cum sibi in „ votis esset, sicut ipsemet alicubi dicit, τὴν ἀρχαιοτάτην *antiquissimam* Romanorum „ Ecclesiam videre „. Vide præterea, quæ scripsi *pag.* 166. *not.* 2. & *pag.* 300. *not.* 2.

I I.

Qui tertio ſeculo Principatus Petri meminerint?

Hoc idem maximam eorum partem, qui tertio ſeculo claruerunt, præſtitiſſe conſtat. In his Origenes, Dionyſius Alexandrinorum Epiſcopus (1), Cyprianus Antiſtes Carthaginienſium (2), Firmilianus Cæſareenſium (3).

I I I.

Qui vero quarto?

Horum autem exemplum ſeculi quarti Scriptores, quippe qui traditionem tuerentur majorum, imitati ſunt, ut Epiſcopi, qui ad Synodum Arelatenſem concurrerunt (4), ut Euſebius Cæſareenſis (5), ut Athanaſius Alexandrinus (6), ut Julius Romanus Pontifex (7), ut Synodi (8) Sardicenſis Patres, ut Juvencus Poeta, Hiſpanus impri-

1 Non enim is tanti Dionyſium Romanum feciſſet, niſi ſucceſſorem eſſe Petri principis Apoſtolorum confeſſus eſſet. Confer Conſtantium *collect. epiſt. Roman. Pontificum tom.* 1. *pag.* 275. De Origene vide *notat. ſuperiorem*.

2 Conſule *pag.* 31. *hujus volum. not.* 1. & *pag.* 32. *not.* 4. & *pag.* 70. *ſeqq. not.* 3. *ſeqq.* & *pag.* 80. *ſeq. not.* 1 *pag.* 85. *not.* 5. *pag.* 98. *not.* 6. & *pag.* 134. *not.* 1. & *pag.* 173. *not.* 2. & *pag.* 200. *not.* 2. & *pag.* 260. *ſeq.*

3 Vide *pag.* 134. *hujus volum. not.* 1.

4 Synodus *Areiat. ann.* 314. *habita in epiſt. ad Silveſtrum Papam pag.* 262. *tom.* 1. *Concilior. edit. Pariſ. Harduini*: majores Diœceſes a Pontifice Romano teneri ſcribit. Cur autem? niſi quod Petri ſucceſſor ſit, ad quem eſt a Chriſto delatus Principatus Apoſtolorum.

5 Vide *pag.* 134. *hujus volum. not.* 1. Idem Euſebius *lib.* II. *Hiſtor. Eccl. cap.* XIV. *pag.* 56. Petrus, *inquit*, *μέγας τῶν ἀποστόλων Maximus Apoſtolorum*.

6 *Pag.* 135. *hujus volum. not.* 1.

7 *Pag.* 136. *not.* 1. Confer ejuſd. Pontif. 1. *epiſt. tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pontif. num.* XXII. *pag.* 385. *ſeq. edit. Conſtantii*, quo loco ſcribit, quærendam eſſe Romani Pontificis ſententiam, antequam quidquam de Epiſcopis decernatur, idque ſe velle, quod a B. Petro acceperat. Quibus quidem ex verbis intelligitur, B. Petro fuiſſe in ceteros paſtores Eccleſiarum poteſtatem datam, quæ in ejus ſucceſſores Pontifices permanaverit.

8 Confer *not.* 1. *pag.* 136. *hujus vol. In Synodo Sard. can.* III. Epiſcopi permulti, quorum nomina deſcripta ſunt *tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. pag.* 651. *ſeqq.* & *tom.* III. *Delle Oſſervazioni letterarie del Signor Marcheſe Maffei p.* 37. *edit. Veronenſis an.* 1738. ſic ſtatuerunt: „ Honoremus Sancti Petri Apoſtoli memoriam, ut ſcribatur ab his, qui „ (Epi-

primis celebris (1), ut Hilarius Pictaviensis (2), Cyrillus (3), ut Liberius Pontifex (4), ut Basilius (5), Gregorius Nazianzenus (6), Damasus (7), Hilarius Diaconus (8), Ambrosius (9), Philastrius (10), Gaudentius (11), Zeno (12), Siricius Papa (13), Optatus Milevitanus (14), Epiphanius Salaminius (15), Pacianus Barchinonensis (16), Rufinus Presbyter Aquilejensis (17), Johannes Chrysostomus (18), Hierony-

„ (Episcopi alicujus) caussam examinaverint, Julio Romano Episcopo, et si judicaverit „ renovandum esse judicium, renovetur, & det judices &c. Iidem epist. ad Julium : *p.653.* „ Hoc optimum, & valde congruentissimum esse videtur, ad Caput, hoc est ad Petri Apostoli „ Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes„.

1 Juvencus Poeta Hispanus *lib. III. Hist. Evang. pag. 68. tom. IV. Biblioth. PP. edit. Lugdun.*

„ Tu nomen Petri divina virtute tueris.
„ Hac in mole mihi, saxique in robore ponam
„ Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
* *
„ Cœlestisque tibi claves committere regni
„ Est animus. Terrisque tuo quæ nexa relinques
„ Arbitrio, cœlis pariter nodata manebunt &c.

2 De Hilario vide *pag. 135. seq. hujus volum. not. 1.*

3 De Cyrillo vide *pag. 136. seq. hujus volum. not. 2. & pag. 200. not. 3.*

4 De Liberio confer Athanasium *Histor. Arianor. ad Monachos num. 37. tom. 1. opp. edit. Montfauconii, & tom. 1. collect. epistol. Rom. Pontif. edit. Constantii pag. 431.* Ille enim Pontifex Petrum : μέγαν ἀπόστολον *magnum Apostolum* vocat.

5 Basilii testimonia vide supra *pag. 136. seq. hujus volum. not. 2.* ut etiam Gregorii Nysseni fratris *ibid. pag. 200. num. 3.*

6 De Gregorio Nazianzeno consule quæ scripsi *pag. 131. not. 2. pag. 136. seq. n. 2. pag. 197. not. 6.*

7 De Damaso lege, quæ scripsi *pag. 81. seq. not. 1.*

8 De Hilario Diacono, quem vulgo Ambrosiastrum vocant, confer quæ scripsi *p. 98. & pag. 138. not. 3. hujus volum.*

9 Ambrosii locos vide *pag. 131. not. 4. & 138. hujus volum. not. 2.*

10 Philastrii testimonium descripsi *pag. 136. hujus volum. not. 1.*

11 De Gaudentio confer *notat. 2. pag. 137. hujus volum.*

12 Zenonis Veronensis locum vide *supra pag. 136. seq. hujus volum. not. 2.*

13 Syricius Pontifex *an. 385. epist. ad Hymerium Tarraconensem num. 1. tom. 1. collect. epist. Rom. Pontif. edit. Constantii pag. 624. & num. XX. pag. 637. Et epist. V. ad Episcopos Africæ num. 1. pag. 651. ibid.* „ Ad 1. Apostoli Petri reliquias, per quem & „ Apostolatus, & Episcopatus in Christo cœpit exordium „.

14 Optati testimonia confer *pag. 139 hujus volum. not. 2.*

15 De Epiphanio lege quæ scripsi *pag. 93. hujus voluminis not. 2. pag. 96. not. 2. pag. 137. [illegible]t. 2.*

16 [illegible] 2. Pacianum *epist. III. tom. III. Concilior. Hispan. edit. Aguirr. Roman. an. 1694. pag. 89.*

17 adversus Hieronymum *pag. 446. tom. IV. opp. Hieron. edit. Martianai Paris.* & pluribus aliis locis.

18 Chrysostomi testimonia descripsi *pag. 95. seq. hujus volum. & pag. 131. 137. 199. 201.*

ronymus (1), Augustinus (2), Paulinus Nolanus (3), variæque Synodi, quas eodem seculo fuisse celebratas constat (4). Etsi vero horum tam illustrium scriptorum aliquos vitam ad quintum usque seculum produxisse scio; quoniam tamen jam usque a quarto magna in laude, existimationisque celebritate versari cœperant, in eorum serie, qui seculo eodem quarto floruerunt, numerandos esse putavi.

I V.

Qui autem quinto?

Inde Palladius Episcopus Heliopolitanus (5), Aurelius Prudentius (6), Isidorus Pelusiotes (7), Cyrillus Alexandrinus (8), Theodoritus (9), Petrus Chrysologus (10), Patres Synodorum Milevitanæ (11), & Carthaginiensis (12), & OEcumenicarum Ephesinæ (13), atque Chalcedonensis (14), aliarumque (15), Innocentius (16), Zosimus (17), Cælestinus (18),

1 Vide Hieronymi locos *pag.* 138. & 190 *hujus vol.*

2 De Augustino confer quæ scripsi *pag.* 94 97. 139. 191. *seq* & 261. *hujus vol.*

3 Paulini locum indicavi *pag.* 140. *hujus volum. not.* 7.

4 Confer epistolam Synodi Romanæ sub Damaso *an.* 370 *tom.* 1. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 774. & Synodi Aquilejensis habitæ *an.* 382. *pag.* 837. *tom. eod.*

5 Palladius in vita *Joh. Chrysost. pag.* 73. *tom.* 13. *opp Chrysost. edit Montfauc.*

6 Prudentius *præfat. lib.* 1. *Contra Symmachum pag.* 224. *edit. opp. Amstelod an.* 1625. *v.* 1. *seq.*

„ Simon, quem vocitant Petrum,
„ Summus discipulus Dei &c.

7 De Isidoro Pelusiote vide *pag.* 140. *not.* 3.

8 Cyrilli locum vide *pag.* 93. *hujus vol. not.* 3. & *pag.* 140. *seq.*

9 Theodoriti locum vide *pag.* 142. *not.* 3. *hujus volum.*

10 De Chrysologo vide *pag.* 140. *not.* 4.

11 De Synodi Milevitanæ habitæ *ann.* 416. *epistola ad Joh. Papam vide tom.* 1. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 1221.

12 Confer Synodi Carthaginiensis *an.* 416. celebratæ *epistolam ad Innoc. Papam tom.* 1. *Concilior. edit. ejusd. pag.* 2013. *seq.*

13 Locum Synodi Ephesinæ vide *pag.* 140. *not.* 2. *hujus volum.*

14 Vide *pag.* 142. *not.* 2. *hujus volum.* Confer etiam quæ *pag.* 141. *seq. scripsi de epist. Theodosii. & Valentiniani Imperator.*

15 Vide *not.* 1. *pag.* 143. *hujus vol.*

16 Vide *pag.* 139. *hujus volum. not.* 3. *seq.*

17 *Ibid. not.* 4. *seq.*

18 *Pag.* 140. *hujus vol. not.* 1. & *pag.* 144. 201. *seq.*

Marius Mercator (1), Johannes Cassianus (2), Theodosius, & Valentinianus (3), Prosper (4), Eucherius Lugdunensis (5), Vincentius Lirinensis (6), Socrates (7), atque Sozomenus Historici (8), Leo Magnus (9), Maximus (10), Gelasius Cyzicenus (11), Vigilius Tapsensis (12), Victor Vitensis (13), Avitus Viennensis (14), aliique, quorum certe aliqui quarto etiam seculo famam sibi doctrinæ paraverant, in eadem fuerunt sententia.

V.

Quinam sexto?

Hos deinceps sequuti sunt Cæsarius Arelatensis (15), Fulgentius Ruspensis (16), Possessor Africanus (17), Ennodius

1 *Apud Garnerium pag. 30. edit. Paris. opp. M. Merc. an.* 1673. Sed de hoc alias.

2 *Pag.* 143. *hujus vol. not.* 1.

3 *Pag.* 142. *hujus volum. not.* 1.

4 *Pag.* 140. *hujus voluminis not.* 6. & 142. ubi disputavi *de Auct. libri de Voc. Gentium*.

5 *Pag.* 143. *not.* 2. *hujus volum.*

6 *In Commonitor. pag.* 351. 363. *edit. Lugd. Biblioth. PP. tom.* VII.

7 Si consideres quanta cum Romanæ Sedis laude loquutus Socrates *Hist. Eccl. l.* IV. *c.* XII. *pag.* 194. & *lib.* 1. *cap.* XV. *pag.* 80. fuerit, facile intelliges principatum eam fuisse Petri principis Apostolorum caussa consequutam.

8 Idipsum est de Sozomeno dicendum. Confer *ejus lib.* III. *cap.* VIII. *Histor. Ecclesiast. pag* 95. *seq. edit. Taurin.*

9 Vide *pag.* 141. *not.* 3. *hujus volum. pag.* 201. & 267.

10 S. Maximus *loc. supra indic. pag.* 242. Confer ejusdem Hom. 2. de SS. Petro, ac Paulo *pag.* 153. *edit. Rom. an.* 1564. & *Homil.* 3. *pag. eadem seq.* & *Homil.* 1. *pag.* 151. ubi: „Hic est Petrus, *inquit*, cui Dominus confessionem sui nominis libeater induisit, „ ut enim ..., petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est Petra „.

11 Gelasius Cyzicenus *volum. Actor. Synodi Nicænæ tom.* 1. *Concil. edit. Paris. Hard. can.* VI. *pag.* 431. Nam ita omnino refert Nicænum canonem, ut est in editis, non ut Rufinus est interpretatus. Cumque primatum Romanæ Sedi tribuat, satis ostendit, eam non ob aliam quampiam rationem, sed ob principatum Petri, tam insignem obtinere & auctoritatem, & dignitatem.

12 Vigil. Taps. *lib.* V. *contra Eutychen pag.* 75. *num.* XVIII. *edit. Divionen. an.* 1664. Ex hoc enim loco intelligitur, primam sedem esse Romanam, propterea quod constituta a Petro fuerit.

13 Confer quæ scripsi *pag.* 145. *hujus volum. not.* 1.

14 Vide quæ de Avito Viennensi scripsi supra *pag.* 144. *hujus vol. not.* 6.

15 Vide *pag.* 143. *hujus volum not.* 4.

16 De Fulgentio lege quæ dixi *pag.* 144. *not.* 5. & *pag.* 264. *seq. n.* 1. *seqq.* De altero Fulgentio egi *pag.* 145. *not.* 6.

17 De Possessore Africano vide quæ scripsi *pag.* 145. *not.* 3.

dius Ticinensis (1), Ægidius celebris imprimis eo seculo Abbas, & Messianus Notarius (2), Evagrius Scholasticus (3), Facundus Hermianensis (4), Arator (5), Gregorius Magnus (6), Johannes Episcopus Ravennatum (7), Marianus Presbyter (8), Stephanus Larissensis (9), pluresque alii (10), quos nunc recensere non vacat. In his Pontifices qui sexto eodem seculo Ecclesiam moderati sunt, Episcopique, qui ad Synodos convenerunt, numerari possunt, & vero debent.

VI.

Qui septimo, octavo, & nono?

De Scriptoribus, qui septimo, octavo, ac nono seculis de præcipua Petri in Christiana Republica dignitate, potestateque loquuti sunt, satis multa alio loco (11) disputavi. Quare non est opus, ut de iisdem esse rursus disputandum putem. Igitur traditione de Petri in Ecclesia principatu ab initio ad Photii usque tempora producta, qua de re potissimum inter nos erat, Schismaticosque Græcos, ac Protestantes contentio, veniam ad monumenta veterum Christianorum, ex quibus facile intelligitur, quam esse illi magnifice de principe Apostolorum sentiundum arbitrarentur.

1 De Ennodio vide quæ scripsi *pag. 144. not. 7. hujus ipsius vol.*

2 De Ægidio Abbate, & Messiano Notario confer, quæ sunt disputata *p. 145. hujus vol. n. 5.*

3 Evagrii Scholastici verba descripsi supra *pag. 146. not. 1.* Confer etiam testimonium Episcoporum Orientalium *p. 146. hujus ipsius vol.* 4 Consule *p. 145. hujus vol. n. 2.*

5 *Lib. II. Hist. Apostolica pag. 134. tom. II. Biblioth. Patrum edit. Lugdun.*

Gloria rerum
Contulit, ut Petro Paulum gerat ordo secundum,
Qui fundamentis manet architectus in istis.

6 De Gregorio Magno multa a me sunt disputata *p. 144. hujus vol. not. 3. & p. 266. seqq.*

7 Hujus est locus descriptus *supra pag. 269. not. 3. hujus vol.*

8 De Mariano Presbytero vide *pag. 145. hujus vol. not. 3.*

9 Stephanus Larissensis epist. ad Bonifacium Papam *tom. II. Concilior. pag. 1111. seq. edit. Hard. Paris.* „ Quantum vos, *inquit*, apud Deum omnes præcellitis, tanto vos necesse est cogitare, quia hæc est probatio Deum amantium, ut post Deum Pater, & Doctor „ S. Ecclesiæ Petrus vestræ, & totius mundi testatur. Quia Domino dicente tertio: *Amas* „ *me? pasce oves meas*, tradidit prius vobis mandatum ostendens, & per vos deinde om- „ nibus per universum mundum sanctis Ecclesiis condonavit &c.

10 Orientalium Episcoporum epistolæ ad Agapetum Pontificem locum vide supra *pag. 146. hujus volum. seqq.* 11 Confer *pag. 147. seqq. hujus volum.*

tur. Nam Launojum (1), & Dupinium (2), qui auctorum quorumdam, qui primis, neque iis modo, sed etiam insequentibus seculis floruerunt, testimoniis abusi fuerint, nihil moror. Conati namque sunt tenebras clarissimis rebus obducere. Nemo autem tam est in libris, epistolisve Pontificum, doctorumque virorum, qui seculis iisdem claruerint, hospes, ut ajunt, ac peregrinus, quin confiteatur, summam eos concessisse in Ecclesia non dignitatem modo, sed etiam potestatem Petro.

VII.

De Lucerna, quæ in Cæsareo Museo Florentino, deque vitro cœmeteriali, ex quibus intelligitur, quæ fuerit veterum Christianorum de Petri in Ecclesia Principatu sententia.

De ærea vetere Lucerna, quæ in Museo Cæsareo Florentiæ

1 *Epist.* 1. *ad Guillelmum Voellum lib.* v. *pag.* 11. *seq. tom.* v. *epp. part.* II. *edit. Colon. Allobr. an.* 1731. Is Launojus cum multa minus recte scripsisset, Protestantes quosdam in eam sententiam induxit, ut ab eo patrocinium hujusce temporis hæreticorum susceptum fuisse defenderent. Itaque Antonius Reiterus Augustanus librum *an.* 1685. edidit Amstelodami, inscriptum: *Johannes Launoyus testis, & confessor veritatis Evangelico-catholicæ in potioribus fidei capitibus controversis, adversus Robertum Bellarminum &c. vindicatus*. Launojum item laudat Georgius Walchius homo de secta Lutheranorum *Histor. sec.* 1. *sect.* 21. §. IX. *pag.* 203.

2 Hunc præter Deylingium, cujus supra meminimus, laudat etiam Walchius *ibidem*. Confer quæ scripsi *pag.* 214. *hujus volum. not.* 3. Convinci autem ii facile possunt testimoniis Johannis IX. P. M. *epist.* 1. *ad Heriveum Archiepiscopum Remensem p.* 469. *t.* VI. *part.* 1. *Concilior. & epistola ad Stilianum Episcopum Neocæsariensem ibid. pag.* 479. Haitonis Moguntinensis *epist. ad Joh.* IX. *ibid. pag.* 481. Theutmari Juvaviensis Archiepiscopi *epist. ad eumdem ibid. pag.* 885. *seq.* ubi Pontificem alloquens sic scribit:

,, Alme Pater Mundi, dignus prænomine Petri:
,, Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris,
,, Sisque tuis famulis protector verus, & ipsos
,, Commendes Domino, cælo qui præsidet alto.

Benedicti IV. *epist.* 1. *ad Galliarum Episcopos ibid. pag* 493. *seq.* Christophori *ad universos Episcopos Galliarum tom.* VI. *spicileg. Dacheriani edit. prima, & tom. eodem Concil. pag.* 499. Leonis VII. *epist.* 1. *ad Hugonem Francor. Princ. ibid pag.* 575. *& epist. ad Gallos, & Germanos pag.* 578. Agapeti II. *epist.* 1. *ad Gerardum Laureacensem Archiep. pag.* 599. *Concilii Romani an.* 964. *congregati ibid pag.* 651. Joh. XIII. *epist.* 1. *seq. ad Episcopos Citerioris Britanniæ ibid. pag.* 639. *seqq.* Benedicti VI. *epist. ad Fredericum Salisburgensem Archiepiscopum ibid. pag.* 689. *seq. & epist. ad Gallos, & Germanos pag.* 699. Pilgrimi Laureacensis *Archiep. ad Benedictum* VII. *epist. pag.* 695. ceterorumque omnium, quos longum est recensere, proptereaque omittendos puto.

rentiæ ſervatur, quæque figuram navis præfefert, ac Petrum ad puppim ſedentem, gubernaculumque moderantem; Paulum vero ſtantem ad proram, prædicantemque exhibet, memini me dixiſſe volumine hujus operis tertio (1). Quæ autem cauſſa fuerit, quamobrem eo modo, eoque ſitu figuram Principis Apoſtolorum majores noſtri exhibendam arbitrarentur, a Maximo Epiſcopo Taurinenſi, qui ſeculo V. floruit, in tertia de Petro, & Paulo Apoſtolis Homilia demonſtratum eſt. Scribit enim hoc modo: *Quanti igitur meriti apud Deum ſuum Petrus erat, ut ei poſt naviculæ parvæ remigium*, TOTIUS ECCLESIÆ GUBERNACULA traderentur (2)! Atque navim typum, figuramque quamdam eſſe Eccleſiæ, oſtendi, cum de Symbolis, quibus uti majores noſtri ſolebant, agerem (3). Navi autem eam fuiſſe ſignificationem tributam puto, vel navis Petri, vel arcæ Noemi, quæ ſimilis navi fuiſſet, cauſſa. Arcam enim figuram item fuiſſe Eccleſiæ intelligi ex priore Epiſtola (4) Petri poteſt. Itaque Tertullianus in eo, qui de Baptiſmo inſcribitur, libro, *arcam figuratam Noemi* (5) & Petri *naviculam* Eccleſiam eſſe teſtatur. Ac ſunt illius de navicula verba hujuſmodi: *Navicula illa figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, ideſt ſeculo, fluctibus, ideſt perſecutionibus, & tentationibus inquietetur* (6). Sed ne multa de re alioquin certa congeram, & magnitudo voluminis prohibet, & ut ea perſequar, quorum eſt cauſſa omnis hæc a me inſtituta oratio. Igitur cum navis Eccleſiam exhibeat, Petruſque ad puppim gubernacula tenens in ærea Lucerna Medicea cernatur, argumento eſt, exiſtimaſſe veteres Chriſtianos, Petrum

1 *Pag. 99. & 100. not. 3.*

2 *Pag. 334. edit. opp. Veneta an. 1741.*

3 *Tom. III. hujus operis pag. 100. ſeq.*

4 *Cap. III. v. 20.* Confer Juſtinum Martyrem Dialogo *cum Tryph. num.* CXXXVIII. *pag. 242. edit. Veneta an. 1747.*

5 *Cap.* VIII. *pag. 227. edit. Veneta an. 1748.* „ Quemadmodum poſt aquas diluvii, „ quibus iniquitas antiqua purgata eſt, poſt Baptiſmum, ut ita dixerim, mundi, pacem „ cæleſtis iræ præco columba terris annunciavit demiſſa ex arca, & cum olea reverſa, „ quod ſignum etiam apud nationes paci prætenditur: eadem diſpoſitione ſpiritalis effe„ ctus, terræ, ideſt carni noſtræ emergenti de lavacro, poſt vetera delicta columba ſan„ cti Spiritus advolat, pacem Dei adferens remiſſa de cælis, ubi Eccleſia eſt Arca figurata.

6 *Ibidem cap. XII. pag. 229.*

trum fuiſſe a Chriſto gubernatorem, principemque *viſibilem* Eccleſiæ conſtitutum. Nam *abſolutum* gubernatorem, principemque Chriſtum eſſe ipſum, qui ita a Patribus conſideretur, quaſi temonem Eccleſiæ teneat, teſtata res eſt (1). Cum ergo Petrus item gubernacula tenens exhibeatur, fateamur neceſſe eſt, Patrum quidem ſententia, a Petro fuiſſe ſuſcepta, poſtquam in cælum Chriſtus aſcendit, Chriſtianæ *navis*, ſeu reipublicæ gubernacula.

Paulum autem ad puppim ſtantem, & ad aquas verſum, evangeliumque nunciantem exhibendum putarunt ii, qui conflari lucernam eamdem curarunt, ut indicarent, Doctoris gentium hortatu, atque impulſu eos, qui errore, ut fluctibus maris, abrepti in extremo periculo verſabantur, ſpiritus ſumſiſſe, ac navim conſcendiſſe, hoc eſt in Eccleſiam (2) veniſſe, in qua una conſequi ſempiternam ſalutem poſſent. Ac de lucerna quidem hactenus.

Nunc de Cœmeteriali vitro, quod s. Petrum Apoſtolum, ac ſi alter Moſes fuerit, virgam tenentem, atque ex rupe, ſeu petra aquam exprimentem, oſtendit: quod quidem vitrum primus, quod ſciam, Boldettus (3) deſcribi, publicarique curavit; agendum eſt. Itaque fuiſſe olim Chriſtianos conſtat, qui Moſen cum Principe compararent Apoſtolorum, quæque geſta ab illo fuiſſent, ad hunc item ſimilitudine qua-

1 Vide *ep. Pſeudo-Clementis ad Jacob. fratrem Domini n.* XIV. *p.* 14. *t.* 1. *collect. ep. Roman. Pontif. ed. Conſtantii*. Et Hippol. l. de Antichr. *n.* LIX. *p.* 28. *ſeq. t.* 1. *ed. an.* 1716.

2 De navi figura Eccleſiæ confer Paullinum Nolanum *epiſt. ad Severum* XXIII. *al.* III. & IV. *pag.* 138. *edit. Veron. an.* 1726. & *epiſt. ad Marianum* XLIX. *al.* XXXVI. *p.* 281. *ſeqq.* ubi etiam de Arca Noemi Eccleſiæ figura diſſerit. Qua item de re conſule auctorem librorum *de Vocatione omnium gentium lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 247. *edit. Veneta opp. s. Leonis an.* 1741. De Arca vide Hieronymi locum *ex epiſt. ad Damaſum pag.* 280. *hujus volum. not.* 3. Ambroſius *lib.* IV. *in Lucam num.* LXVIII. *ſeq. pag.* 847. *tom.* II. *opp. edit. Veneta an.* 1748. navi Eccleſiam ſignificari ſtatuit, *num. autem* LXX. *pag.* 848. Sanctum Lucam ſcribit illius navis mentionem feciſſe, *in qua Petrus piſcaretur*: ſtatimque addit: „ Non turbatur iſta, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Judam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita navigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus. Sed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis... Non turbatur hæc navis, in qua prudentia navigat, abeſt perfidia, fides ſpirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui PRÆERAT IS, IN QUO ECCLESIÆ FIRMAMENTUM EST, „ Atque hæc quidem de Petro navi Eccleſiæ præfecto Ambroſius. Eodem fere ſpectant, quæ ſcribit Leo M. *ſerm.* II. *cap.* III. *tom.* I. *opp. edit. Rom. Cacciari pag.* 6.

3 *Oſſervaz. ſopra i Cimiterj lib.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 200.

quadam aptari commode posse arbitrarentur. Nam Maximus Taurinensium Antistes, sive quisquis tandem ille est Homiliarum de Petro, & Paulo vetus auctor, cum *Petrum per Christum factum esse petram* scripsisset, tum *sicut in deserto*, inquit, *dominico sitienti populo aqua fluxit e petra; ita universo mundo perfidiæ ariditate lassato de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit* (1). Neque vero is solum, sed Hieronymus etiam (2) *Mosen e pastore ovium, hominum fuisse* pastorem constitutum affirmans, satis indicat, quæ Petri (3) fuerit cum Mose similitudo. Quinetiam quum Patres Petrum esse Ecclesiæ petram (4), consequutumque fuisse a Christo summo angulari (5) lapide, fonteque charismatum (6), qui virga Mosis significatur (7), dispensandorum sacramentorum, patrandorum prodigiorum, regendæque Ecclesiæ auctoritatem tradiderint; nemini certe mirabile videri debet, quod ea figura Petrum Christiani veteres pingendum existimarint; ut pastor, princepsque Ecclesiæ *a pastore*

1 *Homil.* 1. *pag.* 353. *Edit. Venet. an.* 1741.

2 Epistola xcv. *al.* iv. *ad Rusticum Monachum pag.* 772. *tom.* iv. *opp. edit. Parif. Martianæi* . „ Pastor, *inquit*, ovium, hominum factus est pastor. Apostoli de piscatione „ lacus Genesareth, ad piscationem hominum transierunt „. Ac Petro sane singulari modo dictum a Christo fuit: *Ex hoc homines eris capiens. Lucæ cap.* v. *v.* 10.

3 Vide *cap.* xxi. *Evang. Johann. v.* 17.

4 Confer supra Tertulliani, Origenis, Cypriani, Firmiliani, Eusebii, ceterorumque Patrum, quæ *pag.* 133. *seqq. hujus volum.* protuli, testimonia.

5 *Epist. Pauli ad Ephes. cap.* II. *v.* 20. *&* 1. *Petri cap.* II. *v.* 6.

6 Hinc Iohannes *in Evang. cap.* 1. *v.* 16. *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus*. S. Leo *serm.* III. *qui est de Assumpt. ejusd. ad summi Pontificis munus cap.* II. *pag.* 8. *tom.* 1. *opp. edit.* Cacciari: „ Ab ipso, *inquit*, omnium charismatum fonte tam „ copiosis est irrigationibus inundatus (B. Petrus) ut cum multa solus acceperit, nihil in „ quemquam sine illius participatione transierit . . . De toto mundo unus Petrus eligitur, „ qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, „ omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus. Magnum, & „ mirabile huic viro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, & si quid cum eo „ commune ceteris voluit esse principibus, numquam, nisi per ipsum dedit, quidquid aliis „ non negavit . . . Respondit ei Iesus . . . *Ego lapis angularis, qui facio utraque unum*, „ ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere; tamen tu quoque petra es, „ quia mea virtute solidaris . . . In Petro omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ „ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur „.

7 Confer Iustini Martyris *Dialogum cum Tryphone num.* LXXXVI. *pag.* 193. *edit. opp. Venetæ an.* 1747. & Ambrosii *Comment. in Ps.* CXVIII. *num.* XXIV. *pag.* 370. *seq. edit. opp. Venetæ an.* 1748. *tom.* II.

ſtore, ac principe populi Judaici (virgam tenens, hoc eſt Chriſti virtute munitus (1), atque aquam, videlicet doctrinam (2) *donaque gratiarum* ex petra præcipua *Chriſto* educens, inque alios ex ſe, qui altera poſt Chriſtum *petra* eſſet, transfundens, imminente ſibi diademate (3), ſeu meritorum corona, quæ divinitus ipſi, ob rem bene geſtam, promiſſa fuiſſet) exhiberetur (4). Mitto de ceteris aut monumentis

1 Boldettus *l. c.* virga poteſtatem patrandorum prodigiorum ſignificari defendit; quod etſi verum eſt, cum de aliis figuris, quarum permultas Bonarrotius explicavit, agitur; tamen vereor, ne accommodari ad Moſis virgam tam apte non poſſit; quod ea Patres aut crucem, ut Iuſtinus *loco indicato*, aut Chriſtum, ut Ambroſius arbitratur, indicari cenſeant.

2 Vide ſupra deſcriptum Maximi Taurinenſis locum. Auguſtinus in *Pſalm.* LXXVII. *num.* XIII. *pag.* 616. *tom.* IV. *opp. edit. an.* 1700. explicans verſiculum: *qui diſrupit in deſerto petram, & adaquavit eos ſicut in abyſſo multa & eduxit aquam de petra &c.* ſic habet: „ Poteſt utique ſitienti fidei donum Spiritus Sancti, quod illa res geſta ſpiritaliter ſignificabat, infundere de ſpiritali ſequente petra, quod eſt Chriſtus, qui ſtabat, & clamabat, *ſiquis ſitit, veniat ad me, & qui biberit de aqua, quam ego dabo, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*. Hoc enim dicebat, ſicut in Evangelio legitur, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: ad quem velut virga lignum paſſionis acceſſit, ut emanaret credentibus gratia „.

3 Conſule Bonarrotium *Oſſerv. ſopra i frammenti di vetri &c. pag.* 65. & Boldettum *pag.* 203.

4 Eſt vitrum illud cœmeteriale, a Boldetto deſcriptum, hujuſmodi.



mentis, aut ſignis antiquorum Chriſtianorum dicere, quæ cum Petrum ſemper Chriſto propiorem exhibeant, ita fuiſſe majores noſtros inſtitutos, demonſtrant, ut ei tributum a Chriſto fuiſſe Eccleſiæ principatum contenderent. Hujus generis monumentorum cum Aringus, Boldettus, Bottarius, Boſius, Caſalius, aliique plures meminerint, tum allatum a nobis etiam exemplum eſt, cum hiſtoriam Chriſti Servatoris in priore hujuſce operis volumine explicaremus (1). Sarcophagi namque veteris formam æri inciſam dedimus, in qua Petrus conſpicitur crucem geſtans, volumenque a Chriſto, ad quem accedit, accipiens: quod ſane volumen doctrinæ (quam erat Chriſti voluntate, ut paſtor Eccleſiæ, princepſque Apoſtolorum ubique terrarum propagaturus) manifeſtum indicium eſſe conſtat. Ac de monumentis quidem veterum Chriſtianorum alias. Venio ad veterem omnium Eccleſiarum, quæ eſt de principatu Petri, traditionem.

VIII.

Idem ex libris liturgicis omnium Eccleſiarum efficitur.

Accedunt liturgici omnium cœtuum Chriſtianorum libri, quibus de hoc ipſo religionis decreto a majoribus acceptam traditionem contineri conſtat. Nam exceptis Lutheranis, ceteriſque Proteſtantibus, qui ſexto primum ac decimo ſeculo nati antiquos ritus, ceremoniaſque e ſuis conventibus exterminarunt, nulla Chriſtiana tam barbara eſt, tamque ab inſtitutis, ac moribus Romanorum disjuncta natio, in cujus Eccleſiaſticis libris, ac monumentis non fiat mentio principatus, excellentiſque poteſtatis Petri. Eſt autem incredibile, inlatum recens id dogma in libros eoſdem eſſe, cum neque exempla ipſorum aliqua antiqua deſint (2), neque repente omnes Eccleſias in eam rem con-

1 *Ibid pag. 282.*

2 Quis enim neget multa vetera librorum ritualium Eccleſiarum Latinæ, ac Græcæ exſtare, in quibus principatus Petri fit mentio? Nam ut mittam de Gelaſiano ſacramenta-

ſpiraſſe veri eſſe ſimile videatur, neque tenaciſſimæ ſuarum conſuetudinum gentes induci facile ad codices, quos uſu quotidiano terere conſueverint, vitiandos poſſent. Quare quod earum quæque a priſcis moderatoribus ſuis didicerat, id liturgicis ipſam codicibus inſeruiſſe, confitendum eſt. Jam vero eorum, quos dixi, moderatorum, niſi aut diſciplinam ab uno, eodemque magiſtro accepiſſent, aut conveniſſent, quidque ſtatuto ea de re opus eſſet, deliberaſſent, qui demum tanta eſſe potuiſſet de Petri in Chriſtiana republica principatu conſenſio? Conveniſſe autem omnes ejus rei cauſſa aliquando, non modo majorum auctoritate nulla demonſtrare, ſed ne conjectura quidem ſuſpicari poſſum. In ſynodis enim, in quas perplures variarum gentium Epiſcopi concurrerunt, actum de aliis rebus conſuetudinibuſque vel inducendis, vel ſtabiliendis intelligo fuiſſe plerumque; de principatu vero Petri aut tunc primum confirmando, aut in libris liturgicis commemorando, numquam. Quamquam illud etiam certum eſt, aliquarum gentium Antiſtites (in quarum Eccleſiis legi palam Petri privilegia ſolerent) propterea quod magnis intervallis locorum disjuncti ab regionibus Imperio Romano ſubjectis eſſent, ad concilia non veniſſe. Quod ſi neque recentium opera, neque priſcorum Antiſtitum aut congregatorum, aut disjunctorum auctoritate factum eſt, ut hæc in omnes Eccleſias ſententia permanaret: relinquitur, ut ab inſtitutoribus earumdem Eccleſiarum, qui ab Apoſtolis, quid eſſet Petro a Chriſto Servatore tributum, acceperant, invecta fuerit, litterarumque deinceps mandata monumentis, quæ quidem monumenta ſingulari diligentia in ſacris cœtibus & ſervarentur & publice legerentur. Sed omnes omnium Eccleſiarum libros, in quibus prin-

mentario, deque Hymnis Ambroſianis dicere, quorum certe exempla invenire quædam antiqua tam certum eſt, ut revocari in controverſiam nullo modo videatur poſſe; quis Cryptoferratenſe, & Barberinum s. Marci Euchologia, quorum eſt a Goario in Notationibus ad Euchologium Græcorum facta commemoratio, nono ſaltem ſeculo falſe perſcripta inficietur? Liturgiarum autem Orientalium exempla extare quædam non nova, neque novorum hominum artibus, fraudeque vitiata, nemini eſſe dubium video. Confer Renaudotii Collectionem Orientalium Liturgiarum. Sed de ſacramentariorum antiquis exemplaribus erit alibi opportunior diſputandi copioſe locus.

principatus Petri fit mentio, singillatim recensere, ac persequi non vacat. Itaque missis Ecclesiis Latina, & Græca, de quibus alio loco diximus (1), quasque Ecclesias latissime patere liquet (2), quis neget in libris Palæstinorum (3), ceterorumque Syrorum (4) celebrari principatum, singularemque in Ecclesia potestatem Petri?

Quod quidem non ex iis monumentis solum, quæ alio loco commemoravi; sed etiam ex Johannis Maronis Patriarchæ Syri quidem certe, ac seculi septimi scriptoris, Expositione Ministerii oblationis intelligitur, quam expositionem latinam nuper fecit, publicavitque Aloysius Assemanus vir clarissimus, & amicus meus (5): ex Liturgia Dioscori (6) Episcopi Gordiæorum, quos in Armeniæ montibus degisse, spectasseque ad Patriarchatum Antiochenum Renaudotius (7) scribit: ex Pontificali Syrorum Nestorianorum

1 *Pag. 153. seq. hujus volum.*

2 Confer quæ ibidem attuli *Ecclesiarum Rom. Mediolan. Gallic. & Hispan. documenta.*

3 Catecheses Cyrilli, cum Hierosolymis coram multitudine habitæ fuerint, librorum Ecclesiasticorum loco haberi possunt. In iis autem: *ut Catech. II. de Pœnit. & Remiss. peccat num. XIX. pag. 31. edit. Toutei.* Petrus appellatur ὁ κορυφαιότατος, καὶ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων; *summus, & princeps Apostolorum: & Catech. XI. de Filio Dei Unigenito num. III. pag. 250.* πέτρος ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς ἐκκλησίας κορυφαῖος κήρυξ *Petrus princeps Apostolorum, & Ecclesiæ summus Prædicator: & Catech. XVII. num. XXVII. pag. 277.* ὁ πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος πέτρος; *Princeps Apostolorum, & regni cælorum claviger Petrus.* Vide n. 5.

4 Petro Syri adscribunt Liturgiam, cujus hic est titulus, ut est apud Renaudotium *tom. II. Liturg. collect. pag. 145. edit. Paris. an. 1716.* „ Liturgia s. Petri Principis Apo- „ stolorum „. Vide quæ scripsi supra *pag. 156.*

5 *Tom. IV. parte II. Codicis Liturgici Universæ Ecclesiæ: S. Joh. Maron. Theophor. Civitatis Dei Antiochiæ Patriarchæ Exposit. Minister. oblat. D. Jacobi Apost. Fratris D. N. cap. XXXIII. pag. 365. edit. Rom. an. 1752.* „ Illam Ecclesiam, quam supra pe- „ tram fidei Petri discipulorum Principis fundasti, cum ei dixisti: *Beatus es Simon Bar-* „ *jona &c.* Ut autem ostenderet sermonem hic esse de illa Ecclesia, quæ supra Petrum, qui „ est fidei petra, ut dictum est, fundatur, Jacobus Apostolus statim subdit in eadem ora- „ tione subsequentia Christi Domini verba, quibus eam tutam omnino, ac inexpugnabilem „ prorsus esse a portis inferi edocet, dicens: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus* „ *eam* „.

6 *Pag 501. tom. II. Collection. Liturgiar. Oriental. edit. Renaudotii Paris. an. 1716.* „ Memento Domine omnium Patrum Orthodoxorum, qui a Petro Apostolorum principe „ ad hanc usque diem vestigia Apostolica secuti sunt, domos Ecclesiasticas firmaverunt, „ præceptaque Evangelica custodierunt, & perfecerunt, & super petras petrinas fundave- „ runt Ecclesiam suam.

7 *Ibid. pag. 508.* Quod autem ait Renaudotius *ibid. pag. 511.* de Petro principe Apostolorum factam fuisse ea in Liturgia ab Dioscoro mentionem, propterea quod Gordiæna Parœcia in Diœcesi erat Antiochena, cujus Ecclesiæ institutor Petrus fuisset, probari mihi

norum libro (1): ex communi, pervulgataque omnium Orientalium, qui in Muhamedanorum ditionem venerunt, opinione (2): ex Armeniorum libris (3): ex codicibus item Ecclesiasticis eorum, qui Patriarchis Alexandrinis variarum sectarum, rituumque parent (4): ipsorumque etiam Æthiopum (5), qui longe ab Ecclesiæ Romanæ disciplina, consuetudinibus, multisque religionis decretis discrepant; intelligi facile potest. Neque vero credibile est, inductas has gentes hortatu, precibus, artibus Latinorum fuisse, ut principa-

mihi nullo modo potest. Non enim eos solum, qui in diœcesi erant Antiochena, meminisse principis Apostolorum in Liturgia, sed alios etiam, qui in diœcesibus Hierosolymitana, ut vidimus, atque, ut mox ostendemus, in Alexandrina, versabantur, constat. Itaque mentionem illius sutile factam sæpe & in Occidentalium, & in Orientalium Ecclesiasticis libris censeo, summi in Ecclesia principatus Petri caussa.

1 Syri Nestoriani, quorum eli cis, & ultra Euphratem in Perside, India, Tartaria ad Sinas usque, & Antipodas propagata secta, in ritu Ordinationis Episcopi apud Morinum *par.* II. *de sacris ordinationibus pag.* 462. *edit. Paris. ann.* 1655. hæc usurpare verba consueverunt: ,, Christe, qui Petro dedisti claves excelsi, & profundi, tu Domine concede virtutem auxilii tui servo tuo . . . sit manus tua dextera, gratia tua, quæ a Spiritu ,, Sancto est, quam accepit Simeon filius Jonæ, hanc accipiat, qui adorat te, ut regat ,, Ecclesiam tuam &c.

2 Tam firma, tam constans, tamque late patens hæc est apud Orientales de principatu Petri sententia, ut vel ipsi Turcæ confiteantur, Pontificem Petri successorem *Calipham esse Christianorum*. Confer Renaudotium *Perpet de la Foy de l' Eglis lib.* x. *cap.* IV. *pag.* 784. *edit. Paris. an.* 1713.

3 Multa e Breviario, sive rituali *Armeniorum e Codicibus antiquorum Interpretum Armeniorum, typis mandato sub Patriarchatu Exmiaziensi Eleazar Patriarche armenice Venetiis an.* 1686. *in Typographia Ciulfalensi*: colligi fortasse possent, quæ ad rem nostram maxime pertinerent. Confer *Liturg. apud Le Brun t.* III. *p.* 335. *ed Paris. an.* 1726.

4 Liturg. S. Basilii Coptica *pag.* 22. *tom.* 1. *collect. Liturgiar. Renaudotii edit. ejusd. Orat. absolut. ad Patrem*. ,, Tu es, qui dixisti Petro Patri nostro per os unigeniti Domi- ,, ni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-* ,, *siam meam &c.* ,, Et Alexandrina apud eumdem *ibid pag.* 80. ,, Tu es, qui præcepisti ,, Petro τῷ κορυφαίῳ τῶν ἁγίωσου μαθητῶν, ϗ ἀποστόλων *Corypheo Sanctorum tuorum* ,, *discipulorum, & Apostolorum* ex ore unigeniti filii tui Domini Dei, & Salvatoris no- ,, stri Iesu Christi dicentis ei: *Tu es Petrus &c.*

5 Ab Æthiopibus item, quos ab Alexandrinis disciplinam accepisse constat, Petro fuisse adhibitum principatus honorem, cum ex iis, quæ de Liturgiis Alexandrinis dixi; tum ex Liturgia Æthiopum eorumdem intelligitur, in qua, dignitatis caussa, Petrus ipse inter Apostolos priore nominatur loco; ut liquet *ex tom. eodem collect. Liturg. Renaudotii p.* 514. ,, Per Petrum, Andream, Iacobum, & Iohannem, Philippum, & Bartholomæum, Tho- ,, mam, & Matthæum, Thaddæum &c.,, Similia in ceteris gentium earumdem libris reperire licet, quæ brevitatis caussa, cum hæc satis esse videantur, prætereo. Quamquam illud incommode accidit, ut perpauca Ecclesiarum earumdem monumenta in Europeas linguas conversa habeamus. Nam si haberemus plura, multo major esset nobis numerus locorum de principatu Petri in promtu, quam nunc fit, post Renaudotii, Vansiebii, Masii, Morini, Ecchellensis, Assemaniorum, aliorumque studia. Ad Æthiopum missam quod attinet, confer etiam *Orat. Diaconi Eucharisticam apud Jobum Ludolfum lib.* III. *cap.* IV. *Hist. Æthiop. pag.* 342. *edit, Francof. an.* 1691.

cipatus Petri in suis Ecclesiasticis libris mentionem injici paterentur. Nam cum earum permultæ, aliæ ab nono, aliæ ab sexto, aliæ a quinto usque seculo, conflato schismate, a communione se Apostolicæ Sedis sejunxerint, neque tulerint, ut vel dogmata falsa, pro quibus acriter pugnant, vel ipsæ consuetudines, quas a majoribus accepissent, aut tollerentur, aut immutarentur, qui tandem tulissent, ut confirmandi summi Pontificatus Romani Episcopi caussa, principem fuisse Ecclesiæ Petrum confiterentur? Ac Syros quidem Nestorianos, Æthiopumque partem aliquam, etsi aliquando in Apostolicæ Sedis communionem venerunt, tamen mutasse statim sententiam, atque ad errorem revertisse, ex Jobo ipso Ludolpho, atque ex Renaudotii Commentariis tam est manifestum, ut nullo modo in dubium revocari posse videatur. Ii autem hæretici, si quid addidissent Apostolicorum Missionariorum, quos vocant, hortatu; id certe, facta rursum ab Romanis secessione, delendum e suis libris continuo curassent. Cum vero ea, quæ sunt de auctoritate præcipua Petri, retinuerint, itaque continenter servarint, ut in iis legendis constans omnium sit, atque summa consensio; argumento est, non aliorum, quam primorum institutorum factum cura fuisse, ut omnibus Petrum esse caput Ecclesiæ persuaderetur. Ac de libris liturgicis variarum Ecclesiarum erit alibi opportunior copiosius, diligentiusque differendi locus. Nunc breviter, quibus argumentis confidant ii, qui contra supremam Petri in Ecclesia potestatem pugnaciter disputant, videamus.

I X.

I X

Refelluntur præcipua argumenta, quibus Protestantes Principatum Petri conantur evertere.

Hæc autem, quæ hactenus descripsimus, sive Scripturarum loca, sive Majorum testimonia, sive antiqua monumenta Ecclesiarum, etsi magnam partem tam clara, tamque perspicua sunt, ut obscurari, implicarique nullis artibus, nullaque verborum circuitione possint; Protestantes tamen, Schismaticique omnes, quibus nihil est potius, aut sanctius, quam ut ne quidquam Romanis concedant, quo summa Pontificis Maximi in Christiana republica potestas confirmari, constabilirique videatur, ita omnia contorquere, miscere, turbare, pervertere conati sunt, ut veterum Patrum, scriptorumque fuisse, pugnarent, omnino neminem, qui Petrum ceteris Apostolis dignitate, auctoritateque præstantiorem fuisse arbitraretur. Itaque celebrem imprimis, illustremque illum ex capite sexto ac decimo Evangelii Matthæi locum, quo præcipue nostri niti, atque confidere solerent, primo impetu, non explicandum quidem, ut dictitant, sed oppugnandum putarunt. Nam hoc everso, si quis esset locus in sacris litteris reliquus, quem Orthodoxi adducerent, hunc item una, ita ut fit, ubi res junctæ, colligatæ, nexæque inter se sunt, perfacile ruiturum. Sed de fallacibus quibusdam conclusiunculis, quibus est fulta eorum in eumdem ipsum Matthæi locum oratio, multis est supra, ut arbitror (1), disputatum.

Nunc quæ sint reliquæ consideremus. Argumentari autem aggrediuntur hoc modo. Præsidium, inquiunt, Orthodoxis eo ex loco petere non licet, ex quo sit consequens, nihil fuisse a Christo tributum Petro, quod cadere in ceteros Apostolos apte non possit. Est autem ex eo Matthæi loco: *Tu es Petrus &c*, consequens, nihil fuisse tributum Petro, quod cadere in cete-

ros

1 *Pag. 132. seq. hujus vol. pag. 139. not. 1. pag. 156. seqq. & pag. 183. seq.*

ros Apostolos apte non possit: petere igitur ex eo loco Orthodoxis præsidium non licet. Nam quod Simon appellatus *Petrus*, seu *Cephas*, hoc est *petra*, fuerit, id vero nihil esse singulare censent. Ut enim is *Petrus*, seu *petra* a Christo, ita illi sunt *fundamenta* vocati Ecclesiarum a Paulo. Sed vero, cum hæc considerent, quod sit inter *petram*, atque *fundamentum* discrimen, si vis metaphoræ omnis spectetur, ne suspicari quidem posse. Etenim Christum, qui *lapis angularis* in sacris Bibliis interdum vocetur, indicari item aliquando *fundamenti* nomine, quod eadem sit in hoc genere vocis utriusque significatio. Itaque sanctorum Apostolorum, (qui etsi æquari Christo dignitate, potestate, virtute nequeunt, omnem tamen sunt a Christo dignitatem, virtutem, potestatem, quam obtinebant, consequuti) fuisse ceteris præstabiliorem omnino neminem; propterea quod, si unus eorum *Petrus*, ceteri certe *fundamenta* fuerint appellati.

Neque gravius esse putant, quod proximum est. Sic enim disputant. Quod Christus apud Matthæum eodem in loco addidit: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, aut est de Christo ipso intelligendum, aut de Petro. Intelligi namque de alio quopiam oportere, cogitare qui possumus? Si ergo de Christo, ut & ratio ipsa, & Patrum auctoritas postulat: quid inde se Romani consequuturos adjumenti ad Petri principatum constabiliendum sperant? Sin autem de Petro: quid efficient, quod Protestantium evertat de pari omnium Apostolorum potestate sententiam? Nam quod Apostolorum omnium commune fuit, id nihil singulare, quo ceteris præstet, in Petro indicat. Fuit autem commune omnium Apostolorum, ut *petræ* Ecclesiæ dicerentur, & essent. Nihil igitur singulare, quo ceteris antecelleret, Petrus est consequutus, similitudine firmitatis, appellationeque *petræ*. Atque ut supra petram aliquam, ita super Apostolos omnes ædificatam a Christo fuisse Ecclesiam, adeoque dici commode quemque Apostolum petram posse; auctor est Paulus in ea, quæ est ad Ephesios scripta epistola, cum *superædificatos* esse Christianos statuat *super fundamen-*

mentum Apostolorum, & Prophetarum. Qui enim fundamenta vocantur Ecclesiæ, cur non item vocari petræ Ecclesiæ poterunt?

Quod mox sequitur: *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: simile esse ajunt superiorum. Nam ut Petro, ita ceteris Apostolis esse pugnant ligandi, solvendique potestatem datam. *Quæcumque*, inquit Christus Apostolos alloquens, *alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælis*. Atque hoc illud esse arbitrantur, quod est de clavibus Petro dictum. Clavium enim regni cælorum nomine quid aliud intelligi, nisi potestas ligandi, solvendique potest? Totum igitur illud argumentum, quod a Matthæi decimo ac sexto capite petitur, inane esse defendunt, cum nihil Petro inesse demonstret, quod adimendum esse reliquis Apostolis videatur.

Nos vero, qui non minutis hisce animadversionibus, sed rerum serie cognita, de sacrorum codicum auctoritate, sententiisque majorum judicandum arbitramur esse, ferre patienter adversariorum temeritatem possumus, implicari certe, conturbarique non possumus. Ut enim a mutatione nominis ordiar, quotusquisque est, qui nihil datum Simoni singulare fuisse defendat, cum est illius a Christo mutatum nomen? An mutatio nominum, quoties divinitus facta est, mysterio caruit? Abrahamus, qui Abramus antea vocari consueverat, & Josua, cujus discrepans olim fuerat appellatio, nonne mutatione nominis intellexerunt, alter quidem omnium se gentium patrem, alter se ducem, ac veluti servatorem reipublicæ populi Israelis futurum? Quid igitur est, quod nihil singulare in Petro indicasse additam Simoni Petri appellationem arbitremur? An inane fuisse nomen in Petro judicem, cum inane in Abraham, (1) Josueque (2) non fuerit? Inane autem fuisset, si nullam potestatem, nullum honorem in Petro singu-

1 Genes. *cap.* XVII. *v.* 5. *Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.*
2 Num. *cap.* XIII. *v.* 17.

ſingularem, atque eximium ſignificaſſet. Neque nobis cum iis eſt quæſtio, qui Deum Abrahami, Joſueque nominum immutatorem, & rem iis, & novam, quæ rem ipſam indicaret, appellationem dare potuiſſe; Chriſtum non potuiſſe, putarent. Nam illi ipſi, contra quos diſputo, Chriſtum eumdem eſſe Deum, qui ut Abrahamo, ita Petro nomina nova indiderit, confitentur. Itaque cum in Abrahamo potuerit efficere, ut inanis appellatio nova non eſſet, efficere id etiam concedunt potuiſſe in Petro. Quæ igitur eſt cauſſa, cur in Abrahamo ſignificaſſe id, quod Abrahamus erat; in Petro autem non ſignificaſſe, quod Petrus erat, nominis immutationem pugnent? Juſtinus Martyr, (1) qui ſecundo Eccleſiæ ſeculo Chriſti Servatoris divinitatem adverſus Tryphonem Judæorum Doctorem graviter imprimis, ſtrenue, accurateque defendit, oſtenſurus eumdem eſſe Chriſtum, atque veteris Teſtamenti, quem Judæi colebant, Deum, argumentum ab immutatione nominum Abrami, Auſes, Simoniſque petiit. Quemadmodum autem argumenti recte concluſiſſet ſententiam, ſi immutatione nominis, patrem omnium gentium Abrahamum, Joſuam vero ducem, ſervatoremque populi Iſraelis fuiſſe conſtitutum putaſſet; *Cepham* autem, hoc eſt *petram*, ſeu Petrum fuiſſe *petram*, hoc eſt ſtabilimentum, firmamentumque illius, quam erat Chriſtus conditurus, Eccleſiæ deſignatum non putaſſet? Cum ergo & rem ſingulis conceſſam, & nomen inditum, quo res ſignificaretur, crediderit; recte ſane, ſapienterque, quod volebat, concludi, efficique poſſe exiſtimavit. Quod ſi quis parem fuiſſe honori, dignitati, poteſtati Petri reliquorum Apoſtolorum dignitatem, honorem, ac poteſtatem; adeoque *petras* item Apoſtolos appellari potuiſſe, ut qui fundamenta ſint a Paulo appellati, dicat: illud ante expediat neceſſe eſt; cur Simoni data *Cephæ*, ſeu *Petræ*, vel *Petri* appellatio fuerit; Apoſtolis ceteris contra non fuerit? Nam ſi rem obtinuiſſent eamdem omnes, nihil ut eſſet ſingulare reſervatum Petro, quæ fuiſſet ratio, uti Petro

1 Vide ſupra *pag.* 133. *hujus vol. not.* 1.

nomen imponeretur, quo significaretur, quod omnibus commune esset? Cum igitur peculiare fuerit impositum Petro nomen, peculiaris profecto tradita auctoritas illi fuerit ab nomine indicata, necesse est. Nisi forte Deum, qui in vetere Testamento serio egerit, ludere in novo voluisse Protestantes putent, qua re nihil, non dicam, scribi, sed ne fingi quidem potest absurdius. Jam vero si concessum Petro, quod *petræ* nomine indicatur, fuit; Petrum a Christo ipsiusmet Christi præcipui fundamenti, lapidisque angularis, & capitis loco fuisse tunc quidem designatum, postque constitutum visibilem petram, caput, moderatoremque Ecclesiæ, credendum erit, quod caput, qui moderator, quæ petra, seu firmamentum indicatum fuit *Cephæ*, hoc est *petræ*, vel *Petri* vocabulo.

Venio ad alteram argumenti adversariorum partem. Concedo verba Christi: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, aut in Christum, aut in Petrum cadere. Vel enim utrumque verum est, vel alterutrum. Nam utrumque ut falsum sit, fieri omnino non potest. Rationem autem ipsam, Patrumque auctoritatem poscere, ut in Christum potius, quam in Petrum cadant, quem sibi adversarii concessurum arbitrantur? Ut enim ab ratione ordiar; quis tam est absurdo ingenio, qui *petram* hoc loco intelligi oportere censeat, non de petra, quam paullo ante memorarit, sed de petra, quam nusquam memorarit Christus? At Simonem *petram ἀμέσως immediate*, ut ajunt, ante Christus dixerat, inquiens: *Tu* (Simon) *es Cepha*, hoc est *petra*; se autem ipsum, etsi revera angularis *petra* esset, *petram* nihilominus esse non dixerat. Igitur quod addidit: *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, de *petra*, cujus mentionem fecerat, hoc est de *Petro*; non vero de *petra*, seu de se ipso, cujus non meminerat, est intelligendum. Nam qui fuisset verborum nexus, & colligatio, cum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; si prior esset *petra* de Petro, altera de Christo accipienda?

Quæ

Quæ de Patrum auctoritate disputant, nihil moror. Rem enim cum ab aliis sæpe, tum a me ipso (1) pluribus locis explicatam repetere neque est necesse, nec vero vacat. Quamquam fuisse unum aliquem majorum memoria scriptorem (2) intelligo, qui nonnullos Patres, quod de Christo, quasi indicatus apud Matthæum fuerit *petræ* nomine, dixerint; ignoratione syriacæ linguæ deceptos dixisse, arbitraretur. Vix enim videri credibile, ut qui *Cepham* syriacum, ac *petram* latinum vocabula synonyma esse noverit, legeritque dictum a Christo fuisse: Simon *tu es Cepha*, hoc est *petra*, & super hanc *cepham*, seu *petram* ædificabo Ecclesiam meam; idem sibi persuaserit, initio *Cepham* de *Petro*, mox vero *Cepham* ipsam de *Christo* intelligi oportere. Nam si priore in loco *Cepha*, seu *petra* Petrus est, quid impediet, quin esse etiam in secundo (3) possit? At enim Paulus Chri-

 stum

1 Vide *pag.* 160. *n.* 2. *hujus volum*, & *pag.* 169. *not.* 2. & *pag.* 139. *not.* 1. & *pag.* 157. *seqq.*

2 Confer Baronium *ad an.* XXXIII. *n.* XCV.

3 Isaacus Casaubonus *exercit.* XV. *in Annales Baronii p.* 387. *edit. Londin. an.* 1614. „ Falsissimum est, *ait*, & longe absurdissimum, quod a paucis annis fulciendæ novæ Monarchiæ ab Hildebrandistis novatoribus excogitatum, passim hodie ab iisdem occinitur: Petrum esse petram, quomodo Christus est petra (Accuratiores inter illos unam saltem, aut alteram distinctiunculam adhibent) quia Dominus hic illum compellans voce eadem absque ullo discrimine bis utens dixerit: *Tu es Cepha*, & *super hac Cepha*. Falsitas hujus argumentationis ex iis, quæ diximus, patet manifestissime. Et vero Augustinus, quem hodie omnes Hildebrandistæ ut indoctum, & imperitia Syriaci idiomatis lapsum, non verentur suggillare: *retract. lib.* 1. *cap.* XXI. *non dictum est Petro, tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon &c.* Ausus tamen Baronius errorem illum secutus Græcum Textum emendare, atque ita describere: *Tu es Cephas, & super hanc Cepham ædificabo Ecclesiam meam*. Deinde Latinum interpretem Tridenti factum authenticum, patrum illorum suorum auctoritate spreta, pari licentia corrigere: *Latine*, inquit, *sic dicenda sententia*: tu es petra, & super hanc petram &c. En vere novam novitatem ante hæc novissima tempora nunquam auditam. Nam cui veterum Patrum ante hos centum annos suboluit hujus arcani? „ Sic hic Baronio, ceterisque Catholicis sycophanta tribuit. Quem enim novatorem invenire quisquam Casaubono impudentiorem potest? Monarchiæ autem Ecclesiasticæ dogma non novum est, ut hactenus vidimus, sed Christi auctoritate, majorumque ipsorum traditione. Per summam vero calumniam scribit hæreticus, eo nos modo Petrum *petram* dicere, quo Christus est petra. Nam est de petra Petro discrepante a Christo petra, Baronii, quem scelestus oppugnat, perspicua imprimis sententia. *Ibid. num.* XXIV. Qua de re vide quæ scripsi *pag.* 165. *hujus volum.* Quod autem addit, accuratiores nostrum distinctiunculis uti, perridiculum est. Non enim distinctiuncularum numero habenda sunt, quæ nituntur auctoritate patrum, ut paullo post ex Basilio adscripto loco constabit. Ac mirum profecto est, ineptissimum distinctiuncularum architectum, qualis Casaubonus fuit, ausum esse Orthodoxis di-

stin-

ſtum eſſe *petram* teſtatur. Aſſentior. Quid igitur? Annon etiam *Petrus* eſt *petra*? Ita profecto. Cum ergo Chriſti Servatoris dicentis: Simon, *tu es Cepha*, hoc eſt *petra*, Chriſti, inquam, decreto *Petrus* ſit *petra*, illud quæro, quid ſit, quod verba, quæ mox ſequuntur: *& ſuper hanc petram*, de Chriſto, qui ſe in Matthæi Evangelio numquam appellavit *petram*, accipi debeant; de Petro, quem in eodem Evangelio *petram* appellavit, non debeant? Mihi certe, ut quæ conſequuntur antecedentibus ſententiis congruant, ſic videtur: de eo *petræ* vocabulum poſteriore eſſe loco intelligendum, quem conſtat priore loco fuiſſe nominatum *petram*.

At Hieronymum (1), Euſebiumque (2) Cæſarienſem ſyriacæ linguæ peritos fuiſſe conſtat, quorum tamen eadem fuit, atque Auguſtini, aliorumque opinio de Chriſto indicato apud Matthæum appellatione *petræ*. Ego vero tanti Euſebii, Hieronymique facio eruditionem, atque in hoc genere, ſi placet, ſcientiam, ut eos ſyriace doctos fuiſſe non ſolum non negem, ſed etiam patiar. Verum inter hos, atque

ſtinctiuncularum crimen opponere. Reprobat inde veterator ille Calvinianus *lectionem*; *tu es Cepha*, *& ſuper hanc Cepham &c.* quodque hinc argumentum concluſimus. Nos autem Lectorum imploramus fidem, ut adſint, dijudicentque, recte ne concluſa a nobis fuerit argumenti ſententia, nec ne. Æquos vero nobis futuros, ratio ipſa, quæ nobis eſt præſidio, plane ſuadet. Quis porro ferat, quod addit Caſaubonus, ut indoctum a noſtris ſuggillari Auguſtinum? Quem enim indicare Catholicum hujus ſceleris auctorem poteſt? Calumniatori vero tam audaci, quis eſſe deinceps credendum putet? Nos enim omnes, ut Baronius, eruditionem Auguſtini, doctrinamque ſuſpicimus, etſi aliqua in re deceptum fuiſſe ignoratione Syriacæ Linguæ, aliquando, at ægre tamen, confitcamur. Atque eſt hoc ſane incredibile, ut Calviniani, qui Patres lapſos fuiſſe, erraſſe turpiter, negligique oportere ſæpiſſime jactitent, nobis audeant exprobrare contemtum Patrum. Vitiat præterea Caſaubonus Auguſtini ex 1. retractationum libro locum. Conſule, quæ ſcripſi *pag.* 169. *n.* 2. Neque Baronius Græcum textum emendat; ſed quo ſenſu intelligi debeat, interpretaturus, ad ſyriacam linguam confugit, qua certe Chriſtum fuiſſe Petrum alloquutum liquet. Vide ſupra *pag.* 283. *hujus volum.* Ejuſdem eſt generis, quod adjungit, correctum a Baronio fuiſſe vulgatum Interpretem contra Tridentinorum Patrum ſententiam. Non enim correxit Interpretem Baronius, neque ſprevit Tridentinos Patres, ut ſycophanta exercitator mentitur, ſed quemadmodum explicari deberet, Syriacæ linguæ ſubſidio uſus demonſtravit. Denique quod *novum* id eſſe jactitet, atque ante annos centum excogitatum dogma, impudens mendacium eſt. Quam enim multos XII. XIII. XIV. ſeqq. ſeculorum ſcriptores numerare poſſem pro Monarchia Eccleſiaſtica, quamque plures etiam veteres patres pro ſummo in Eccleſia principatu Petri pugnantes? Sed hæc alias.

1 Vide *pag.* 157. *ſeq. hujus voluminis n.* 2.

2 Confer *pag.* 160. *hujus voluminis*.

atque Augustinum nonnihil interest. Augustinus cum vim *Cephæ* nominis perspectam minime haberet, dubitare visus est, num *Petrus* dici *petra* posset. Itaque tametsi eum principem fuisse Apostolorum, omniumque Ecclesiarum caput, moderatoremque fateretur (1); tamen statuendum sibi, definiendumque non putabat, *Petrusne* ipsa *esset petra*, in qua Christus confirmarat suam se Ecclesiam ædificaturum. Igitur, ut de re incerta, liberum cuique esse judicare, dixit, quod opportunius, propensiusque ad veritatem (2) existimet. Contra Eusebius (3), atque Hieronymus (4), qui nominis *Cephæ* quæ vera esset significatio, noverant; Christum, & Petrum, etsi non eodem modo, *petram* nihilominus appellari credebant posse, locumque Christi apud Matthæum: *Et super hanc petram &c.* sic omnino interpretabantur, ut quamvis de Christo, qui lapis Ecclesiæ angularis sit, & a quo Petrus obtinuit, ut *petra* vocaretur, & esset, intelligi oportere defenderent; nihilo secius statuerent, esse item de Petro intelligendum: ac de hoc quidem, ut series ipsa Christi verborum, *obviusque* sensus postulat; de Christo autem ratione longius aliquanto petita; nempe quia ipse est primum fundamentum, lapisque angularis, a quo Petrus iisdem verbis, quæ loco illo Matthæi continentur, fuerit consequutus *petræ* & vocabulum, & firmitatem. Jamvero non suo illi arbitratu, neque una linguæ syriacæ peritia confisi, sed *traditionem* sequuti Ecclesiarum (5), ac locum ipsum Matthæi diligentissime, studiosissimeque

1 *Pag. 160. hujus vol. not. 2. & pag. 169. not. 2.*

2 Vide supra *pag. 139. hujus volum. not. 1. &* Aug. *tract. xi. in Joh. tom. III. opp. part. II. n. xi. pag. 460.*

3 Confer *pag. 134. seq. hujus volum. not. 1. & pag. 287. not. 5.*

4 Vide *pag. 138. not. 3. hujus vol.* Idem Hieronymus *in cap. II. Isaiæ tom. III. opp. opp. edit. Martianæi Paris. pag. 22.* „ Super unum montium, *inquit*, Christus fundat „ Ecclesiam, & loquitur ad eum: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-* „ *siam meam* „.

5 Traditionem Ecclesiarum id quidem ferre, præter ea, quæ multis in locis attulimus, permulta etiam ostendunt, quorum aliqua describemus. Itaque ut Casaubonum, qui loco modo indicato inauditum antiquis fuisse jactat, Petrum esse petram a Christo vocatum, revincam, missis Tertulliani, Origenis, Cypriani &c. locis, quos legere quisque *pag. 133. seqq.* poterit, quibus quidem in locis Petrum *petram* a Christo dictum testantur; quis neget

que contemplati, ita esse de Petro sentiendum decreverunt, quem propter illud oraculum, altissimum in Apostolis gradum, & maxime excellentem tenuisse norant. Ac de loco illo Evangelii, deque traditione Ecclesiarum (1) alias. Nunc quæ sint in argumentatione adversariorum reliqua, consideremus.

Igitur quod mox sequitur, nihil nos ex verbis: *Et super hanc petram &c.* si de Christo intelligantur, præsidii posse petere, quale tandem est? Fac enim intelligantur de Christo: an ita sunt comparata, atque composita, ut intelligi etiam omnino de Petro nequeant? Si autem ita intelligantur de Christo, ut intelligi quoque de Petro, quod modo ex serie ipsa Christi verborum, exque traditione majorum

get veterem imprimis esse auctorem Homiliæ de pœnitentia, quæ extat *tom.* II. *opp. s. Basilii edit. Paris. Garnerii Monachi Congr. s. Mauri*? At is auctor *pag.* 606. *n.* IV. scribit hoc modo: „ Dixerat Petrus, & benedictionem consequutus fuerat: dixerat, filius es Dei „ altissimi, cumque audisset *petra es*, præconio nobilitatus est. εἰ γὰρ καὶ πέτρα, οὐχ ὡς „ Χριστὸς πέτρα, ὡς Πέτρος πέτρα. Χριστὸς γὰρ ὄντως πέτρα ἀσάλευτος. Πέτρος δὲ διὰ „ τὴν πέτραν. Χαρίζεται γὰρ Ἰησοῦς τὰ ἑαυτοῦ ἀξιώματα, οὐκ ἀποκενούμενος, ἀλλ᾽ ἔ„ χων καὶ δίδωσι. Φῶς ἐστίν· ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ἱερεύς ἐστι. ποιεῖ ἱερέας .... „ πέτρα ἐστί, πέτραν ποιεῖ, καὶ τὰ ἴδια χαρίζεται τοῖς δούλοις. *Si enim & petra, non* „ *ut Christus petra; ut Petrus petra. Christus est enim petra immobilis. Petrus autem* „ *per petram. Donat enim Jesus suas dignitates, non exhauriens se, sed retinens, qua* „ *dat. Lumen est. Vos estis lux mundi. Sacerdos est. Sacerdotes facit. Petra est, pe*„ *tram efficit. Et propria donat servis &c.* En quomodo Petrus (quem Basilius, ut *p.* 136. *hujus volum.* ostendi, ædificationem in se suscepisse Ecclesiæ, ceterisque discipulis prælatum scribit) petra sit constitutus a Christo, ut nihil obstet, quin etiam dicatur petra: & quomodo, etsi petra est, discrepet tamen a Christo petra, neque nostrum hoc sit inventum, ut Casaubonus mentitur. Quinetiam calumniatur Casaubonus, cum eodem modo Christum, & Petrum petram esse, dici ab Romanis fabulatur. Hoc enim discrimen indicavit *ibidem* Baronius, adversus quem ille suas *Exercitationes* elaboravit. Confer etiam locum Gregorii Nazianzeni *pag.* 197. *hujus voluminis*, ubi de Petro disserens: πέτρα, inquit, καλεῖται *petra vocatur*. Cyrillus præterea Alexandrinus *lib.* I. *in Johan cap.* I. *tom.* IV. *opp. pag.* 131. ad hæc verba Evangelii: *Tu es Simon Jona, tu vocaberis Cephas* ὃ ἑρμηνεύεται πέτρα *quod interpretatur* PETRA; Simonem, *inquit*, cum non jam vocari patitur, cum sibi pro sua potestate jam tum ut suum vendicans, sed congrua similitudine ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον *a petra transnominavit Petrum* (Petrum dixit græci sermonis rationem secutus; ceterum in textu legerat: πέτραν) ἐπ᾽ αὐτῷ γάρ *super ipsum enim* fundaturus erat Ecclesiam suam. Neque moror, quod quidam afferunt ex Basilii Seleuciensis *orat.* XXVI. *pag.* 142. *edit. Paris. opp. an.* 1621. ut confessionem Petri petram fuisse appellatam evincant. Quis enim neget, confessionem petram dici posse, ob quam tamen Petrus consequutus est, ut petra etiam constitueretur a Christo, & princeps Apostolorum? Confer *orat.* XVII. *pag.* 97. Vetus item auctor *libri de consummatione mundi Hippolito Martyri falso tributi num.* X. *pag.* 9. *In Append. tom.* I. *opp. s. Hippol. edit. Hamburg. an.* 1716. „ Princeps Petrus, *inquit*, ἡ πέτρα τῆς πίστεως *fidei petra*, Ille primus disci„ pulorum, ille, qui regni claves habet &c. „ Sed de his satis.

1 Vide *pag.* 133. *seqq.*

jorum demonstravi, possint, cur inde præsidium petere desinemus ad confirmandum, constabiliendumque principatum Petri? Sed demus sic esse propria Christi, quæ de *petra* in Evangelio legimus, ut ea accommodare ad Petrum non liceat; an principatus in Ecclesia Petri indicium, argumentumque satis magnum non erit nominis Simonis in appellationem *petræ* mutatio (1)? Quod si est, ut paullo ante ostendimus, fas certe erit orthodoxo cuique eodem ex Matthæi loco præsidium petere.

Sed perstant adversarii, ac verba: *Et super hanc petram &c.* etiamsi de Petro accipi debeant, quidquam tamen in Petro indicare negant, quod in ceteros Apostolos Christi non competat. Quod totum contra est. Petra enim quisque Apostolus eadem, atque Petrus, ratione dici nullo modo potest, nisi omnia, quæ dicta, decreta, constituta de Petro a Christo sunt, de unoquoque Apostolo, aut de omnibus junctim dicta, decreta, atque constituta fuisse demonstrentur. Nam si omnino id negligimus, in gravissima vitia,

1 Confer locum Justini Martyris *pag.* 133. *hujus vol. not.* 1. Tertullianus etiam *l.* IV. *adversus Marcionem cap.* XIII. *pag.* 425. *edit. an.* 1748. „ Mutat & Petro nomen de „ Simone, quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Auseæ nomina reformavit, hunc vocando „ Jesum; illis syllabas adjiciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ ma- „ teriæ, solidæque nomen de suo accommodarent. An quia & Petra, & Lapis Christus?... „ Itaque affectavit carissimi discipulorum de figuris suis peculiariter nomen communicare, „ puto propius, quam de non suis „. Quid igitur? An nomen solum datum est Petro, idque inane? Minime vero. Nam idem est auctor Tertullianus, constitutum fuisse Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram a Christo, cum dictum illi fuerit: *Tu es Petrus &c.* Confer *pag.* 133. *hujus vol. not.* 1. Joh. Chrysostomus *Homil.* XIX. *in Joh. al.* XVIII. *n.* 2. *pag.* 112. *tom.* VIII. *opp. edit. Parisien, Montfauconi an.* 1728. „ A præsenti, *inquit*, „ futurum credibile reddit ... Prædictio autem cum laude conjuncta est ... Petrus vero ni- „ hil ad hæc respondet. Nondum enim quidpiam clare noverat, sed interim ediscebat ... „ Neque enim dicit; ego te cognominabo Petrum, & super hanc *Petram* ædificabo Eccle- „ siam meam: sed tu vocaberis Cephas. Illud enim auctoritatis & potestatis majoris erat. „ Christus vero non statim, & ab initio totam potestatem exhibet suam; sed interim hu- „ milius loquitur. Postquam autem divinitatem suam demonstravit, cum majore agit „ auctoritate dicens: *Beatus es Simon, quia &c.* Hunc ergo sic vocavit, Jacobum „ autem, & fratrem filios tonitrui. Quare? Ut ostendat se eundem ipsum esse, qui & ve- „ tus testamentum dedit, & nomina mutavit, qui Abram Abraham vocavit, Saram Sar- „ ram, Jacob Israelem. Id vero non sine caussa &c „. Caussam autem, quamobrem fuerit Simon vocatus Cephas, indicat idem Chrysostomus *p.* 95. *seq. hujus vol. p.* 131. 137. 199. 201. Ac mutationem quidem nominis Petri non inanem fuisse satis est clare confessus Casaubonus *ibid. pag.* 258. *seqq.* Sed non ita, ut Christus voluit. Christus namque Petrum caput, principemque constituit Ecclesiæ, quod tamen Casaubonus negat. Sed de hac re dicam rursus paullo post.

vitia, atque errores incidemus, obliviscemurque illius, quam scriptores sacri, Patresque triverunt, explicandorum religionis decretorum viæ. Age vero, quibus sacrorum Bibliorum locis inimici Apostolicæ Sedis efficient, non unius Simonis Jonæ filii, sed etiam reliquorum Apostolorum fuisse immutatum nomen, omnesque deinceps fuisse appellatos *Cephas*, seu *petras*, in quibus esset ædificanda Ecclesia? Id si efficere, cum de aliis agitur, non possint; cum autem agitur de Petro, possint; quo demum argumento Petrum de principatu dejicient, paremque illius dignitatem, auctoritatemque statuent dignitati, auctoritatique Apostolorum? Inaniane, nugatoria, ludicra fuisse, quæ dicta uni Petro fuerunt a Christo, defendent? Quod si vera fuerunt, ac si quod ei soli concedendum erat, significarunt; quæ ei singulari modo dicta sunt, singulare in eo quidpiam, atque præcipuum demonstrarint, necesse est.

Neque me movet, quod statim addunt, Apostolos item ceteros dici commode potuisse *petras*, cum a Paulo memoratum in Epistola ad Ephesios fuerit fundamentum (1) Apostolorum. Nam si vis huic argumento inesset ulla, cum fundamentum (2) Christus, ac fundamenta etiam dicantur Apostoli, confitendum esset, Apostolos pares auctoritate fuisse Christo. Quod certe, non dicam credere, sed vel suspicari, non perabsurdum modo, sed etiam stultum, impiumque esset.

Quemadmodum autem Paulus, cum *fundamentum* (3) *aliud præter Christum* poni neget posse, fundamentum præcipuum, petram (4), lapidemque angularem ipsum esse Christum, quicum nullus lapis alius, nullumque fundamentum aut Apostolorum, aut Prophetarum comparari queat, ostendit; ita Christus Simoni peculiari quodam modo nomen addens *Cephæ*, seu *petræ*, vel *Petri*, affirmansque super eum se Ecclesiam ædificaturum, talem esse honore, digni-

1 *Epist. ad Ephes. cap.* 11. *v.* 20.
2 *Epist.* 1. *ad Corinth.* 111. *v.* 11.
3 Vide *pag.* 165. *hujus volum. not.* 3. *seq.*
4 *Ibidem*.

gnitate, auctoritate, firmitate petram indicavit Petrum, qualis petra, & fundamentum nullus esset reliquorum Apostolorum. Nisi enim ita esset, non uni Petro numero singulari, sed omnibus Apostolis dixisset, super eos ab se esse ædificandam Ecclesiam. Quod cum numquam dixerit, voluerit Christus, necesse est, ut Petrus excellenti quadam ratione Ecclesiæ basis, nixumque virtuti, firmitatique summi illius lapidis angularis fundamentum esset.

Qua ex re exsistit & illud, verba, quæ mox sequuntur: *Et tibi dabo claves* (1) *regni cælorum*, in Petrum præstantiore quodam modo, quam in ceteros ejus collegas cadere. Nam etsi dictum Apostolis omnibus fuit: *quæcumque alligaveritis super terram &c.* tam magnifice tamen, tantaque cum emphasi, quanta Christo Petrum solum alloquente dictum non fuit. Gravioribus autem verbis, significantioreque, ut ita dicam, voce prolatis nihil singulare, quod Petro uni competeret, fuisse indicatum, quis credat? Etenim inane (2) quidpiam, atque omni *significatione* vacuum aut dictum, aut actum ab Jesu Servatore fuisse, non modo non cogitare, sed ne suspicari quidem Christiano licet. Inanis autem ea fuisset de Petro oratio, si nihil singulare eidem Petro fuisse tributum ostenderet.

Sed urgent adversarii, atque etiamsi Petrum petram fuisse Ecclesiæ constitutum, concedant, nullum suorum umquam futurum affirmant, qui eum caput, principemque Christianæ reipublicæ creatum putet. Sic autem disputant: qui *petra* dicitur, is firmitatis quidem, constantiæque; non vero *principatus* caussa, petra dicitur. Petrus igitur si *petra* est dictus, *firmitatis, constantiæque* petræ similitudine est, non caussa principatus appellatus petra (3).

 Nos

1 Vide *pag.* 259. *seqq. hujus vol.*

2 Concedit id quidem Casaubonus *ibid. pag.* 260. at *petra* nomine significari firmitatem futuram Petri, dicit, qui Petrus timidus ante, atque infirmus fuisset. Sed quam hoc sit ridiculum, nemo non videt. Ut enim Chrysostomus animadvertit, *Cephas* est a Christo vocatus Petrus, ut significaretur impositione novi nominis fore, ut Petrus petra esset aliquando constituendus, in qua ædificaretur Ecclesia. Quod ipsum ex contextu *cap.* XVI. Evangelii Matthæi constat.

3 Sunt hæ etiam Casaubonianæ ex eadem Exercitatione tricæ, *p.* 267.

Nos vero non quid existimaturi Protestantes sint, sed quid veritas poscat, quærimus. Itaque de re ipsa quid sentiam, explicabo brevi. Eum ergo, qui *petra* sit dictus, similitudine firmitatis, atque constantiæ petram esse dictum, assentior: principatus vero caussa non fuisse appellatum *petram*, nullo modo prorsus assentior. Nam Christus apud Matthæum tam perspicue demonstravit, ab se principem Ecclesiæ, atque visibile caput designatum fuisse eum, quem petram, seu Petrum dixerat, ut opus interpretibus, qui illius explicarent verba, non esset. In ea namque se petra ædificaturum Ecclesiam affirmavit (1). Itaque niti Ecclesiam Petro, uti fundamento, indicarit necesse est. Vox autem petra, & fundamentum, si ad aliquem significandum, cui nitatur respublica, transferatur, quem demum, nisi principem, indicat? Princeps enim in Monarchia est, optimates in Aristocratia, populus denique in Democratia, qui molem sustinent rerum publicarum, harumque *petræ*, ac *fundamenta* appellari possunt, & vero debent. Nam præter hos, quæ alia esse petra, quodve aliud fundamentum queat, non video. Etenim quod leges interdum fundamenta dicantur societatum, non est ad rem. De hominibus enim, qui hoc appellentur nomine, non de legibus agimus. Petro igitur principe (qui post Christum *absolutum Ecclesiæ Monarcham*, molem Ecclesiæ ejusdem sustineat) non hominum quidem consensione, sed beneficio Christi constituto, quid superest, nisi ut ei tributam fuisse confiteamur, tamquam *visibili* capiti, *petræ, ac fundamento*, administrandæ, regendæ, gubernandæque Ecclesiæ potestatem? Quod si principem non esse appellandum Petrum dicant, propterea quod *petra* firmitatem per se ipsa indicet, principatum non indicet; caveant, ne quis aliquando exsistat, qui ne Christum quidem appellandum principem arbitretur, quod *lapis angularis*, quo est interdum a Paulo vocatus nomine, firmitatis esse videatur, non principatus indicium. Quamquam enim Christi longe major, amplior, præstantior est potestas, quam esse dicamus

1 *Cap. XVI. Evang. Matth. v. 18.*

mus poteſtatem Petri ; tamen , ſi vox lapis principem eſſe Chriſtum oſtendit , cur non item Petrum oſtendi principem credam propter appellationem petræ ? Ac ſancti Patres, majoreſque noſtri , & quæ ſunt ubique terrarum fundatæ Eccleſiæ , quum in Evangelio Matthæi legiſſent, in Petro fuiſſe ædificatam a Chriſto rempublicam populi Chriſtiani ; & qui ſenſus Chriſti verborum eſſet , ab Apoſtolis , eorumque ſucceſſoribus intellexiſſent ; in eam ſententiam venerunt , ut omnes Petrum ipſum & principem , & coryphæum (1) , & primum Apoſtolorum , & moderatorem fuiſſe conſtitutum confiterentur . Ac ſi eum numquam appellarunt monarcham , nihiloſecius ita deſcripſerunt , ut re ipſa monarcham eſſe demonſtrarent Eccleſiarum . Quamobrem labitur Caſaubonus turpiter, quique ei aſſentiuntur , vehementer errant ; cum Baronium , ceteroſque orthodoxos vexent omnibus contumeliis , quaſi monarcham vocarint eum , quem monarcham numquam fuiſſe a veteribus appellatum conſtet . Non enim eſt de nomine , ſed de re inter nos , atque Proteſtantes contentio . Rem autem cum teneam , quid nomen monarchæ meum aut ſollicitet animum , aut conturbet ?

At Chriſtus , dicet aliquis , paſtor ſæpe in ſacris litteris, & princeps dicitur, Petrus autem nullo modo . Quamobrem etſi lapis , & princeps Chriſtus , Petrus tamen vocari fortaſſe petra poterit , princeps profecto , ac paſtor non poterit .

Verum paſtorem etiam appellari in ſacris ſcripturis Petrum paullo poſt videro . Ad principem , quod ſpectat ; habere me ex traditione majorum , etiam quod ad nomen pertinet , ajo , id quod habeo de re ipſa ex Scripturis in promtu . Nam Petrum, qui petra ſit dictus, principem fuiſſe deſignatum Eccleſiæ, tam eſt diligenter , perſpicueque , ut arbitror, demonſtratum , ut longiore oratione non egeat .

Alterum eſt argumentum Proteſtantium ex Chriſti verbis ab Johanne in Evangelio deſcriptis concluſum , quibus

1 Conſtabit id quidem magis magiſque ex iis , quæ paullo poſt diſputabo *de titulis honorum Petri* . Satis nunc fuerit conſulere , quæ ſcripſi *pagin.* 133. *ſeqq.* *pagin.* 163. *ſeqq.* *pag.* 182. *ſeqq.*

quidem verbis plerique Orthodoxi uti solent, ut Petro datam fuisse divinitus efficiant pascendarum ovium, hoc est gubernandorum, regendorumque Christianorum cœtuum potestatem. Disputant autem Protestantes (1) hoc modo. Quod tributum ceteris Apostolis, discipulisque a Christo est, id certe peculiare Petro non fuit. Tributam autem Apostolis ceteris a Christo pascendarum ovium potestatem fuisse constat. Non ergo data ei peculiaris pascendarum ovium potestas fuit. Neq; vero ceteris quidem aliquarum ovium, Petro autem peculiaris credita est omnium pascendarum cura. Nam si omnium credita cura Petro fuisset, reliqui e numero pastorum excluderentur; quod fieri omnino non potest. Sin aliquarum, nihil sane singulare, atque excellens potestas pascendarum ovium indicari, necesse est, cum data perinde reliquis fuerit. Quid? si Patres cum dictum Petro est: *Pasce oves meas*, ceteris una simul fuisse id munus a Christo datum affirment? Quod si ita est; jam non unum Petrum, sed ceteros etiam Apostolos, discipulosque Christi, eadem ratione fuisse constitutos pastores Ecclesiæ confitendum erit. Leve autem esse defendunt, quod (2) Leo-

1 Casaubonus *exercit.* XVI. *in Baron. num.* CXXXI. *seqq. pag.* 705. *seqq. edit. Londin. an.* 1614. Johannes Gerardus *lib.* I. *Confess. Cathol. fides par.* II. *cap.* III. *arg.* 3. *&* *lib.* III. *art.* III. *cap.* II. *pag.* 445. *tom.* II. *edit. Jenens. an.* 1660. Mitto ceteros, quorum vix numerus iniri potest. De re eadem ita disputat Duplnius *Diss.* IV. *de Antiq. Eccles. Discipl. cap.* 1. *pag.* 310. *seq. edit. Paris. ann.* 1686. ut mirer hominem, qui Catholicus videri vellet, tam imperite, tamque temere scribere potuisse. Multa item turbat Launojus *Epist.* VIII. *ad Raymundum Formentinum p.* 130. *seqq. tom.* V. *opp. P.* II. *edit. Col. Allobr. an.* 1731.

2 S. Leo *serm.* III. *de Assumt. ad Pontificatum pag.* 8. *seqq. edit. Rom. Cacciari*: ubi de Petro disserens: „ tam copiosis, *inquit*, est irrigationibus inundatus, ut cum multa solus „ acceperit, nihil in quemquam sine illius participatione transierit . . . De toto mundo „ unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cun- „ ctisque Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique „ pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus . . . „ Primus est in Domini confessione, qui primus erat in Apostolica dignitate „. Post ubi de loco: *tu es Petrus* &c. disputavit, tum „ Instante, *inquit*, passione sua Dominus, quæ „ discipulorum erat turbatura constantiam, Simoni, inquit, *Simon ecce Satanas expostu-* „ *lavit vos, ut cerneret, sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fi-* „ *des tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* . . . specialis a Domino Petri „ cura suscipitur, & pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit „ futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & „ divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, „ per Petrum Apostolis conferatur . . . Tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ „ principem fecit, . . . cui dictum est: *Et tu conversus confirma fratres tuos*; & cui post „ resurrectionem suam Dominus ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione „ dixit: *pasce oves meas*.

Leonis magni, Gregorii item Magni (1), Johannis Chryſoſtomi (2), nonnullorumque aliorum Patrum teſtimoniis efficere conamur, fuiſſe totius mundi paſtorem Petrum. Cum enim juſſi Apoſtoli fuiſſent, ut orbem univerſum, enunciandi, propagandique Evangelii cauſſa, peragrarent, omneſque paſcendarum omnium ovium adepti poteſtatem eſſent, omnes totius mundi paſtores fuerint neceſſe eſt, nihil ut in hoc genere ſingulare conceſſum fuiſſe Petro videatur. Quare Johannes Chryſoſtomus in ſeptima, quæ eſt de Pauli (3) laudibus, Homilia Paulum totius orbis ducem, atque Epiſcopum appellavit.

Nos autem etſi concedamus, tributam item Apoſtolis ceteris fuiſſe paſcendarum ovium poteſtatem; nihil tamen ſingulare, atque excellens fuiſſe tributum Petro, cum dictum ei: *Paſce oves meas*, fuiſſet a Chriſto, id vero eſt, quod nullo modo eſſe concedendum defendimus. Sed eſt nobis, antequam ad rem demonſtrandam aggrediamur, diligenter conſiderandus idem ille Evangelii Johannis locus. Principio Johannes plures Chriſti diſcipulos ad littus conveniſſe ſcribit. *Erant*, inquit, *Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael . . . & filii Zebedæi* (4), *& alii ex diſcipulis ejus duo*. Hos deinde navim cum Petro una conſcendiſſe, cumque noctem piſcantes fruſtra contriviſſent, mane ad littus ſtantem conſpexiſſe Jeſum, qui ut in dexteram navigii rete mitterent, hortaretur. Eos, quod juſſi fuerant, feciſſe, maximamque piſcium copiam cepiſſe. Poſt Johannem, qui magiſtrum cognorat, dixiſſe Petro: *Dominus eſt*. Itaque appulſa ad littus navi, deſcendiſſe omnes, cumque una manducaſſent, interrogatum fuiſſe a Chriſto Petrum, hoc modo: *Simon Iohannis diligis me plus his?* Addit inde Johannes: *Dicit ei: etiam Domine, tu ſcis,*

1 *Lib.* VII. *Epiſt.* XXXX. *pag.* 887. *tom.* II. *opp. edit. Monachor. Congreg. S. Mauri Pariſ. ann.* 1705.

2 *Homil.* LXXXVIII. *in Johann. num.* I. *p.* 525. *tom.* VIII. *edit. Pariſ. an.* 1728. *& Homil.* VI. *De S. Philogonio num.* II. *pag.* 496. *tom.* I. *opp. edit. ejuſdem &c.*

3 *Num.* I. *pag.* 512. *tom.* II. *opp. edit. ejuſd.*

4 Johann. *cap.* XXI. *Evang. v.* 2. *ſeqq.*

ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Iohannis diligis me? Ait illi: etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei: paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Iohannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? Et dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: paſce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte clarificaturus eſſet Deum. Itaque etſi multi Apoſtoli, imprimiſque Jacobus, & Johannes aderant, tamen uni Petro dictum eſt: *Paſce agnos meos, & paſce oves meas*. Si autem æqua omnibus fuiſſet tributa paſcendarum ovium auctoritas, nullum ut eſſet inter eos, Petrumque diſcrimen; cur uni id Petro dictum fuiſſet? Cum igitur huic ſemel, atque iterum agni, tertio vero oves creditæ a magiſtro fuerint, nulla eorum poteſtatis, qui aderant, mentione facta; argumento eſt, ſingulare quidpiam fuiſſe tributum Petro, quod in collegarum competeret omnino neminem. Illud etiam accedit, quod ut apud Matthæum, cum unus Petrus interroganti Chriſto, quem ſe homines eſſe dicerent? reſpondiſſet: *tu es Chriſtus Filius* (1) *Dei vivi*, ob præclaram illam confeſſionem petra fuit Eccleſiæ deſignatus, claveſque accepit regni cælorum; ita apud Johannem, rogatus ab ipſo Chriſto iterum, ac tertio, num ipſum plus Apoſtolis, qui tum aderant, diligeret, atque amaret, cum nihil hæſitans ab ſe illum diligi dixiſſet, amoris, dilectioniſque præmium obtinuit, hoc eſt paſcendorum agnorum, atque ovium poteſtatem. Niſi enim ad majorem illam caritatem majore præmio augendam reſpexiſſet Chriſtus, cur demum quæſiſſet a Petro, pluſne iis, qui aderant, Apoſtolis, diſcipuliſque diligeretur? Si autem majus eſt præmium conſequutus Petrus, quod quidem præmium in poteſtate conſiſteret paſcendi gregem, ampliore certe, quam ceteri, potitus in eo genere poteſtate fuit. Neque vero Caſauboni alio-

1 Matth. *cap.* XVI. *v.* 16. *ſeqq.*

(1), aliorumque Protestantium conquestionibus, contumeliisque movemur, qui nos insectantur, ac mordent, ac si non gratia, beneficioque Christi, sed virtute propria Petrum ad eum dignitatis gradum pervenisse putemus. Gratia namque Dei id fuisse Petrum, quod erat, nihilque impedire, dicimus, quin præmio virtus, quam homo sibi divino auxilio pararit, afficiatur (2). Quod si quis ex me percuntetur, quid

1 Isaacus Casaubonus *exercitat.* xv. *in Baron. num.* xii. *pag.* 254. *edit. ejusd.* nullam olim de pari dignitate Apostolorum contentionem fuisse scribit. Quod verum est, si de dignitate Apostolatus sermo sit. Si autem de principatu, deque auctoritate regendæ reipublicæ populi Christiani, fateor etiam contentionem fuisse nullam, cum omnes principem esse Petrum constituissent, nullique extitissent Lutheri, Calvinique, qui de eo dignitatis gradu tantum esse Apostolum dejiciendum contenderent. Addit, auctore Baronio, merito confessionis fuisse Andreæ antelatum Petrum. Id scriptores quosdam antiquos tradere, in iisque esse Clementem *epist.* 1. *ad Jacob. fratrem Domini*. Sed hanc epistolam tam esse a Clemente scriptam, quam esse scripta potuit ab Cicerone. Jam hoc sciebam. Verum quid inde efficere Casaubonus possit, non video. An ergo Baronius, qui Epistolæ auctorem, qui ante Rufini tempora scripserat, neque quidquam de Petri principatu statuerat, quod Ecclesiæ patribus displicuerit, sequutus, cum merito fidei fuisse prælatum Apostolis dicit, novum aliquid dicit, quod ferendum non videatur? Sunt autem Pseudo-Clementis in ea *Epistola num.* 1. *pag.* 3. *Append. tom.* 1. *collect. epistol. Rom. Pontif. edit. Constantii* verba hujusmodi: „ Notum tibi sit, domine mi, quod Simon ὁ διὰ τὴν ἀληθῆ πίστιν, καὶ τὴν ἀσφαλε„στάτην αὐτοῦ τῆς διδασκαλίας ὑπόθεσιν, τῆς ἐκκλησίας θεμέλιος εἶναι ὁρισθεὶς, καὶ „ δι᾽ αὐτὸ τοῦτο ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Ἰησοῦ ἀψευδεῖ στόματι μετονομασθεὶς Πέτρος &c. *qui „ propter veram fidem, & maxime infallibilem doctrinæ suæ basim definitus est fundamen„ tum esse Ecclesiæ, & propter hoc idem ab ipso Jesu non fallaci ore transnominatus est Petrus &c.* Fateri tamen sese Casaubonus adjungit, horum similia quibusdam a Patribus esse dicta. Nominat autem imprimis Epiphanium, cujus ut a nobis supra *pag.* 96. *not.* 2. *hujus vol.* descriptus locus. Idem non sumit de Apostolis cetetis ab Hilario in vi. *de Trinitate libro edit. Monach. Congr. S. Mauri num.* xx. xxxiii. & xxxvi. *seqq.* Quamquam discrepans est ratio, qua Hilarius ibidem cum de Petro, deque Apostolis loquitur, ut solet, agit. „ Hæc doctrina, *inquit*, Casaubonus, si ut verba sonant, simpliciter accipiatur, cum „ doctrina Jesu, & Apostolorum ejus, quæ omnia tribuit gratiæ, non personarum propriis „ meritis, manifesto pugnant„. Mirum quod hic Patres, quemadmodum esset Christianorum more loquendum, non doceat. Sed hos accusatos nolet. Quid? Baronium, qui certe Pauli, Augustinique doctrinam de Gratia strenue defendit, accusandum ne putat? Ita sane. „ Non dubito, *inquit*, Petrum (numquam) cum Baronio … dicturum … merito meo „ sum Apostolus, & Apostolorum Coryphæus„. O impudenter impudens! Usquamne Baronius Petrum sua propria virtute, non gratia, quæ libertatem non tolleret, Dei permotum, inductumque, confessum fuisse Christi divinitatem, meruisseque principatum, dixit? Quæ ista temeritas, atque audacia est, quæ recte disputata, explicata, constituta sunt, calumniando velle pervertere?

2 Paulus *Epist. ad Corinth.* 1. *cap.* xv. *v.* 10. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi* (dixisset Petrus *confessus sum*) *non ego autem, sed gratia Dei mecum*. At revelatum fuit, quod confessus est, Petro, idque jam adnotavit Chrysostomus. Quasi vero opus Chrysostomo esset, cum id fuerit perspicue dictum a Christo. Verum etsi id revelatum a Patre Simoni, non tamen dicendum est, cum, dum est confessus, nihil meruisse gratia Dei adjutum, permotumque, ut confiteretur

quid inter Petrum, ceterosque Apostolos interesse arbitrer; is sic habeat. Ceteris, quod gregis cura credita fuerit, ovium; Petro autem, quod & ovium, & agnorum cura commissa fuerit, dirigendorum pastorum, & Christianorum (1) pascendorum fuisse potestatem datam. Hoc Patribus(2), quos auctores in sacris Bibliis explicandis vehementer sequimur, placuit. Ac si Patres quidam alia sunt ratione Johannis locum interpretati (3), non sequitur, aut falsam esse, qua sunt usi ceteri, interpretationem, aut eos, qui accommodatitium, quem vocant, aliquando sensum sequuti sunt, neglexisse litteralem. Id enim nisi ita esset, nullum fere locum in sacris Bibliis, quo dogma religionis aliquod confirmare liceat, haberemus, cum eos, quos uno modo quidam interpretati sunt, fuisse locos diversa ratione ab aliis explicatos constet. Litteralem autem illius loci sensum talem esse omnino, qualem diximus, cum ex Patrum commentariis, tum ex ipsa serie verborum Christi, quæ protulimus, plane liquet. Nego autem, excludi ceteros Apostolos e pastorum numero debuisse, si uni Petro commissa gregis universi, pastorumque ipsorum cura fuisset. Nam cum sit Christus totius gregis pastor, & pastorum princeps, nec efficiat,

retur Christum. Confer supra *pag.* 134 *n.* 1. Eusebii, *&* *pag.* 135. *not.* 1. Hilarii, *&* *pag.* 136. *n.* 2. Gregorii Nazianzeni, *& ibid.* Basilii, *&* *pag.* 137. *n.* 2. Epiphanii testimonia &c. Sed missa hæc faciam, quæ ad rem profecto non pertinent.

1 Vide *Joh. locum cap.* xxi. *v.* 15. *seqq.* Confer s. Leonis testimonium modo descriptum. Eadem fere habet Ambrosius. Vide *pag.* 136. *not.* 1.

2 Johannes Chrysostomus *Homil.* lxxxviii. *al.* lxxxvii. *In Joh. pag.* 525. *tom.* viii. *edit. Paris.* „ Eximius, *inquit*, erat inter Apostolos, discipulorum, & cœtus illius vertex. „ Ideo Paulus præ aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, „ quasi abolita negatione ἐγχειρίζεται τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν *fratrum ei præfecturam committit* ... *Cum Petro orbis terrarum curam demandasset &c.* Origenes *in c.* vi. *Epist. ad Rom. tom.* iii. *pag.* 139. „ Cum Petro summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & super ipsum veluti super petram fundaretur Ecclesia. Eadem fere habet Gregorius Magnus *lib.* iv. *epist.* xxxii. *tom.* ii. *opp. edit. Paris. pag.* 608. & Bernardus *t.* i. *edit. Mabilloniana pag.* 422. Mitto ceteros ne longior sim, quam oporteat. Consule Baronium *ad ann.* xxxiv. *num.* cciii. *seqq.* & Scheffmacherum S. I. Theologum *Lettres d' un Docteur Catholique à un Gentil-homme Protestant. pag.* 180. *seqq. tom.* i. *edit. Argent. in. ann.* 1730.

3 Casaubonus *exercit.* xvi. *num.* cxxxii. *seqq. pag.* 705. nonnullos Patres numerat, qui aliorsum, atque nos diximus, Christi verba accepisse videantur. Id nos negandum non arbitramur. Satis enim est, ut illi neque discrepare ab Evangelii sensu interpretationem nostram, neque principatum Petri negandum statuerint. Confer Scheffmacherum *ibidem* *pag.* 176.

ficiat(1), ut Apostoli e pastorum numero excludantur, quid obstat, quo minus *Vicarium* suum Petrum constituere potuerit, qui pastores, atque oves moderaretur, non ademta ceteris Apostolis pastorum & appellatione, & potestate? Ac vereor equidem, ne si hoc argumenti genus valeat, Apostoli & lux (2) esse, & Episcopi, & Apostoli quoque desinere videantur, propterea quod & lucem(3) se Christus vocaverit, & Episcopus fuerit, atque Apostolus in sacris litteris appellatus. Est præterea illud etiam, atque etiam animadvertendum, Christum, qui oves suas Petro crediderit, ovile suum eidem credidisse Petro. Ovile autem Christi fuisse ex omnibus, qui ei sese addixerant, quique deinceps debebant addicere, constitutum. Habere se namque oves, dixerat, quæ non erant ex eo ovili (4), oportereque eas adducere, ut unus pastor, unumque ovile esset. Jam vero illos, qui tum aderant, cum Christus Petro pascendarum ovium potestatem dedit, quoniam Christum sequebantur, ab eoque instituti erant, oves fuisse Christi. Petrum igitur, qui ovium pastor loco Christi creatus fuerit, fuisse item creatum ovium, quæ aderant, hoc est collegarum, moderatorem. Atque hoc illud est, quo Christus spectabat, cum Petrum ipsum alloquens diceret: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (5). De Patribus, imprimisque de Chrysostomo (6), cujus testimonio

1 Joh. *Evang. cap.* x. *v.* 14. *Ego sum pastor bonus*. *Epist. ad Hebr. cap.* XIII. *v.* 20. Christus vocatur *magnus pastor ovium*. Et 1. *Petri cap.* II. *v.* 25. sic habetur: *conversi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*. Et *cap.* v. *v.* 4. *Cum apparuerit princeps pastorum &c.*

2 *Cap.* v. *Evang. Matth. v.* 14. *Vos estis lux mundi*.

3 *Joh. cap.* VIII. *v.* 12. Confer modo descripta Pauli, & Petri testimonia.

4 *Joh. cap.* x. *v.* 16.

5 *Luca cap.* XXII. *v.* 32.

6 S. Leo *Epist.* LXXXVIII. *ad Episcopos per Viennensem Provinciam constitutos p.*160. *seqq. edit. opp. Veneta an.* 1741. „ Hujus muneris sacramentum, *inquit*, ita Dominus ad „ omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum om- „ nium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut „ in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus „ fuisset a Petri soliditate discedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assum- „ ptum id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus &c.* ut æterni tem- „ pli ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam „ suam

monio de Paulo adversarii abutuntur, hoc breve dico: demonstratum a me cum alias sæpe, tum paullo ante fuisse, quæ fuerit eorum de principatu in Ecclesia Petri, quamque concors sententia. Quod si Paulum interdum totius orbis ducem, ac principem appellarunt, non tam late illius auctoritatem, potestatemque patuisse dixerunt, quam patere auctoritatem, potestatemque Petri arbitrarentur. Id cum alio loco ostensum (1) fuerit, non est, cur novis argumentis confirmandum videatur. Atque de Johannis loco satis disputatum est.

Sed negant, eum, qui pastor dictus a Christo fuerit, esse Ecclesiæ monarcham posse.

Quasi vero *pascere gregem*, *pastoremque* esse idem in sacris Bibliis non sit plerumque, ac moderari, gerere, administrareque rempublicam. Quum enim populus Israelis in Hebron convenisset, Davidemque pastorem suum fore dixisset (2), quid demum voluit, nisi ut is ad gubernacula accederet civitatis, in eaque cum potestate, atque imperio versaretur? Isaias autem, qui Cyrum pastorem Israelitarum fore prædixit (3), an Cyrum putavit non regem, sed doctorem

„ suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ „ contra illam inferi prævalerent „. Inde post pauca: Cum Petro, *inquit* „ præ ceteris solvendi, & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialius „ demandata est „. Confer ejusdem locum paullo ante descriptum. Bonifacius I. *epist.* v. ad Rufum Thessalonicensem *tom.* 1. *collect. epist. Romanor. Pontif. edit. Coustantii* n. 1. *pag.* 1021. *seq.* „ Beatissimus Petrus Apostolus ... pastor dominicarum ovium est perpetuus „ constitutus ... in quo universalis Ecclesiæ positum legimus fundamentum „. Consule s. Zenonem Veronensem *lib.* 1. *tract.* XIII. *pag.* 99. *num.* VIII. *& pag.* 179. *num.* II. *lib.* II. *tract.* XXII. *edit. Veron. an.* 1739. & Cyrillum Alexandrinum *lib.* XII. *in Iohan. pag.* 1118. *seqq. tom.* IV. *opp. edit. Paris. an.* 1637. Hinc Eusebius *lib.* II. *Histor. Eccles. cap.* XIV. *pag.* 58. *edit. Taurin. Petrum* τῶν λοιπῶν (Ἀποστόλων) ἁπάντων προήγορον *reliquorum Apostolorum prædicatorem, institutoremve* vocat. S. Thomas Aquinas, quem aliqui ad suas pertrahere conantur per summam injuriam partes, *in* IV. *sentent. dist.* XXIV. *quæst.* III. *art.* II. *quæstiunc.* III. *ad* 1. *Arg.* „ Quamvis, *inquit*, omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi, tamen ut in hac potestate aliquis ordo significaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur, quod ab eo in alios debet ista potestas „ descendere „. Confer alterum illius, quem ex quarto contra gentes descripsi, locum *pag.* 277. *hujus vol. not.* 8.

1 Confer *pag.* 82. *hujus volum. n.* 1. *& pag.* 80. *n.* 1. *seqq.*

2 *Lib.* II. *Reg. cap.* V. *v.* 1. *seqq.* „ Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. Sed & heri, „ & nudius tertius cum esset Saul Rex super nos, tu eras educens, & reducens Israel. Dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel &c.

3 *Cap.* XLIV. *v.* 28.

ctorem futurum? Sexcenta sunt ejusmodi in sacris litteris (1), quæ libens, ne longus sim, prætermitto.

Tertium est argumentum adversariorum ex variis sacrorum Bibliorum locis ductum, hoc modo. Quum Christus Apostolis potestatem ligandi, solvendique dedit, non addidit, eorum ab se monarcham fuisse constitutum Petrum. Addidisset autem, si constitutus ab eo Petrus monarcha fuisset. Constitutus igitur monarcha Apostolorum a Christo Petrus non fuit. Rursus, etsi est orta interdum inter Apostolos de principatu contentio, numquam tamen Christus eum se Petro commendasse dixit. Id vero dixisset, si Ecclesiæ monarcham designasset Petrum. Non ergo Petrum Ecclesiæ monarcham, ac principem designaverat. Post, qui monarcham Ecclesiæ se ipsum arbitratur esse, is numquam se aliorum *συμπρεσβύτερον* (2) *compresbyterum* appellabit. Appellavit autem sese *συμπρεσβύτερον* aliorum Petrus. Non igitur se monarcham Ecclesiæ esse putaverat. Inde, qui monarcha est Ecclesiæ, is non eget auctoritate aliorum, neque ad Prophetas provocat sua dicta confirmaturus. Eguit vero Petrus aliorum auctoritate, atque ad Prophetas suam confirmaturus (3) sententiam provocavit. Non ergo fuit monarcha Ecclesiæ. Præterea, si ea tanta dignitate, ac potestate præstitisset Petrus, functus eadem aliquando fuisset. Id vero numquam fecit. Non ergo instructus potestate, auctoritateque monarchica in Republica Christianorum fuit. Non fuisse autem functum ea potestate Petrum, tam est manifestum, ut potius id ab eo fuisse perpetratum interdum constet, quod principatum, quem orthodoxi illi tributum vellent, everteret. Nam mitti se una cum Johanne ad Samaritas Spiritus Sancti conferendi incolis, qui ad Christum accessissent, caussa, passus est, ut e capite octavo Actorum Apostolico-

1 Ezechiel. *cap.* XXXIV. *v.* 23. „ Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, „ servum meum David. Ipse pascat eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & servus meus David princeps in medio eorum &c. „ Multa in eamdem sententiam collegit Mauchlerus *de Monarch. Eccl. part.* II. *lib.* II. *cap.* II. *pag.* 275. *edit. Paris. an.* 1722.

2 *Epist.* 1. *cap.* V. *v.* 1.

3 *Epist.* 2. *cap.* II. *v.* 6.

rum (1) constat; & Judæis, qui graviter conquesti essent, propterea quod Cornelium Centurionem, aliosque ethnicos ad sacra admisisset Christianorum, sese ultro purgavit (2), & quum orta de ceremoniis, ritibusque Mosaicæ legis altercatio esset, nihil ipse per se decidendum, constituendumque, sine consensione, suffragiisque aliorum, censuit (3); & reprehendi se ob simulationem a Paulo æquo animo passus est (4); & dominari quemquam in cleris noluit (5), & Paulo sese æquari non indigne tulit (6). Quid? si cum exorta de ceremoniis legis esset quæstio, non ad Petrum Antiocheni, sed ad omnes Apostolos appellaverint (7)? Atque Apostolos quidem omnes eadem ratione fuisse liquet a Christo, non a Petro, evangelium propagatum missos (8). Quin etiam Paulus plantatas a Christi discipulis, rigatasque Ecclesias, hoc est pari ab omnibus jure, auctoritateque fundatas fuisse, scribit (9). Jam vero non solus Petrus, sed Jacobus etiam, atque Johannes columnæ appellantur a Paulo (10), qui priore certe loco non Petrum, sed Jacobum nominat (11). Quod si Petrus monarcha Ecclesiæ fuisset, ei se Paulus, ceterique Christi discipuli subdidissent, non dexteras tantum dedissent societatis (12), quod est manifestum æqualitatis indicium. Age vero si Petrus principatum in Ecclesia obtinuisset, pactum ne ullum cum Paulo iniisset, ut hic deinceps ethnicis, ille judæis evangelium nunciaret? Adimi ne sibi, aut coarctari tulisset amplissimam, quam ipsi Christus tradidisset, potestatem (13)? Deinde qui tan-

1 *V.* 3.
2 *Act.* xi. *v.* 3.
3 *Act.* xv. *v.* 5.
4 *Gal.* ii. *v.* 14.
5 *Epist.* 1. *Petri cap.* v. *v.* 3.
6 *Act.* xv. *v.* 6. *Convenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc.*
7 *Ibid. v.* 5. *seqq.*
8 Matth. *cap.* xxviii. *v.* 19. Marci *cap.* xvi. *v.* 15. Lucæ *cap.* xxiv. *v.* 47. *seqq.* & *Ad Galat.* i. *v.* 1.
9 1. *ad Corinth.* iii. *v.* 6. *seqq.*
10 *Ad Galat. cap.* ii. *v.* 9.
11 *Ibid.*
12 *Ad Galatas cap.* ii. *v.* 9.
13 *Ibid.*

tandem is fuit principatus, ſi Paulus, antequam Petrum vidiſſet, dogmata Chriſti ita docere judæos (1), græcoſque cœpit, nihil ut ſibi fuiſſe a quoquam Apoſtolorum collatum (2), ſeque nulla re illis eſſe inferiorem (3), immo vero ſumma ſe omnium Eccleſiarum ſollicitudine teneri (4) diceret? Rurſus, ſi œcumenicus princeps Eccleſiæ fuiſſet Petrus, iine, qui Corinthi agebant, Chriſtiani, Petri ſe eſſe negare potuiſſent? Id vero negare, Paulo teſte (5), poterant, & vero debebant. Non igitur Petrus œcumenicus Eccleſiæ princeps fuit. Ad hæc, ſi Petro data præcipua, atque monarchica poteſtas fuiſſet, per ſe ipſe Matthiam, non communicato cum collegis conſilio, Apoſtolum elegiſſet. Elegit autem communicato cum Apoſtolis conſilio (6). Non ergo præcipua eſt illi, ſeu monarchica in Eccleſia poteſtas data. Quod ipſum eſt de ſuſcepto conſtituendorum Diaconorum conſilio dicendum (7). Quid? ſi Paulus, & Barnabas, non impetrata a Petro facultate, *per ſingulas Eccleſias Presbyteros conſtituerunt* (8)? Idemque Paulus Cretenſibus Titum præfecit (9)? Ipſique *conſtituendi per civitates Presbyteros* (10) poteſtatem dedit? Hoccine ille auſus fuiſſet, ſi Petrum eſſe œcumenicum Eccleſiæ paſtorem, atque monarcham exiſtimaſſet?

Ego contra, Apoſtolis parem Apoſtolatus poteſtatem fuiſſe a Chriſto tributam, concedo; parem autem regendæ, paſcendæque Eccleſiæ poteſtatem, Epiſcopatuſque dignitatem fuiſſe tributam, non item. Id vero cum demonſtratum alio loco a me fuerit (11), nunc omittatur. Quod autem adverſa-

1 *Cap. 1. epiſt. ad Galat. v. 1. ſeqq.*
2 *Ibidem cap. 11. v. 6.*
3 *II ad Cor. cap. XI. v. 5. & cap. XII. v. 11.*
4 *Ibidem cap. XI. v. 28.*
5 *1. Ad Corinth. cap. 1. v. 12.*
6 *Actor. 1. v. 23.*
7 *Act. VI. v. 5.*
8 *Actor. XIV. v. 22.*
9 *Ad Tit. cap. 1. v. 5. cap. III. v ult.*
10 *Ad Tit. cap. 1. v. 5.*
11 *Pag. 172. ſeq. hujus volum.* Confer locum s. Leonis ſupra deſcriptum *pag. 320. hujus vol.* & præter Iohannem Cardinalem a Turrecremata *lib. II. de Eccleſ. cap. XXXVIII. ſeqq. & cap.*

versarii addunt, numquam fuisse a Christo Apostolorum caput, ac principem constitutum Petrum, id equidem vehementer nego. Sunt enim Scripturarum loca, quæ superioribus argumentis expendimus, tam clara in hoc quæstionis genere, tamque perspicua, ut involvi, obscurarique nulla ratione possint. Falsum etiam illud est, quod ajunt, nusquam a Christo vel vocula indicatum Apostolis fuisse, ab se *primatum* esse attributum Petro. Ex sexto enim ac decimo Matthæi (1), & ex postremo Johannis evangelii capite, ut cetera prætermittam, intelligitur, fuisse Petro a Christo datam & tenendarum clavium, & regendæ Ecclesiæ, & pascendarum ovium potestatem. Hæc vero potestas, nisi principatu, qua demum poterit alia re ulla consistere?

At quemadmodum orta inter Apostolos esset de principatu contentio, si Christus principem collegii dixisset Petrum? aut

& cap. xiv. Cajetanum *opusc. de Primatu Rom. Eccl.* Eckium *de Primatu Petri*, Pighium *lib.* iii. *&* iv. *de Eccl. Hierarch.*; Mauclerum *par.* ii. *Monarch. Eccles. lib.* i. *cap.* ix. *pagin.* 306. *seqq.* aliosque. Ita enim Petro comparatos Apostolos ceteros Apostolatus ratione fuisse puto, ut est eidem Petro comparatus Cyprianus martyrii caussa ab Augustino. *Lib. enim* ii. *contra Donatistas cap.* i. *pag.* 64. *tom.* ix. *opp. edit. Antuerp. ann.* 1700. „ Non me terret auctoritas Cypriani, *inquit*, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum „ quidem meritum novimus Cypriani Episcopi, & Martyris; sed numquid majus, quam Pe„ tri Apostoli, & Martyris? de quo idem Cyprianus in Epistola ad Quintum ita loquitur: „ *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam* (vide ut Augustinus Cypriani sententiam probet, ajencis super Petrum ædificatam esse Ecclesiam?) *cum secum Paulus de circumcisione postmodum disputaret, vindicavit sibi* „ *aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret, se primatum tenere, & ob-* „ *temperari a novellis, & posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum, quod Ec-* „ *clesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ,* „ *quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis & concordiæ,* „ *& patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a fra-* „ *tribus, & collegis nostris salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa po-* „ *tius nostra ducamus.* Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in scripturis sacris didicimus, Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum (*En ut Augustinus agnitum ea in epistola a Cypriano Primatum Petri confiteatur quemadmodum nos supra diximus pag.* 72. *seq. hujus vol. not.* 1.) tam EXCELLENTI GRATIA PRÆEMINET, „ aliter, quam veritas postulabat, de circumcisione agere solitum a posteriore Apostolo Pau„ lo esse correctum... puto, quod sine ulla contumelia Cyprianus Episcopus Petro Apo„ stolo comparatur, quantum attinet ad martyrii coronam. Ceterum magis vereri debeo, „ ne in Petrum contumeliosus exsistam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum „ cuilibet Episcopatui præferendum? Sed etsi distat cathedrarum gratia, una est tamen „ Martyrum gloria &c. „. Hæc ego descripsi non solum, ut quo pares Petro dici possent Apostoli modo; sed etiam, ut quæ fuerit Augustini, quem adversarii sibi esse subsidio putant, de principatu Petri sententia demonstrarem.

1 Vide supra *pag.* 132. *seqq. hujus volum. pag.* 201. *seq. pag.* 282. *seqq. & p.* 302. *seqq.*

aut cur tollendæ contentionis caussa, principatum ab se Christus ad Petrum fuisse delatum non dixisset?

Respondere priore quidem loco possem, idcirco contendisse Apostolos, quod Petrum sibi esse a Christo præpositum animadvertissent. Hoc autem supra est Origenis observationibus (1) demonstratum. Deinde etiamsi non intellexissent Apostoli, quæ dicta tunc de Petri principatu, tam clare, tam dilucide, tam explicate, tam multis denique verbis a Christo fuerant, an eorum idcirco non fuit Petrus constitutus a Christo princeps? Id si adversarii concedi sibi velint, concedant item necesse est, nihil fuisse a Christo, antequam resurrexisset, de suo reditu ad vitam prædictum; propterea quod scriptum ab Johanne in evangelio de Apostolis fuerit (2): *nondum sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*. Neque vero negavit Christus, aliquem ab se fuisse dictum principem illorum, cum est inter eos orta de principatu contentio. Immo esse eorum aliquem primum, atque hunc non regio supercilio, sed ut ministrum, in Ecclesia versari oportere, statuit (3). Etenim manebat, quod ante dixerat, Petrum esse petram, super quam suam esset ædificaturus Ecclesiam. Id quod deinde, postquam ex mortuis resurrexit, confirmavit, aperteque docuit, Petrum ab se, loco sui, pastorem esse suarum ovium constitutum. Quod si quis roget, cur non palam, cum inter se Apostoli de principatu altercarentur, affirmarit, traditam ab se Petro regendæ Ecclesiæ potestatem esse, is caveat, ne Christo adimat divinitatem. Nam cum Christus dixisset: *Ego, & Pater unum sumus* (4), eamque ob rem Judæorum in se iram concitavisset, addidissetque: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis* (5): atque illi respondissent (6): *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum*; cur non

1 *Pag.* 134. n. 1.
2 *Cap.* xx. *v.* 9.
3 Confer Matth. *cap.* xviii. *v.* 1. & Lucæ *cap.* xxii. *v.* 24.
4 Joh. *cap.* x. *v.* 30.
5 *Ibid.* 1. *v.* 32.
6 *Ibid.* *v.* 33.

non explicate, palamque dixit, se Deum esse, eadem natura, qua Pater est Deus, sed exemplum attulit Prophetarum, qui in scripturis interdum appellantur dii (1)? Quod si dicant adversarii, id quod debent omnino dicere, actum a Christo oeconomia quadam fuisse; at non negatum, seipsum esse Deum; extare vero disertissima sacrarum scripturarum loca, quibus Christi divinitas demonstretur: sciant nos eodem modo de Petro dicturos, actum œconomice, neque negatum a Christo fuisse, cum orta est de principatu contentio, Petrum esse principem Apostolorum, extareque disertissima sacrarum scripturarum, quibus idem Petri principatus demonstretur, quæque nos supra descripsimus diligenter, loca.

Non me movet, quod scribunt, gloriatum numquam fuisse Petrum, se *vel potestatem dominii*, *vel dominium fidei in reliquos Apostolos*, *omnesque Christianos* (2) accepisse. Meminerat enim summus ille Apostolus eorum, quæ a Christo præscripta de *humilitate* (3) fuerant, cumque gloriam, fastum, superbiam longe a quoque nostrum abesse oportere intelligeret, insolenter gloriari non potuerat de dominatu. Etsi vero incredibili modestia animi Petrus erat, tamen cum tempus hortaretur, resque ipsa posceret, quæ sibi fuisset dignitas, atque potestas a Christo tributa, demonstrabat. Ergo & quoties statuendum quidquam grave in Ecclesia fuit, quamquam ceteri Apostoli adessent, tamen Petrus, sublata, quæ orta esset, disceptatione, primus omnium, quid facto esse opus judicaret, nemine repugnante (4), proponere; & ceteris tacentibus, contra hostes nominis Christiani, sui, collegarum, veræque doctrinæ defensionem (5) susci-

1 *Ibid. v. 34.* Respondit eis Iesus: „ Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi „ dii estis? Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est; & non potest solvi scriptura. „ Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemat, quia dixi, filius „ Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, etsi mihi non „ vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & „ ego in Patre „. At his tot verbis, si adversariorum ratio valeret, nihil opus fuisset. Satis enim fuerat aperte dicere: *sum Deus eadem natura, qua Pater est Deus*.

2 Iohannes Gerardus *ibidem pag.* 426.

3 Confer quæ scripsi *p.* 143. *seq. tom.* IV. *hujusce operis*. *Et Clem. I. ep.* 1. *ad Cor. p.* 17.

4 *Actor. cap.* 1. *v.* 15. *seq* & *cap.* XV. *v.* 17. *seqq.*

5 *Act. c.* II. *v.* 14. & *c.* IV. *v.* 8. *seqq.* & *cap.* V. *v.* 29. *seqq.* & *cap.* VIII. *v.* 19. *seqq.*

ſuſcipere; & unus pro omnibus, cum omnes eſſent interrogati, reſpondere, ſententiamque dicere (1); & cum prodigium ab ipſo, ſociiſque aliquod patrandum eſſet, aut ſingulari quodam, excellentique modo nominari ipſe a ſacris ſcriptoribus, aut loqui ſolus, quidque illi faciundum eſſet, qui ab eis præſidium petiiſſet, oſtendere (2); & peccantes collegis præſentibus arguere, punireque (3); & electum ſe divinitus, ut per os ſuum gentes Evangelium audirent, & crederent, conſentiente Jacobo Apoſtolo, affirmare (4); & viſitari denique, ut princeps aliorum, ab iis, qui propagandæ religionis munus (5) ſuſcepiſſent, conſueverat. Hæc vero niſi indicia principatus in Eccleſia, atque in collegio Apoſtolorum ſint, quæ eſſe alia poſſint, non video.

Nam quod *συμπρεσβύτερον* (6) *compresbyterum* ſeſe Pe-

 trus

1 *Act. cap.* II. *v.* 37. *ſeqq. & cap.* III. *v.* 12. *ſeqq.*

2 *Act. cap.* III. *v.* 3. *ſeqq. & cap.* V. *v.* 15. *ſeqq.*

3 *Act.* V. *v.* 3. *ſeqq.*

4 *Act. cap.* XV. *v* 7. *ſeqq.*

5 *Epiſt. ad Galatas cap.* I. *v.* 18. S. Hieronymus *in epiſtol. ad Galat. lib.* I. *cap.* I. *pag.* 235. *edit. Martianæi* locum Pauli: *Veni Hieroſolymam videre Petrum*, explicans, ſcribit hoc modo: „ Non ut oculos, genas, vultumque ejus aſpiceret, utrum macilentus, „ an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto, & utrum frontem veſtiret coma, an (ut Cle- „ mens in periodis ejus refert) calvitiem haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſe „ gravitatis, ut poſt tantam triennii præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit „ aſpicere. Sed his oculis aſpexit eum, quibus & modo in epiſtolis ſuis videtur. His „ oculis vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibuſque Paulus ipſe conſpicitur. „ Quod ſi cui non videtur, cum ſuperiori ſenſu jungat hæc omnia; quod nihil ſibi Apo- „ ſtoli contulerint. Nam & quod viſus ſit ire Hieroſolymam, ad hoc iſſe, ut videret Apo- „ ſtolum non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eumdem prædicationis haberet auctorem, ſed „ HONORIS PRIORI APOSTOLO deferendi „. Johannes autem Chryſoſtomus hæc, quæ hactenus dixi, confirmans *Homil.* III. *in acta num.* 3. *tom.* IX. *opp. pag.* 26. *edit. Pariſ. Monach. Congr. s. Mauri*: „ Centum viginti erant, *inquit*, & unum poſtulat (Petrus) „ ab omni multitudine, & jure quidem. πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ· ἅτε αὐτὸς „ πάντας ἐγχειρισθείς. πρὸς γὰρ τοῦτον εἶπεν ὁ Χριστὸς, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήρι- „ ξον τοὺς ἀδελφούς σου. *Primus auctoritatem habet in negotio, ut cui omnes commiſſi* „ *fuiſſent. Huic enim dixit Chriſtus*; & tu aliquando converſus confirma fratres tuos „. *Et Homil.* VI. *n.* I. *pag.* 48. „ Sanctus beati chori princeps, amator Chriſti, ardens di- „ ſcipulus, cui commiſſæ ſunt cælorum claves &c „. *Et Homil.* XXI. *num.* 2. *pag.* 170. „ Petrus quaſi dux circuibat, ordines conſiderans... Vide illum ubique circumcurſan- „ tem, & primum inventum ubi eligendus erat Apoſtolus. Hic primus fuit cum dicen- „ dum erat Judæis non eſſe ebrios Apoſtolos, cum claudus ſanandus fuit; quando concio- „ nandum erat, hic ante alios erat, quando agendum cum præfectis, quando cum Anania, „ cum ex umbra ſanationes fierent. Ubi periculum eſt, hic adeſt, & ubi quædam diſpen- „ ſanda ſunt. Ubi vero in tranquillo res ſunt, in communi omnes, hic majorem non appetit „ honorem „. Confer ejuſd. *Comment. in cap.* I. *epiſt. ad Galat. num.* XI. *pag.* 677. *tom.* X. & Baronium *ad an.* XXXIX. *num.* V. *ſeq.* & quæ ſcripſi *pag.* 320. *not.* 2.

6 *Cap.* V. *v.* I.

trus in Epiſtola priore vocet, id certe argumentum eſſe æqualitatis nullo modo poteſt. Qui enim miniſter erat Chriſti, epiſcopatumque in Chriſtiana republica gerebat, cur ſeſe *compresbyterum*, *comminiſtrumque* appellare nequiviſſet, non æquata auctoritate ceterorum ſuæ? An quia ſe Chriſtus fratrem vocavit Apoſtolorum (1), eorumque Patrem Deum eſſe dixit, idcirco eodem modo ex Patre ſe, atque Apoſtolos natos eſſe, confeſſus eſt? Quid? Epaphræ ne quiſquam Paulum æquet, propterea quod is ſuum illum eſſe conſervum (2) ſcribat? Quod ſi hæc non ſequuntur, quid cauſſæ eſt, cur adverſarii Petrum æquandum non ceteris Apoſtolis modo, ſed etiam presbyteris, arbitrentur, propterea quod ſeſe eorum συμπρεσβύτερον appellaverit?

Eſt autem perridiculum, quod mox adjungunt, dejiciendum eſſe, deturbandumque de Eccleſiæ principatu Petrum, quum ea, quæ dixiſſet, confirmaturus, ad ſacrarum Scripturarum, Prophetarumque auctoritatem confugerit. Quid enim ſibi hoc genere, ſive potius monſtro argumenti velint, nullo modo prorſus intelligo. Nam ſi errare potuiſſe Petrum, niſi ad Prophetas confugiſſet, defendant; cur non duas illius Epiſtolas divinæ eſſe auctoritatis negant, cum ſint in iis permulta, quæ non ſunt confirmata teſtimoniis Prophetarum? Quod ſi eum, qui Scripturarum utatur locis, principem non eſſe reipublicæ Chriſtianæ pugnent; Chriſtum ipſum, qui loca indicare ſacrorum Bibliorum, iiſque Judæos convincere ſoleret, ſummum eſſe Eccleſiæ monarcham inficientur, neceſſe eſt. Quare quid excogitari, fingique poteſt abſurdius?

Sed Chriſtus magiſter, Apoſtoli vero fratres fuerunt. Quid tum? An inter fratres eſſe nullus major & dignitate, & auctoritate poteſt? Apoſtoli igitur, qui chriſtianos ceteros fratres dicere conſueſſent, nihil præ chriſtianis iiſdem conſequuti ſunt honoris, & poteſtatis. Id vero quis umquam a ſibilis intactus dicet? Scilicet hoc reſtat, ut cum Chri-

1 Matth. XXVIII. v. 10.
2 *Ad Coloſſ. cap.* 1. v. 7.

Chriſtus ſe diſcipulorum appellarit fratrem, par Apoſtolis auctoritate fuerit. Ita adverſarii non conſiderant, ſed fortito ſcribunt.

At mitti Petrus ab collegis ad Samaritas, ſi monarcha Eccleſiæ fuiſſet, non poterat. Miror quod adverſarii concludendum non putarint, Petrum auctoritate, dignitateque ceteris Apoſtolis fuiſſe inferiorem. Cum enim inferior, non æqualis, neque præſtantior mitti ab hominibus ſoleat; hoc erat reliquum, ut Petrum ſervum fuiſſe Apoſtolorum, miniſtrumve, ſtatuerent. Verum nihil hinc adjumenti polliceri ſibi Proteſtantes poſſunt. Etſi enim non imperante, at monente tamen, conſulente, rogante ſenatu, cum id reipublicæ ſalus poſtulet, mitti aliquo princeps, ac monarcha, illæſa ſua auctoritate, atque dignitate poteſt. Multa hujuſce rei exempla afferre licet. Nos iis erimus contenti tribus, quibus eſt uſus Baronius ad annum tricеſimum quintum (1) vulgaris Chriſtianorum æræ. Quod ſi mittere hoc modo principem civitati fas eſt, cur non item mitti princeps Apoſtolorum ab Apoſtolis potuit, cum periculum præſertim eſſet, ne Simonis Magi ſcelerati hominis, fallaciſſimique præſtigiatoris fraudibus Samaritæ, qui paullo ante ad

1 Baronius *ad ann.* 35. *num.* xi. „ Ignorare convincuntur, *inquit*, novatores complura in ſcriptura divina, & innumera, quæ ſunt de his in profanis ſcriptis exempla, quibus ſatis ſuperque perſpicuum redditur, ad ea, quæ maximi omnium viſa ſunt eſſe momenti, peragenda, qui inter ceteros primatum gererent, legatos miſſos, cum ipſi non ſic quidem mitti dicerentur, quaſi e majore minores, & ut a domino ſubditi, ſed quod rogarentur ob ſalutem omnium eam ſuſcipere functionem. Subjiciam de his alterum ex veteri, alteram vero ex novo teſtamento exemplum; addam & tertium ex auctore profano, ut res omni ſcripturarum genere teſtata reddatur. Legitur imprimis in libro Joſue c. xxii. filios Iſrael ut de re magna ad inveſtigandum de altari, quod trans Jordanem erexerant filii Ruben, Gad, & media tribus Manaſſe in terra Galaad, miſiſſe Phineem, qui habebatur omnium princeps, & decem alios, qui in ſingulis decem tribubus primatum gerebant. Rurſum ſimili huic urgente cauſſa, ad perquirendum quid de gentilibus, qui Chriſto crederent, agendum eſſet, num circumcidi deberent, tunc qui erant Antiochiæ fideles, Paulum, & Barnabam miſerant ad conſulendum Apoſtolos Hieroſolymam. *Act.* xv. quod S. Lucas teſtatur. Sed quid profanus auctor etiam in his, quæ ſunt Judæorum, Joſephus Judæus in hanc ſententiam ſcribat, adducamus in medium: Judæos nempe, qui erant Hieroſolymis, cum adverſus Agrippam ſuum ipſorum Regem, nec non adverſus Feſtum Præſidem cauſſam haberent, miſiſſe Romam ad Neronem Imperatorem, non ſolum ex primoribus Judæorum decem legatos, ſed & cum eis Iſmaelem ſummum Pontificem, & qui huic ſecundus ordine videbatur, Chelciam ſacri cuſtodem ærarii. Ecce quam invalidis, & plane inefficacibus rationibus illi obnitantur in primatum Petri, cum omnium principem eadem hæc ipſa potius declarare videantur.

ſacra chriſtianorum acceſſerant, circumvenirentur. Atque faciendum id quidem fuit; quum explorata Apoſtolis conſtantia Petri, virtus, atque revincendorum, comprimendorumque audacium, improborumque virorum ſingularis facultas eſſet.

Jam vero exemplum alterum; quo adverſarii abutuntur, ut Petrum parem ceteris Apoſtolis fuiſſe oſtendant, ſimile eſt omnino ſuperiorum. Nam ſi quid efficit, hoc certe, auctoribus iiſdem adverſariis, efficiat neceſſe eſt, nihil fuiſſe a Chriſto tributum Petro, quod non Apoſtolis modo, ſed etiam ceteris chriſtianis tributum eſſet. Quod quidem eſt, ne gravius dicam, non modo falſum, ſed etiam contumelioſum Coryphæo Apoſtolorum. Ecquid enim ſibi velint, niſi hoc velint, non video. *Admiſſa*, inquiunt, *fuit expoſtulatio Iudæorum a Petro, qui ad gentes ingreſſus fuerat; propterea quod coram illis ſe excuſaverit*. Quid igitur? Negant ne Petrum Cornelio ethnico potuiſſe & baptiſmum, & Spiritum ſanctum dare, non auditis judæis? Non arbitror. Quum enim *revelatione* primum, deinde patenti *Spiritus Sancti* allapſu, recte ab ſe factum fuiſſe cognoſſet Petrus; quid ſibi eſſe ab judæis chriſtianis metuendum putaſſet? Si ergo poterat ipſe per ſe, non auditis, neque conſultis circumciſis, myſteriis chriſtianorum initiare Cornelium; quod deinde conquerentibus judæis fecit, non neceſſitate, aut lege quapiam; ſed indulgentia, atque moderatione animi fecit. Cur enim vi ab judæis, atque ingratiis quæſiſſet, quod impetrare ab eis benevolentia, reque, ut geſta erat, expoſita, poterat? Neque vero quidquam Petrus apud Lucam in Actis judæis chriſtianis de ethnicis ad chriſtiana ſacra adductis loquentibus dixit, quod indignum ejus eſſe principatu videretur. Nam eis percuntantibus: *Quare intraviſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* reſpondit: *Ego eram in civitate Joppe orans, & vidi in exceſſu mentis viſionem, deſcendens vas quoddam veluti linteum magnum quatuor initiis ſubmitti de cælo, & venit uſque ad me, in quod intuens conſidera-*

derabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia cæli. Audivi autem & vocem dicentem mihi: surge, Petre, occide, & manduca. Dixi autem: nequaquam domine, quia commune, aut immundum numquam introivit in os meum. Respondit autem vox secundo de cælo: quod Deus mundavit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter, & recepta sunt omnia rursum in cælum. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo, in qua eram, missi a Cæsarea ad me. Dixit autem spiritus mihi, ut irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum viri. Narravit autem nobis, quomodo vidisset Angelum in domo sua stantem, & dicentem sibi: mitte in Joppe, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Cum autem cœpissem loqui, cecidit spiritus sanctus super eos, sicut & in nos initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat; Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini a spiritu sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in dominum Jesum Christum, ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis, inquit Lucas, *tacuerunt, & glorificaverunt Deum dicentes, ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. (1) In his autem verbis quid est, quod Petri principatum non dicam, evertere, sed concutere posse videatur? An Protestantes Christum summa fuisse potestate, aut superiorem auctoritate, præstantioremque Pharisæis negent? Christus autem cum ab iis fuisset interrogatus, cur illius discipuli facere solerent, quod sabbato facere nefas esset, cur non respondit, ita se velle; sed rationem reddidit exemplo usus Davidis, & sacerdotum? Quod autem Christus cum Pharisæis

1 Ut enim respondit Petrus fratribus judæis viso sibi oblato suam agendi rationem defendens, ita Christus Pharisæis respondit, usus exemplo Davidis, & sacerdotum, apud *Matth. cap* XII. *Evang. v.* 3. „ At ille dixit eis: non legistis quid fecerit David quando esuriit, „ & qui cum eo erant, quando intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, „ quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Aut „ non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est, „ misericordiam volo, & non Sacrificium, numquam condemnassetis innocentes. Dominus „ enim est filius hominis etiam sabbati.

ſæis egit, cujus *abſoluta* poteſtas erat, hoccine ſibi Petrus cum fratribus, qui vicarius Chriſti eſſet, integra auctoritate ſua, agendum minime putaſſet? De controverſia, quæ orta de ceremoniis legis fuerat, quid Petrus ſtatuerit, cum demonſtratum alio loco (1) ſit, non eſſe rurſum inquirendum puto.

Hoc nihilominus breve dico: illud quæſtionis genus, cujus tandem cumque modi fuerit, a Petro, qui primas in concilio Apoſtolico obtinebat partes, fuiſſe diremtum, finitumque, ita ut nemo illi reſtitendum arbitraretur. Quod vero reprehenſus a Paulo Petrus fuerit, nihil obſtat, quin Petrus princeps, atque monarcha fuerit Eccleſiarum. Qua de re abunde me, copioſeque dixiſſe memini, cum contra Harduinum de Cepha eodem ac Petro (2) diſſererem. Nego autem cautum a Petro fuiſſe, ne quis in Eccleſia princeps eſſet. Faſtu enim, regioque ſupercilio in cœtu chriſtianorum verſari neminem oportere dixit (quo certe dominatus in cleris, cujus ille in priore epiſtola meminit, ſpectat) principem vero in republica chriſtianorum, qui ceteros moderetur, nullum eſſe oportere, nuſquam dixit. Quod cum alio (3) loco oſtenſum fuerit, nunc omittatur. Jam vero æquatum aliquando Paulo a Sacris Scriptoribus fuiſſe Petrum, tam alienum, tamque falſum eſt, ut ferendum non videatur. Non enim in quinto ac decimo Actorum Apoſtolicorum capite ſolum, quod quidem caput Johannes Gerardus ſibi eſſe adjumento putat, nullo modo; ſed ne in ceteris quidem aliorum novi Teſtamenti librorum quidquam tale reperiri poteſt. Quod ſi provocatum ad Apoſtolos, ſenioreſque, qui Hieroſolymis agebant, ab iis eſt, inter quos orta fuerat de ceremoniis legis contentio, id certe nihil officit auctoritati Petri. Quis enim tam eſt imperitus chriſtianarum rerum, qui presbyteros, ſive ſeniores Hieroſoly-

1 Vide *pag. 54. hujus vol.*

2 *Pag. 102. ſeqq. hujus volum.* Harduini ſententiam de Cepha, qui non idem ac Petrus eſſet, ſequutus eſt Gerardus Caſteel prior Duisbergenſis *controv. Hiſt.* XIII. *an.* 1734. *edita*. Non diſcrepat Berocuſeus S. J.

3 Vide *tom.* IV. *hujus operis pag.* 144.

ſolymitas æquandos eſſe Apoſtolis arbitretur? Antiocheni autem non ad Apoſtolos modo, verum etiam ad ſeniores Hieroſolymis agentes provocaverunt. Si ergo dereptum nihil de poteſtate, dignitateque Apoſtolorum eſt, etſi ad ſeniores eodem tempore ab Antiochenis eſt provocatum; quid eſt, quod Petro quidquam fuiſſe ejus provocationis cauſſa ademtum putem? Quæro autem, an Petrus ſolus potuerit ſententiam de ceremoniis legis aut obſervandis, aut funditus tollendis ferre? Hoc ſi adverſarii Petrum potuiſſe negent; decipi coryphæum Apoſtolorum, labi, errare potuiſſe confitebuntur, quod ut dici impune de epiſtolarum canonicarum ſcriptore, de Apoſtolo, de homine Spiritus Sancti afflatu, inſtinctuque ducto poſſit, nullo modo prorſus intelligo. Sin autem potuiſſe concedant, id quod ab illis facile concedi video; illud rurſus iniquiro: num detractum quidquam de *inerrantia* Petri fuerit, cum eſt ab Antiochenis ad Hieroſolymitas presbyteros provocatum? Si autem detractum non eſt; quæ fuit cauſſa, cur non ab uno Petro, neque ab aliquo Apoſtolorum, qui ſolus poſſet; ſed ab Apoſtolis, Presbyteriſque junctim eam litem dirimi Antiocheni voluerint? Adverſariis vero, quicumque fuerint, ſic confirmo: eadem illa ratione, quam indicarint, ſalvandæ *inerrantiæ* Petri cauſſa, primatum me Petri, monarchicumque principatum in Eccleſia ſalvaturum. Atque veterum quidem hæc fuit ratio[1]: Petrum, ac Paulum, & quemlibet demum Apoſtolum, etſi dirimere controverſiam potuerunt, paſſos tamen fuiſſe, ut ad ſynodum provocaretur; ut ſummorum virorum, multorumque conſenſione, non ſolum omnis tolleretur error imperitorum; ſed etiam audacia oppugnatorum veritatis comprimeretur. Quod inde ſumunt, Apoſtolos non a Petro, ſed a Chriſto fuiſſe ad Evangelium *prædicandum* miſſos, quorſum evadat, non video. Præſente ne Chriſto *abſoluto* chriſtianæ reipublicæ monarcha, jubenteque, ut Apoſtoli mundum univerſum peragrarent, Evangeliumque nunciarent, auſus fuiſſet Petrus collegis quidquam præſcribere?

1 Confer *pag.* 54. *hujus vol. not.* 2. & 3.

bere? Cum autem missi essent a Christo, quid opus erat, ut Petrus ab se rursus esse mittendos judicaret? Si enim rex unum aliquem imperatorem exercitus constituat, eique centuriones, tribunosque assignet, ac omnibus simul centurionibus, tribunisque jubeat, ut in hostium ditionem proficiscantur, bellumque gerant, continuo ne ob eam caussam illum ipsum, quem imperatorem dixit, imperatoris dignitate privandum censet? Misit autem Christus omnes Apostolos, sed iis Petrum, ut ostendi, præfecit, quem monarcham esse voluit Ecclesiarum.

Paulus in iis, quæ sunt ad Galatas, litteris, cum Apostolos, discipulosque rigasse, atque plantasse, Deum vero incrementum dedisse, scribit, Dei summam potestatem indicans, nihil deripit de dignitate, auctoritateque Petri. Neque nos Petrum Christi esse ministrum negamus. Hoc volumus: tributum ei inter ministros fuisse principatum. Id Paulus non negat. Quod si Jacobus, & Johannes columnæ a Paulo appellantur, ejus tamen ordinis, cujus Petrus fuit, columnæ non appellantur. De Petro autem, cur post Jacobum in epistola (1) ad Galatas nominetur, dictum supra est copiose. Mirabile porro videri nemini debet, quod Petrus dexteram societatis Paulo dederit, etsi majori dignitate fuit. Non enim primatus tollitur, data dextera societatis. An Cicero, quod Asianos, Siculosque socios esse diceret populi Romani, dignitatem, auctoritatemque Siculorum, atque Asianorum parem esse putabat populi Romani & dignitati, & auctoritati? Quod si ullius est ponderis argumentum adversariorum, multa concluderentur ex sacris litteris, quæ ut Petri, ita Christi evertant monarchicam potestatem. Argumentari enim quisque posset hoc modo: Ut socii, ita fratres æquantur. Est autem socius, & frater Apostolorum Christus. Æquetur igitur Apostolis Christus necesse est. Apostolos vero Paulus vocatos non Apostolos solum, sed etiam Christianos quosque (2) ad socie-

1 *Pag. 98. seqq. hujus vol.*
2 1. *Ad Cor.* 1. *v.* 9. „ Vocati estis ad societatem filii ejus „.

ſocietatem filii Dei teſtatur; ſcriptumque in evangelio (1) eſt, ſuos fuiſſe a Chriſto Apoſtolos vocatos fratres. Quod ſi reſpondeant, ut reſpondere omnino debent, adverſarii, in ſocietatem nos filii Dei eſſe vocatos, non ut pares tamen, æqualeſque ſimus; jam quid ſit dicendum a nobis de data a Petro dextera ſocietatis Paulo, facile quidem perſpicient. Admitti enim ſocietatem dicemus poſſe, quæ ferat ſociorum unum altero eſse præſtantiorem. Quamquam ſi minus gubernationis; at apoſtolatus tamen, auctoritatiſque propagandi evangelii ratione, quo in genere Petrum noſtri parem Paulo fuiſſe concedunt, ſocietatis dexteram Paulo Petrum dediſſe, non negem. Nihilo gravius eſt, quod adjungunt de pactione, qua factum fuit, ut Paulus gentilium, Petrus judæorum inſtituendorum onus ſuſciperet. Neque enim hoc pacto ſibi ademit gubernandorum, erudiendorumque gentilium auctoritatem Petrus, cum deinceps permultas regiones peragraſſe, ethnicoſque adlexiſse ad evangelicam legem colendam conſtet. De pacto vero quod Paulus ſcribit, ſic eſt omnino intelligendum; conſenſiſse quidem Petrum, Jacobum, atque Johannem, ut Paulus, & Barnabas gentibus evangelium nunciarent, cum ipſi onus ſibi judæorum inſtituendorum ſumſiſsent; non quod Petrus, ſi tempus monuiſset, nactuſque occaſionem fuiſset, gentes ab ſe inſtitui non oportere, neque quod ethnicos Chriſtianos factos ſuæ curæ creditos non eſse, exiſtimaſset; ſed quod velle Deum cognoſset (2), ut datis dextris probari ſibi, ſociiſque gentium converſionem oſtenderet, demonſtraretque fore, ut judæi, atque græci, qui chriſtianam religionem profiteri conſtituiſſent, in unam Eccleſiam coaleſcerent. Itaque diſtinctio (3) duorum populorum, non ſeparatio *juriſdictionis*, ſed evangelii celerius propagandi

1 Matth. XXVIII. *v.* 10. Joh. *cap.* XX. *v.* 17.

2 Confer Hieronymum *in epiſt. ad Galat. pag.* 240. *ſeq. tom.* IV. *part.* II. *opp. edit. Martianai*; & Auguſtinum *in cap.* II. *epiſt. ad Galatas num.* XII. *pag.* 689. *tom.* III. *p.* II. *opp. edit. Antuerp.* Chryſoſtomum *in epiſt. ad Galatas cap.* II. *n.* 3. *pag.* 684. *ſeq. tom.* X. *edit. Pariſ. ann.* 1732.

3 Confer Schefancherum *ibid. pag.* 184.

caussa, conventionis quoddam genus inter Petrum, Paulumque fuit: cumque Petrus peculiari ratione *conversionem* sibi assumserit judæorum, partem sibi *honorabiliorem* assumserit necesse est, quam sibi etiam assumsisset Christus. Mitto de *dominatu, universæque Ecclesiæ pastura*, quam nobis opponunt, dicere. Nolo enim lectores obtundere eadem re sæpius. Quod vero Paulus evangelium ante nunciare cœperit, quam vidisset Petrum, id certe evertere principatum Petri non potest. Quod enim voluntate Christi, imperioque Paulus fecit, Petro sane nolente non fecit. Cur enim ei restitisset Petrus, quem ab *absoluto* Ecclesiæ monarcha propagatorem evangelii, doctoremque gentium constitutum sciret? Quamquam Paulus committendum non putarit, ut Petrus diu, quæ ab ipso gererentur, prædicarenturque, nesciret, ne *in vacuum* cuiquam aut currere, aut cucurrisse (1) videretur.

Quod autem idem dixit Paulus, nemine se Apostolorum esse inferiorem, de Apostolatu, ut se e primoribus esse significaret, non de dignitate regendæ, administrandæque totius reipublicæ populi Christiani dixit. Atque ad Apostolatum quidem pertinent, quæ ille ipse adjunxit, de *sollicitudine* omnium Ecclesiarum, non ad gubernandæ Ecclesiæ, regendæque (ut princeps, atque caput, centrumque unitatis) modum; quod Petro uni fuisse divinitus datum legimus. Quamobrem *conciliari* cum principatu Petri hæc posse videmus, quæ Johannes (2) Gerardus, cetera disertissima sacrarum Scripturarum loca, in quibus fit principatus Apostoli Petri mentio, aut negligens, aut implicans, aut prætermittens, *conciliari in æternum* nequire jactat.

Est vero perridiculum quod Gerardus (3) opponit de christianis, qui jussi a Paulo fuissent, ne Cephæ se esse dicerent. Cur enim Petri se christiani dixissent esse, si erant Christi, cujus erat Petrus vicarius? An Petrus pro ho-

1 *Epist. ad Galat. cap.* II. *v.* 2.
2 Joh. Gerard. *loco indic. pag.* 427.
3 *Ibid. pag.* 428.

hominum ſalute ſanguinem fuderat? Ab *abſoluto* autem principe, atque monarcha Chriſto chriſtianæ religionis cultorum nomen, non a miniſtro, etſi præcipuo, ducendum erat.

De *electione* Matthiæ quod addunt, tantum abeſt, ut evertat, ut confirmet potius principatum Petri. Petro enim (1) proponente, judicanteque quid facto eſſet opus, Apoſtoli ceteri conſenſerunt: Quod ſi pari omnes dignitate, ac poteſtate adminiſtrandæ, gubernandæque Eccleſiæ præſtabant, quid cauſſæ erat, cur Petrus primus ſemper omnium loqueretur, quidque ſtatuendum eſſet, exponeret? At egit *communicato cum collegis* conſilio. Quaſi vero qui princeps eſt reipublicæ, is omnia non conſulto ſenatu agenda putet, ne quid de ſua dignitate dereptum videatur.

Nihilo gravius eſt argumentum e *ſeptem Diaconorum electione* petitum. Quid enim impedit, quo minus ſenatus & deliberet, & ſtatuat aliquid, non facta mentione regis, cujus quidem etſi non memoret, cenſet tamen ſummam eſſe in regenda republica poteſtatem? Nihil igitur eſt, cur Petrum de principatu adverſarii deturbandum exiſtiment, quod ſuſceptum ab Apoſtolorum collegio fuerit diaconorum conſtituendorum conſilium, nulla *expreſſa* facta mentione Petri, ad quem fuiſſet, ut demonſtravimus, a Chriſto delatus chriſtianæ reipublicæ principatus.

At enim Paulus, & Barnabas *presbyteros per Eccleſias conſtituerunt*, non impetrata a Petro poteſtate. Mirum ni adverſarii nobis locum aliquem ſcripturarum indicent, qui ſit *de non impetrata a Petro poteſtate*. At ſilent ſcripturæ. Hoccine ergo ſilentium tanti faciunt, ut eo uno confirmari poſſe arbitrentur *τὸ non impetrata a Petro poteſtate*? Quid ſi *impetratam* fuiſſe eodem nixus ſilentio dicam? Cum enim Petrus conſtitutus a Chriſto & petra Eccleſiæ, & centrum unitatis, & princeps chriſtianorum a Chriſto fuiſſet, credibile non videretur, Paulum voluiſſe, eo inconſulto, quid-

1 Confer quæ dixi ſupra *pag. 320. hujus volum.* & quæ deſcripſi Joh. Chryſoſtomi verba *pag. 329. not. 5. & pag. 320. not. 2. hujus vol.*

quidquam decernere. Quare si Paulus non negavit, sed tacuit, acceptam ab se ejus rei perficiendæ veniam fuisse, sequitur ut acceperit. Verum missa hæc facio, quæ ad rem non pertinent. Apostolis enim jus fuisse, apostolatus caussa, episcopos, presbyterosque in Ecclesiis, quas condiderant, ponere, facile concedo. Quamobrem si Paulus Titum Cretensibus præfecit, eique constituendorum presbyterorum potestatem dedit; fecit, quod dignum erat Apostolo, competebatque apostolicæ auctoritati. Atque de argumentis adversariorum ab scriptura ductis satis dictum est. Nunc quæ ducantur a Patribus videamus.

Quartum est argumentum Protestantium e Patrum testimoniis petitum. Principo enim a Clemente, inquiunt, Romano in ea, quæ est ad Jacobum Fratrem Domini scripta epistola, Jacobum ipsum, non autem Petrum, Episcopum Episcoporum vocari constat (1). Similia porro apud Clementem ipsum reperiri ajunt, in sexto Constitutionum Apostolicarum libro, a quo non discrepat Eusebius in secundo libro Historiæ. Quemadmodum autem vocari Episcopus Episcoporum potuisset Jacobus, si Petrus, caussa Episcopatus, Apostolis ceteris longe fuisset præstantior? Non ergo ceteris Apostolis antecelluit Episcopatus ratione Petrus. Deinde etsi primum membrum Ecclesiæ ab Gregorio appellatur Petrus, primi tamen membri appellatione non princeps, neque caput, sed is indicatur, qui ordine reliquis primus esset. Nam idem ipse Gregorius Christum, non Petrum, Ecclesiæ & principem, & caput vocat. Tertio autem loco quis credat a Cypriano dici Apostolos æquales potuisse Petro, si Petrus ceteris Apostolis præstitisset? Dicti autem reliqui Apostoli a Cypriano æquales fuerunt Petro. Non ergo Petrus reliquis Apostolis fuit præstantior. Eodem spectant, quæ Augustinus in libris Retractationum scribit. Veteribus autem, quorum permulta afferri testimonia possunt, accedunt scriptores novi. In his Marsilius Patavinus; Auctor operis inscripti *de Ætatibus Ecclesiæ*, qui decimo quar-

1 Apud Constantium *tom. 1. epistolar. Romanor. Pontificum in append. n. 1. pag. 3. edit. Paris. an. 1721.*

quarto ſeculo floruit; Michael Ceſenas Miniſter Generalis Minoritarum; Petrus de Corbaria Antipapa Ordinis Minorum: Franciſcus Zabarella S. R. E. Presbyter Cardinalis in eo, quem de Schiſmate inſcripſit, libro; Georgius Hamburgenſis in celebri, quam edidit adverſus Pium ſecundum Pontificem, appellatione; Nicolaus Cuſanus Cardinalis; Polydorus Virgilius; Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus; Eraſmus; Franciſcus Victoria; Toletus, atque Johannes Ferus, qui aut Apoſtolos omnes pari auctoritate fuiſſe, aut Petrum præ ceteris principatum in Eccleſia obtinuiſse defendunt (1).

Ego vero tritum illum ex epiſtola ad Jacobum locum nihil moror. Quæ enim excerpta ex documentis non ſuſpectis modo, ſed etiam falſis ſunt, commemorari quidem eruditionis oſtentandæ cauſsa interdum poſsunt, argumenti autem loco haberi non poſsunt. Epiſtolam porro ad Jacobum, quis neſciat, falſo fuiſse tributam Clementi? Quod ſi Baronium Proteſtantes accuſant, propterea quod hujuſmodi monumenta quandoque proferat, quid eſt quod impune ab ſe proferri poſse arbitrentur? Sed concedo ei epiſtolæ nonnihil ineſse auctoritatis. Eſt enim vetus, ſed de hoc alias. Quid? An quidquam inde proficiſci in orthodoxos detrimenti poteſt? Jacobum namque, quem auctor primum omnium fuiſse Epiſcopum appellatum acceperat, quid obſtabat, quin Epiſcopum Epiſcoporum (2) dici licere judicaret? Ac Hieroſolymitæ ſane, qui ſua in urbe Chriſtum fuiſse cruci affixum, in eaque poſt aſcenſionem coactum fuiſse cœtum chriſtianorum ſcirent, cum matrem omnium Eccleſiarum ſuam Eccleſiam (3) dicere ſolerent, non quo principatum ei tribuendum exiſtimarent, ſed quo anti-

1 Hoc utitur argumento Iohannes Gerardus *lib.* II. *cap.* II. *pag.*428. *ſeqq. tom.* III. *confeſſ. Cathol. edit. Jenenſ. ann.* 1660.

2 *Epiſt. ad Jac. fratrem Domini apud Conſtantium in append. ad collect. Epiſtolarum Romanor. Pontif. pag.* 3. *edit. Pariſ. ann.* 1721. κλήμης ἰακώβῳ τῷ κυρίῳ, καὶ ἐπισκόπων ἐπισκόπῳ *Clemens Iacobo Domino, & Epiſcoporum Epiſcopo.*

3 Liturg. Iacobi apud Aloyſium Aſſemanum *tom* IV. *p.* II. *Codic Liturg. edit. Romæ ann.* 1752. *pag.* 11. ,, Offerimus tibi Domine & pro ſanctis tuis locis, quos clarificaſti divina apparitione Chriſti tui, & adventu ſanctiſſimi tui Spiritus, & præcipue ὑπὲρ τῆς ,, ἁγί-

antiquiorem esse ceteris accepissent, cur non induxissent epistolæ scriptorem, & civem suum fortasse, & Liturgiæ, quæ Jacobo adscribitur, auctorem, ut matris omnium Ecclesiarum Antistitem Episcopum vocaret Episcoporum? Verum etsi hoc Jacobum vocavit Pseudo-Clemens nomine, fundamentum tamen Ecclesiæ, principemque Apostolorum Petrum (1), non Jacobum, vocavit. Qua ex re intelligitur, Pseudo-Clementis quoque sententia Jacobo Petrum longe fuisse præstantiorem. Est autem Gerardi hominis de secta Lutheranorum notandus error. Quod enim Eusebius ex Clementis Alexandrini sexto Hypotyposeon (2) describit, hoc ille oscitans expressum esse putavit ex sexto Pseudo-Clementis Constitutionum Apostolicarum libro. Sed Clemens Alexandrinus quid demum habet, quod obstet, quin Petrus principatu fuerit potitus Ecclesiarum? Nam quod Petrum, Jacobum, atque Johannem, qui anteponi ceteris consuessent, quoniam demisse de se, humiliterque sentiebant, haud

„ ἐνδόξου Σιὼν τῆς μητρὸς πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν *pro gloriosa Sion matre omnium Ecclesiarum* „. Atque hinc factum est, ut id juniores Græci dicerent, matrem hanc, & primam esse Ecclesiarum omnium. Nam in eo libro, qui ὁμολογία τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς *confessio Catholica Ecclesiæ Orientalis* inscribitur, quique a Petro Mogila Schismatico scriptus, a Patriarchis communionis Græcæ Nectario Hierosolymorum, Parthenio Constantinopoleos, Ioannicio Alexandrinorum, Macarioque Antiochenorum probatus est: *ad* ix. *Fidei Articulum quæst.* LXXXIV. *pag.* 135. *seq. edit. Lips. an.* 1695. sic habetur: λοιπὸν ἡ ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησία εἶναι μήτηρ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ πρώτη, διατὶ ἀπ' ἐκείνην ἤρχισε νὰ ἁπλώνεται τὸ εὐαγγέλιον εἰς ὅλα τὰ πέρατα. *Igitur quæ in Hierosolymis est Ecclesia, mater omnium Ecclesiarum, & prima est, quia ab ea cœpit diffundi Evangelium in omnes regiones.*

1 Confer *pag.* 319. *hujus volum. not.* 1. Post verba Pseudo-Clementis, quæ loco indicato descripsimus, hæc de Petro leguntur: ὁ τῶν ἀποστόλων πρῶτος. *Primus Apostolorum &c.* Quod si Hesychius Hierosol. Presb. sec. VI. scriptor *Exarchum Apostolorum* Jacobum dixit, & verticem in capitibus in *Orat. de Jac.* apud Photium *cod.* CCLXXV. *p.* 1523. *edit. an.* 1653. fecit, ut solebat, more quorumdam Rhetorum, qui amplificare nimium laudes eorum, de quibus agerent, consueverunt; sed solus contra omnium consuetudinem, traditionemque Ecclesiarum fecit. Quamobrem non erat, cur hujus testimonio Irtigius *Hist. Eccl. sec.* 1. *cap.* IV. *pag.* 232. *n.* IV. *edit. Lips. an.* 1706. abuteretur; ut ne Rufini quidem, qui quod Clemens apud Eusebium loco mox indicando, electum fuisse Jacobum ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων scripsit, vertendum per summam imperitiam, oscitantiamque putaverit *Episcopum Apostolorum*, *pro Episcopum Hierosolymorum lib.* II. *Histor. Eccl. c.* 1. *pag.* 25. *edit. Basil. an.* 1528. Quid si Episcopi Episcoporum, & Patris Episcoporum appellatio primatum olim interdum non indicavit? Vide quæ dixi *tom.* IV. *pag.* 299. *seqq.* & Cotelerium *in not. ad Epist. Clem. ad Iacobum t.* 1. *Apost. PP. edit. Amstel. an.* 1724. Confer *l.* 1. *recogn. Clem. n.* LXVIII. *p.* 509. *ibid.* ejusdemque *de Pereg. Petri n.* 1. *p.* 755. *ibid.*

2 Nam ὑποτυπώσεων *exemplarium* libros dicere potius interpres Eusebii debuerat. Sed cum Gerardus *Institutionum* inscriptos intellexisset, Constitutiones Clementis Romani ab Eusebio indicari putavit, quod falsum est.

haud graviter tulisse testatur, ut (1) Jacobus frater Domini Episcopus diceretur Hierosolymorum, ad rem profecto non pertinet. Non enim de Episcopatu Hierosolymitano est, sed de Christianæ reipublicæ universæ *primatu* quæstio. Ac recte quidem ille de Petri, filiorumque Zebedæi virtute, animoque a superbia alieno disputat: quum illi Episcopatum, quem obtinere poterant, ejus Ecclesiæ, quam Christus sua præsentia, doctrina, monitis, illustrarat, instituerat, confirmarat, celeberrimamque reddiderat, aut recusarint, aut collegæ facile concedendum putaverint (2).

De Gregorii loco, qui est de Petro præcipuo membro (3) Ecclesiæ, propterea quod supra quid judicarem ostenderim, nihil attinet dicere. Restat alter Gregorii ejusdem de non usurpata a Pontifice Romano *universalis Episcopi* appellatione locus. Sed is in ea disputatione illustrabitur, quæ erit de summi Pontificis in universa christiana civitate, seu republica principatu.

Mitto argumenta ex testimoniis Cypriani (4), Augustini, (5) aliorumque, quos adversarii nominant, veterum christianorum (6) ducta. Quæ enim confutata, soluta, explosa alibi sunt, actum agerem, si rursum refellere conarer.

Sequuntur scriptores novi, quorum quidem perpaucos numerare suæ opinionis patronos Protestantes possunt, Quamquam horum etiam aut est judicio totius Ecclesiæ damnata, aut longe discrepat a Calvinianorum, Lutheranorum, Zuinglianorum errore sententia. Ordiar autem a Marsilio (7) Patavino. Negasse illum caput ullum visibile fuisse a Ser-

1 Eusebius *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* 1. *pag.* 43. *edit. Taurin.* „ Clemens, *inquit*, in „ sexto ὑποτυπώσεων libro ita tradit. Ait enim post servatoris ascensum Petrum, Iacobum, „ & Iohannem, quamvis Dominus ipsos ceteris prætulisset, non idcirco de primo honoris „ gradu (*nempe Hierosolymis occupando*) inter se contendisse, sed Iacobum cognomine „ Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse.

2 Eusebii testimonia de Petri principatu confer *supra p.* 134. *hujus vol. n.* 1. *& p.* 187.

3 Confer *pag.* 144. *hujus vol. not.* 3. *& pag.* 266. *seqq.*

4 *Pag.* 172. *seq. hujus volum. & pag.* 31. *n.* 1. *pag.* 32. *n.* 4. *pag.* 70. *n.* 3. *pag.* 8. *n.* 1. *pag.* 85. 98. 134. 200. 5 *Pag.* 169. *hujus volum.*

6 *Pag.* 165. *seqq.*

7 Confer Raynaldum *ad an.* 1327. *n.* 1. *& n.* XXVII. *seqq.* Ludovicum Antonium Muratorium *ad ann.* 1327. *pag.* 152. *edit. Mediol. ann.* 1744. *tom.* VIII. *Annal. Italiæ.*

Nata-

Servatore Christo Ecclesiæ datum; concedo. Sed quis tum cœtus christianorum fuit, qui impii hominis falsum, absurdum, hæreticum dogma rejiciendum, ac Johanni XXII. Pontifici, qui idem reprobarat dogma, auscultandum non arbitraretur? Quod si Marsilius; Jandunus (1), Auctor (2) libri

Nataiem Alexandrum *Histor. Ecclesiast. sec.* XIV. *cap.* III. *art.* XIII. *pag.* 704. *editionis Parisiensis an.* 1699. *tom.* VII. Stephanum Baluzium *Adnot. in vitas Papar. Avenionens. pag.* 862. *seq. edit. Paris. an.* 1693. *tom.* I. Marsilium oppugnavit Petrus de Palude Ord. Prædic. *celebri Tractatu de Caussa Immediata Ecclesiastica Potestatis pag.* 1. *seqq. edit. Paris. ann.* 1506. Sed tempus me deficeret si recensere omnes, qui Marsilium Patavinum, Jandunumque aut hæreseos notatum scripserunt, aut scriptis editis oppugnarunt.

1 Vide Notationem superiorem. Hujus eum laude meminerunt Illyricus *in Catalog. test. verit. pag.* 488. *edit. Argentinensis ann.* 1562. & Goldastus *dissert. præfixa tom.* I. *de Monarch. Imperii*. Scilicet malæ caussæ, cum bonos nullo modo invenire possint, malos patronos quæritant. Quare ita omnino agunt, ut agerent ii, qui si perditam vellent rempublicam, auctoritate, exemplisque uterentur aut Catilinæ, aut Gracchorum. Sed Iandunum, & Marsilium, hæreseos ab Iohanne XXII. omnibus Orthodoxis plaudentibus fuisse condemnatos constat. Confer Ioh. XXII. Constitutionem incipientem: *Duaum* apud Martenum *tom.* II. *Thesaur. Anecdot. pag.* 697. & *Constit. incip. Dudum volentes. Ibidem pag.* 700. *Et Constit. incipientem: Licet juxta: Ibidem pag.* 704. *seq. Et epist. ad Joh. Diac. Card. S. Theodori: Ibid. pag.* 718. *seqq.* & *Constitut. incipientem: Ad communem notitiam: ibid. pag.* 772. *seqq.* Confer *epist. Gregorii* XI. *ad Arch. Cantuariensem apud Harduinum tom.* VII. *Concilior. pag.* 1868.

2 Melchior Goldastus, qui tractatum *De Ætat. Eccl.* edidit *volum.* I. *Monarchiæ S. Rom. Imperii edit. Hanov. an.* 1614. *fol.* 25. *seqq.* audisse a Canonico amico veteri suo, viroque, ut ait, doctissimo, scribit se, auctorem ejusdem tractatus fuisse Fratrem Bonagratiam Pergamensem, cujus quidem rei hoc esse argumentum diceret: *quod tam bona gratia institutus sit, ut nemo meliori potuerit*. Puduit hujusce tam frigidi argumenti Vincentium Placcium. Itaque in eo libro, qui est de *Anonymis scriptoribus cap.* II. *num.* XIV. *pag.* 14. *edition. Hamburg. ann.* 1708. illud etsi non satis esse firmum dixit, silentio tamen premendum existimavit. Sic enim habet: *Illud scriptum Fratrem Bonagratiam Bergamensem composuisse, conjecturam, nescio num satis firmam, affert idem Goldastus*. At frigidam, ac perridiculam debuit dicere. Quamquam ea non Goldasti est, sed inepti illius Canonici, quem tamen idem Goldastus magnopere commendat *in Præf. ad tom.* I. *supra indic.* Placcius rursus *n.* 618. *pag.* 69. eadem de re iisdem fere verbis in eamdem sententiam scribit. Descriptum hunc de *Aetat. Eccles. Tractatum* ab Illyrico fuisse auctor est Goldastus *ibid.* „ Inveniri in Matth. Flacii (Illyrici) catalogo Testium veritatis *pag.* 452. *seqq. ad* 459. *Edit. Argent. an.* 1562. (inquit Placcius) testantur Dominus Mollerus in observatio„ nibus suis ms. communicatis referens, censere Flacium ante 200. annos libellum esse scri„ ptum, & vereri se, ne sit mutilus. Ioh. Deckerus *de scriptis Adespotis p.* 100. *Edit.* „ *Amstel.* putare se, ait, his conjecturis ferme omnibus excipiendis sinum pandisse Bullam „ Iohannis XXII. ann. 1330. editam in hujusmodi contra potestatem Papæ se opponentes „ auctores, fulminantem „. Hæc ille. Utcumque autem se res habeat, non veritatis amore, sed odio in Pontifices Romanos auctorem hujusce libelli concitatum contra scriptorum sacrorum, patrumque fidem animum ad scribendum appulisse constat. Quare nihil obtinet auctoritatis. Is vero *Cap.* XV. *pag.* 27. allato Clementis loco ex II. *H. E. Eusebii Cæsariensis libro c.* 1. quem nos locum supra indicavimus: „ Ex his, *inquit*, verbis videtur „ concludi, quod Iacobus super Apostolos accepit principatum, quia Apostolorum Episco„ pus factus est „. Quod quam sit falsum, ostensum est supra satis, ut arbitror, perspicue

„ ac

libri de ætatibus Ecclesiæ, Michael Cesenas (1), aliique nonnulli similia horum scribere aliquando sunt ausi, audaciæ certe suæ, temeritatisque pœnas luerunt.

Gregorium autem (2) Haymburgensem quid morer? An ei ego uni erranti assentiar, contemtis ceteris Præsulibus Ecclesiarum, qui & per orbem terrarum dispersi, & sæpe in synodis congregati, cum Pontifices monarchas esse Ecclesiæ dicerent, hoc genus honoris ex Petro in eos manasse confiterentur? Cur Concilium Lateranense (3) tertium, & quar-

ac diligenter. Pergit porro, atque ubi Simonem filium Cleophæ post Iacobum creatum fuisse Episcopum Hierosolymorum dixit; *invenimus adhuc*, inquit, *aliquam prælaturam Petri?* At si studiosius Eusebii Historiam, qua maxime confidit, legisset, invenisset profecto non aliquam, sed plures, quas vocat, *prælaturas* Petri. Confer, quæ descripsi Eusebii testimonia *pag.* 134. *hujus vol. not.* 1. Et Rufini *lib.* 11. *c.* XXIII. *pag.* 99. *edit. Cacciari*.

1 Michael Cesenas similis fuit Marsilii, Janduni, aliorumque, qui partibus studebant hæreticorum. Itaque damnatus ab Johanne XXII. Pontifice fuit. Extat hujus Pontificis Constitutio, quæ incipit: *Dudum ad nostri Apostolatus auditum*, apud Martenium *tom. eodem pag.* 740. *seqq.* in qua sic habetur: „ Michael de Cesena . . . nonnulla nefanda cun„ ctis catholicis, contra nos, & Ecclesiam sanctam Dei subdole in favorem hæreticorum, & „ rebellium ejusdem Ecclesiæ procurabat „. Et paullo post: „ Associatis sibi quibusdam suæ „ iniquitatis complicibus, inter quos erant duo nequam viri, videlicet Bonagratia de „ Ord. prædicto, qui suis excessibus, & delictis exigentibus in eadem curia arrestatus ad „ sancta Dei Evangelia juraverat, se de ipsa curia minime sine nostra speciali licentia re„ cessurum; & quidam Anglicus vocatus Guilielmus Okam Ord. prælibati, contra quem ra„ tione multarum opinionum erronearum, & hæreticalium, quas ipse scripserat, & dog„ matizaverat, pendebat in eadem curia inquisitio &c. „ profugit. Denique: „ Nos cum „ fratrum nostrorum deliberatione super his præhabita diligenti, de ipsorum consilio, „ præfatos Michaelem, Bonagratiam, & Guillelmum reputamus merito contumaces, ipsos„ que ratione contumaciæ hujusmodi excommunicationis sententia innodamus „. Consule ejusdem Johannis Constitutionem adversus F. Petrum de Corbaria scriptam: *ibid. pag* 763. *seqq.* Et Constitutionem incipientem: *Ad nostri Apostolatus audientiam*: *ibid. p.* 757. *seqq. epist. ad Archiep. Januensem ibid. pag.* 760. *seqq.* Et Constitutionem incipientem: *Ad nostri Apostolatus audientiam*: *ibid. pag.* 782. *seq.* Et Constitutionem incipientem: *Dudum contra Michaelem de Cesena &c. pag.* 786. *seqq.* ceterasque, quæ sequuntur *pag.* 787. *seqq.* Confer Wadingi *Annales Minor. ad an.* 1327. *seqq. n.* 69. *n.* VI. *seqq.*

2 Georgii Haymburgensis appellationem contra Pium II. an. 1434. scriptam Gerardus nominat. Quod fieri omnino non potest. Longe enim post annum 1434. Pius II Pontificatu potitus est. Gregorii Heimburgensis jurisconsulti, & Consiliarii Archiducalis *Admonitionem de injustis usurpationibus Paparum Romanorum* refert Goldastus *ibid. pag.* 557. *seqq.* inscribitque hoc modo: *Confutatio primatus Papæ tempore Felicis Papæ Quinti, & Eugenii IV. Antipapæ scripta sub Friderico III. Imperatore*. Hunc Tractatum indicari a Gerardo certum est. Nam ab Illyrico primum editum in *Antilogia Papæ*, ac recusum deinde fuisse constat hoc titulo: *A Pii II. Papæ excommunicatione injusta Sigismundi Archiducis Austriæ, Comitis Tyrolis, & Gregorii de Heimburg. Appellationes, & contradictiones*. Sed his patronis utantur Protestantes, qui odio incitati veteres scriptores, Patresque vitiarunt. Nos Scripturas, Patresque sequimur.

3 Vide supra *p.* 275. *n.* 2. *hujus vol.* & Sanderum de *Vis. M. E. l.* VII. *p.* 492. & 502.

tum, cur Lugdunense (1), cur denique Florentinum (2) non probem, ut viri & obſcuri, & ſycophantæ, & Sedis Apoſtolicæ inimici portentum opinionis a majoribus reprobatum, ſcripturarumque, ut demonſtratum eſt, pluribus locis condemnatum probem? Hoc perſæpe adverſarii faciunt, cum ſeſe graviſſimorum teſtium multitudine preſſos, convictoſque videant, ut ad aliquos nullius fidei, nullius exiſtimationis, nullius dignitatis homines confugiant; ut ſatius ipſis ſit eos perpetuo ſilentio præterire, quam ſeſe tam paucorum, tam levium, tam impiorum ſcriptorum non auctoritate quidem, ſed erratis defendere.

Zabarellæ autem ſententia longe a Proteſtantium errore diſcrepat. Quamobrem miror, qui demum fieri potuerit, ut ex eo ſibi Gerardus præſidium eſſe petendum arbitraretur. Ille namque Petrum & caput fuiſſe Apoſtolorum (3), & ceteris præſtitiſſe ſcribit, propterea quod in eo *principaliter*

1 *Concil. Lugdun.* 1. *an.* 1245. *tom.* VII. *Concilior. edit. Hard. Pariſ.* „ Privilegium, „ quod B. Petro, & ſucceſſoribus ejus in ipſo tradidit Dominus Jeſus Chriſtus, videlicet: „ *quodcumque ligaveris &c.* in quo utique auctoritas, & poteſtas Eccleſiæ Romanæ conſi- „ ſtit „ . Vide *Concil. Lugd.* II. *an.* 1274. *celebratum tom. eod. pag.* 719.

2 Confer quæ dixi *pag.* 275. *hujus volum. n.* 2.

3 *Tract. de Schiſmate edito Argentorati an.* 1629. una cum opuſculis Theodorici Niemi & Joh. Marii Belgæ *pag.* 541. *Papam eſſe*, fatetur, *univerſalem Pontificem*. *Et pag.* 559. „ Apparet, *inquit*, quod licet Petrus fuerit PRINCEPS Apoſtolorum, tamen plenitudo pote- „ ſtatis non fuit in eo ſolo, immo, ut patet in loco memorato Actorum, Petrus in concilio tan- „ quam unus in Congregatione corregnavit, & poſt ipſum Iacobus Apoſtolus: nec reſponſio „ fuit data ſub perſona Petri, ſed congregationis, unde epiſtola incipit: *Apoſtoli, & ſe-* „ *niores fratres iis, qui ſunt Antiochiæ*. Et infra: *viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis &c.* „ Et hinc mos antiquus habuit, quod omnia difficilia terminabantur per concilium, & cre- „ bro fiebant. Poſtea vero quidam ſummi Pontifices, qui magis ad modum terrenorum „ principum, quam Apoſtolorum, Eccleſiam rexerunt, non curarunt facere concilia, ex „ qua omiſſione prodierunt multa mala, ut ſupra: & ex hoc apparet, quod id, quod di- „ citur, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis, debet intelligi non ſolus, ſed tam- „ quam apud univerſitatem: ita quod ipſa poteſtas eſt in ipſa univerſitate tamquam in fun- „ damento, & in Papa tamquam in principali miniſtro, per quem hæc poteſtas explicaretur, „ ita tamen, quod præcedat clavis diſcretionis, ut eleganter dicit Innocentius *de Jure-* „ *jur. c. v.* Et idem Innoc. *de Voto c. quod ſupra*: exponens illud: *quodcumque liga-* „ *veris &c.* dicit: *quod Papa* SUPRA OMNIA JURISDICTIONUM ET POTESTATUM HABET „ DE JURE, *ſed non de facto*: & notat Hoſtienſis de *Tranſlat. Epiſc.* quod judicando, „ ſolvendo valet, quod agit, clave non errante . . . XIX. *diſt. Ita Dominus*, ubi dici- „ tur, quod *Chriſtus commiſit ſalutem univerſitatibus omnibus Apoſtolicis, ita tamen,* „ *quod in Petro principaliter collocavit*. Ubi nota quod non dicit totaliter, ut alii ex- „ cludantur, ſed dicit principaliter, ut ſic plenitudo poteſtatis ſit in univerſitate ipſa, „ & per ſingulos exerceatur, ſed principaliter per Petrum &c. „ . Rogo nunc, utrum proteſtan-

ter collocata a Christo populorum salus, administrandæque Ecclesiæ universæ potestas esset. Quod si *plenitudinem potestatis in universitate esse*, hoc est in ordine sacerdotum, dixit, eo certe sensu, quo Gallorum permulti, non quo Protestantes defendunt, dixit. Galli namque, qui concilium Papæ præferendum putant, propterea quod plenitudinem ordini hierarchico datam putent, jus primatus Petro ultro concedunt, monarchicamque aristocratia temperatam esse fatentur reipublicæ christianæ gubernandæ formam. Id Zabarellæ, cum schismatis tollendi caussas inquireret, verisimile visum est: quamquam committendum non putarit, ut ab se quisquam decretum Synodi Constantiensis *de reformatione in capite, & in membris* (1) probatum, subjectumque concilio Pontificem Petri successorem fuisse, judicaret.

In eamdem fere sententiam loquutus Nicolaus Cusanus Cardinalis fuit (2). Polydori Virgilii scriptoris certe minus

 dili-

testantes: I. *Papam esse universalem Pontificem*: II. *Petrum esse Principem Apostolorum*: III *Romanum Episcopum esse summum Pontificem*: IV. *In Papa esse ut in principali Christi Ministro plenitudinem potestatis*: V. *Papam esse super omnes jurisdictione, & habere potestatem de jure, sed non de facto*, quia multa *de facto*, quæ potest ipse per se decernere, in synodis decerni velit, alioquin quomodo τὸ *de facto* intelligi debeat, ne suspicari quidem possum: VI. Salutem populorum commissam universitatibus Apostolicis fuisse, ita tamen *quod in Petro sit principaliter* collocata, & exerceatur plenitudo *potestatis principaliter per Petrum*, confiteantur? Si autem confiteri nolunt, quæ Zabarella ultro confessus est, quid est quod eum sibi adjutorem vocandum putent?

1 Confer Iosephum Augustinum Orsium O.P. Sacri Palatii Apost. Magistrum *lib.* v. de Romani Pontificis in *Synodos OEcumenicas, & earum Canones Potestate cap.* IV. *Art.* I. §. III. *pag.* 43. *tom.* III. *Part.* II. *edit. Rom. an.* 1740.

2 *Lib.* I. *de Concordantia Catholica cap.* I. *seqq. pag.* 704. *seqq.* „ Petrus pro soliditate „ Ecclesiæ petra dictus est, & ex eo petra, quia ipse est, qui primus in nationibus fidei „ fundamentum posuit, & tamquam saxum immobile TOTIUS OPERIS CHRISTIANI COMPAGEM, MOLEMQUE CONTINET. Ideo Christus de Ecclesia loqui volens, ad eum tam„ quam ipsam figurantem loquitur. Ideo Ecclesiæ privilegia solida, ex iis, quæ Christus „ tradidit, & promisit, & loquutus est Petro, haurire debemus „. Affert deinde locum ex *Epistola* LIII. *al.* CLXV. *ad Generosum tom.* II. *Opp. pag.* 91. *cap.* I. *num.* 2. quem locum lector consulere poterit. Miror autem laudari pro se a Gerardo potuisse, quæ *cap.* XIV. ejusdem libri *pag.* 706. Cusanus complexus est, cum iis adeo confirmetur summus in Ecclesia principatus Petri, ut nihil desiderari supra posse videatur. Scribit enim hoc modo: „ Habetur insuper, quod una est cathedra vera, & certa Sancti Petri, in qua sedent om„ nes successores. Unde cum una cathedra sit privilegium unius Ecclesiæ, & primum, „ secundum Optatum *lib.* II. *contra Parmenianum*, tunc est verum, quod non adhærens „ unitati Cathedræ, extra unitatem Ecclesiæ est. 39. *dist. Qua Cathedram*. Dicit autem „ Opta-

diligentis, harumque rerum imperitissimi, etsi implicata sententia est, nihil tamen continet, ex quo Petrum non fuisse principem Apostolorum a Christo dictum, neque caput Ecclesiæ constitutum, intelligatur (1). Id vero componi

,, Optatus conformiter loco præscripto : (*cap.* III. *pag.* 31. *edit. Antuerp. an.* 1702.) *Ca-*
,, *th dra una est, & negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram* .....
,, *esse collatam in qua sederat* (editi habent sederit) *omnium Apostolorum caput Petrus,*
,, *unde cephas appellatus est : in quo uno* (editi : In qua una) *Cathedra unitas ab omni-*
,, *bus servaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schisma-*
,, *ticus, & peccator esset, qui contra unam Cathedram, alteram sibi collocaret. Er-*
,, *go Cathedra unica est* (editi : *Ergo Cathedram unicam*) *quæ est prima de dotibus,*
,, *& in ea sedit primus Petrus* (editi : *sedit prior Petrus*) *cui successit Linus &c.* Et
,, infra : *Contra portas inferi claves salutares accepisse legimus Petrum Principem scili-*
,, *cet nostrum, cui a Christo dictum est :* Tibi dabo claves &c. *Unde est ergo quod cla-*
,, *ves regni Cælorum vobis usurpare contenditis, qui contra Cathedram Petri vestris*
,, *præsumtionibus, & audaciis sacrilege militatis?* Et infra : *cap.* VI. *pag.* 36. *Igitur de*
,, *dotibus supradictis Cathedra est prima, quam probavimus per Petrum nostram esse,*
,, *quæ ducit ad se Angelum*. Angelus enim, qui datur Ecclesiæ, ei non conjungitur, qui
,, se Cathedræ Petri non conjungit. Et infra : *Vos dico esse abscissos palmites a vite, vos*
,, *rivum concisum a fonte. Non enim potest origo esse rivus, qui parvus est, & non de*
,, *se nascitur, aut arbor ramus concisus, cum (arbor fundata suis radicibus gaudeat,*
,, *& ramus) si fuerit exsectus, arescat*. Hæc ille. Magna sunt ista documenta, quoniam
,, non est, nisi una Cathedra per descensum succedentium usque in Petrum, super quem
,, Ecclesia fundata consideranda : quoniam certi sumus, quod portæ inferi non prævale-
,, bunt adversus eam. Unde ex hoc notandum, quod qui se Christianum esse fatetur,
,, NECESSARIO CONFITERI HABET, connexam esse Cathedram suam ad succedentium Ca-
,, thedræ Sancto Petro, & in societate illius Cathedræ per unionem esse, alioqui CHRI-
,, STIANUS NON EST . . . Est itaque verum unam esse Cathedram Petri, QUONIAM CATHE-
,, DRA PRINCIPATUM REGITIVUM SIGNIFICAT IN ECCLESIA ,,. Inspiciant in hunc Cusani locum, quem pro se afferunt, Protestantes, tamquam in speculum, atque inde qui sint, aliquando intelligant. Nam qui sejunctus a Cathedra Petri est, quæ Cathedra *Principatum Regitivum*, auctore Cusano, significat, hunc Christianum haberi non oportere ille ipse Cardinalis scribit. Videant autem Protestantes, conjunctine Cathedræ Petri sint, concludantque verbis illius, quo patrono gloriantur, se non esse Christianos.

1 Polydorus Virgilius, qui extremo seculo XV. floruit, *lib.* IV. *De Inventoribus Rerum cap.* VI. *pag.* 257. *edit. Lugdun. an.* 1546. cum nonnulla implicate, imperiteque de Petro scripsisset, id est consequutus, ut idem suum opus in indicem librorum prohibitorum referretur; cumque emendatum illud sese edere velle Dionysius Zanchius Romanus Typographus dixisset, a Gregorio XIII. P. M. die 1. Iunii an. 1576. id facile, ut faceret, impetravit. Sunt autem Polydori in editionibus ante Romanam perfectis verba hujusmodi :,, Post
,, Christum Petrus in sacerdotio prærogativam habuisse dicitur, quod primus Apostolo-
,, rum ordine, & ejus sacrosancti COLLEGII CAPUT fuisset. Quapropter Divus Cyprianus
,, *Epist.* III. *ad Cornelium* : Cathedram Petri principalem vocat ,,. Fatetur ergo Petrum & primum, & Caput Collegii Apostolorum fuisse. At mox, dicet quispiam, hæc addit :,, Ne quis erret, nulla alia ratione sacerdotalis Ordo a Romano Episcopo profectus
,, esse dici potest, nisi apud Italos dumtaxat id factum intelligatur, cum perdiu ante ad-
,, ventum Petri in Urbem Romam apud Hierosolymas sacerdotium rite institutum fuisse li-
,, quido liqueat &c ,,. Verum hæc primatum Petri, monarchicumque dominatum non evertunt. Non enim de principatu quæstio, sed de antiquitate sacerdotii, Polydoro fuit. Cumque apud Patres legisset fortasse : *arcem sacerdotii Petro concessam fuisse, esseque illum hono-*

poni cum Proteſtantium hæretico dogmate non poteſt. Idem eſt omnino de Alphonſi Toſtati Abulenſis Antiſtitis (1) opinione ſtatuendum. Quamvis enim ille in ſuſpicionem erroris, dum viveret, incidiſſet, multaque proinde incommoda perpeſſus eſſet, numquam tamen eo ſeſe adduci tulit, ut *primatum* eſſe putaret adimendum Petro. Nam quod *conſtitutum a Chriſto inter Apoſtolos pro gradibus dignitatis ordinem* neget fuiſſe, id ſane aut de Apoſtolatus munere, non de poteſtate regendæ, continendæque in unitatis centro Eccleſiæ intelligendum eſt; aut quocumque tandem modo intelligatur, principatum Petri in univerſa Eccleſia non tollit, quem ſane Toſtatus multis in locis non explicavit ſolum, ſed etiam pluribus rationum momentis confirmavit. De Eraſmo (2) hoc

honoris Epiſcoporum exordium, auctoremque Epiſcopalis nominis, & honoris, in quo Chriſtus ſacerdotii ſummam locaverit, per quem (Petrum) *Apoſtolatus, & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium*: (Confer Epiſtolas Romanorum Pontificum apud Conſtantium *tom.* 1. *p.*651. 747. 896. 1019. 1041. 1255.) ratus futuros aliquos tam ineptos, qui ſacerdotium in cœtu Chriſtianorum, antequam Petrus advenıſſet Romam, nullum fuiſſe arbitrarentur, profectum ſacerdotium a Romanis Pontificibus apud Italos fuiſſe ſcripſit. Quamobrem paullo poſt adjungendum cenſuit *pag.* 257. „ Exiſtunt etiam nunc, qui contendant Petrum in „ omnes Apoſtolos jus habuiſſe. De qua re noſtrum non eſt quidquam decernere, qui ſacer„ dotii originem tantum quærimus. Tametſi contra nonnulli aliter cenſent „. Non negat tamen *ipſe* Nam nonnulli, qui primatum Petro adimere tempore Polydori tentarant, Huſſitæ, aliæque peſtes generis ejuſdem erant, quibus ille induci numquam, ut aſſentiretur, potuit.

1 Conſule Natalem Alexandrum *Hiſt. Eccl. ſec.* XV. & XVI. *cap.* IV. *art.* 1. *pag.* 151. *tom.* IX. *edit. Lucenſ. an.* 1752. Adeundus etiam Toſtatus idem *quæſt.* XXVIII. *in cap.* X. *Evang. Matthæi p.*391. *t.* III. *in Matth. opp. edit. an.*1615. *Et quæſt.* LXVIII. *in c.* XVI. *Matth. pag.* 285. *tom.* IV. ubi: *Primus*, inquit, *Apoſtolus conſtitutus univerſalis Epiſcopus, & maximus omnium Epiſcoporum &c.*

2 Etſi multa de Eraſmo dici poſſent, his tamen, quæ ſunt animadverſa ab Nicolao Sandero *lib.* VII. *de viſib. Monarch. pag.* 580. *edit. Antuerp. an.* 1571. contenti erimus, quæ ſi Gerardus legiſſet, numquam ab Lutheranis Eraſmum ſtetiſſe mentitus eſſet. „ Multa teme„ re Eraſmus ſcripſit, quæ Dei Eccleſiam non ædificabant, temeritatemque ſuam ipſe in „ reſponſione ſua ad Albertum Pium ultro agnoſcat dicens: *quidquid edo, abortus verius* „ *eſt, quam partus*... tamen eo uſque non eſt progreſſus, ut... Pontificis Romani com„ munionem ſibi eſſe deſerendam ullo modo arbitraretur. Ac primum in ſcholiis ſuis „ ad epiſtolam Hieronymi, quam ille ad Damaſum ſcripſit, fatetur, Epiſcopum Romanum „ ex mente Hieronymi *tum D. Petri ſucceſſorem eſſe, tum crucifixi*, hoc eſt, *Chriſti vi*„ *ces gerere*...... *Hieronymus*, inquit Eraſmus ibidem, *omnino videtur ſentire omnes* „ *Eccleſias debere ſubeſſe Romanæ Sedi, aut certe ab hac non eſſe alienas, quæ peculiari*„ *ter hoc Apoſtolo gloriatur, qui inter Apoſtolos primas tenuit, ut ſit orthodoxorum* „ *prima dignitate*... *Idem in ſpongia adverſus Huttenum*: *Non indixi*, inquit, *bellum* „ *Romano Pontifici, non profeſſus ſum me protectorem Lutheranæ factionis*. Et iterum: „ *conſtat Græciam in Romani Pontificis poteſtatem conceſſiſſe: etſi principatus Pontificis* „ *non eſſet a Chriſto, tamen expediret unum eſſe, qui ceteris auctoritate præemineret* „ *Chriſtum agnoſco, Lutherum non agnoſco, Eccleſiam Romanam agnoſco*. Et poſt: „ *Quod*

hoc breve dico: multa eum temere, non pauca etiam perturbate ſcripſiſſe plerumque; ſublatum autem voluiſſe Petri e chriſtiana republica principatum, numquam. Immo vero quem ille ſæpe, quem luculenter, quem ſatis explicate contra Lutherum, ejuſque ſectatores tutatus eſt, hunc ego principatum ab eo in controverſiam fuiſſe aliquando vocatum, Gerardo ne jurato quidem, inducere in animum poſſum, ut credam. At Gerardi, ut in rebus ceteris, ita in exponenda Franciſci (1) Victoriæ, Toleti (2), Feri (3) de primatu Petri opinione, fidem deſidero. Qua enim confidentia ab acerrimis monarchiæ Eccleſiæ defenſoribus, vindicibuſque, qualis Victoria, Toletuſque fuerunt, ſuſceptum fuiſſe mentitur lutheranæ de Petro non principe Apoſtolorum hæreſeos patrocinium?

Sed fac hi recentiores ſcriptores ita, ut Gerardus exiſtimat, ſenſerint. Quid? an tam paucos innumerabilibus aliis eruditione, doctrina, dignitate longe excellentioribus quiſquam præferendos putet? Horum ego, etſi non omnium (nam ut omnes numerem fieri omnino non poteſt) catalogum opportune texam, cum de Romani Pontificis monarchico principatu diſſeram. Sunt enim hæ nexæ, apteque inter ſe colligatæ quæſtiones.

X. *Pa-*

„ *Quod adverſatur dignitati Sedis Romanæ, certo certius habeto non eſſe profectum ab* „ *Eraſmo, quocumque titulo circumferatur* . . . In fine adnotationum ad 1. Petri epiſtolam. *Frivolum*, inquit, *eſt*, *quod quidam cavillantur, vacillare principatum Romanæ Sedis, ſi Petrus hanc epiſtolam ſcripſit Babylone, quaſi fieri non potuerit, ut Petrus hæc ſcribens egerit Babylone, ac poſtea Romæ ſederit* „.

1 Victoria *de Pot. Ec. q. Princip.* II *prop.* IV. *p.* 69. *ſeq. edit. an.* 1565. „ Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuper Petrum (velut ſuper poteſtatem ordinariam in perpetuum duraturam) „ ergo opus fuit, ut Petro e medio ſublato, alius loco illius ſubrogaretur cum ſimili auctoritate, & poteſtate juriſdictionis in totum orbem, qui ordo unius ſummi ſacerdotis, & „ ſummo ſacerdoti legis reſpondet &c „. Vide Sanderum *ibid. pag.* 596.

2 Toletus *in cap.* XXI. *Joh. pag.* 574. *edit. an.* 1588. „ Non poſſunt hæretici hoc tam „ evidens teſtimonium Pontificiæ auctoritatis effugere, non enim Petro, ſed ſuæ Eccleſiæ „ conſulebat, uni totam ipſius gubernationem imponere &c „.

3 De præcipua poteſtate, hoc eſt de primatu Petri diſputat Johan. Ferus *in cap.* XVI. *Matth. pag.* 223. *edit. Mogunt. ann.* 1559. etſi non tam accurate, quam vellem. Cetera adverſariorum argumenta propoſui, refutavique *pag.* 156. *ſeqq. hujus vol.*

X.

Parem ne Petro Paulum, an inferiorem aliquo in genere potestatis fuisse, majores nostri putaverint?

Sed ne cui loco responsum non esse videatur, breviter etiam ad eorum argumenta dicam, qui Paulum Petro parem omnino fuisse statuunt. Quorum duo esse genera video, unum Protestantium, qui, positis principibus duobus, monarchiam Ecclesiasticam consistere negant posse; alterum eorum, qui hanc existiment a duobus summis principibus, si unum caput constituant, ut non perfici, ita ne vitiari quidem. Ac de Protestantibus, qui cum aristocraticam esse christianæ reipublicæ gerendæ rationem putent, Petrum, ac Paulum, etsi pares arbitrentur fuisse, ceteris tamen Apostolis præfectos inficiantur, alias. Nunc de iis, quorum secundo loco meminimus, qui, qualesque fuerint, videamus. Igitur Carolus Franciscus de Abra de Raconis Episcopus Vaurensis, cum contra Arnaldum edidisset tractationem de singulari Primatu Petri, Johannem Vergerium Abbatem S. Sygirani erroris *de duplici Ecclesiæ capite Petro, ac Paulo* adsertorem fuisse scripsit. Negavit venisse id umquam in mentem Vergerio auctor libelli gallice de *auctoritate S. Petri, & sancti Pauli, quæ residet in Papa successore duorum illorum Apostolorum* perscripti (1), editique an. 1645. Itaque alii longe fuisse diversam ferunt damnatæ opinionis originem. Petrus Sesmasonus, sic enim se scriptor ille e Societate Jesu vocaverat, cum Abbatis sancti Sygirani libellum quemdam legisset, galliceque contra libellum alterum hoc titulo: *sitne melius frequenter, quam raro sacræ communionis in Eucharistia participem fieri* (2), scripsisset, publicassetque; Antonius Arnaldus, in cujus manus is libellus inciderat

1 *Art.* VII. *pag.* 51. falso, *inquit*, adscribit hanc doctrinam (Episcopus Vaurensis) *vita functo Abbati sancti Sygirani*.

2 Thom. Ittig. *dissert.* IV. *app. tract. de Hæresiarch.* §. 1. *pag.* 401. *edit. Lips. an.* 1690.

ciderat, quod & amicitia Johanni conjunctus fuisset, & plura esse ab adversario dicta putasset, quæ cum veterum Patrum doctrina pugnare viderentur; celebrem illum, atque a multis vexatum de Frequenti Communione librum composuit, vulgavitque an. 1643. Quinam continuo adversus Arnaldum surrexerint, quas epistolas, quos libros, quas demum tractationes in vulgus illius oppugnandi caussa sparserint, longum est dicere. Sed is auctor cum in sexto præfationis paragrapho hæc scripsisset: *De sorte que l' on voit dans les deux chefs de l' eglise, qui n' en font qu' un, le modelle de la penitence* (1), *comme nous l' avons expliquee en cet ouvrage* (quæ verba deinde in latinam linguam idem ipse vertit hoc modo: *Ita in duobus Ecclesiæ Romanæ principibus pœnitentiam, qualis hoc in opere a nobis descripta est, illustriorem, atque expressiore forma intuemur* (2), cum hac ratione verti potius debuissent: *Ita ut in duobus capitibus Ecclesiæ, quæ nonnisi unum faciunt, exemplum pœnitentiæ videatur, quemadmodum nos eam hoc in opere explicavimus*) in multorum offensionem incurrit, vocatusque fuit in erroris suspicionem. Fuisse aliquos, qui cum eo de re apud orthodoxos ne fando quidem unquam audita expostularint, auctor est *Dissertatione* IV. Ittigius (3). Sed qui in Arnaldum invecti acerrime fuerint, intelligi ex eo ipso *de Auctoritate S Petri, & Sancti Pauli*, quem paulo ante memoravi, libello potest. Multos enim fuisse auctor dicit, qui librum de Frequenti Communione (4) oppugnarint. In his Petavium, qui nihil in extremo sexto Præfationis Paragrapho reperisset., quod aut hæreticum, aut in erroris suspicionem (5) vocandum arbitraretur. Carolum

1 *Præf. lib. de Freq Comm. edit. an.* 1643. & 1669.

2 *In Præf. ejusd operis latine edit Lovanii an.* 1674. §. VI. *pag.* 22.

3 §. III. *pag.* 403. Auctor Catech. Hist. Dogm. a Barcosio qui post Vergerium Abbas S. Sygirani fuit, eam propositionem Arnaldi libro insertam scribit *tom.* II. *pag.* 63. *edit. Hagensis an.* 1730. quod fieri sane potuit.

4 Contra illud Arnaldi opus Franciscus Renardus, Guido Britonellus, Nicolaus Lombardus, Jacobus Sirmondus, Hieronymus Seguinus, Johannes Petrus Camus, multique alii scripserunt, ut est ab Ittigio *ibid. n.* II. *pag.* 402. memoriæ traditum.

5 Auctor libri *de l' Autoritè de Saint Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres: Artic.* 1. *pag.* 8. *edit. ann.* 1645. confirmatam hanc a Petavio fuisse opinionem scribit. Ac Petavius *lib.* II. *cap.* XII. *pag.* 253. *tom.* IV. *Theologicor.*

rolum Franciſcum Epiſcopum Vaurenſem poſt *Analyſim* (1) libri de Frequenti Communione (quam Arnaldus longa oratione repellere conatus fuerat) reſponſionem (2) *adverſus Arnaldi Apologiam* edidiſſe, idque genus propoſitionis notaſſe. Idem Pſeudo-nymum Euſebium a Polemarque (3) pluribus epiſtolis feciſſe. Itaque datam ab ſe fuiſſe operam, ut liber ille de *Auctoritate S. Petri, & S. Pauli* in lucem prodiret, quo Arnaldi defenſio contineretur. Ægre id quidem tulerunt plerique doctiſſimi viri, qui hoc genere ſcriptionum impeti catholicum dogma de Petri Primatu poſſe perſpicerent. Quamobrem extiterunt continuo, qui librum ejuſmodi, quem ab Arnaldo ipſo fuiſſe perſcriptum ferrent, confutare aggrederentur. Horum omnium tradunt primum fuiſſe Petrum a Sancto Joſepho Congregationis B. (4) Mariæ Fulienſem Theologum; alterum Iſaacum Habertum Presbyterum, Canonicum, Theologum Eccleſiæ Pariſienſis, Abbatem (5) Sanctæ Mariæ de Allodiis, Doctorem Sorbonicum, ac regi a conſiliis, & ſacris concionibus ordinarium,

gicor. Dogm. edit. Antuerp. §. 1. ſic habet: „ Inter rationes, quas (Arnaldus) pro ſe af„ ferc in gratiam novæ pœnitentiæ, & dilationis communionis, quas ex univerſa vetere „ pœnitentia delegit, dicit, *cerni in duobus principibus Eccleſiæ, SS. Petro, & Paulo,* „ *exemplar pœnitentiæ, qualis in eo opere deſcripta eſt*„. Neque vero neceſſe erat, ut quod non eſſet inſtituti ſui Petavius faceret, oppugnareque propoſitionem aggrederetur, quam, ut expreſſa in libro *de Frequenti Communione* erat, explicari, rapique poſſe in meliorem partem arbitraretur. Quod ſi Petavius eodem in *cap p.* 272. operis gallice ſcripti de *Pœnitentia* Paulum *le collateral* Petri vocat, non ſequitur, ut eum æqualem huic omnibus rebus, neque *ſubordinatum* fuiſſe putarit. Itaque auctor libelli ſuo agit more, cum locum, ſenſumque Petavii pervertens ſcribit *pag.* 8. *art. eodem* uſurpaſſe eam vocem Petavium *reconnoiſſant par ce terme l'eſgalité, que Monſieur Arnauld eſtablit entre ces deux Apoſtres.* Non enim aſſenſus unquam Petavius ils eſt, qui rem dubiam explicando fecerunt deteriorem, ita ut Paulum omnino æquarint Petro.

1 *Analyſe du livre de la Frequente Communion &c. edit. Pariſ. an.* 1644.

2 *Reſponſe à l'Apologie du Sieur Arnauld.*

3 Hujus epiſtolas gallice ſcriptas commemorat *pag.* 4. *ſeqq.* confutatque is, qui librum edidit ſupra indicatum hoc titulo: *De l'autorité de s. Pierre, & de s. Paul, qui reſide dans le Pape ſucceſſeur de ces deux Apoſtres, où ſont repreſentez le ſentimens des eſcritures, des ſaincts Peres, & particulierement des Papes, & de toute l'Egliſe Romaine ſur cette matiere pour ſervir de reſponſe aux accuſations atroces, & injurieuſes, qu'on a formées contre cette propoſition du livre de la Frequente Communion: que s. Pierre, & s. Paul ſont les deux chefs de l'Egliſe, qui n'en ſont, qu'un. An.* 1645.

4 Hujus librum memorat Ittigius *ibid.* §. 1v. *p.* 403. inſcriptumque eſſe ait: *Advocatum Petri & ejus ſucceſſorum contra Pauli Advocatum.*

5 Eſt id opus inſcriptum hoc modo: *de Cathedra, ſeu Primatu s. Petri in Eccleſia Catholica Apoſtolica, & Romana libri duo: Pariſiis an.* 1645.

rium, posteaque Episcopum Vabrensem, qui ob Pontificalem librum græcorum, aliaque illustria opera publicata, singulare sibi nomen, existimationemque paravit; tertium Carolum Franciscum Abram Raconisium (1), a quo eodem anno 1645. gallica lingua tractatio edita fuit de singulari Primatu Petri. Sed qui Arnaldi caussam, defensionemque susceperat, desistendum non putavit. Quare anno eod. 1645. adversus accusatores illos tres, gallice *de Magnitudine* (2) *Ecclesiæ Romanæ in Petri Paulique auctoritate constabilitæ* opus conscripsit, ac typographi, locique, in quo typis excusum esset, nomine prætermisso, publicari, spargique in vulgus curavit. Sunt qui hunc item librum (3), epistolamque, cujus hæc est inscriptio (4): *De suprema Romanæ Ecclesiæ amplitudine in Petri, & Pauli individua auctoritate fundata ad Innocentium X.* anno 1645., Arnaldo omnino esse tribuendam putent. Vix ille de *magnitudine Ecclesiæ* liber prodierat, cum a Claudio Morelio (5) Doctore Sorbonico, aliisque acerrime confutatus est. In Epistolam autem Guido Britonellus (6), Antonius Diana (7), Augustinus de Bellis (8) Cle-

1 Hujus item meminit Ittigius *Ibid.*

2 *La Grandeur de l' Eglise Romaine etablie sur l' autorité de s. Pierre, & de s. Paul &c. pour servir de response aux livres de Pierre de s. Joseph, M. Habert & de l' Evesque de Laueaur. Paris. an.* 1645.

3 Ittigius *ibid. pag.* 403. Accedit Theophilus Raynaudus loco *infra indic. pag. hujus vol.* 360. *not.* 3. Assentitur Justus Fontaninus, ut constat ex *indice Bibliothecæ Renati Cardinalis Imperialis ad v.* Arnaldus. Dubitat Petrus de Marca, aut saltem implicate hac de re loquitur. Confer quæ scripsi *p.*358. *hujus volum.* Negat is, qui gallice Arnaldi vitam perscripsit, Vide *pag.* 359. *hujus vol. not.* 3. Labbeus etsi de libris pro Arnaldi sententia editis sileat, *propositionem* tamen ex Arnaldo esse profectam defendit. *Biblioth. Antijansen. ut est apud Ittigium loco indic.* Idem passim confirmat Auctor librorum gallice editorum *de Auct. ss. Petri, & Pauli. Et de Magnit. Eccl. Roman.* Contra Auctor Catechismi *Hist. & Dogmat.* & propositionem de duobus capitibus, & libros *de Auctorit. & de Magnit.* non Arnaldo, sed Barcosio tribui oportere defendit. Consule *pag.* 160. *hujus vol. not.* 3.

4 Hujus epistolæ synopsim describit Augustinus de Bellis initio sui tract. *de absoluta divi Petri Monarchia, qua solus Ecclesiam aurigavit contra Anonymum Neotericum, qui ita Paulum Petro inseruit, contesseravit, ut cum illo unum Pontificem, unum caput Ecclesiæ a Domino institutum fuisse commentus sit, edit. Rom. an.* 1647.

5 Meminit Moreliani operis Ittigius *ibid. pag.* 404.

6 Extat Britonelli *epist. ad Innoc. X. s. Petri unici Apostolorum principis unicum successorem, & unius ovilis unicum Pastorem an.* 1646.

7 Antonii Dianæ Clerici regularis *Disceptationes Apologeticas de Primatu solius Divi Petri, & de differentia inter ipsum, & divum Paulum, edit. an.*1646. recudi curavit Roccabertus *Biblioth. Pontif. tom.* IV. *pag.*119. *seqq. edit. Rom. an.* 1697.

8 Vide *notat.* 4. *hac ipsa pag.*356.

Clericus Regularis, Leo Allatius (1), Melchior Inchofer (2), aliique commentarios ediderunt. Innocentius X. qui hæc intellexerat, veritus, ne qui exsisterent, qui Paulum *subordinatum* nulla ratione fuisse Petro arbitrarentur, anno 1647. sacræ Inquisitionis decreto proscribi Epistolas, librosque, qui ab Arnaldo in eam sententiam perscripti dicerentur, damnarique, ut hæreticam, eam propositionem, jussit, quæ sic haberet: *S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui unicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ coryphæi, ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti; vel sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt; vel sunt duo Ecclesiæ summi pastores, ac præsides, qui unicum caput constituunt*, si ita explicetur, *ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & Sanctum Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ* (3).

 Hoc

1 *De Ecclesiæ Occidentalis, atque Orientalis Perpetua Consensione lib.* 1. *cap.* 11. *seqq. pag.* 19. *seqq. edit. Colon. Agrip. an.* 1648.

2 Apud Allatium *ibid. cap.* VII. *pag.* 136. *seqq.*

3 Extat id decretum in Indice *Alex.* VII. *P.M. in append. p.* 357. Sic autem habet: „ Feria V. die 24. Januar. 1647. In Congregatione Generali sanctæ Romanæ, & universalis
„ Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctissimo Domino
„ nostro D. Innocentio divina providentia Papa X. ac Eminentissimis, & Reverendissimis
„ DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana adversus hæreticam pra-
„ vitatem Inquisitoribus generalibus a sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Editus
„ est anno anno 1645. liber gallico idiomate impressus, cui titulus: *De l' authorité de*
„ *s. Pierre, & de s. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres*, abs-
„ que nomine auctoris, & impressoris loco. Hujus libri evulgationem subsecuta est editio
„ alterius libri Anonymi eodem idiomate impressi: cui titulus: *la Grandeur de l' Eglise*
„ *Romaine &c.* Nec non epistolæ ejusdem argumenti latino idiomate conscriptæ, ac ty-
„ pis excusæ plurimis adductis, atque congestis sanctorum Patrum, summorum Pontificum,
„ sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis. Quo circa ne in re tanti ponderis error ali-
„ quis mentibus Christianis irreperet, libris prædictis de mandato sanctissimi mature exa-
„ minatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis: sanctissimus relata una-
„ nimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentissi-
„ morum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, propositio-
„ nem hanc: s. Petrus &c „. *Ut supra in textu*. Et paullo post: „ Epistolam vero, ac li-
„ bros prædictos, aliosque, in quibus propositio, ut supra explicata, & damnata asseritur,
„ & defenditur tam impressos, quam imprimendos quocumque idiomate, aut quomodo libet
„ etiam in scriptis evulgatos, vel in posterum evulgandos, sanctitas sua omnino damnatos,
„ ac prohibitos esse voluit, prout præsenti decreto damnat, & prohibet &c. „ Quo ex decreto concludi aliqui posse putant, librum de *Frequenti Communione* fuisse item proscriptum,

pro-

Hoc fere tempore cum Petrus de Marca Barcinone (1) ageret, rogatus, ut ſcribit, a viro eruditiſſimo, a quo litteras ea de re plenas humanitatis acceperat, diſputationem de *ſingulari Primatu* Petri perſcripſit, Romamque mitti curavit. Romanis eam placuiſſe, propoſitamque ab Innocentio X. Pontifice ad legendum fuiſſe, auctor eſt in Præfatione ad Opuſcula Marcæ (2) Balutius. Eſt autem hæc Marcæ ſententia: deſignatum quidem Petrum a Chriſto Eccleſiæ petram, paſtorem ovium, principemque fuiſſe (3) Apoſtolorum. Paulum, qui Apoſtolatum Romæ (4) geſſerit, geſſiſſe etiam Epiſcopatum; qui conjunctus cum Apoſtolatus poteſtate, munereque eſſet. Auctorem Anonymum duo capita Eccleſiæ Romanæ Petrum, ac Paulum conſtituentem vehementer errare (5), propterea quod *ex æquo duo* illos *capita* fuiſſe dixiſſet. Duos enim Epiſcopos, atque hoc ſenſu duo capita, ſi veterum ſequamur fidem, ferri poſſe: *τὸ ex æquo* autem ferri nullo modo poſſe: *quia*, inquit, primatum, *quem in regimine univerſalis Eccleſiæ ſolus Petrus obtinuit ex ore ipſo Chriſti, per indebitam comparationem cum primatu Pauli, qui verſabatur in ſolo Eccleſiaſticæ inſtitutionis magiſterio, ut loquitur Maximus Taurinenſis, penitus labefactat*. Haud multo ante quam publicatum a ſuprema Inquiſitione decretum eſſet, qui Romam ſe ab Epiſcopis quibuſ-

propterea quod propoſitionem *de duobus capitibus unum conſtituentibus* contineat. Sed is liber in indice ipſo, in quo aliquot alii Arnaldi libri damnati recenſentur, non extat. Sed qui vitam Arnaldi gallice ſcripſit, labi eos defendit, quod propoſitionem damnatam ab Innocentio, in libro, qui eſt de Frequenti Communione, eo ſenſu, quo damnata eſt, reperiri, librumque ipſum fuiſſe proſcriptum putent *pag.* 85. *ſeqq.*

1 Confer Petri de Marca *Exercitationem de ſingulari Primatu Petri num.* 11. *pag.* 54. *ſeq. edit. Pariſienſ. ann.* 1681. & Balutii *in opuſcula Marcæ præfationem num.* 11I. *ejuſdem edit.*

2 Stephanus Balutius *ibid.* „ Cum hæc quæſtio, *inquit*, diſtraheret in partes ingenia „ eruditorum, Innocentius Papa X. a Marca impetravit exercitationem illam *de ſingulari* „ *primatu Petri*, quam is ſcripſit Barcinone v. Kal. Junias ejuſdem anni 1647. Ea porro „ ſic placuit Innocentio, ut eam publice legi juſſerit „: A Balutio accepit Lequienius. Nam in eo libro, quem *Stephani de Altimura Panopliam contra Schiſma Græcorum* inſcripſit, *Proluſionis num.* XI. *pag.* 9. *edit. Pariſ. an.* 1718. „ Exercitationem, *inquit de ſingulari* „ *Primatu Petri* Innocentius Papa X. admodum probavit, ita ut eam Romæ publice legi „ juſſerit „.

3 Marca *ibid. n.* 111. *ſeqq. pag.* 56. *ſeqq.*

4 *Ibid. n.* XVII. *pag.* 65. *ſeqq.*

5 *Ibid. n.* XXII. *pag.* 70. *ſeq.*

busdam Galliæ missos dixerant (1), quum ab accusatoribus Arnaldi sententiarum, dimisso de *Frequenti Communione* libro, diligenter de damnando *de duobus capitibus unum constituentibus* errore, deque proscribendis opusculis, quibus is error contineretur, agi animadvertissent; & ad Cardinales adissent; iisque quibus locis Scripturarum, Patrumque ea opinio confirmari posse videretur, exposuissent; quod nihil ab iis, quibus sancte custodiendum secretum erat, de censura intellexissent; sibi falso persuaserant, fore ut non libellos modo legere cuique, sed tueri quoque sententiam liceret. Id ut est Legato Pontificis nunciatum, ex Societate Sorbonica quæsisse fertur, quemquam ne illa Romam defendendorum librorum, quibus propositio *de duobus capitibus* adsereretur, caussa (2) misisset? Responsum continuo ab Castellanio Doctore Sorbonico est, sociorum esse neminem, qui librum ullum de hoc argumenti genere scriptum umquam fuisse (3) sciat. Bourgeoisium Romæ, libri *de Frequenti Communione* caussa, versari, in quo *de duobus Capitibus Ecclesiæ* nihil quidquam reperiatur. Anno 1647. cum VIII. Kal. Februarias publicatum Ro-

1 Ita quidem legi in eo libro, qui inscribitur: *Journal de Monsieur de Saint Amour Docteur de Sorbonne &c. pag. 2. edit. an. 1662.*

2 *Ibid. pag. ead. ad an. 1646.*

3 *Ibid.* Ita fortasse responsum fuit, propterea quod multi libellos duos, Epistolamque illam, cujus supra meminimus, Arnaldo tribui oportere negarent. Neque vero de Marca Arnaldo adscribit, etsi ita loquitur, ut sententiam *de duobus capitibus* illi fuisse probatam indicet. Sic enim habet *n. 1. Exercit. de Singulari Primatu Petri pag 54.* „ Ejus generis „ est sententia recentioris cujusdam, qui non infimum inter eruditorum subsellia locum oc„ cupat. Exciderat illi in commentatione quadam (*hoc est Arnaldo in præfat. operis de* „ *Freq. Comm.*) ut Petri, & Pauli Apostolorum, tamquam duorum Romanæ Ecclesiæ capi„ tum societatem in unum caput coalescentem adnotaret. Non tulit impune hallucinationem „ illam, quæ statim ab eruditissimo viro Isaacio Habetto, tunc Parisiensis Ecclesiæ Theolo„ go, dein Vabrensi Episcopo libello ea de re publicato castigata est. Illi contumeliæ, ut „ ipse interpretabatur, amovendæ novam, & specialem lucubrationem scriptor Anonymus „ iusumsit, qua Petri, & Pauli in Romano Pontificatu consortium, binosque illos Apostolos „ duo ejus Ecclesiæ capita ex æquo asserere conatus est „. Viden' ut plane non indicet, num is scriptor Anonymus idem, atque Arnaldus, auctor libri de Frequenti Communione, esset? Jam vero qui opusculum: *Histoire abregée de la vie, & des Ouvrages de Monsieur Arnauld.* publicavit, quod antea editum hoc titulo fuerat: *Question Curieuse &c. pag. 85. seq. edit. Colon. ann. 1695.* longe ab errore damnato Arnaldum abesse pugnat. Non enim, inquit, propositio, ut est in præfatione *lib. de Frequent. Commun.* sed ut est in aliis quibusdam libellis, quorum ille non est auctor, *dont il n' est point l' auteur*, certo quodam sensu, quo ille ipse numquam eam accepit, notata est. Mihi vero mirum videtur, ut vivo, ac tacente Arnaldo, alius quisquam illius defensionem susciperet, ipsique attributum errorem tueretur, quem Arnaldus idem minime probaret.

Romæ, missumque in Gallias, rursumque Legati cura typis a Sebastiano Cramoisio (1), ut Episcopis Regni distribueretur, excusum Inquisitionis decretum fuisset; inventus continuo est, qui illud audacter oppugnare edito libello aggrederetur, quem libellum Parisiensis Præpositus damnatum, proscriptumque (2) voluit. Sunt qui obstitisse quædam ferant, quo minus ab Legato cogitata perficerentur.

Contra Arnaldum, illiusque sententiæ defensores, post Marcam, eosque, quos supra commemoravi, scripsit Theophilus Raynaudus libros de Bicipiti Ecclesia, deque Arnaldo de Brixia redivivo in Arnaldo de Lutetia (3). Hoc demum seculo, cum Paschasius Quesnellus & adventus Romam, & successorum Pauli meminisset, ab auctore Collectionis centum nonaginta novem Propositionum ex Reflexionum Moralium opere depromtarum, quem auctorem Dominum Fromageaum fuisse ferunt, hæreseos, ac si duos principes supremos, duoque capita, quæ unum constituerent, induxisset, accusatus est (4). Graviter id tulit Quesnellus. Quamobrem negavit licuisse Doctori Sorbonico, qualem Fromageaum fuisse constat, ex Inquisitionis Romanæ decreto, quod edicto Parlamenti idibus majis *suppressum*, ut ajunt, fuisset, præsidium petere. Prudentiam enim juris Gallorum hoc maxime postulare di-

1 Saint Amour *ibid. pag. 3. ad an.* 1647.

2 *Ibid. pag.* 3.

3 Theophilus Raynaudus S. J. Theologus scripsit *de Bicipiti Eccles. & unici corporis Christi mystici uno simul ac duplici capite disputationem*, *eamque anno* 1663. Francisco Cardinali Albizzio dicavit. Extat *tom.* x. *illius opp. edit. an.* 1665. *pag.* 193. *seqq.* Liber autem est alter Raynaudi inscriptus *Arnaldus redivivus natus Brixia seculo* XII. *renatus in Gallia ætate nostra*, qui extat *tom.* XVIII. *illius opp. pag.* 205. *seqq.* Hujus libri n. II. *pag.* 217. Arnaldum non modo propositionis, quæ legitur in *præfat. lib. de Freq. Communione*, sed etiam libelli gallici: *de Magnitudine Romanæ Ecclesiæ &c.* ab Innocentio X. proscripti auctorem esse defendit. Qua in re discrepat ab auctore vitæ Arnaldi, ut est a me animadversum *pag.* 159. *not.* 3. Quinetiam auctor libri inscripti *Catechisme Historique, & dogmatique sur les contestations qui divisent maintenant l'Eglise tom.* II. *edit. Hagensis p.* 63. tractatuum, hoc est libellorum illorum duorum, quos Innocentius X. rejecit, auctorem non Arnaldum fuisse, sed Barcosium scribit: *Cette proposition*, inquit, *etoit* ,, *que s. Pierre, & s. Paul sont les deux chefs de l'Eglise, qui n'en font, qu'un* c'etoit ,, Monsieur de Barcos neveu de Monsieur de s. Cyran, qui l'avoit inserèe dans la preface; ,, aussi il la defendit par deux ecrits l'un intitulé, *Traité de l'autorité de s. Pierre, &* ,, *de s. Paul*; & l'autre: *La grandeur de l'Eglise Romaine &c. an.* 1645.

4 Ita scribit Quesnellus in eo libello, qui inscribitur: *Vains efforts des Jesuites &c. edit. an.* 1743. *art.* III. *pag.* 20. *seqq.* Verum is non Fromageaum, sed alium quempiam ejus collectionis esse auctorem putat.

re dixit, ut quæ constituta a Congregationibus Romanis fuerint, nisi Senatus Parisiensis consulto publicentur, auctoritate vacent. Nihilosecius decretum illud adjumento esse collectori non posse. Propositionem *de duobus Ecclesiæ capitibus, quæ unum constituant*, non quocumque demum, sed eo sensu fuisse damnatam, quem Cardinales, ipseque Pontifex, qui Congregationi præfuerat, indicarunt. Jam vero genus illud propositionis *ita explicatum, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & Sanctum Paulum sine subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ*, Congregationis decreto esse rejectum. Ab se vero Pauli adventum Romam, successoresque fuisse memoratos semel; Paulum autem dictum omnino æqualem Petro, nunquam. Multa præterea in eam sententiam ita disputavit, ut propositionem, quam hæreseos Congregatio condemnasset, non ab se quidem, sed ab adversario hæreticam appellari ostenderet; quasi vero quod omnes Ecclesiæ, atque imprimis Romana, in qua arcem esse religionis locatam liquet, cum sanctæ fidei decretis pugnare affirmaverint, id, Gallorum opinione, tueri quisquam impune possit. Ac de novorum quidem scriptorum variis, interque se diffidentibus opinionibus, deque supremæ Inquisitionis decreto hactenus. Nunc quæ fuerit majorum de Petri, Paulique dignitate, atque auctoritate sententia, utque hæc decreto Inquisitionis respondeat, videamus. Quod ut distincte, distributeque faciam, statuendum principio est:

Majo-

Majores nostros, qui claves Petro datas ceteris deinde communicandas dixerint, in ea fuisse sententia, ut Apostolos omnes, qui missi in mundum universum a Christo ad Evangelium nunciandum essent, Episcopos etiam fuisse defenderent.

Atque majores quidem nostros claves Petro datas, ceteris communicandas, dixisse, tam certum est, ut revocain controversiam nullo modo posse videatur. Non enim solum Ecclesiam regni cæli nomine ab Daniele (1) Propheta demonstratam fuisse, principatuque eodem in regno fuisse Christi sententia potitum Petrum, affirmarunt (2) (quæ res auctoritatem, ac jurisdictionem ut ab rege in magistratus, comitiaque regni, ita ab Christo per Petrum in ceteros permanasse, ostendit) sed testati etiam sunt, *in eo ædificatam fuisse* (3) *modisque omnibus extructam* (4), *stabilique* (5) *modo fundatam Ecclesiam, atque in fidem suscepta* (6) *Ecclesiæ fundamenta, summamque potestatem acceptam ab eo; ex quo episcopalis nominis, & honoris auctore, unde episcopatus* (7), *& omnis auctoritas nominis hujus emersit, debeant sumere ceteræ Ecclesiæ* (*velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent*) *quid præcipiant, quos abluant, quos velut in cœno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitet*, statueruntque, *per eum, in quo Christus sacerdotii summam locavit* (8), *& apostolatum in Christo, & episcopatum cœpisse exor-*

1 Danielis *cap.* II. *v.* 44.

2 Confer quæ scripsi *pag.* 133. *seqq.* *hujus vol.* Vide etiam Orsium *lib.* II. *de Roman. Pontif. auctorit. cap.* XII. *art.* I. *pag.* 281. *tom.* I. *p.* II. *edit. Rom. an.* 1739.

3 Tertull. loca vide supra *pag.* 133. *hujus vol.* & *pag.* 61. *seq.* 64. & 67. Origenis locum, ut est descriptus ab Eusebio *not.* 1. *pag.* 134. *hujus vol.* Cypriani *not. ead.* Eusebii *ibid.* Hilarii *ibid. pag.* 135. *not.* 1. aliorumque quos *pag.* 136. *seqq.* laudavi, testimonia.

4 Vide *notat.* 2. *pag.* 137. *hujus vol.* Epiphanii locum.

5 Confer *notat.* 2. *pag.* 138. *hujus vol.* Hieronymi sententiam.

6 Adisis *notat.* 5. *pag.* 197. *hujus volum.* quæ a S. Gregorio Nazianzeno sunt in hanc rem disputata.

7 Confer *not.* 3. *p.* 139. *hujus voluminis* S. Innocentii I. verba. Quæ porro huc transtulimus, neque relata in *pag.* 139. sunt, decerpsimus *ex epistola* XXIX. *ad Concilium Carthaginiensem n.* 1. *pag.* 889. *tom.* I. *collect. epistolar. Roman. Pontif. edit. Paris. Coustantii.*

8 Confer Epistolam Bonifacii Papæ IV. *n.* XV. *pag.* 141. *edit. ejusd.*

exordium (1), *acceptasque ab eo solo, qui omnium Apostolorum caput fuit, quique præferri omnibus Apostolis debuit, fuisse claves regni cælorum ceteris communicandas* (2): *ut qui ab ipso charismatum fonte copiosis fuerit irrigationibus inundatus; cumque multa solus acceperit*, NIHIL IN QUEMQUAM *sine illius participatione transierit. De toto autem mundo fuisse unum Petrum electum, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponeretur, ut quamvis in populo Dei multi sint sacerdotes, omnes tamen proprie Petrus regeret, quos principaliter regit & Christus* (3). *Magnum & mirabile huic viro consortium potentiæ suæ tribuisse divinam dignationem, & si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus*, NUMQUAM, NISI PER IPSUM DEDISSE *quidquid aliis non negavit* (4). *Specialem a Domino Petri curam fuisse susceptam, & pro fide Petri proprie supplicatum, tamquam aliorum certior esset futurus status, si mens principis victa minime fuisset. In Petro igitur omnium fortitudinem fuisse munitam, & divinæ gratiæ ita ordinatum auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tributa est, per Petrum Apostolis conferretur* (5). *Ita porro voluisse Christum hujus muneris sacramentum ad omnium Apostolorum officium pertinere, ut illud in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaverit, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere* (6). *Claves denique fuisse Petro, & per eum Ecclesiæ*, hoc est Hierarchis ceteris, quibus ea potestas inest, *concessam* (7)

Quod si quis ex me percuntentur, quo demum modo hæc sint intelligenda loca, cum Apostolos a Christo, non a Pe-

1 Siricius Papa *epistola v. ad Episcopos Africæ pag.* 651. *num.* 1. *edit. Constantii.*

2 Ita quidem Optatus, cujus loca supra *pag.* 139. *not* 2. descripsimus.

3 Confer Leonis I. P. M. locum *pag.* 141. *hujus volum. not.* 2.

4 S. Leo *serm.* III *cap.* II. *pag.* 9. *tom.* I. *opp. edit.* Caccïari.

5 Idem *ibid. cap.* III. *pag.* 10.

6 Vide locum Leonis *ex epist.* x. *pag.* 58. *cap.* 1. *tom.* II. *opp. edit. clarissimi Cacciari* descriptum supra *pag.* 142. *hujus volum. ante not.* 1.

7 Si modo ita est intelligendus Tertulliani e Scorpiaces libro locus. Confer, quæ scripsimus *pag.* 359. *seqq. hujus volum.*

tro fuisse missos Evangelium gentibus nunciatum (1) constet, is sic habeat: Christum, qui eos omnes Apostolatus dignitate, ac retinendorum, remittendorumque peccatorum facultate instructos misit, ita certe misisse, ut Petrum sui loco esse voluerit; & *visibile* (2) caput, a quo ceteri, ut membra, penderent; & fontem (3) a quo ceteri ut rivi fluerent; & centrum unitatis (4) ad quod ceteri tenderent; & radicem, ex qua ceteri ut rami (5) enascerentur; & fundamentum, super quod reliqui omnes, ut Ecclesia universa ædificarentur (6); & pastorem (7), qui ceteros moderaretur, ac regeret. Id enim non Patrum modo, sed etiam sacrarum scripturarum, quæ hactenus descripsimus, locis persuaderi cuique, non opinione quidem, sed ad veritatem plane potest. Etsi vero Apostoli fuerunt Petro ratione Apostolatus (8) pares; non sequitur tamen eos, qui exsequutione auctoritatis æquales fuerint Petro, fuisse etiam ei regiminis auctoritate pares. Nam Episcopos, si munus offerendi spectetur, pares esse *simplicibus* Presbyteris, pendereque ab Episcopis simplices presbyteros, ne adversarii quidem negant. Quamquam Apostolorum latius patebat auctoritas (9), quam *simplicium* Episcoporum pateat, qui successores (10) & sunt, & habentur Apostolorum. Sed qui plura his de rebus volet, consulere scriptores orthodoxos poterit, qui de privilegiis Romanorum Pontificum commentarios (11) ediderunt.

Jam

1 Vide *pag.* 135. *seq. hujus vol.* & *pag.* 139. *seqq.*

2 Vide *pag.* 95. & *pag.* 137. *not.* 2. & *pag.* 138. *not.* 1. & *pag.* 139. *n.* 2. & *pag.* 246. *seq. not.* 2. & *pag.* 277. *seqq. not.* 8.

3 *Pag.* 70. *not.* 3. *hujus volum.* 4 *Ibid.* 5 *Ibid.* & *pag.* 139. *not.* 2.

6 *Pag.* 133. *seqq.* & *pag.* 304. *seqq.* 7 *Pag.* 137. *seqq.*

8 Vide *tom.* IV. *hujus operis pagin.* 319. & *hujus voluminis pagin.* 90. *not.* 4. & *pag.* 172. *seqq.*

9 Confer locum Petavii descriptum *pag.* 319. *volum.* 4. *hujus operis*. Nollem autem dictum, quod ille *ibid.* habet: *infinitam* fuisse Apostoli cujusque auctoritatem. Nam ea, quam esse *subordinatam* constat, & ipse fatetur, vereor, ne infinita dici nequeat. Atque hoc illud est, quod me impulit, ut ab eo, aliisque, quos laudat, quique eum sequuti sunt, novis scriptoribus dissiderem, qui ita loquuntur, ut in omnibus rebus Apostolos æquare interdum videantur Petro. Vide *p.* 90. *hujus vol.* Ceterum id illi, qui caput fuisse omnium Apostolorum Petrum defendunt, de amplissima Apostolatus dignitate, se ipsa spectata, dicere voluerunt.

10 Confer Petavii *pag.* 319. *not.* 3. Bellarmini, atque Schelestratii loca descripta *pag.* 90. & Petri de Marca *Dissertationem de discrimine Clericorum &c. cap.* 11. *num.* V. *pag.* 105. *seqq. edit. opusculor. Paris. an.* 1681.

11 Innumerabiles pene sunt auctores, qui de hoc argumenti genere disputant. Horum ali-

Jam vero Episcopatus dignitate Apostolos ceteros præstitisse, tam certum majoribus nostris, tamque exploratum fuit, ut nisi a Calvinianis, Lutheranis, ceterisque Protestantibus hostibus, oppugnatoribusque Episcoporum (qui confirmandi sui erroris caussa rebus clarissimis tenebras offundere sunt conati) a nemine revocari in controversiam posse videatur. Itaque Tertullianus, Cyprianus (1), Eusebius (2)

aliquos tantum commemorabo, ne molestiam lectori augeam. Conferantur igitur Johannes a Turrecremata *Apolog. Eugen. Papæ* IV. *tom.* IX. *concil. edit. Paris. Hard. pag.* 1246. Bellarminus *lib.* IV. *de Roman. Pont.* c. XXIV. *t.* I. *opp. edit. Ingol. an.* 1580. *p.* 1074. *seq.* Mauclerus *part.* II. *lib.* IV. *cap.* I. *pag.* 478. & *lib.* V. *Monarch. Eccl. cap.* I. *p.* 572. *seqq. edit. Paris. an.* 1622. Angelus Petricca Ord. Minor. Convent., qui floruit seculo superiore, *de Potestate Apostolorum adversus Gabrielem Philadelph. Disputat.* II. *pag.* 894. *seqq. edition. Roman. Bibliothec. Rocaberti ann.* 1698. *tom.* III. Augustinus de Bellis Clericus Regularis *De Absoluta divi Petri Monarchia. Opposit.* XV. *solut.* II. *num.* CLIV. *pag.* 154. *seqq. edit. Rom. an.* 1647. Leo Allatius *lib.* I. *de Eccles. Occid. atque Orient. consens. cap.* IV. *seqq. pag.* 38. *seqq. edit. Colon. ann.* 1648. Michael Lequienius *lib. inscript. Stephani de Altimura Ponticensis contra Schisma Græcorum, qua Romana, & Occidentalis Ecclesia defenditur adversus criminationes Nectarii nuperi Patriarchæ Hierosolymitani &c. Prolus. num.* VI *pag* 5. *seqq. edit. Paris. an.* 1718. Franciscus Antonius de Simeonibus *de Roman. Pontif. Judic. Potest. cap.* VI. *pag.* 105. *seq.* & *pag.* 114. *seqq. edit. Rom. an.* 1717. Josephus Augustinus Orsius *lib.* II. *de Rom. Pontif. Auctorit. cap.* XII. *art.* I. *seqq. pag.* 281. *seqq. tom.* I. *part.* II. *edit. Rom. an.* 1739. Jacobus Benignus Bossuetius Episcopus Meldensis, qui *lib.* XIII. *declarationis Cleri Gallicani &c. c.* XXII. *seq. p.* 236. *seqq. edit. Luxemburgensis*, multa hac de re ita disputat, ut mihi a vero sensu Patrum, quorum loca explicare conatus est, longe distare videatur. Neque vero hujus solum, sed ne Charlasii quidem mihi placet opinio, qui *lib.* VIII. *Libert. Ecclesiæ Gallicanæ c.* VIII. *p.* 502. *ed. an.* 1684. (Vide *ejusd. edit. Rom. l.* XI. *c.* XI. *seqq. t.* II. *p.* 312.) *Episcopalem jurisdictionem in communi a jurisdictione Episcopi uniuscujusque* distinguens, illam *ἀμέσως* a Christo, hanc a Christo per Petrum, ejusque successores esse defendit. Quamobrem refellitur a Francisco Antonio de Simeonibus *loco supra indicato pag.* 115.

1 S. Cypr. *epist.* LXXV. *pag.* 225. *edit. Oxon. an.* 1682. „ Potestas peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi a Christo missi constituerunt, & Episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt „. *Et epist.* III. *alias* LXV. *pag.* 6. „ Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos Dominus elegit; Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt EPISCOPATUS SUI, & Ecclesiæ ministros „. Cypriano præiverat Tertullianus *lib. de Præscript. Hæreticorum cap.* XXXII. *pag.* 213. *edit. Venet. ann.* 1748. quo loco hæreticos sui temporis refellens: „ Edant, *inquit*, origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit AUCTOREM, ET ANTECESSOREM „. Vide s. Pacianum *epist.* I. *tom.* II. *Concil. Hisp. edit. Rom. an.* 1694. *n.* XVI. *pag.* 59. & *ep.* III. *n.* LII. *pag.* 87.

2 Confer *cap.* III. *lib.* III. *pag.* 80. quo loco de successoribus *διαδοχαῖς* Apostolorum agit, & *cap.* IV. *pag.* 81. ubi disserit περὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς *de prima successione Apostolorum*. Præterea Σκοπεὺς Speculatores ipsos esse Apostolus scribit *in Isaia cap.* LII. *tom.* II. *collect. vet. Patrum edit. Montfauconi Paris. an.* 1706. *p.* 555. Rursum *comment. in Ps.* CVIII. *tom.* I. *ejusd. collect. n.* III. *pag.* 698. *num.* 6. *seqq.* explicans versiculum: *& Episcopatum ejus accipiat alter*, de Juda *litteraliter* eum esse intel-

Cæſarienſis, Hilarius Diaconus (1), Hieronymus (2), Epiphanius (3), Chryſoſtomus (4), aliique (5), aut Apoſtolos ipſos Epiſcopos, aut hoc idem conſtituturi, Epiſcopos ſucceſſores eſſe dixerunt (6) Apoſtolorum.

Rurſum Patres, qui, niſi ab Epiſcopis, neque manus imponi cuiquam Spiritus Sancti conferendi cauſſa (7), neque ſacer-

eolligendum ſcribit, qui Epiſcopatu exciderit, quo eſt deinde potitus Matthias, dum cooptatus fuit in collegium Apoſtolorum ... εἰπὼν, ἢ ῥητῶς κατὰ ψιλὴν τὴν λέξιν ταῦτα „ πάντα πεπληρῶσθαι κατὰ τοῦ προδότου. Conſentaneum eſt, ad verbum, & ſecundum „ nudam litteram hæc omnia fuiſſe completa contra proditorem &c.

1 *In 1. epiſtolam ad Corinthios cap.* XII. *pag.* 283. *tom.* IV. *opp. s. Ambroſii in append. edit Veneta an.* 1751. „ Caput in Eccleſia Apoſtolos poſuit, qui legati Chriſti ſunt, „ ſicut dicit idem Apoſtolus, *pro quo legatione fungimur*. Iſti ſunt Epiſcopi, firmante „ iſtud Petro Apoſtolo, & dicente inter cetera de Juda, & Epiſcopatum ejus accipiat alter „. Confer *ejuſd. commentar. in epiſt. ad Epheſ. cap.* IV. *pag.* 286. *tomo eodem*.

2 *Epiſt.* XXVII. *ad Marcellam al.* LIV. *ſcripta an.* 384. *pag.* 65. *t.* IV. *opp. edit. Martianæi Pariſ.* „ Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent „. *Et epiſt.* LIX. *ad Paulinum al.* XIII. *ſcripta an.* 395. *p.* 565. „ Epiſcopos honorem poſſidere Apoſtolorum „ ſcribit.

3 *Hæreſi* LXVII. *pag.* 107. *n* VI. *edit. Pariſ. Petav. an.* 1622. „ Petrus, & Paulus, *inquit*, ἀπόστολοι αὐτοὶ, ἢ ἐπίσκοποι *Apoſtoli ipſi, & Epiſcopi* „.

4 *Homil* III. *in Actor. cap* I. *num.* II. *pag.* 24. *tom.* IX. *opp. edit. Pariſ. Montfauconi Monachi s. Mauri*: „ *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*, hoc eſt τὴν ἀρχὴν, τὴν „ ἱερωσύνην *Principatum, Sacerdotium* „. Loquitur autem de Juda, qui cum Apoſtolus eſſet, primi etiam ordinis Sacerdos, hoc eſt Epiſcopus fuit.

5 Hinc Baſilius, *Epiſcopos*, ſcribit, *in Cathedra ſedere Apoſtolorum*. *Epiſt.* CXCVII. *num* 1. *tom.* III. *operum edit. Pariſ. Garner. Monachi s. Mauri pag.* 288. Idem eſt traditum a Prudentio, qui extremo ſeculo IV., & ineunte V. floruit, & a Sulpitio Severo; a M. Aurelio Caſſiodoro ſeculi VI. ſcriptore, atque ab aliis, qui Petrum Epiſcopum fuiſſe confeſſi ſunt, quorumque paullo poſt teſtimonia proferam. Quinetiam in Synodi Aquiſgranenſis *an.* 816. celebratæ *lib.* 1. *cap.* XII. *pa.* 1065. *tom.* IV. *Concilior. edit. Pariſ. Harduini* hæc habentur: „ In toto orbe diſperſi (Apoſtoli) Evangelium prædicaverunt, quibuſque decedentibus ſuc„ ceſſerunt Epiſcopi, qui ſunt conſtituti per totum mundum in Sedibus Apoſtolorum „. Non diſcrepat Synodus Pariſienſis habita anno 829. *cap.* IV. *pag.* 1297. *tom.* IV. *Concilior. edit. Hard* quæ „ conſtat, *inquit*, religionem Chriſtianam per ſucceſſores Apoſtolorum ſalubri„ ter adminiſtrari „. Sed ut ceteros prætermittam, qui ſunt pene innumerabiles, afferam Synodi Tridentinæ locum, quem ſane ab iis, contra quos diſputo, eam ſe Catholicos eſſe dicant, arbitror negari nullo modo poſſe. Ea igitur *ſeſſ.* XXIII. *cap.* IV. *pag.* 136. *tom.* X. *Concilior. edit. ejuſd.* declarat: „ Præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in „ Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hierarchicum Ordinem præcipue pertinere &c.

6 Salmaſii, aliorumque hæreticorum, qui grammaticorum nugis delectati Apoſtolos Epiſcoporum munere, dignitateque inſtinctos fuiſſe negare videbantur, refellit Petavius *l.* 2. *de Hierarch. Eccl. cap.* V. *ſeq. num.* VI. *ſeqq. pag.* 681. *ſeqq. edit. Pariſ. tom.* III. *Theologicor. Dogm.*

7 Innocent. I. P. M. *epiſtola ad Decentium Eugubinum* XXV. *cap.* III. *n.* 6. *pag.* 858. *tom.* 1. *collect. epiſt. Rom. Pontificum edit. Conſtant.* „ De conſignandis infantibus manife„ ſtum eſt, non ab alio, quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet ſecundi ſint „ ſacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem Pontificium ſolis deberi „ Epiſcopis, ut vel conſignent, vel Paracletum Spiritum Sanctum tradant, non ſolum con„ ſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit „ Pe-

ſacerdotio non modo primi, ſed ne ſecundi quidem Ordinis quemquam initiari dixerunt (1) poſſe; idque ut oſtenderent, exemplo ſunt uſi Apoſtolorum; Apoſtolos certe Epiſcopos fuiſſe putarint, neceſſe eſt. Jam vero eos, qui Epiſcopos conſtituerint, conſecraverint, Eccleſiiſque, quas condidiſſent, præfecerint, Epiſcopos minime fuiſſe (2), quis credat? Confitendum eſt igitur, Apoſtolos præſtitiſſe dignitate Epiſcoporum.

Cum autem Paulus Apoſtolus fuerit, Epiſcopus item, ſententia Majorum, fuit.

Neque vero quiſquam eſt, qui Paulo Apoſtolatus honorem, auctoritatemque neget. Satis enim ſunt hac de re perſpicua Patrum, ſacrarumque ſcripturarum loca. Quare dicam de Epiſcopatu, ſed paucis. Id enim etſi plerique vehementer negent, quoniam tamen conceditur ab iis, contra quos omnis hæc a nobis eſt inſtituta oratio, non eſt cur copioſe aut demonſtrandum, aut explicandum eſſe videatur. Itaque Origenes (3) qui *ſcientiſſimum Pontificum, & peritiſſimum ſacerdotum*; Euſebius, qui *Sacerdotem Eccleſiis* (4) *imperan-*

„ Petrum, & Johannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum „. Eadem fuiſſe a Theodulpho Aurelianenſi tradita *lib. de Bapt. cap.* XVII. animadvertit *in not. c. ad eamdem epiſt. Innoc. pag. eadem* Couſtantius.

1 Hieronymus *epiſt. ad Evangelum* CI. *al.* LXXXV. *pag.* 803. *tom.* IV. *opp. edit. Martianai Pariſ.* „ Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat „? Eodem ſpectant, quæ habet Johannes Chryſoſtomus *Homil.* XI. *in* I. *epiſt. ad Timotheum n.* 1. *pag.* 604. *tom.* XI. *opp. edit. Pariſ. Montfauconi.*

2 Confer Clementis Romani locum *tom.* IV. *hujus operis pag.* 22. *not.* 2. *S.* Irenæus *lib.* III. *adverſus Hæreſes cap.* III. *pag.* 175. *edit. Veneta Maſſueti an.* 1734. „ Habemus, *inquit*, annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti Epiſcopi in Eccleſiis &c „. *S.* Cyprianus *epiſt.* XLV. *al.* XLII. *ad Cornelium pag.* 88. „ Hoc vel maxime, frater, & laboramus, & laborare debemus, ut unitatem a Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus „. Johannes Chryſoſtomus *Homilia* I. *in* II. *epiſt ad Timoth. cap.* I. *v.* 6. ad ea verba Apoſtoli: *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*: „ Id eſt, *inquit*, gratiam Spiritus Sancti, quam accepiſti, εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. *In præfecturam Eccleſiæ &c* „.

3 *Homilia* IV. *in Leviticum num.* IV. *pag.* 143. *tom.* II. *opp. edit. Pariſ. Monachorum S. Mauri.*

4 *Commentar. in Pſ.* LXVII. *n.* XVIII. *ſeqq. pag.* 359. *ſeqq. Collect. veter. PP. edit. Pariſ. Montfaucon. an.* 1706. Paulum Eccleſiis τοῦ κρατεῖν potitum ſcribit. Idem ipſum ceteroſque Apoſtolos *Sacerdotes* vocat *pag.* 361. *n.* XXIX.

perantem; Johannes Chrysostomus (1), qui *ordinatum impositione manuum*; Epiphanius (2), qui *Episcopatu functum*, Patres Synodi Aquisgranensis (3), qui *manuum impositione Episcopum constitutum*, Paulum fuisse docent; plane ostendunt, fuisse huic Apostolo *Episcopatus* dignitatem, auctoritatemque tributam.

Utraque hac, apostolatus nempe, atque episcopatus dignitate, non Paulum solum, verum etiam ceteros Apostolos æquales fuisse Petro.

De Apostolatu nulla est caussa, cur plura disputem. Dixisse namque me supra memini cum de Cypriani loco disseram (4), dicamque paullo copiosius, cum egero de dignitate, potestateque Apostolorum. Igitur de Episcopatu dicam, sed breviter. Est autem omnis Episcopatus in eo constituta ratio, ut qui eo potitus est, is ordinandorum ministrorum, consecrandorum Episcoporum (5), regendæque Ecclesiæ (6), quæ illius curæ est credita, obtineat, ita ut subjectus, *subordinatusque* sit capiti christianæ reipublicæ, pote-

1 *Homil.* XXVII. *in Acta n.* 1. *pag.* 206. ὅρα ἐπὶ τίνων χειροτονεῖται. *Vide a quibus impositione manuum ordinetur.*

2 *Loco supra indicato.*

3 *Ann.* 816. *lib.* 1. *pag.* 1066. *cap.* IX. „ Ex præcepto S. Spiritus Paulo, & Barnabæ ab „ Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad evangelizandum. Confer Auctorem *Quæst. in vetus, & nov. Testam. quæst.* XCVII. *inter opera s. August. tom.* III. *in append. pag.* 74. *edit. Antuerp. an.* 1700. ubi: „ Christus priusquam, *inquit*, in cælos „ ascenderet, imponens manum Apostolis, ordinavit eos Episcopos &c „. Confer Theologos *in* IV. *sentent. Distin.* XXIV. Consule etiam s. Leonem *epistol.* LXXXI *ad Dioscorum Alexandrinum Episcopum cap.* 1. *pag.* 150. *edit. Veneta ann.* 1741. quo loco statuere videtur Paulum, & Barnabam sacerdotio, seu episcopatus sacramento fuisse initiatos, cum impositæ illis manus fuerunt, ut est *in tertio capite Actorum Apostolicorum v.* 23.

4 *Pag.* 90. *& pag.* 172. *seqq.*

5 Rem satis explorate cognitam nulla est caussa, quamobrem multis veterum testimoniis esse confirmandam existimem. Itaque duobus contentus ero. Alterum est Epiphanii, qui cum Aerii hæresim de presbyteris æqualibus Episcopis descripsisset, ita ut *pag.* 324. *volum.* IV. *hujusce operis not.* 3. demonstratum est, sic statuit: *Hæres.* LXXV. *num.* III. *pag.* 906. *tom.* 1. *opp. edit. Paris. Petavii*: „ Ordo Episcoporum ad gignendos Patres „ præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio &c „. Alterum Athanasii, quod *vol.* IV. *hujus operis pag.* 328. *not.* 2. attulimus. Sed de Episcoporum auctoritate, atque officiis alias. Confer *tom.* IV. *hujus oper pag.* 536. *seqq.*

6 Isidorus Pelusiotes *lib.* 1. *epist.* CXLIX. *pag.* 31. *edit. Veneta ann.* 1745. Episcopi quæ debeat esse administrandæ Ecclesiæ cura, ac vigilantia, ostendit. Idem alii Patres faciunt. Con-

poteſtatem. Hoc autem in genere omnes antiſtites cœtuum Chriſtianorum, quibus Epiſcopi character ineſt, pares eſſe omnino, tam certum eſt, ut nemo ſit non ſcriptorum (1) veterum modo, ſed ne novorum quidem, qui contra eſſe ſtatuendum putet. Quum igitur Apoſtolos omnes Epiſcopos fuiſſe liqueat, ſequitur, ut eos ratione characteris, poteſtatiſque Epiſcopatus pares omnino fuiſſe confiteamur.

Quare, Patrum ſententia, Paulum, ſi colleza Petri in fungendo Epiſcopatus Romani munere fuiſſet, hoc quidem pacto parem fuiſſe futurum Petro.

Non ſum autem neſcius extitiſſe aliquos, qui Euſebii, Epiphanii, aliorumque quorumdam ſcriptorum locis, qui minus haberent perſpicuitatis, freti, ut Petrum, ita Paulum Epiſcopum Romanum fuiſſe arbitrarentur. Nam poſt auctorem librorum (2) *de Auctoritate S. Petri, & S. Pauli, deque Magnitudine Eccleſiæ Romanæ*, Petrus de Marca, qui ſingularis principatus coryphæi Apoſtolorum defenſionem ſuſceperat, hujus in Epiſcopatu collegam Paulum fuiſſe, ſcripſit, idque componi cum eo genere diſciplinæ, judicavit, poſſe, quæ ante ſynodum Nicænam in quibuſdam cœtibus Chriſtianorum (3) obtinuiſſet. Marcam deinceps conſequutus Queſnellus eſt, qui in eo, quem gallice edidit, de *Vanis conatibus Jeſuitarum* libro, etſi Paulum fuiſſe *ſubordinatum*,

Confer *Gregorium Nazianzenum orat. 1. pag. 5. ſeq. edit. Colon. an. 1690.* Mitto ceteros, ne ſim longior, quam oporteat.

1 Conſule Hieronymi locum deſcriptum *pag. 280. not. 1. hujus volum.* Prætermitto ſcriptores reliquos, quod de re clara teſtimoniis uti non neceſſariis, inane ſit.

2 *Lib. de l' autorité de s. Pierre, & de s. Paul art. VIII. p. 53. & de la Grandeur &c. lib. III. cap. 1. pag. 236. ſeqq. & epiſt. de ſuprema Romana Eccleſia amplitudine in Petri & Pauli ex ſummorum Pontificum, Patrum, & Conciliorum teſtimoniis individua auctoritate fundata ad Innocentium XI. Pont. Max. num. VIII. pag. 20. edit. Pariſienſis ann. 1645.*

3 *Exercit. de ſingulari Primatu Petri num. XVII. pag. 65. edit. Pariſienſ. Opuſculor. ann. 1681.* „ Si ex regula, quam ſuperius propoſui, metienda eſt antiqua illa Epiſcoporum „ inſtitutio; vere, & proprie Paulus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit. In ea etenim regenda diu laboravit, eamque ſanguine pro veritate, quam docuerat, profuſo decoravit. „ Quare Epiphanius diſerte Petrum, & Paulum Epiſcopos Romanos vocat. „ Confer quæ ſequuntur *pag. 66. ſeqq.*

tum, subjectumque (1) Petro concessit; fuisse tamen, ita ut fuit Petrus, Episcopatu Romano perfunctum, existimavit. Quod si vera hi prædicassent (quoniam Episcopos characteris, seu ordinis potestate pares esse omnes, Paulumque sive Romæ, sive alibi, sive nullibi functus Episcopatu fuerit, Episcopi tamen auctoritate præditum fuisse (2) ostensum est) hoc unum efficeretur, Paulum Apostolatus, ut dixi, & characteris ordinis, ac, si vis etiam, administrationis Episcopatus ratione solum fuisse æqualem Petro.

Sed nullo satis gravi argumento effici potest, Paulum Episcopatu fuisse potitum Romæ.

Vetus enim Romanorum traditio est, jam usque a Petri, Paulique ducta temporibus, unum in quaque Ecclesia esse Episcopum (3) oportere. Neque enim Petro de Marca viro

1 *Art.* III. *num.* VI. *pag.* 24. *seq. edit. ann.* 1713. Is sibi præsidio esse Bellarminum dicit, qui *lib.* III *de Romano Pontifice cap.* II *pag.* 858. *tom.* I. *part.* I. *controversiarum edit. Ingolstadiensis ann.* 1586. scripserit: „ Constat tempore Apostolorum non fuisse „ Romæ alios Episcopos, quam Petrum, & Paulum. Diserte enim affirmat Irenæus *lib.* III. „ *cap.* III. a Petro, & Paulo Sedem Romanam fundatam, & primos in ea Episcopos sedisse. „ Quod idem omnes veteres docent, quos supra citavimus „.

2 Diffident inter se Interpretes Scripturarum, ubi de tempore, quo Episcopus est Paulus constitutus, disputant. Claudius Dausquius locum esse in sacris Bibliis ullum, ex quo concludi idipsum posse videatur, negat. *De sanctitud. Pauli Apost. lib.* II. *cap.* XXII. *edit. Paris. ann.* 1628. Leo Allatius *lib.* I. *de Eccl. Occid. & Orient. Perpet. consens. cap.* IV. *num.* XII. *pag.* 53. scriptorem quemdam laudat, qui Paulum Episcopi dignitatem conferre, diceret, potuisse, qua ipse careret. Franciscus Suaresius *tom.* III. *in* III. *summæ Theologiæ S. Thomæ Aquinatis partem disp.* XXXIV. *sect.* I. *p.* 426. *edit. an.* 1614. etsi Paulum quod Apostolus fuerit, Episcopum fuisse confitetur; tamen a Manahene, sociisque (cum ii, ut est *in Actis Apost. cap.* XIII. *v.* 3. manus illi, ac Barnabæ imposuerunt) consecratum fuisse Episcopum inficiatur. Idem Harduino placuit *in Comment. in cap.* XIII. *Actor. Apost. v.* 3. Contra Lorinus *in eumdem Actor. locum*, Gaspar Sanctius *in Act. cap.* XIII. *v.* 3. aliique sequuti Chrysostomum, & Patres, qui Aquisgranense Concilium seculo IX. celebrarunt, ut supra est demonstratum, tunc fuisse consecratum Episcopum, cum illi, Barnabæque Manahenus, & socii manus imposuerunt, censent.

3 Cornelius Pontifex Max. *epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* XLIII. *pag.* 270. *edit. Taurin. & apud Coustantium tom.* I. *collect. epistolar. Roman. Pontificum Epist. inter Cornelianas* IX. *n.* III. *pag.* 150. „ Ille ergo ... ignorabat „ ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ; *unum Episcopum esse oportere in Ecclesia Catholica* „? Rursum *epistola* VI. ad Cyprianum anno 251. scripta, quo quidem anno datam item illam ad Fabium fuisse constat, *n.* II. apud Coustantium *ibid. pag.* 138. *n.* 2. Confessores, qui Novatiani partes sequuti fuerant, postque cognita culpa sua, ad Ecclesiam reverterant, his verbis usos fuisse testatur: „ Nec ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in „ Ca-

(1) viro cetera erudito assentior, qui hoc genus disciplinæ ante synodum Nicænam obtinuisse inficiatur. Nam Cornelii, ac Cypriani, quos multo ante Nicæna tempora floruisse constat, hoc adversus Novatianum in Petri cathedram invadere conantem, gravissimi argumenti loco habitum est, ex quo episcopos esse in ecclesia Catholica duos non posse concluderetur. Eorum autem opinionem, qui Petrum (2), Paulumque duos episcopos, duosque ecclesiæ principes, qui unum constituerent, fuisse arbitrarentur, quoniam est commentitia, nihil moror. Etsi enim esse unum in tribus personis Deum, propterea quod una, atque eadem natura divina sit (quo quidem illi exemplo uti consuerunt) & intelligimus, & confitemur; duos tamen esse homines, qui principem unum, unum caput, unumque episcopum constituant, intelligere certe non possumus. Atque haud scio, an, ea opinione probata, consistere singularis episcopatus in quoque christianorum cœtu posset. Verendum namque esset,

„ catholica Ecclesia debere „. Est hæc Epistola inter Cyprianicas in editione Pamelii XLVI. in Oxoniensi vero XLIX. *pag.* 93. Confer Cypriani *Epist.* XLIII. *al.* XL. *ad Plebem universam*, qua in epistola contra Felicissimi factionem agens *p.* 83. *edit. Oxon.* „ *Deus unus est*, „ inquit, *& Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una &c* „. Idem Cyprianus *epist.* LV. *ad Antonianum al.* LII., *quæ est* V. *inter Cornelianas in collect. epistolar. Romanor. Pontific. n.* 8. *pag.* 164. *seq.* „ Factus est Cornelius Episcopus de Dei, & Christi „ ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffra„ gio, & de sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se „ factus esset, cum Fabiani locus, idest cum locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotalis „ vacaret. Quo occupato ... quisquis jam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, „ nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem. Quisquis ille „ fuerit, multum de se licet jactans, & sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus „ est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui so„ lus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est „. Unde autem τὸ *oportere*, & τὸ *debere* unum esse in Ecclesia quaque Episcopum collegisset, cum hac de re canon nullius Synodi œcumenicæ fuisset conditus, nisi ex Apostolorum Petri, & Pauli traditione, quam Africani, Romanique imprimis summopere retinendam, colendamque arbitrabantur? Consule Tertullianum *lib. de Præscr. cap.* XXXVI. *pag.* 213. *edit. Veneta an.* 1748. S. Athanasium *Hist. Arianor. ad Monach. num.* XXXVI. *pag.* 365. *tom.* I. *par.* I. *opp. edit. Paris. Montfauconi ann.* 1698. Julium Papam I. *epistola ad Eusebianos n.* XXII. *pag.* 387. *tom.* I. *collect. epistolar. Roman. Pontif. edit. Paris. Coustantii*. Et Innocentium I. *epistola* XXV. *ad Decentium cap.* I. *num.* II. *pag.* 856. *tom.* I. *collect. epistol. R. P. edit. Paris. Coustantii*.

1 *Exercit. de singular. Primat. Petri num.* XVII. *pag.* 65. *seq. edit. opusc. Parisiensis an.* 1681. Huic assentitur Quesnellus *loc. supr. indic. pag.* 24.

2 Auctor operis *de la Grandeur de l' Eglise Romaine lib.* I. *cap.* III. *pag.* 14. *& l.* II. *pag.* 81. *seqq. edit. an.* 1645.

ſet, ne qui Petrum, Paulumque epiſcopos fuiſſe Romæ, unumque eccleſiæ Romanæ caput effeciſſe defendunt, iidem aliquando, exemplo uſi Apoſtolorum, epiſcopos eſſe Romæ duos poſſe, qui unum epiſcopum, Pontificemque Maximum unum efficiant, opinentur, in eorumque demum errorem labantur, qui plures interdum ſummos (1) univerſæ eccleſiæ antiſtites fuiſſe mentiti ſunt. Ac Patres quidem, qui unum eſſe eccleſiæ cujuſque epiſcopum debere dixerunt, ita omnino *τὸ unum* intellexerunt, ut locum nullum de duobus unum conſtituentibus cavillandi reliquerint. Quemadmodum autem id ſibi, quaſi ex traditione manaſſet Apoſtolorum, perſuadere potuiſſent, ſi Petrus, Paulusque Romæ epiſcopi una fuiſſent? An Novatianus, qui ſane peritus hiſtoriæ eccleſiaſticæ Romanorum erat, cum hæc ſibi objici vidiſſet, ſi Petrus ac Paulus epiſcopi ſimul fuiſſent, non reſpondiſſet, Apoſtolorum eorumdem exemplo & ſuam confirmari, & Cornelii, Cyprianique debilitari, expugnarique ſententiam? Neque vero Cypriano, Cornelioque ſuffragari novum illud commentum de duobus verticibus unum caput conſtituentibus, potuiſſet. Nondum enim cuiquam in mentem venerat, quod eſt ſeculo ſuperiore hac de re a defenſore libri de Frequenti communione excogitatum. Quod ſi in mentem veterum cuiquam veniſſet, facile quidem certe reſponſum ab aſſeclis Novatiani fuiſſet, nihil impedire, quin alter epiſcopus in eccleſiam introduceretur, qui cum Cornelio junctim unum caput, ac verticem chriſtianæ reipublicæ conſtitueret. Sed in hujuſmodi nugis confutandis diutius operam conſumere non vacat. Hæc vero de epiſcopo uno ita in ſequentes ætates pervaſit traditio, ut cum ſeculo IV. Conſtantius Imperator a Romanis peteret, ut Felicem Liberii in epiſcopatu collegam eſſe paterentur, ſumma illi omnium conſpiratione, conſenſioneque reſponſum fuerit, quemadmodum nullus eſſet ipſorum, qui non unum Deum, unumque Chriſtum

1 Vide eumdem *ibid. p. 2. lib. 1.* & Auctorem libri *de l'Autorité de s. Pierre, & de s. Paule art. 1. pag. 9. edit. an. 1645.*

ftum confiterentur; fic effe neminem, quin unum omnino effe epifcopum oportere crederet (1).

Neque ecclefia Romana folum, fed Antiochena etiam, quam majores noftri a Petro & fundatam, & rectam, atque adminiftratam fuiffe ferunt, idem traditionis genus jam ufque ab Ignatiis temporibus, quem fecundum poft Petrum epifcopum fuiffe Antiochenorum conftat, coluit, litterarumque mandavit monumentis (2).

Quum ergo Petrum Epifcopum fuiffe Romanorum & veteres omnes memoriæ pofterorum tradiderint, & nos fimus opportune alio loco demonftraturi, & ii, contra quos agimus, confiteantur; quid eft, quod Paulum una fuiffe Romæ epifcopatu potitum exiftimemus?

Accedit veterum fcriptorum non dogmaticorum modo, verum etiam hiftoricorum, poetarumque chriftianorum auctoritas, qui ita de Petro, Pauloque loquuti funt, ut eum quidem epifcopum fuiffe, cathedramque occupaffe Romæ confirmarint; hunc vero contra non item. Sed his nos teftibus tunc utemur, quum agendum nobis adverfus Deylingium, Proteftantefque ceteros fuerit de epifcopatu Romano Petri.

1 Confer Theodoritum *Hift. Eccl. lib.* II. *cap.* XVII. *pag.* 86. *edit. Taurin. an.* 1748.

2 S. Ignatius *epift. ad Philadelph. n.* IV. *pag.* 151. *tom.* II. *Patrum Apoftolicorum edit. Londin. an.* 1746. „ Una enim caro Domini noftri Jefu Chrifti, & unus calix in unionem „ fanguinis ipfius, unum altare ὡς εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις τοῖς „ συνδούλοις μου, *ut unus Epifcopus cum Presbyterio, & Diaconis confervis meis.*

Argumenta, quibus Anonymus scriptor episcopatum Romanum Pauli confirmare conatus est, dissolvi, repellique facile possunt.

Video autem afferri ab adversariis veterum quædam, ac novorum, qui aliquo in honore habentur, loca, quibus Paulum Episcopum Romanum efficere conantur. Principio a Pontificibus Romanis orsi, Clementis Constitutiones (1), etsi non probant, quoniam tamen Turriano, aliisque nonnullis probari intelligunt, in medium proferunt, in quarum VII. *libro cap.* XLVII. Linus, & Ignatius a Paulo fuisse *ordinati* dicuntur. Id vero numquam dici potuisse censent, nisi auctor earum, Paulum episcopum fuisse Antiochenorum primum, deinde Romanorum, putasset. Inde ad Leonem I. se conferunt, qui sermone I. *in Natalem Apostolorum*, Petrum, ac Paulum veros fuisse Romanæ ecclesiæ pastores scribit. Pastorum autem nomine episcopos indicari, auctores Augustinum, Paulinum Nolanum, Leonem ipsum, atque Gregorium primum esse, defendunt. Agunt rursum de Gregorio, quem visum post mortem Tagioni episcopo Cæsaraugustano fuisse, dixisseque, ferunt, Romanos episcopos successores esse Petri, Paulique Apostolorum. Eamdem omnino fuisse, ajunt, Agathonis Pontificis, qui seculo VII. contra Monothelitas pugnavit, sententiam. Neque discrepare Hadrianum I. qui Petrum, ac Paulum Sedem Romanam occupasse, dicit. Huic assentiri Nicolaum I. Hadrianum II. Johannem VIII. Gregorium VII. Paschalem II. Alexandrum III. Innocentium III. Nicolaum III. Martinum V. Pium II. Paulum II. Julium II. Leonem X. Paulum III. (2).

Addunt mox longam seriem scriptorum, ut (3) Ignatii, & Irenæi Martyrum, qui a Petro, ac Paulo Romanam ecclesiam

1 Auctor operis *de la Grandeur &c. lib.* II. *c.* I. *seqq. p.* 81. *seqq.* & Auctor *lib. de l'Anterité de s. Pierre. & de s. Paul art.* II. *pag.* 10. *seqq* horum fere omnium, quos hic numeramus, testimoniis abusi sunt.

2 Pauli III. testimonium describit Quesnellus *loc. indic. pag.* 26.

3 Auctor libri *de la Grandeur de l'Eglise Romaine lib.* III. *cap.* I. *seqq. p.* 236. *seqq.*

ſiam fuiſſe fundatam, Romanoſque epiſcopos ab illis fuiſſe inſtitutos tradunt; Tertulliani, qui doctrinam a Petro, & Paulo accepiſſe Romanos, ſcribit; ut Dionyſii epiſcopi Corinthiorum, Caiique Romani presbyteri; ut Euſebii Cæſarienſis, Cyrilli Hieroſolymitani, Epiphanii quoque, cujus illuſtrem eſſe putant de Pauli epiſcopatu, *Hæreſi* XXVII. *adverſus Carpocratianos*, locum, Chryſoſtomi, Hieronymi, Hilarii Diaconi, Prudentii, Auguſtini, Maximi Taurinenſis, Paulini Nolani, Theodoriti Epiſcopi Cyri, Petri Chryſologi, Hilarii Arelatenſis, Vincentii Lirinenſis, epiſcoporum Orientis, qui extremo fere quinto eccleſiæ ſeculo ad Symmachum Pontificem litteras plenas pietatis erga Apoſtolicam Sedem ſcripſerunt, Dorothei epiſcopi Theſſalonicenſis, & Ennodii Ticinenſis, Patrum ſynodi Conſtantinopolitanæ Agapeti temporibus celebratæ, Primaſii Uticenſis, Fortunati epiſcopi Pictavienſis, Bedæ, epiſcoporum Occidentalium, qui ad Synodum Agathonis Pontificis tempore convenerunt, Concilii Aquiſextienſis, Patrum Synodi Ticinenſis, Drepanii Flori, Abbatis Reginonis, Moſis Barcephæ epiſcopi Syri, Luitprandi Cremonenſis, Petri Damiani, Oecumenii, Sancti Bernardi, Goteſridi Cardinalis, Ruperti, Johannis Sariſberienſis, Cardinalis Sancti Georgii, Lirani, Catharinæ Senenſis, Patrum Synodorum Conſtantienſis, & Florentinæ, S Laurentii Juſtiniani, Cardinalis Cuſani, Patrum Synodi Lateranenſis ſub Julio II. & Leone X., Pauli Æmilii, Cardinalis Contareni, Doctorum Pariſienſinm, Bellarmini, aliorumque Jeſuitarum.

Poſtremo etſi poſt Nicænam (1) ſinodum ea in eccleſiam omnem diſciplina pervaſerit, quæ obſtaret, quo minus duo epiſcopi unam eamdemque eccleſiam moderarentur, Apoſtolorum tamen ætate nihil impediſſe, affirmant, quin eidem cœtui chriſtianorum non duo modo, ſed plures etiam epiſcopi præſiderent. Id vero ex Pauli ad Presbyterium Epheſinum cohortatione eſſe perſpicuum. Eſt enim hujuſ-

1 *Petrus de Marca Exercit. de Singul. Primatu Petri* §. XVIII. *pag.* 66.

hujuſmodi: *Attendite* (1) *vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Nam ſi epiſcopi erant omnes, curamque Epheſiorum agebant, eſſe id quidem argumento ajunt, cur plures epiſcopos vivis Apoſtolis eamdem regere, adminiſtrareque eccleſiam credamus conſueſſe.

Ego vero quamquam Conſtitutiones Apoſtolicas eſſe Clementi Romano tribuendas negem, tamen ſi concederem, nihil nobis ab iis eſſe metuendum putarem. Non enim qui aliquem epiſcopum *ordinat*, is continuo habendus illius urbis, eccleſiæque antiſtes eſt, cujus epiſcopum *ordinaverit*. Quis enim aut Epheſiorum, aut Cretenſium epiſcopum Paulum unquam fuiſſe credat, etſi illorum quidem Timotheum, horum vero Titum manuum impoſitione epiſcopos conſecraverit? Quod ſi Paulus *ordinatis* Tito, Timotheoque, nihilo ſecius neque Cretenſium, neque Epheſiorum antiſtes fuit; quid eſt, quod ex eo ſolum epiſcopum fuiſſe Paulum Romanorum credam, quod Linum ab ipſo fuiſſe conſecratum epiſcopum Pſeudo-Clemens in Apoſtolicis Conſtitutionibus (2) ſcripſerit? Quod autem de Lino dixi, hoc idem eſt de Ignatio ſtatuendum, quem idem eſt Pſeudo-Clemens auctor, fuiſſe a Paulo creatum epiſcopum Antiochenorum (3). Verum quod Clemens a Paulo, idem Irenæus a Petro ſimul, ac Paulo factum docèt. Quæ quidem eſt ratio omnino diſcrepans. Quum enim vetus traditio epiſcopum quemque a tribus ſaltem epiſcopis conſecrari oportere ferat, certumque ſit, fuiſſe Petrum antiſtitem Romanorum, nihil obſtabat, quin hic ſucceſſorem conſecraturus, Paulum ſuum commilitonem acciret, unaque cum illo Linum *ordinaret* epiſcopum. Atque nos quidem Irenæo potius, quàm Pſeudo-Clementi, credendum arbitramur. Sed de Irenæi loco paullo poſt viderimus.

Leo Pontifex, etſi Paulum paſtorem Romanorum vocat, epiſcopum tamen non vocat. Paſtorum autem apud majores

1 *Actor. Apoſtolicor. cap. xx. v. 28.*
2 *Conſtit. lib. VII. cap. XLVI. pag. 387. tom. 1. Apoſtolicor. PP. edit. Amſtel. an. 1724.*
3 *Ibid.*

jores nostros latius patebat notio. Quamobrem quemque Apostolum earum ecclesiarum, quas instituisset, aut in quibus evangelium prædicasset, pastorem appellari posse arbitrabantur, quamvis vere earum Episcopus non (1) fuisset. Nam si pastores ecclesiæ in liturgiis vocantur omnes (2), quæ caussa esse potest, quare appellari eorum cœtuum pastores nequiverint, quos ipsi decreta religionis, recteque vivendi rationem docuissent? Cum igitur Paulus Petri commilito, adjutorque in docendis Romanis fuerit, pastor dici potuit Romanorum. Neque vero qui vel auctor, vel adjutor episcopo cuiquam in cogenda, instituendaque ecclesia quapiam fuit, is continuo illius coepiscopus existimandus est. Alioqui episcopus etiam Philippensium fuisset Paulus, quod adversarii certe nolent. Is enim Apostolus ad Philippenses (3) scribens cooperatorem, & commilitonem suum, Apostolumque eorum Epaphroditum appellat, quem veteres fuisse Philippensium episcopum (4) tradiderunt. Quod si Leo episcopum Romanum fuisse Paulum judicasset, cur non duas, vel saltem unam, ut anonymus clamitat, Petri, Paulique, sed unam Petri solius sedem (5) nominasset? Est autem incredibile, si Paulum, ac Petrum una simul episcopatu Romano fuisse functos censuisset, ut eodem in sermone (6) cum Petrum, ac Paulum pastores fuisse, patresque Roma-

1 Johannes Chrysostomus *Homilia. quod utilis sit lectio sacrarum scripturarum t.* III. *opp. num.* IV. *pag.* 77. *edit. Paris. Montfaucon.* ,, Cum audieris, *inquit*, primum Apo- ,, stolos, deinde prophetas, tertio pastores, ac doctores, gratias curationum, opitulatio- ,, nes, gubernationes, genera linguarum, disce reliquarum gratiarum copiam omnem, ,, tamquam in capite, in Apostolatu residere ,,. Cum igitur Apostoli munere functus Romæ fuerit Paulus, cur non dici Romanorum pastor poterat, etsi Sedem Episcopalem non fixisset Romæ?

2 Vide *Præfat. de Apostolis in Miss. Rom.* quæ certe vetus est.

3 *Cap.* II. *v.* 25.

4 Confer Baronium *ad an.* LX. *num.* II. Mitto ceteros, ne sim longus.

5 S. Leo *epistol.* LXXXIV. *ad Anastasium Thessalonicensem cap.* XI. *pag.* 155. *edit. opp. Veneta an.* 1741. ,, Inter Beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio ,, potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris præemine- ,, ret. De qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione provi- ,, sum est, ne omnes sibi omnia vindicarent . . . per quos ad UNAM Petri Sedem universalis ,, Ecclesiæ cura conflueret ,,.

6 *Sermone* LXXXII. *edit. Cacciari Rom. an.* 1751. *pag.* 234. *cap.* I. *n.* I. *qui sermo est* XXX.

Romanorum, dixiſſet, tum mox omiſſo Paulo, Petri tantum ſedem commemorandam putaverit. Rurſum hæredemne dignitatis Petri ſemper ſeſe appellaſſet (1) Leo, Pauli numquam, ſi ut illum, ita hunc epiſcopum fuiſſe Romanum judicaſſet? Denique quis credat, *Epiſcopum* Romanum dictum fuiſſe Petrum (2) a Leone, non vero Paulum, ſi non minus epiſcopus Romanorum Paulus, illius judicio, quam Petrus fuiſſet? Quod ſi ſunt, qui quos epiſcopos, eoſdem etiam paſtores interdum vocent, non ſequitur tamen omnes, qui paſtores ſunt appellati, in numero eſſe debere (3) epiſcoporum. Niſi quis parœchos, presbyteroſque (4) in epiſcopis poni oportere arbitretur, qua re nihil dici poteſt abſurdius. Nihilo gravius eſt, quod animadvertunt, *Patrem* (5) eſſe Paulum Romanorum ab Leone dictum. Quod de Gregorio addunt, commentitium eſt (6), ac vereor etiam ne injurioſum Petro. Nam qui de viſo Hiſpani illius epiſcopi Romam ab ſynodo, atque ab rege libros Moralium Gregorii quæſitum miſſi fabulam

XXX. *in Queſnelliana*, S. Leo de Petro, ac Paulo loquens: „ Iſti ſunt viri, *inquit*, per „ quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es di- „ ſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui, verique paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam „ multo melius, multoque felicius condiderunt... Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis, & regia, PER SANCTAM „ B. PETRI SEDEM caput orbis effecta, latius præſideres religione divina, quam dominatio- „ ne terrena „.

1 *Sermone* IV. *c.* IV. *edit. Cacciar. p.* 13. „ Subjungit ſe ad rationem ſolemnitatis noſtræ „ non ſolum Apoſtolica, ſed etiam Epiſcopalis Beatiſſimi dignitas Petri, qui Sedi ſuæ præeſ- „ ſe non deſinit... ſoliditas enim illa, quam de petra Chriſto etiam ipſe petra factus ac- „ cepit, in ſuos quoque ſe transfudit hæredes &c. „.

2 Vide *notation. ſuperiorem. Sermone autem ſecundo cap.* IV. *pag.* 6. de Petro agens Leo: „ Cujus, *inquit*, dignitas in hærede indigno non deficit.

3 Theodorus Mopſueſtenus, *In Catena in cap.* X. *Johann. pag.* 263. *edit. ann.* 1630. „ Paſtorem ovium eſſe quemcumque, *ait*, qui reipſa digne doctorali munere inſignitus, le- „ gitimo utitur introitu „.

4 Theodoritus *in cap.* IV. *epiſt. ad Epheſ. tom.* III. *opp. edit. Pariſ. Sirmondi pag.* 308. „ ποιμένας καὶ διδασκάλους, inquit, *Paſtores*, & *Doctores* eos dicit (Apoſtolus) qui per „ unamquamque civitatem, καὶ κώμην, & *vicum* erant deputati „. Quinetiam Clemens Alexandrinus, qui ſane Epiſcopus non erat, ſeſe in ſeriem paſtorum reponit *in* 1 *Pædagogi libro cap.* VI. *pag.* 99. *edit. Pariſ. an.* 1641. „ Siquidem, *inquit*, ποιμένες ἐσμεν οἱ τῶν „ ἐκκλησιῶν προηγούμενοι *paſtores ſumus Eccleſiis præſidentes*.... τὰ δὲ πρόβατα ὑμεῖς „ *vos autem oves* „.

5 Alioquin Iohannes Apoſtolus Smyrnenſium Epiſcopus fuiſſet, propterea quod Patrem ſe adoleſcentis Smyrnenſis curæ Smyrnenſis antiſtitis commiſſi, vocaverit. Confer Euſebium *lib.* III. *Hiſt. Eccl. cap.* XXIII. *pag.* 103. *edit. Taurin.*

6 Exſtat ea narratio *tom.* II. *opp. s. Gregorii ante comment. in lib. Job edition. Rom. an.* 1589. & *edit. Maurinor. Pariſ. an.* 1705. *tom.* 1. *pag.* XXI. *poſt Præfat.*

bulam edidit, Augustino potiorem, quam omnibus Pontificibus, ipsique fortasse principi Apostolorum, tribuit in gloria sempiterna (1) locum. Sed fac vera sit omnis illa narratio. Quid? An quia Gregorius Romanos Pontifices Petri, Paulique esse successores, idcirco etiam Paulum episcopum Romanorum dixit? Hoc si ita est, cur non item Paulum & Corinthiorum, & Ephesiorum, & Philippensium, & Atheniensium episcopum fuisse pugnant; propterea quod Eusebius successores fuisse Apostolorum (2) Timotheum, & Dionysium (3) Areopagitam; Dionysius autem Corinthius Paulum fuisse institutorem (4) Corinthiorum; Paulusque ipse suum commilitonem fuisse tradiderit Epaphroditum (5) antistitem Philippensium? Ac si perstent adversarii, fateantur necesse est, ecclesiam nullam aut veterem, aut recens conditam esse, in qua aliquis Apostolus episcopus non sedisset, cum omnes omnium ecclesiarum episcopi (6) successores vocentur Apostolorum. Qua re quid absurdius dici, excogitarique possit, non video. Itaque quod est in fabula, fuisse ab Gregorio pontifices successores Pauli appellatos, si verum esset, nihil efficeret, quod nobis adversari videretur. Gregorius enim latiore, ut ajunt, sensu successores eos Pauli appellasset, nempe quod Paulus, qui Apostolus esset, episcopatusque præstaret dignitate, Romanos docuisset, adjutorque Petri in formanda Ecclesia fuisset, Romæque decessisset; non quod vere episcopatum Romanæ ecclesiæ obtinuisset. Atque hoc ille sensu epi-

1 *Ibid.* „ Altior eum a nobis continet locus „ . Sed non est cur multis hac de re contendendum putem. Erret Habertus *de Sing. Primatu Petri l.* II. *c.* v. *pag.* 39. Sit vera historia, quæ de Tagione episcopo fertur, ut visum Baronio est *ad an.* DCXLIX. *n.* 60., præsidio tamen adversariis esse non potest.

2 *Lib.* III. *cap.* IV. *pag.* 81. *Hist. Eccl.* ubi περὶ τῆς πρώτης τῶν ἀποστόλων διαδοχῆς *de prima successione Apostolorum* agit. Ephesi namque ecclesiam Paulum instituisse satis constat.

3 *Ibid. pag.*82. Quis autem negat Paulum Apostolum fuisse Atheniensium, Dionysiique magistrum, atque institutorem?

4 Confer Eusebium *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* XXV. *pag.* 76.

5 *Cap.* II. *epist. ad Philipp. v.* 25.

6 Vide quæ scripsi *pag.* 363. *hujus volum.* Eusebium *lib.* III. *Histor. Eccl. cap.* IV. *pag.* 81. *seq.* & S. Irenæum *lib.* II. *contra hæreses cap.* XXVII. *n.* 2. *pag.* 262. *edit. Massueti Venetæ an.* 1734.

ſcopos Alexandrinos (1) in S. Petri ſucceſſoribus numeravit, quos etſi a S. Marco Evangeliſte fuiſſe inſtitutos; tamen a Petro Apoſtolo numquam ut ab epiſcopo Alexandrino fuiſſe rectos, atque gubernatos norat.

Eodem autem modo explicari debet Agathonis (2) de epiſcopo Romano Pauli ſucceſſore locus. Quamquam illud etiam ad rem, cauſſamque maxime pertinet: Paulum, cujus ſucceſſores interdum, eo, quo dixi, ſenſu, Pontifices appellentur, numquam aut ab Gregorio, aut ab Agathone fuiſſe vocatum Romanorum epiſcopum.

At Hadrianus I. Pontifex ſedem ſe Petri, ac Pauli (3) Apoſtolorum occupare ſcribit. Hoc ſi in aliis eſſet ferendum, in Arnaldi tamen defenſore ferri nullo modo poteſt. Arnaldi namque de veterum Patrum expendendis, dijudicandiſque ſententiis canonem hunc eſſe animadverti (4): viro theologo, atque hiſtorico, miſſis & multis, & perſpicuis majorum locis, pauca quædam, eaque minus clara, minuſque explicata conſectari, minime licere. Quum autem tam multi, tamque illuſtres ſint veterum de uno Petro epiſcopo Romanorum, Pontificeque eccleſiæ univerſæ loci; nullus autem reperiatur, quo Paulum epiſcopum ejus urbis fuiſſe liqueat; quid eſt, quod illis omnibus prætermiſſis, perpauca teſtimonia adverſarii quæritent, colligant, proferant, quibus eſſe Romanos Pontifices in ſede Petri, Paulique locatos, conſtitui poſſe videatur? Ego vero non aliam fuiſſe arbitror Hadriani de Pauli Romana, quam Gregorii Magni de Petri Alexandrina ſede ſententiam. Quemadmodum enim, ut paullo ante dictum eſt, etſi numquam Petrus Alexandrinam ſedem occupaſſet, tamen quod id egiſſet, ut unus aliquis ſuorum diſcipulorum Alexandriam proficiſceretur,

1 *Lib.* VII. *epiſt.* XL. *ad Eulogium Alexandrinum pag.* 888. *edit. Pariſ. ann.* 1705.
„ Apoſtolorum principis SEDES in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius eſt . . .
„ Ipſe decoravit ſedem, in quam evangeliſtam diſcipulum miſit. Cum ergo unius, atque
„ una ſit ſedes, cui ex auctoritate divina tres nunc epiſcopi præſident, quidquid ego
„ de vobis boni audio, hoc mihi imputo &c.

2 *Concil.* VI. *art.* IV. *tom.* III. *pag.* 1118. *edit. Pariſ. Hard. ad an.* 680.

3 *Epiſt. ad Conſt. & Iren. Act.* II. *Syn.* II. *Nic. tom.* IV. *Concilior. edit. Pariſ. Hard. pag.* 559.

4 Vide ſupra *pag.* 274. *not.* 4.

tur, ecclesiam fundaret, in eaque gereret episcopatum; latiore quadam significatione scriptum ab Gregorio est, exstare in ea Ægypti urbe ejusdem Apostoli (1) cathedram; ita quamvis Paulus episcopus Romanus non fuerit, quod tamen & Apostoli, & episcopi dignitate præstiterit, Romæque docuerit, Petrique adjutor in augenda, amplificandaque Romana ecclesia fuerit, atque in hac universi orbis metropoli mortem obierit; sedem una cum Petro habuisse dici aliqua ratione potuit, quam Romani antistites occuparent.

Nicolai primi, qui institutam fuisse Romanam ecclesiam a Petro (2) ac Paulo, pro quibus (3) patribus Romanos Pontifices natos esse filios scribit, non sunt adeo illustria, adeoque perspicua loca, ut nos episcopatum Pauli Romanum confiteri cogant. Scimus enim, eum, qui institutor, vel potius adjutor institutoris alicujus ecclesiæ fuerit, haberi plerumque ecclesiæ ejusdem episcopum non oportere. Quæ res, cum demonstrata paullo ante fuerit, nunc prætermittatur. Neque vero Nicolaus Romanos Pontifices solum; sed etiam Patriarchas Alexandrinos pro Petro, ac Paulo patribus (4) natos esse filios testatur. Quis autem umquam

1 Vide *not.* 1. *pagina* 378. *hujus vol.*

2 *Nicol. I. Pontif. Max.* qui *an.* 858. episcopatu Romano potitus est, *resp. ad Consulta Bulgaror. cap.* XCII. *tom.* V. *Concilior. edit. Hard. Parif. pag.* 381. „ Romanam, *inquit*, „ sanctorum principes Apostolorum Petrus, & Paulus & prædicatione sua instituerunt, & pro „ Christi amore fuso proprio sanguine sacraverunt „. Quis autem nostrum umquam negavit aut *prædicasse* Paulum Romæ, aut *sanguinem* pro Christo fudisse? De episcopatu quærimus, non de *prædicatione*, aut *morte*. Alioqui Paulus Hierosolymorum, Antiochiæ, Cæsareæ, Ephesi, Philipporum, Corinthi, omnium denique urbium, in quibus docuit, quæ sane plurimæ sunt, episcopus fuisset; quod falsum est.

3 Confer *epist.* VIII. *ejusd. Pontif ad Michaelem Imperatorem pag.* 162. *seq. tom. eod. Concilior.*

4 *Ibid.* „ Ita privilegia huic sanctæ Ecclesiæ a Christo donata, a synodis non donata, „ sed jam solummodo celebrata, & venerata, per quæ non tam honor, quam onus nobis incubuit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiæ Dei per B. PETRUM, & in B. PETRO simus adepti, nos cogunt, nosque compellunt omnium habere sollicitudinem Ecclesiarum Dei, cui sancto scilicet PETRO addita est SOCIETAS Beatissimi Pauli „ vasis electionis, magistri veritatis, cui jugiter imminebat omnium Ecclesiarum sollicitudo. „ Hi ergo tamquam duo luminaria magna cæli in Ecclesia Romana divinitus constituti totum „ orbem splendore fulgoris sui mirabiliter illustrarunt; & occidens eorum præsentia veluti „ rutilante sole tam per se nitorem dante, quam per discipulos suos, quasi quosdam radios

„ lucis

quam majorum fuit, qui Paulum fuisse episcopum Alexandrinorum arbitraretur? Quod si idcirco pro Petro, ac Paulo patribus natos esse filios Alexandrinos antistites putavit, quia, etsi Paulus episcopus non esset Alexandriæ, tamen Marcus episcopus Alexandrinorum discipulus Petri fuit, cujus Petri adjutorem Paulum fuisse constat: pro patribus iisdem natos fuisse Romanos Pontifices filios dicere Nicolaus perinde potuit; propterea quod, tametsi Paulus episcopus Romanæ ecclesiæ non esset, nihilominus adjutor esset, sociusque laborum Petri, cui Petro Romanus episcopatus obtigerat. Nihilo gravius est, quod ex verbis Nicolai concludunt, hæredes scilicet esse potestatis Petri, ac Pauli Romanæ (1) sedis antistites. Nam ut Romanos, ita Alexandrinos ejus potestatis hæredes vocat. Quamobrem latius eorum verborum significatio pateat necesse est, ut quæ in eos etiam cadat, quos episcopo

„ lucis micante, factus est oriens, quippe non postquam mortui sunt, Romam a principibus „ sunt delati, ut Romanæ Ecclesiæ majorem conferrent privilegiorum honorem (sicut apud „ vos non rationabiliter, sed potentialiter actum est, videlicet, ut Ecclesiæ ceteræ patronis „ suis privarentur, & sola Constantinopolis spoliis, & opibus, quas violenter abstulit, di„ tetur) sed Romam in carne venientes, vitæ verbum evangelizantes, ab ea erroris ca„ liginem amoventes, veritatis lumine mentes hominum illustrantes, & in ea uno, eodem„ que die martyrium consummantes, sanctam Romanam ecclesiam roseo cruore suo consecra„ verunt, & hanc non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi exhibentes, „ Deo domino dedicaverunt. Sicque demum Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt, per „ B. scilicet Marcum unius horum filium, ac discipulum. Hæreditas quippe filii in potesta„ te parentis existit, & gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat au„ tem Beatissimus Petrus & ecclesiam Antiochenam jam suam . . . Per has igitur tres præ„ cipuas Ecclesias omnium Ecclesiarum sollicitudo Beatorum Apostolorum principum Petri, „ ac Pauli procul dubio moderamen capessat. Pro quibus patribus nos divinitus . . . nati „ sumus filii „ &c. Ex serie harum Nicolai sententiarum, quis non videat, concludi nihil posse omnino, quod ad episcopatum Romanum Pauli pertineat? Principio Nicolaus Constantinopolitanorum superbiam repressurus, Petrum, ac Paulum, non post mortem translatos, sed ipsos per se vivos Romam venisse, docuisse, martyrioque fuisse perfunctos, patronosque esse Ecclesiæ Romanæ defendit: contra patronorum aliarum ecclesiarum corpora vi fuisse ex locis, in quibus quiescebant, sublata, & Constantinopolim translata narrat. At patronos eos duos Apostolos, Doctores, Martyres Romanorum esse, quis neget? Nulla enim de iis rebus est quæstio. Deinde honorem episcopatus, summique in ecclesia principatus, non a Paulo quidem se, verum a Petro esse consequutum Nicolaus scribit. *Per B. Petrum*, *& in B. Petro*. Cur non item *per B. Paulum*, *& in B. Paulo*? Nam socium fuisse Paulum Petri in evangelio nunciando in erudiendis hominibus, inque martyrio perferendo addit; in episcopatu vero, non addit. Duos autem Apostolos, qui in majoribus numerarentur, cur Nicolaus *luminaria magna* non appellasset? De *filiis* denique quod addit, ut Alexandrinorum episcopum Paulum fuisse non efficit, ita ne Romanorum quidem.

1 *Ibid pag.* 163. „ Hæredes quippe horum effecti, facultatem potestatis, quam a Domi„ no perceperunt, & onus sollicitudinis nihilo minus capessere nos oportet „.

ſcopo Paulo numquam fuiſſe gloriatos liquet. Atque ut episcopi ſucceſſores dicuntur Apoſtolorum, quamvis eccleſiæ, quas regunt, inſtitutæ non fuerint ab Apoſtolis: ita Alexandrinus, & Romanus, hæredes dici potuerunt Pauli poteſtatis, quem & Apoſtolum fuiſſe, & epiſcopali præditum auctoritate, & ſocium laborum, ac perpeſſionum Petri conſtat, a quo Petro Marcus eſt miſſus evangelium nunciatum Alexandrinis. Contra vero ſæpe, & luculenter Nicolaus Petro, cujus poteſtas in Romanos Præſules permanarit, (1) quique cathedram in principe imperii urbe occupaverit, anteceſſore ſeſe gloriari ſcribit. Quod ſi Paulum non minus fuiſſe epiſcopum Romanum, quam Petrum, putaſſet; neque tam raro Pauli, neque tanta verborum circuitione meminiſſet, ut omnes, ſi rem diligenter conſiderent, hunc non epiſcopum quidem, ſed adjutorem Petri, ſociumque laborum fuiſſe, illuſtraſſeque ſanguine ſuo eccleſiam Romanam plane intelligere, ſi velint, poſſint.

De Hadriano (2) II. qui ſedem nominet Petri, ac Pau-

1 Ubi enim Nicolaus de *regimine* eccleſiæ, quod eſt epiſcopatus, & ſummi pontificatus indicium, diſſerit, unius Petri mentionem facit, omiſſo Paulo. Quare ſtatim, atque hæc, quæ ſunt de Petro ſimul, ac Paulo, dixit; de regimine diſputaturus, eadem in epiſtola *ad Michaelem pag. eadem*: „ Proinde, *inquit*, animadvertendum eſt, quia non Nicæna, non denique „ ulla ſynodus quodquam Romanæ Eccleſiæ contulit privilegium, quæ in Petro noverat, eam „ totius jura poteſtatis pleniter meruiſſe, & cunctarum Chriſti ovium regimen accepiſſe, „ ſicut Beatus præſul Bonifacius atteſtatur univerſis epiſcopis per Theſsaliam conſtitutis ſcribens: *inſtitutio univerſalis naſcentis Eccleſiæ de B. Petri ſumſit honore principium, in* „ *quo regimen ejus, & ſumma conſiſtit* „. Confer ejuſdem Pontificis *epiſt.* 1. *ad univerſos Catholicos, Ibid. pag.* 119. *Et epiſt.* II. *ad Michaelem Imperatorem pag.* 121. Qua in epiſtola *pag.* 124. loquens de ſucceſſione Romanorum epiſcoporum, eos ſuccedere B. Petro teſtatur, nulla facta mentione Pauli: „ Priſtinam, *inquiens*, ſanctorum Patrum traditionem, quam a „ prædeceſſoribus noſtris beatiſſimis, & orthodoxis Pontificibus, qui poſt B. Petrum in ejus „ Apoſtolica ſede reſederunt, nobis obſervandam ſuſcepimus &c „. *Et epiſtola* VI. *ad Photium pag.* 132 *ſeqq.* & *epiſt.* VII. *ad Michaelem pag.* 137. *ſeqq.* & *epiſt.* VIII. *pag.* 146. *ſeqq.* & *epiſt.* IX. *ad eumdem pag.* 204. *ſeqq.* & *epiſt. ad Bardam Cæſarem* XI. *pag.* 122. *ſeq.* & *epiſt.* XIII. *ad Ignatium pag.* 224. & *epiſt.* XV. *ad Eudoxiam Auguſtam pag.* 229. *ſeq.* & *epiſt.* XXVIII. *pag.* 248. *&c.*

2 Hadrianus II. pontificatu potitus eſt an. 868. *Epiſt. ad Baſilium Imperatorem, quæ extat tom.* V. *Concilior. edit. Hard. pag.* 861. „ Et ob amorem, *inquit*, Dei, & protectorum veſtrorum principum Apoſtolorum honorem, a quorum regimine proficiſcitur, „ manſuetudinis veſtræ auxilia ſentiat . . . . . quatenus per patronorum veſtrorum interceſſio„ nes, principum videlicet, a quorum ſede remittitur, & quorum principatu pro eccleſia „ veſtra, quæ valde fluctuat, die, ac nocte interpellare per multa curricula non ceſſavit „. Verum Sedis vocabulo Hadrianus non epiſcopatum Pauli Romanum, ſed locum, in quo Paulus evangelium promulgavit, intellexerit neceſſe eſt. Eodem autem ſenſu cathedras, hoc eſt ſedes

ac Pauli, nihil attinet dicere. Quod enim explicatum supra est, cum de Hadriano I. differerem, nova certe oratione, qua rursum explicetur, non eget.

Eodem autem pertinent, quæ Johannes VIII. (1) de sede

Sedes Apostolorum intellexit Tertullianus *lib. de Præscript. cap.* xxxvi. *pag.* 215. *edition. Veneta an.* 1748. „ Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ „ percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsi„ dent . . . Proxima est tibi Achaja? Habet Corinthum. Si non longe es a Macedonia, ha„ bes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum &c. „. Quem enim, obsecro, Apostolorum episcopum fuisse aut Corinthiorum, aut Philippensium, aut Thessalonicensium, aut Ephesiorum quisquam dicet? Nam Paulum, qui in his tribus Ecclesiis docuit, Apostolum quidem earum fuisse veteres tradiderunt, episcopum vero non item; cum earum ecclesiarum primos episcopos nominarent, Paulum numquam in iis esse numerandum putaverint. Itaque cathedra, & sedes locum, e quo aliquis docere consuerat, interdum significat; interdum etiam episcopatum. Quæ cum ita sint, quid est, quod ex hisce obscuris Pontificum testimoniis quidquam se adversarii perficere arbitrentur posse, demonstrareque Paulum fuisse episcopum Romanum? Ac si Hadriani, aliorumque Pontificum Maximorum, quorum illi auctoritate abuti solent, ea fuisset sententia, ut non minus Paulum, quam Petrum, episcopum fuisse Romanum judicarent, quid caussæ fuit, cur Petrum episcopum Romanæ sedis dicerent, Paulum numquam, ut supra ostensum est, cum agerem de Leone? Cur sedem Petri creberrime nominarent, nulla facta Pauli mentione; Pauli vero sedem, non facta mentione Petri, non item? Fit igitur ita, ut, cum illi sedem Petri, Paulique memorent, Petrum indicent fuisse Episcopum Romanorum, Paulum vero, etsi non episcopum, adjutorem tamen Petro laborum, ac propagandæ doctrinæ socium. Ac sedem quidem Petri, non injecta Pauli mentione, fuisse persæpe ab Hadriano Pontifice, de quo agimus, memoratam, tam certum est, ut revocari in controversiam omnino non possit. Vide *ejus epistolam ad Ignatium in Act. Concilii Constantinop. Act.* vii. *pag.* 861. *seqq. suggestionem Concilii ejusd. ad Summum Pontif. ibid. p.* 867. *epist.* xii. *Hadriani ep. ad Carolum Calvum pag.* 694. *& epist.* xx. *ad Lotharium Regem pag.* 702. *seq.* qua in epistolis, ubi regiminis meminit, unum *Petrum*; ubi vero liminum, Petrum simul, ac Paulum nominat, ut conjicere quisquam possit, eum *Sedis* vocabulo, locum interdum, in quo sancti Apostoli quiescerent, intellexisse. *Et epist.* xv. *pag.* 708. *ad Proceres Regni Lotharii*.

1 Johannes VIII. Pontificatum an. 873. adeptus fuit. In *ep.* lxxvi. *ad Petrum Comitem*, prædicasse Paulum Romæ, & hujus urbis Ecclesiam consecrasse ait, quam ecclesiam *ep.* clxxxiv. *ad Branimir.* Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli *Ecclesiam* vocat. In sede autem Apostolica *Sanctorum Petri, & Pauli semper auctoritatem vivere*, affirmat *ep.* cclxiv. At vellem equidem, ut hinc ostendatur Pauli episcopatus Romanus, pernoscere. Quis enim neget s. Venantium suo sanguine Camerinensem Ecclesiam illustrasse, & consecrasse? Quid? an eum quisquam Episcopum fuisse Camertum dicet? Ecclesiam autem Romanam, Ecclesiam sanctorum Petri, & Pauli appellare quid vetat; non constituto Paulo episcopo Romanorum? Quam enim Paulus docuit, quam illustravit, quam denique suo sanguine consecravit, hanc Pauli Ecclesiam, ac Petri appellare fas est. Jam vero si episcopi omnes auctoritate, qua Apostoli gaudebant, se præditos esse statuunt, quorum se esse intelligunt successores; etsi plerique ecclesias occupent, in quibus nemo umquam fuit Apostolorum; quid obstabat, quo minus non Petri modo, sed Pauli etiam auctoritatem in Romana Ecclesia vivere Johannes confiteretur, quum non solum episcopus ipse esset, sed etiam Romæ Paulum fuisse martyrio perfunctum sciret? Verum de Petro Johannes ita quidem statuit, ut statutum fuisse ab Hadriano II. dixi. Vide Johannis ejusdem *epistol.* viii. *ad Felicem & Petrum pag.* 7. *seq. tom.* vi. *p.* 1. *Concilior. edit. Hard. Paris. ubi de liminibus* agens, duos *Apostolos*: non vero de *sede* disserens, unum *Petrum* commemorat. „ Præsertim cum ad limina sit Apostolorum prosecta

ſede Apoſtolica, in qua beatorum Petri, ac Pauli ſemper auctoritas vivit, litteris conſignavit. Nihilo magis nos movent, quæ adverſarii ex epiſtolis Gregorii VII. (1) ſemper

„ ctus, ſedemque adierit, ubi ſemper catholicis ſubvenitur, &. ubi plurimi ſanctorum in- „ juriam paſſi, petram, a qua Petrus nomen ſortitus, refugium invenerunt „. *Et epiſt.* XXI. *ad Michaelem regem Bulgarorum pag.* 16. *& ad Petrum Comitem epiſtol.* XXII. *pag.* 18. *ſeqq.* ubi: „ Pro hac puriſſima fide Beatus Petrus Romæ moratur, in hac ſtabilivit Eccleſiam, „ s. Sede Apoſtolica diutius gubernata, pro hac fide decus mortis aſſumſit; ſicque ſanctam „ Romanam Eccleſiam in hac fide fundatam proprio ſanguine cum Paulo, qui ab Jeruſalem „ uſque ad Illyricam regionem ſcilicet, in qua nunc vos habitatis, evangelio replevit, Do- „ mino Deo conſecravit, & dedicavit „. Cur autem *gubernatam* eccleſiam illam a Petro dixit, a Paulo vero, quem tamen nominat, *gubernatam* non dixit, niſi quia Petrum epiſcopum fuiſſe putabat Romæ, non Paulum? *Et epiſt.* XXIII. *p.* 19. *& epiſt.* XXV. *ad Epiſcopos & Cleric. Græc. pag.* 22. *& epiſt.* XXVI. *ad Baſilium Imperat. pag.* 23. *& epiſt.* XXX. *ad Ludovicum Bajoariorum regis filium pag.* 27. *& epiſt.* XXXII. *ad Carolum regem p.* 29. *& epiſt.* XLII. *ad Teutrannum pag.* 35. *& epiſt.* LVI. *ad Epiſc. Britanniæ pag.* 41. *& epiſtola* LXVI. *ad Epiſcopos in regno Ludovici conſtitutos pag.* 46. *& epiſt.* LXVII. *pag.* 46. *ad Viſredum Vecienſem & epiſt.* LXXV. *ad Michaelem Bulgarorum regem pag.* 50. *& epiſtola* LXXXII. *ad Branimirum pag.* 54. in qua etſi eccleſiam Romanam ss. Petri, ac Pauli Eccleſiam vocet, tamen ſtatim inquirens, cujus ſit Romanus antiſtes ſucceſſor in epiſcopatu, ſic habet: „ Et quia Deo favente, quaſi dilectus filius ſancto Petro, & nobis, qui per divi- „ nam gratiam vicem ejus tenemus &c „. Hæc vero verba Auctor Anonymus Operis *de la Grandeur de l' Egliſe &c. lib.* II. *cap.* XIX. *pag.* 162. prætermiſit. *Et epiſtol.* LXXXVI. *ad Salonitanos Clericos pag.* 57. *& epiſt.* LXXXVII. *pag.* 59. *epiſt.* LXXXVIII. *ad Michaelem Bulgaror. regem pag.* 59. *& epiſt.* LXXXIX. *ad Tevantum Marauna pag.* 60. *& ep.* XCIII. *ad Baſilium, Conſtantinum, & Alexandrum Imperatores pag.* 63. *&* 64. *& epiſt.* XCIV. *ad Clericos Conſtantinopolitanos pag.* 72. *& epiſt.* XCVI. *ad Conſtantinopolitanos pag.* 77. *& epiſt.* CI. *pag.* 80. *& epiſt.* CVII. *pag.* 85. CIX. *pag.* 88. CXXIII. *pag.* 98. CXXIX. *p.* 102. CXXXI. *pag.* 103.

1 Ab Johanne VIII. Anonymus ad Nicolaum II. indeque ad Gregorium VII. deſcendit, miſſis Marino I. Papa, qui anno 883., Stephano IV. qui anno 885., aliiſque, qui ad 1058. eccleſiam rexerunt. Confer epiſtolam Marini ad Danielem Abbatem *tom. eodem Concilior pag.* 363. Stephani V. *epiſt.* I. *ad Baſilium Imperatorem pag.* 365. *ſeq. &* II. *ad Epiſc. Orient. pag.* 372. Iohannis IX. qui anno 901. acceſſit ad chriſtianæ reipublicæ gubernacula *epiſt. ad Heriveum Archiep. Remenſem pag.* 469. *& epiſt.* II. *ad Clerum & Populum Lingonenſem pag.* 479. Benedicti IV. qui anno 905. Pontificatum auſpicatus eſt *epiſt.* I. *ad Galliar. Epiſcopos pag.* 493. Leonis VII. qui anno 936. regere eccleſiam cœpit *epiſt.* II. *ad Gallos, & Germ. pag.* 568. Agapeti II. qui anno 946. *epiſt. ad Gerardum Laureacenſem Arch. pag.* 599. Iohannis Papæ XIII. qui anno 966. *epiſt.* I. *ad Epiſcopos Citerioris Britanniæ pag.* 619. Benedicti VI. qui anno 973. *epiſt. ad Fridericum Salisbur. Arch. pag.* 689. & Benedicti VII. qui anno 974. *epiſt. ad Gallos & Germ. ibid. pag.* 699. Iohannis XV. qui anno 985. *epiſt.* I. *ad omnes Fideles pag.* 713. Gregorii V. qui anno 996. *epiſt.* I. *ad Gerbert. & epiſt.* II. *ad Mon. s. Ambroſii. pag.* 740. *ſeq.* Silveſtri II. qui anno 999. *epiſt. ad Arnulphum* II. *pag.* 760. Benedicti VIII. qui anno 1012. *epiſt. ad Epiſcop. Burgund. pag.* 796. Leonis IX. qui anno 1049. *epiſt.* I. *ad Michaelem Cerular. c.* 1. *ſeq. pag.* 929. *& ſeqq. & epiſt.* V. *ad Petrum pag.* 952. *& ſeq.* Victoris II. qui anno 1053. *epiſt. ad Humb. pag.* 1038. *ſeq.* Stephani IX. qui anno 1057. *epiſt.* I. *ad Pandulphum Marſic. epiſc. pag.* 1052. Nicolai II. *ad Gervaſ. Rem. Archiep. epiſt.* II. *pag.* 1055. Alexandri II. qui anno 1061. *epiſt.* XL. *ad Oldricum pag.* 1106. & denique Gregorii VII. qui anno 1073. *lib.* I. *epiſt.* X. *pag.* 1212. *epiſt.* IX. *pag.* 1206. Jusjurandum fidelitatis *eidem Gregorio*

per Petrum, ac Paulum auctoritatem suscepisse ajentis, adversarii colligi arbitrantur posse. Quid enim impediebat, quo minus Gregorius non per Petrum modo, sed etiam per Paulum auctoritatem sese accepisse diceret, cum omnes episcopi per Apostolos in se ipsos auctoritatem manasse affirment, certumque sit, Paulum Apostolum episcopali charactere præditum sanguinem Romæ fudisse, ecclesiamque Romanam illustrasse?

Idipsum est de Paschale II. (1) de Alexandro III. (2) de Inno-

gorio a Richardo factum ibid. pag. 1213. *& epist.* LXIII. *pag.* 1243. *& epistol.* LXVIII. *pag.* 1246. *& epist.* LXXXII. *pag.* 1253. *& lib.* II. *epist.* XXXI. *pag.* 1285. *& epist.* LXXIV. *pag.* 1319. *seq. & lib.* VIII. *epist.* XXI. *pag.* 1469. *seqq. & ep.* III. *lib.* IX. *pag.* 1481. ubi vicarium se, hoc est successorem B. Petri, non memorato Paulo, vocat, cum numquam se Pauli appellet aut vicarium, aut successorem. *Et Ep.* XVIII. *pag.* 1492 quo loco s. Petrum ab Antiochenæ ecclesiæ episcopatu sese ad Romanum transtulisse scribit, quum Paulum episcopum Romanum fuisse nusquam dixerit. Quod autem auctoritate ss. Petri, & Pauli, & sese per eos quædam egisse aliquando tradat, quodque adversarii nobis opponunt, non efficit Paulum fuisse episcopum Romanum, antecessoremque Gregorii. Quis enim s. Ambrosium aut episcopum fuisse Romæ, aut antecessorem legatorum Papæ credat, ut legati auctoritate se Ambrosii agere affirment? Atqui ann. 1067. Alexandro II. Pontifice, in iis Constitutionibus, quas Mediolanensibus legati Sedis Apostolicæ præscripserunt, ut est *tom.* VI. *Concil. pag.* I. *edit. Paris. Hard pag.* 1083. „ Apostolica, *inquiunt*, auctoritate fulti ex parte Omnipo„ tentis Dei, & Apostolorum principis Petri, gloriosique confessoris Christi Ambrosii sta„ tuentes præcipimus &c. „. Quid umquam juris in Romana ecclesia Ambrosio fuit, ut sedis Apostolicæ auctoritate fulti, Petrum cum Ambrosio conjungerent? At Ambrosius Antistes fuit Mediolanensium. Fateor. Verum quid erat, quod ab sedis Apostolicæ legatis, qui Petri agerent auctoritate, nominaretur? Quod si sedis Apostolicæ legatis fas fuit post Petrum Ambrosii mentionem facere, quamvis is episcopus Romanus non fuerit, quod in ea urbe essent, in qua Ambrosius episcopatum gesserat: cur Gregorio, aliisque Pontificibus fas non fuisse Anonymus censeat, post Petri auctoritatem, Pauli item auctoritatem commemorare, qui Paulus, etsi episcopus Romanus non fuerit, Romæ tamen Petro socius laborum, martyriique fuisset? Iam de sede, seu throno, & cathedra BB. Petri, & Pauli, quoniam dictum est *not.* 2. *p.* 381. *seq*, nihil est caussæ, cur rursum dicam.

1 Eodem recidunt, quæ adversarii ex Paschalis II. qui anno 1099. episcopatu Romano potitus est, *epist.* V. *ad Archiep. Polon. tom.* VI. *Concil. part.* II. *pag.* 1769. *seq. & ex epist.* IX. *ad Henricum Angliæ regem* repetunt. At vellem mihi ullum indicarent ex epistolis Paschalis Secundi locum, ex quo Pauli successores Romanos esse Pontifices intelligatur. Contra ille *epist.* LXXXII. *pag.* 1833. sic habet: „ Per Apostoli Petri discipulum, & successo„ rem Anacletum &c „. Confer ejusdem *epist.* CX. *pag.* 1830. Quod si nonnumquam Petri, Paulique vicarios Romanos Pontifices vocat, Pauli certe sejunctim vicarios numquam vocat, cum tamen vocet sejunctim Petri successores. Quæ res argumento est, idcirco tunc Petri, ac Pauli simul Paschalem meminisse, quia Petrum revera episcopum Romanum, Paulum autem non episcopum quidem, sed adjutorem in instituenda, amplificandaque ecclesia Romana fuisse constat. Alioqui ut Petri sejunctim persæpe, ita etiam Pauli sejunctim aliquando saltem fecisset mentionem. Consule Paschalis *epist.* CIII. *pag.* 1851.

2 Alex. III. qui an. 1159. Pontificatum adeptus fuit, *epist.* XIX. *ad Archiep. Upsal.* Apostolorum cathedræ sese præsidere scribit. *Append. epist. tom.* VI. *Conc. Part.* II. *pag.* 1439.

Verum

Innocentio (1) item III. de Nicolao III. (2) de Martino V. (3) de Pio II. (4) de Paulo II. (5) de Julio II. (6) de Leone X. (7) de Paulo denique III. (8), quos suæ opinionis testes adversarii appellant, sentiendum. Nam hi etsi aliquando Petri simul, ac Pauli meminerint, numquam tamen episcopatu Romano utrumque fuisse potitum constituerunt. Immo vero, cum episcopi vocabulo quandoque indicarunt (9) Petrum, tum ubi amborum fecerunt mentionem, *Apostolorum* eos vocarunt nomine, quæ quidem illis appellatio communis erat; *episcoporum* autem *Romanorum* numquam.

Qua vero confidentia ab antistitibus Romanis petere se adversarii præsidium arbitrantur posse, cum tot esse catalogos episcoporum ejusdem ecclesiæ non a Patribus solum, qui disjuncti ab urbe magnis locorum intervallis fuissent; verum etiam ab iis, qui Romæ floruissent, inspectantibus, probantibusque Pontificibus Maximis, perscriptos constet, in quibus quidem catalogis priorem semper locum Petrus occupet, Paulus contra omnino nullum? Atque ut

Verum hoc si efficeret, Paulum fuisse episcopum Romanum; omnes Apostoli, Alexandri judicio, episcopi Romani fuissent. De omnibus enim Apostolis loquitur.

1 Innoc. III. ann. 1198. creatus Pontifex, *Petrum, & Paulum Romanam Ecclesiam spiritualiter fundasse* testatur. Id vero non evincit, Paulum fuisse ejus urbis episcopum. Alioqui Corinthi etiam fuisset.

2 Nicolaus III. an. 1277. Pontifex dictus, VI. *Decret. tit.* VI. *de Electione, & Electi Potestate*, etsi Paulum, ac Petrum patres, & pastores Romanorum vocarit, mox tamen quid de Petro sentiret indicans, *sacram* hujus sedem commemoravit, nulla facta Pauli mentione.

3 Martinus V. an. 1417. Pontificatu potitus est, in *Const.* XV. a Petro & Paulo fidei Orthodoxæ cardines sui sanguinis aspersione inundatos, scribit. Id vero ad episcopatum Pauli Romanum constituendum non pertinet.

4 Pius II. an. 1458. creatus Pontifex fuit: ac *Bulla* 1I. Beati Petri, & Pauli, suamque auctoritatem commemoravit. Id ut sit intelligendum, superioribus adnotationibus demonstratum est.

5 Paulus II. an. 1464. dictus est Pontifex. In Romanam ecclesiam a duobus Apostolis exordium sumsisse testatus est *in Bulla ann.* 1470 *de Indict. Jubil.* At hæc episcopatum Romanum Pauli non ostendunt. Vide superiores adnotationes.

6 Julius II. an. 1503. ad Petri sedem evectus fuit, atque in *Bulla Indict. Concil. Later.* auctoritate se fungi Petri, & Pauli Apostolorum scripsit. Verum hæc nobis negotium exhibere non possunt, quæ jam supra, ut sint intelligenda, explicavimus.

7 Eadem sunt Leonis X. qui an. 1513. pontificatu potitus est, *in Bulla contra Lutherum* an. 1520. edita, verba.

8 Eodem spectant, quæ Paulus III. Pontifex Max. *Indict. Concil. Tridentin. an.* 1542. scripsit.

9 Id equidem ostendam eo in loco, in quo agam de *Episcopatu Romano Petri*.

mittam de auctore carninum adversus Marcionem (1), de Optato (2), de Augustino dicere (3), quibus profecto notiores *traditiones* ecclesiæ Romanæ erant, quam aliis, qui longius ab Italia absuissent; quis in catalogo Liberiano (4), quem ante Liberium Pontificem incoeptum. Liberii ejusdem ætate perfectum fuisse ferunt; quis in Leoniano (5) Basilicæ sancti Pauli; quis in tot aliis, quos a Schelestratio (6), a Bollandianis (7), a Blanchiniis (8), a Muratorio (9), a Garampio (10), ab ceteris (11) horum monumentorum collectoribus editos fuisse videmus; quis, inquam, episcopum *Paulum*, qui cum

1 *Lib.* III. *Carminum contra Marcionem pag.* 635. *edition. opp. Tertullian. Veneta ann.* 1748.

„ Hac Cathedra, Petrus qua sederat ipse, locatum
„ Maxima Roma Linum, primum considere jussit.
„ Hujus Anacletus successor sorte locatus &c.

Et paullo post.

„ Constabat pietate vigens Ecclesia Romæ
„ Composita a Petro, cujus successor & ipse.
„ Jamque loco nono Cathedram suscepit Hyginus
„ Post hunc deinde Pius, Hermas cui germine frater
„ Angelicus pastor.

2 Optatus *lib.* II. *Adv. Parmen. cap.* III. *pag.* 31. *edit. Antuerp. ann.* 1702. „ Ergo „ Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Li„ no successit Clemens, Clementi Anacletus &c.

3 S. Aug *epist.* LIII. *al.* CLXV. *ad Generosum pag.* 91. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. „ Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius, & „ vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiæ figuram gerenti dominus ait: „ *super hanc petram &c.* Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacle„ tus &c.

4 Editus hic catalogus est ab Ægidio Bucherio Soc. Jesu *Comment. in Canon. Paschal. Victor. pag.* 269. *edit. Antuerp. an.* 1634. Confer Henschenium *tom.* I. *Act. ss. Mensis Aprilis Bollandianor pag.* IV. *seqq. edit. Antuerp.* & Franciscum Blanchinum *tom.* II. *Anastas. Bibl. de Vit. Rom. Pontif. Proleg. opusc.* 1. *pag.* VII. *edit. Rom. an.* 1723. *& Dissertat. Em. a Schelestr. ibid. cap.* II. *pag.* XXIX. *seqq.*

5 De Picturis Vetustis in Basilica *s. Pauli via Hostiensi* agit Blanchinus *ibid. p.* LXXXVII. *seqq* In his primo loco est Petri imago, secundo Lini, tertio Cleti &c.

6 Confer Catalogos Romanor. Pontificum a Schelestratio editos *tom.* I. *Antiquit. Eccl. edit. Rom. an.* 1692. *pag.* 611. 625. 626. 633. 644. 650.

7 Adeundus Papebrochius *Propyl. ad Acta ss. Mens. Maij Bollandianorum edit. Antuerp. pag.* 21. *seqq.*

8 Franciscus Blanchinus *pag.* VII. *seqq. tom.* II. Anastas & Josephus Blanchinus Presbyter Oratorii Rom. vir clarissimus, atque optimus, ac mihi, quæ illius est singularis humanitas, amicissimus, *tom.* IV. *Anastas. edit. Rom. an.* 1735. *opusc.* 1. *pag.* 1.

9 *Tom.* III. *P.* 1. *&* II. *Scriptor. Rer. Italicar. edit. Mediol. pag.* 1. *seqq.*

10 Confer Josephi Garampi Tabularii Vaticani præfecti, & Basilicæ Vaticanæ Canonici doctissimi Juvenis *Dissert. de Nummo Benedicti III. pag.* 161. *edit. Rom. an.* 1748.

11 Vide Johann. Mabillonii *Analect. Vet. pag.* 218. *edit. an.* 17-3. *& de re Dipl. lib.* V. *tab.* VIII. *n.* 3. *pag.* 359. *edit. an.* 1709. Sed omnes numerare longum esset.

cum Petro *episcopatu Romano* potitus esset, commemorari animadvertit? Quod si Romanorum ea erat, quam Anonymi principatus Pauli defensores, quam Petrus de Marca, quam Quesnellus, aliique nonnulli volunt, opinio; quemadmodum prætermissus in catalogis semper Paulus fuisset, facta unius tantummodo mentione Petri? An Romani præsules, si contra sensissent, hanc tantam, tamque insignem injuriam Paulo fecissent, ut e tabulis suæ ecclesiæ episcoporum virum maximum, atque sanctissimum, quem omnium ecclesiarum sollicitudo tenuisset, excludi perpetuo paterentur? Credant id quidem, qui rebus novis studendum censent; ego enim inducere animum, ut credam, nullo modo possum.

Descendo ad Patres. Nego venisse umquam in mentem Ignatio (1), ut Paulum episcopum fuisse Romanum existimaret. Doctos namque Romanos a Paulo fuisse scribit, episcopo autem Paulo usos, non item.

Similia horum sunt, quæ Irenæus (2) contra hæreticos in tertio libro disputat. Institutam enim, fundatamque ecclesiam Romanam a Petro, ac Paulo, episcopatumque ab iisdem traditum Lino fuisse (3) confirmat interdum; Paulum autem episcopatu Romæ potitum, numqaum.

 At is

1 Ignatius *Epist. ad Rom. c. IV. pag.* 225. *Tom. II. Apost. PP. edit. Lond. an.* 1646. hæc habet: „ *Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis* „. Sed hæc ad rem profecto non pertinent.

2 S. Irenæus *lib.* III. *c.* I. *pag.* 174. *edit. Veneta an.* 1734. „ Petrum, & Paulum Romæ evangelizasse, & fundasse ecclesiam „ *cap.* III. *pag.* 176. „ Romanam fundasse, eo constituisse Ecclesiam „ scribit: quæ etsi vera sunt, Pauli tamen episcopatum Romanum non evincunt.

3 Sanctus Irenæus *lib.* III. *cap.* III. *contra Hæres. pag.* 176. *edit. Veneta an.* 1734. „ Et „ habemus annumerare eos, qui AB APOSTOLIS INSTITUTI SUNT EPISCOPI in ecclesiis, „ & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt . . . . quale (*ab hæreticis*) de„ liratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim, & latenter ab reli„ quis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam IPSAS ECCLESIAS „ COMMITTEBANT. Valde enim perfectos, & irreprehensibiles in omnibus eos volebant „ esse, QUOS ET SUCCESSORES relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes, qui„ bus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam „ valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare SUCCESSIONES [*vi„ den' ut omnes episcopos successores ab Apostolis relictos, horumque successiones numerare „ se posse scribat, etsi Apostoli non omnium fuerint episcopi ecclesiarum, quibus episcopos „ præfecerunt?*] maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus „ Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ ecclesiæ eam, quam habet ab Apo„ stolis

At is rectam Romanam ecclesiam ut a Petro, ita etiam a Paulo fuisse narrat. Equidem *τὸ οἰκοδομήσαντες* (1) græcum, quo Irenæus, & *τὸ instruentes* latinum, quo vetus Irenæi interpres est usus (quodque *ædificationem*, *constitutionemque* ecclesiæ, non *administrationem*, *gubernationemque* significat) ab adversariis *ayant reglé* versum in vernaculam linguam Gallorum nollem. Discrepat enim ab *ædificatione gubernatio* episcopatus, cum eos persæpe ecclesiarum, quas *fundassent*, *constituissentque*, episcopos non fuisse intelligamus.

Sed urgent illi quidem, atque Irenæum, qui post Anacletum *tertio loco* (2) *ab Apostolis episcopatum sortitum fuisse Clementem* scripsit, numquam hæc fuisse scripturum pugnant, nisi Petrum, ac Paulum Romanum episcopatum obtinuisse putasset.

Ego

„ stolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum perve-„ nientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo.... præ-„ terquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem „ necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua sem-„ per ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. „ Adjungit mox Irenæus, ut est apud Eusebium *lib.* v. *Hist. Eccl. cap.* 11. *pag.* 187. *Edit. Taurin. an.* 1746. „ θεμελιώσαντες οὖν, καὶ οἰκοδομήσαντες, *fundantes igitur*, & *ædificantes* Beati Apostoli Ecclesiam, Λίνῳ τὴν ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν *episcopatus ministerium tradiderunt*..... succedit autem ei Anacletus, μετὰ τοῦτον δὲ τρίτῳ τόπῳ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τὴν ἐπισκοπὴν κληροῦται Κλήμης *post hunc autem tertio ab* „ *Apostolis loco episcopatum sortitur Clemens* „. Scilicet tertium ab Apostolis episcopum Clementem dicit, ne utrumque Apostolorum episcopum Romanum fuisse dicere videatur. Nam si Paulum, ac Petrum simul episcopos fuisse, unumque caput constituisse putasset, jam non tertium appellasset ab Apostolis Clementem episcopum, sed quartum episcopum Romanum dixisset. Cum autem de duobus Apostolis Irenæus ageret, horumque unum episcopum Romanum non fuisse sciret, ne quis utrumque ab eo episcopum fuisse dictum existimaret, ea est usus circuitione verborum, tertiumque ab Apostolis, hoc est ab eo qui constitutus est ab Apostolis, episcopum fuisse Clementem scripsit, quin indicaret episcopatu ne potiti Apostoli, nec ne fuerint. Pergit porro Irenæus: „ Huic autem Clementi succedit Evaristus, & Evaristo Alexander, ac deinceps ἕκτος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων *sextus ab Apostolis* constitutus „ est Sixtus, & ab hoc Telesphorus...... ac deinceps Hyginus, post Pius, post quem „ Anicetus. Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab „ Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione, & successione, ea quæ est ab Apostolis in „ ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc „ ostensio, unam & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in ecclesia ab Apostolis usque „ nunc sit conservata, & tradita in veritate. Et Polycarpus autem non solum ab Apostolis „ edoctus.... sed etiam ἀπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς *ab Apostolis constitutus* in Asia in ea, „ quæ est Smyrnis ecclesia, episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate.... hæc „ docuit.... Testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia ecclesiæ omnes; & qui usque „ adhuc successerunt Polycarpo. „

1 Confer adnotationem superiorem.

2 Vide modo descriptum Irenæi locum.

Ego vero his argumentis moveri eorum existimo posse neminem, qui sciant, quæ caussæ Irenæum, hæc ut scriberet, impulissent. Ille enim hæreticos repressurus, non qui Apostoli episcopatum Romanum tenuerint, sed qui episcopi ecclesiis ab Apostolis præfecti fuerint, quique episcopis iisdem successerint, ostendere (1) constituerat. Cum autem Linum Romanorum a Petro, ejusque adjutore Paulo; Polycarpum vero ab Johanne Smyrnæorum episcopum fuisse creatum cognosset, omissa mentione episcopatus Apostolorum, quæ ad rem, de qua agebatur, non pertinebat, sic statuit: iis (2) christianos episcopis conjunctos esse, assentirique oportere, quos episcopos constitutos ab Apostolis fuisse, aut iis, qui constituti ab Apostolis fuerant, successisse exploratum esset. In his esse Romanos episcopos, qui Lino creato ab Apostolis succedunt, & quorum tertius ab *Apostolis*, scilicet ab eo, qui constitutus est ab Apostolis (3), fuit Clemens. Addi præterea Polycarpum posse, qui cum datus ab Johanne Smyrnensibus antistes fuisset, successor (4) dicebatur Apostolorum, non quod Johannes Smyrnæ episcopus fuisset, sed quod inter episcopos, qui certe omnes successores Apostolorum & sunt, & habentur, ii præsertim successorum appellari solerent nomine, quos Apostolorum quispiam uni alicui ecclesiæ præfecisset. Quum igitur Irenæus nihil usquam, quod ad episcopatum Apostolorum spectaret, quæsierit; quid est, quod adversarii illius verbis constitui Pauli episcopatum Romanum putent? Concludi enim ex alicujus sententiis quidquam, quod ille neque

1 Consule eundem Irenæi locum. Idem *lib.* IV. *cap.* XXVI. *num.* 12. *pag.* 262. „ Quapropter eis, qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem „ habent AB APOSTOLIS, sicut ostendimus, qui cum episcopatus successione charisma veri„ tatis certum secundum placitum Patris acceperunt . . . . . Ab omnibus (*malis*) absistere „ oportet, adhærere vero his, qui & Apostolorum, sicut prædiximus, doctrinam custodi„ unt &c. „ *& pag.* 263. „ Apud quos est ea, quæ est ab Apostolis, ecclesiæ successio, & „ id quod est sanum, & irreprobabile conversationis &c. „ Vides, *ut ab Apostolis* Petro, & Paulo successionem repetat episcoporum Romanorum, Polycarpi vero ab Apostolis, hoc est ab Johanne, cujus auditor fuit?

2 Romanis episcopis imprimis, inde Polycarpi, aliorumque Antistitum, qui ab Apostolis instituti fuissent, successoribus, ut ex locis Irenæi modo descriptis plane liquet.

3 Sic enim intelligit τὸ *ab Apostolis* Irenæus, ut ex loco modo descripto cognosci potest.

4 Confer modo descripta Irenæi testimonia.

que indicarit, neque indicare ſtatuerit, exiſtimare qui poſſumus? Quod ſi pergant, ac Paulum epiſcopum Romanum fuiſſe defendant, propterea quod Irenæus tertium ab Apoſtolis fuiſſe Clementem dixerit; fateantur item neceſſe eſt, Johannem Smyrnenſis eccleſiæ epiſcopatum obtinuiſſe, quod Polycarpus ab eodem vocetur ſucceſſor Apoſtolorum. Jam vero, quum id totum, quod eſt de Johanne, vehementer negent, quem demum futurum judicant, qui dandum ipſis eſſe, quod de Paulo decernunt, arbitretur?

Quid ergo? dicet quiſpiam. An tu Petrum epiſcopum fuiſſe Romanorum inficiare?

Minime vero. Nam qui Irenæum epiſcopatus Romani Petri meminiſſe negat, is continuo Petrum fuiſſe epiſcopum Romanum non negat. Neque enim veteres omnes rerum, quæ ad eccleſiæ ſtatus, religionemque chriſtianam pertinent, omnium meminerunt. Quod autem Irenæus tacuit, hoc alii permulti, quod mox oſtendam, non memorarunt modo, ſed etiam demonſtrarunt. Ac de Irenæo ſatis dictum eſto.

Venio ad Tertullianum. Concedam Petrum, ac Paulum ab eo fuiſſe habitos Romanæ eccleſiæ *fundatores*. Verum (1), quid hinc ſequatur, quod Paulum epiſcopum Romanorum conſtituat, nullo modo prorſus intelligo. Qui enim contra nos diſputant, quum aliquarum ſaltem, quas fundavit, eccleſiarum Paulum epiſcopum fuiſſe negent; vereor, ut ex *inſtitutore, fundatoreque* Romanæ (2) eccleſiæ Paulo argumentando deſcendere ad epiſcopatum Pauli Romanum

1 Hæc afferunt, ut a Paulo, Tertulliani judicio, *fundatam* fuiſſe eccleſiam Romanam oſtendant; ex Apologetico *cap.* xvi. *pag.* 78. *Append. Edit. Veneta an* 1748. „ Diſcipuli „ quoque diffuſi per orbem ex præcepto magiſtri Dei paruerunt, qui & ipſi a Judæis inſe- „ quentibus multa perpeſſi, utique pro fiducia veritatis libenter, Romæ poſtremo per Ne- „ ronis ſævitiam ſanguinem chriſtianum ſeminaverunt.

2 *Lib.* iv. *contra Marcionem cap.* v. *pag.* 415. „ In ſumma, ſi conſtat id verius, „ quod prius, id prius, quod & ab initio, quod ab Apoſtolis, pariter utique conſtabit, „ id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Videa- „ mus quod lac a Paulo Corinthii hauſerint, ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti, quid „ legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii, quid etiam Romani de proximo ſonent, „ quibus Evangelium & Petrus, & Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. Habe- „ mus & Johannis alumnas eccleſias. Nam etſi Apocalypſin ejus Marcion reſpuit, ordo tamen „ epiſcoporum ad originem recenſus in JOANNEM ſtabit auctorem.

num ſtatuendum poſſint. Eſt autem levius, quod concludunt ex quarti libri adverſus Marcionem loco, in quo fit mentio earum, quæ Apoſtolorum eccleſiæ dicebantur. Nam etſi Pauli eſſe Romanam eccleſiam dixiſſet Tertullianus, cum eam non magis illius propriam, niſi ob fuſum ibidem ſanguinem, quam Corinthiam eſſe oſtenderit, nihil profecto, quod epiſcopatum Pauli Romanum evincat, dixiſſet. Nemo enim eſt veterum, qui Paulum epiſcopum fuiſſe tradat Corinthiorum, aut Johann. *alumnarum eccleſiarum, in quibus ille, ordinem epiſcoporum ſtare in Iohanne auctore*, ſcribit. In eo autem, qui eſt de Præſcriptionibus inſcriptus, libro quid eſt, quod epiſcopatu Romano fuiſſe Paulum potitum efficiat? De Cathedris enim Apoſtolorum, quod dicit, cum quorſum evadat, demonſtratum ſit, omittendum exiſtimo, ne actum agam. Quod vero addit (1): *habere nos Romam unde auctoritas præſto eſt; ſtatu* nempe *felicem eccleſiam, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*, docuiſſe Petrum, ac Paulum Romæ, civeſque inſtituiſſe, atque in urbe functos vita fuiſſe demonſtrat; epiſcopatum vero ejus eccleſiæ Paulum obtinuiſſe, tantum abeſt, ut demonſtret, ut ne leviter quidem indicare videatur. Eſt autem perridiculum, quod adverſarii jactitant, omnibus rebus Paulum Petro fuiſſe, Tertulliani ſententia, parem, propterea quod is auctor eodem in libro ſcripſerit:

1 Tertullianus *lib. de Præſcr. cap.* xx. *pag.* 208. „ Apoſtoli in orbem profecti eamdem „ doctrinam ejuſdem fidei nationibus promulgaverunt, & proinde Eccleſias apud unamquem- „ que civitatem condiderunt, e quibus traducem fidei, & ſemine doctrinæ ceteræ exinde Ec- „ cleſiæ mutuatæ ſunt. *Cap.* xxi. Communicemus cum Eccleſiis Apoſtolicis. *Et cap.* xxxii. „ Edant ergo (hæretici) origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuo- „ rum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille epiſcopus aliquem ex Apo- „ ſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit aucto- „ rem, & antecefforem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut „ Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Iohanne collocatum refert, ſicut Romanorum Cle- „ mentem a Petro ordinatum itidem, perinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis „ in epiſcopatu conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habeant „. *Et cap.* xxxvi. *pag.* 215. „ Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ. Percurre Eccle- „ ſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud „ quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur ſonantes vocem, & repræſentantes faciem „ uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedo- „ nia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. „ Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta „ quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli ſua ſanguine profuderunt. Ubi Petrus „ paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Iohannis exitu coronatur; ubi Apoſtolus Iohan- „ nes poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.

rit: *Bene quod Petrus Paulo & in martyrio adaequatur* (1). Scilicet hoc restat, ut Christo faciant æqualem Petrum, quod dictum a Tertulliano fuerit, *Petrum fuisse passioni dominicæ adæquatum* (2). Sed hæc alias.

Miror deinde quid sit, quod subsidium adversarii ex Dionysii Corinthii epistola ad Romanos quærant. Nam ut prætercam, quod extremo illum seculo tertio decessisse, ajunt, etsi est id quidem falsissimum, cum eum extremo fere secundo seculo liqueat postremum clausisse diem; quid scriptum ab illo est, quod communem, ac pervulgatam de Petri unius episcopatu Romano non dicam evertere, sed debilitare possit sententiam? Qui enim plantatam a Petro, Pauloque ut Romanorum, ita Corinthiorum ecclesiam fuisse narrat; is, si nihil præterea adjungat, Paulum certe episcopatu fuisse Romano potitum, neque statuit, neque negat. Dionysius vero quid tandem habet, nisi Corinthiorum, Romanorumque ecclesias plantatas (3) a Petro, ac Paulo fuisse, qui cum utramque doctrina Christi instituissent, Romæ denique martyrio perfuncti fuerint? Ac si consequens ex iis Dionysii locis non est, Corinthi episcopum fuisse Paulum, quod adversarii facile concedunt (4), quemadmodum ex iisdem ipsis concludi poterit, fuisse illum episcopum Romanorum? At *capita, principesque* Petrus, Paulusque Romæ esse non poterant, nisi una episcopatum illius ecclesiæ obtinuissent. Nego caput utrumque Apostolum, aut principem fuisse ab Dionysio appellatum. Non enim qui *fundator* ecclesiæ alicujus est, is caput illius est, principesque etiam habendus. Nisi forte adversarii caput, ac principem, Pauloque auctoritate parem Barnabam fuisse

1 *De Præscript. cap.* XXIV. *pag.* 210. Id nobis objicit Auctor *operis de la Grandeur de l'Eglise &c. lib.* III. *cap.* IV. *pag.* 255.

2 Tertull. *ibid. cap.* XXXVI.

3 Dionysius Corinthius *Ep. ad Rom.* apud Eusebium *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* XXV. *pag.* 76. *Edit. Taurin.* „ Ita & vos, *inquit*, tanta admonitione vestra τὴν ἀπὸ Πέτρου, καὶ Παύλου „ φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε, καὶ Κορινθίων *plantationem a Petro & Paulo factam Romanorum, & Corinthiorum* simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum, ingressi, sparso evangelii doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam „ simul profecti cum vos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt.

4 Auctor Operis *De la Grandeur de l'Eglise &c lib.* III. *cap.* V. *pag.* 258.

ſuiſſe velint, quod una cum Paulo *fundaſſe* aliquot eccleſias dicatur. Qua re nihil fingi poteſt obtuſius? Quid? ſi Dionyſius non *fundatorem* Paulum, ſed *plantatorem* vocet Corinthiae, Romanæque eccleſiarum? Quod equidem non eo dico, quo Petrum, ac Paulum *fundaſſe* utramque eccleſiam negem, ſed quo iis ex verbis concludi ab ſe quidpiam adverſarii putent poſſe, quæ verba nuſquam uſurparint ii, quorum teſtimoniis abutuntur.

Nihilo plus agunt auctoritate Caii. Nam is eccleſiæ Romanæ Presbyter (qui initio ſeculi III. floruit, ac Proclum hæreticum de grege Cataphrygarum exagitavit) conſtitutam a Petro, ac Paulo fuiſſe Romanam eccleſiam ſcribit (1), Paulum epiſcopum fuiſſe Romanorum non ſcribit. Quod ſi Paulus omnium eccleſiarum, quas aut ſolus, aut cum Barnaba (2), aliiſve conſtituit, antiſtes fuiſſet, ſexcentos epiſcopatus obtinuiſſet. Id cum abſurdum eſt, tum etiam efficit, ut ex fundatione Romanæ eccleſiæ non ſit epiſcopatus Pauli Romanus conſequens. Quum ergo nihil *traditio* majorum ferat, quod epiſcopatum Pauli Romanum evincere poſſe videatur; nihilque ſit a theologo affirmandum, quod non ſit ex ſcripturis, *traditioneve* majorum profectum, quis umquam ſtatuet fuiſſe aliquando Paulum epiſcopum Romanorum? Cumque demonſtratum fuerit, *traditionem* & bene conſtitutam, & veterem Romanorum id poſcere (3) ut ſit unus tantum epiſcopus in quaque eccleſia, quæ certe *traditio* haud invaluiſſet, ſi vivis Apoſtolis duo epiſcopi Romæ fuiſſent; Petri epiſcopatu Romano conceſſo, qui demum quiſquam ſimul epiſcopatum Pauli Romanum concedendum putet?

Atque nihil *traditione* majorum contineri dixi, quod indicet epiſcopatum Romæ Paulum aliquando obtinuiſſe, pro-

1 Cajus Presbyter *Eccleſ. Rom. apud Euſeb. lib.* II. *cap.* xxv. *pag.* 76. „ Ego vero, „ *inquit*, Apoſtolorum tropæa poſſum oſtendere. Nam ſive in Vaticanum, ſive ad „ Oſtienſem viam pergere libet: occurrent tibi tropæa eorum, qui eccleſiam illam ſta- „ biliverunt „.

2 Vide *Act. Apoſt. cap.* xv. *v.* 19. *ſeqq.*

3 Vide ſupra *pag.* 168. *hujus vol. not.* 3.

propterea quod eodem fere, quo Irenæi, Tertulliani, Dionysii, Caji testimonia explicavi, modo, explicari permulta illa veterum, novorumque scriptorum loca, quibus adversarii abutuntur, non solum possint, sed etiam debeant. Quamobrem non est necesse, ut pluribus de Eusebio (1) Cæ-

1 Nescio cur adversæ opinionis patroni a Cajo ad Eusebium gradum faciant, missis patribus, qui de Cathedra Petri loquuti sunt, quique ante Eusebii tempora floruerunt. Ac Clemens quidem Alexandrinus, qui de Paulo ita differit, ut cum eum gentium doctorem dicat fuisse, tum singulari quadam ratione susceptam ab eo curam fuisse Romanorum, non dicat; ad Petrum veniens: *cum verbum Dei*, inquit, *in Urbe Roma publice prædicasset, & Spiritu Sancto afflatus evangelium promulgasset &c.* Apud Eusebium *lib.* vi. *Histor. Eccles. cap.* xiv. *pag.* 237. *edit. Taur.* Quum igitur id peculiare fuisse Petro, indicet, ut Romanis evangelium nunciaret, quamquam hunc Apostolum alias item gentes veram religionem docuisse liqueat, argumento est, censuisse Clementem, potitum fuisse episcopatu Romano Petrum, non Paulum. Origenis autem illustris locus est in v. *Expositionum in Evangelium Johannis* locus, quem Eusebius in vi. *Hist. Eccles. c.* xxv. *p.* 252. describit, quemque ipse afferam cum dicam de singulari principatu Petri. Cyprianum deinde, qui Romanam sedem Petri locum, & cathedram vocat (Vide supra *p.* 369. *ante n.* 1. & *p.* 72. *seq. n.* 1. *hujus vol.*) Petrumque ipsum principatus, seu primatus ratione Paulo anteponit (Confer *p.* 73. *hujus vol.* & sancti Augustini librum *De Baptism. C.D.* ii. *c.* 1. *p.* 64. *t.* ix. *opp. ed. an.* 1700.) Pauli vero cathedram nusquam indicat, quis credat episcopatum Pauli Romanum probasse? Mitto ceteros. Descendo ad Eusebium. Hujus summam in historia ecclesiæ facultatem fuisse adversarii animadvertunt. Sit ita. Quid tum? Quid? inquiunt. Eusebius in iii. *Hist. Eccl. l. c.* xxi. *pag.* 98. scribit hoc modo: κλήμης τρίτος ϗ αὐτὸς ἐπὶ τῶν τῇδε μετὰ Παῦλον, ϗ Πέτρον ἐπισκοπευσάντων βαθμὸν. *Clemens tertius & ipse post Paulum, ac Petrum inter Episcopos (ejus urbis) promotionis ordine numeratus. Libro autem* iv. *cap.* i. *pag.* 121. πέμπτην ἀπὸ Πέτρου, ϗ Παύλου κατάγων διαδοχὴν, τὴν ἐπισκοπὴν ἀπολαμβάνει (Ἀλέξανδρος) Quintam a Petro, & Paulo successionem obtinens episcopatum suscipit (Alexander), & *lib.* iv. *capit.* v. *pagin.* 124. ἕβδομος ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τελεσφόρος. *Septimus ab Apostolis Telesphorus.* Quid igitur? An hinc efficient: Paulum fuisse Episcopum Romanorum? Mihi vero nihil videtur minus. Nam Eusebii hæc fuit ratio, non ut Apostolos, qui aliqua in urbe degissent, episcopos ejusdem urbis fuisse; sed ut his verbis: *secundus, vel tertius, vel quartus &c. ab Apostolis*: prædicasse Apostolos ipsos eadem in urbe, ecclesiam amplificasse, episcoposque eidem præfecisse ostenderet. Quæ res illustri exemplo demonstrari potest. Quis enim umquam omnes Apostolos, qui Hierosolymis versati sunt, episcopos fuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ dixit? Immo vero id vehementer Eusebius negandum putavit, unum Iacobum episcopum fuisse statuens Hierosolymorum *lib.* ii. *Histor. Ecclesiastic. cap.* i. *pagin.* 42. & *cap.* xxiii. *pagin.* 76. & *lib.* vii. *cap.* xix. *pag.* 301. Quod si *ibid. pag. eadem* Hegesippum sequutus διαδέχεται τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου ἰάκωβος *suscipit Ecclesiam cum Apostolis frater Domini Jacobus*, scripsit, neque ipse tamen, neque alius quisquam hæc ita intellexit, ut ante Iacobum, vel cum Iacobo episcopos Hierosolymitanos fuisse Apostolos arbitraretur. Alioqui non probasset ille Clementis locum ajentis electum Iacobum ab Apostolis post ascensum Christi fuisse episcopum Hierosolymorum. Nihilo secius Eusebius *lib.* iv. *Hist. Eccl. cap.* v. *pag.* 124. τοσοῦτοι, inquit, ϗ οἱ ἐπὶ τῆς ἱεροσολύμων πόλεως ἐπίσκοποι ἀπὸ τῶν ἀποστόλων εἰς τὸν δηλούμενον διαγενόμενοι χρόνον *Tanti & in Hierosolymorum urbe Episcopi ab Apostolis usque ad designatum tempus facti*. Et *lib.* v. *cap.* xii. *pag.* 194. Νάρκισσος τριακοστὸς ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ..... γεγενημένος *Narcissus tricesimus ab Apostolis (Episcopus Hierosolymorum) creatus*. Quinetiam Hieronymus *in Catal. scriptor. Eccles. pag.* 101. *tom.* iv. *opp. edit.*

Cæsareensi, de Cyrillo Hierosolymitano (1), de (2) Epipha-

 nio,

edit. Martianai „ suscepit, *inquit*, Ecclesiam Hierosolymæ *post Apostolos Jacobus* „. Quæ cum ita sint, sequatur necesse est, ut neque τὸ *post Apostolos*, neque τὸ *ab Apostolis* indicium esse episcopatus Hierosolymitani Apostolorum possit; cum & patres, & scriptores novi, & ipsi adversarii facile concedant, Apostolorum, præter Jacobum, neminem fuisse umquam eo episcopatu potitum. Quare si Eusebius aut *post Petrum, & Paulum*, aut *ab Apostolis tertium* vel *sextum* fuisse aliquem episcopum Romanum narrat, consequens inde non est, utrumque Apostolum Romanæ ecclesiæ fuisse episcopum. Ceterum Eusebius in Chronico, etsi Petrum, Paulumque Neronis jussu martyrium una fuisse passos testatur, mox tamen uter eorum episcopatu Romano potitus fuisset, indicans, misso Paulo, solum Petrum commemorat. Scribit enim hoc modo *pagin.* 206. *edition. ann.* 1658. Πέτρος, καὶ Παῦλος οἱ θειότατοι ἀπόστολοι τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσαντες κατεστέφθησαν ἀγῶνι .... τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας πρῶτος ἐπίσκοπος μετὰ Πέτρον τὸν κορυφαῖον Λῖνος. „ Petrus, & Paulus divinissimi Apostoli testimo- „ nium pro Christo exhibentes in eo certamine coronati sunt... Primus post coryphæum Petrum „ Romanorum ecclesiæ episcopus Linus „. Cur non etiam Paulum commemorasset, si una cum Petro putasset episcopum fuisse ejusdem ecclesiæ? Eadem habet *lib.* III. *Histor. Eccles. cap.* IV. *pag.* 82. Est autem inepta adversariorum responsio, qui Eusebium ajunt, post verba in eodem *cap.* IV. usurpata *primus post Petrum*, hæc statim addere: *ut supra jam diximus*. Quid enim dixerat, quod nobis opponatur? Nam hoc unum habet *lib. eod. cap.* III. *pag.* 79. τῆς δὲ Ῥωμαίων ἐκκλησίας μετὰ τὴν Παύλου, καὶ Πέτρου μαρτυρίαν πρῶτος κληροῦται τὴν ἐπισκοπὴν Λῖνος. *Post Pauli, ac Petri martyrium primus sortitur Romanorum episcopatum Linus*. Sed martyrium episcopatus indicium non est. Contra vero *cap.* IV. modo indicato, etsi Paulum meminisse Lini scribit, addit tamen continuo, Linum post Petrum adeptum fuisse episcopatum. *Linus*, inquit, *quem* (Paulus) *in secunda epistola ad Timotheum Romæ secum versari testatur, primus post Petrum, ut supra jam diximus, episcopatum Ecclesiæ Romanæ adeptus est*. Annon hæc similia sunt eorum, quæ de Anniano Eusebius in II. *Histor. Eccl. libro cap.* XXIV. *pag.* 75. confirmat; ex quibus intelligitur, Marcum fuisse episcopum Alexandrinorum? „ πρῶτος μετὰ Μάρκον *primus post Marcum Apostolum, & Evangelistam Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Annianus*. Confer Valesium *not. ad Hist. Eccles. Eusebii lib.* III. *cap.* XXI. *pag.* 98. *edit. ejusd.*

1 Cyrillus Hierosolymitanus *cat.* VI. *n.* XIV. *pag.* 96. *edit. Paris. an.* 1720. scribit hoc modo: Πέτρος, καὶ Παῦλος παραγενόμενοι, οἱ τῆς ἐκκλησίας προστάται. *Petrus, & Paulus, qui Ecclesiæ præsules, illuc* (*Romam*) *appulsi* Simonem subita morte perculerunt. At quamvis præsules ecclesiæ fuerint, non tamen ita Cyrillus loquitur, ut fuerint simul episcopatu potiti Romanorum. Quamquam ibid. Cyrillus plus tribuere Petro videtur, quam Paulo. Consule præter *indic. Cyrilli locum* illius etiam *catech.* II. *n.* XIX. *catech.* XI. *n.* 3. *catech.* XIV. *n.* 26. *catech.* XVII. *n.* 27. Neque gravius est, quod Adversarii ex *Synodi Arelat. an.* 314. *celebratæ epistola ad Silvestrum Papam tom.* I. *Concilior. pag.* 266. *edit. Paris. Harduini* concludunt. Nam quod synodus scripserit: „ Sed quoniam recedere a partibus illis minime potuisti, in quibus & Apostoli quotidie sedent, & cruor ipsorum sine intermissione Dei „ gloriam testatur „ quibus verbis & loca, in quibus martyrium passi Petrus, & Paulus fuerunt, & sepulcra, in quibus quiescunt, indicantur; quis umquam existimabit, idcirco scripsisse, quasi utrumque Apostolum episcopatum Romanum obtinuisse arbitraretur? Longius petita hæc sunt, quam ut inde effici Pauli episcopatus Romanus possit.

2 S. Epiphanius *Hæresi* XXVII. *quæ est Carpocratianorum pag.* 107. *n.* VI. *edit. Paris. Petav.* ἐν Ῥώμῃ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος, καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι αὐτοὶ, καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, εἶτα Κλῆτος, εἶτα Κλήμης. *Romæ fuerunt primi Petrus, & Paulus Apostoli iidem, & episcopi: deinde Linus: deinde Cletus: deinde Clemens*. Verum ἐν Ῥώμῃ dicit Epiphanius, *in Roma*, non τῆς Ῥώμης Romæ, seu Romanæ Ecclesiæ. Paulum autem, qui Episcopus, atque Apostolus fuit, in urbe Roma fuisse versatum, quis neget? Nos vero quærimus τῆς Ῥώμης ne fuerit episcopus Paulus, nec ne? Ac Epiphanius quidem episcopum

τῆς

nio, de Johanne Chrysostomo (1), de Hieronymo (2), de Hilario Diacono (3), de Prudentio (4), de Augustino, de Maximo

τῆς ῥώμης fuisse Anicetum scribit. Non me latet interdum ἐν ἀλεξανδρείᾳ, dici fuisse episcopos Alexandrinos. Sed etsi quandoque τὸ ἐν, seu τὸ *in* Roma, aut τὸ *in* Alexandria fuisse episcoporum aliquem idem sit, atque fuisse eum episcopum Romanum, aut Alexandrinum, tamen potest iis vocibus alia inesse significatio, ita ut qui Romanus, aut Alexandrinus episcopus non est, is & episcopus sit, & degat in urbe aut Roma, aut Alexandria. Itaque hoc Epiphanii testimonio adversarii nihil agunt. Nisi etiam velint Iacobum fuisse Romanum episcopum. Quamquam enim Iacobus versatus Romæ non fuerit, neque proinde episcopus fuerit Romanorum, tamen Epiphanius *Hæres.* XLI. *qua est Cerdonianorum n. 1. pag. 300. tom. eod.* Hyginum post Iacobum, Petrum, ac Paulum, nonum episcopalis successionis locum tenuisse scribit. Quæ certe non de episcopatu Romano aut Iacobi, aut Pauli, sed de episcopatu generatim, quo omnes Apostoli erant prædıti, sunt intelligenda. Cum igitur nihil obstet, quo minus ita, ut dixi, explicari Epiphanii locus de Episcopatu Pauli ἐν ῥώμῃ possit, obstent autem antiqui catalogi Romanorum Pontificum, veterumque scriptorum monumenta, quo minus alio modo explicetur, satius profecto est interpretationem sequi, quæ componi cum doctrina majorum queat, quam, majoribus neglectis, adversariorum probare de episcopatu Pauli Romano sententiam.

1 S. Johannes Chrysostomus *Homilia* XXXII. *in epist. ad Rom. n. 1. pag. 757 tom.* IX. *opp. edit. Paris. Montfaucon.* Petrum, & Paulum duos oculos, duasque lampades Romæ Urbis esse affirmat. Quæ sane concedi possunt, non concesso Pauli Romano episcopatu.

2 Proferunt Adversarii locum Hieronymi *ex ep. ad Damasum*, quem nos locum descripsimus *pag. 281. ante not. 1. hujus vol.* Sed nihil nobis negotii exhibent. Hieronymus enim ut Pauli, ita duodecim Apostolorum meminit, hosque honore Damaso precessisse scribit. Quum autem certum sit, non omnes Apostolos fuisse potitos Romano episcopatu, quod inde concludi argumentum possit, quo Paulus episcopus dicatur Romanorum, non video.

3 De Hilario Diacono agam, cum erit mihi de singulari Petri in ecclesia universa principatu sermo.

4 Prudentii locum vide supra *pag. 289. n. 6.* Idem Prudentius Hymno II. περὶ Στεφάνων, qui *est de s. Laurentio v. 460.*

„ Hic nempe jam regnant duo
„ Apostolorum principes,
„ Alter vocator gentium
„ Alter Cathedram possidens
„ Primam. Recludit creditas
„ Æternitatis januas.

Non movet adversarios, quod *primam Cathedram* Petro Prudentius tribuat, non Paulo; Quamquam est id indicium Romani episcopatus, & summi pontificatus Petro, non Paulo attributi. Cur enim de utroque loquens Prudentius non ab utroque cathedram occupatam dixisset, si Petrum, ac Paulum episcopos fuisse Romanos putasset? At *regnant* Prudentius dixit; Quasi vero *regnant* dicere nequiverit de iis agens, qui Romanos ad religionem colendam incendissent, suaque fama prædicando implessent terrarum orbem: velut *Hamartigenia v. 734. regnantes*, dixit, *per mænia ignes*: & *Psychomachia v. 913. seqq. Atque ubi peccatum regnaverat; aurea templi atria constituens* (Christus), *texat specta nitens morum ornamenta anima: quibus oblectata decoro æternum solio dives sapientia regnet.* Neque vero in II. solum; sed etiam in XI. περὶ Στεφάνων *libro v. 31. seq.* Fidem vigere, inquit,

„ Quam Paulus retinet, quamque CATHEDRA PETRI.

Quare autem cathedram Petri vocet, Pauli non vocet, nemo intelligeret, nisi Prudentius vellet Petrum, non Paulum fuisse Episcopum Romanorum. Rursum *Hymno* XII. *v. 43. seqq.* de Petro loquens sic habet:

„ Pastor oves alit &c.

Id vero de Paulo non dicit, cujus mox laudes persequitur.

ximo Taurinensi, de Paulino Nolano (1), de Theodorito (2) Cyren-

1 Nihil in Augustini libris est, in quo sit de Pauli episcopatu Romano sermo. Sed de principatu Petri, ac Pauli, de quo videtur fuisse ab eodem Doctore Africanæ ecclesiæ facta mentio, agam paulo post diligenter. S. Maximus *Homil. 1. de Natal. Apostolor. Petri, & Pauli pag. 229. edit. Lugdunen. an. 1633.* „ Potentiam suam ostendisse Christum, *affir-* „ *mat*, quatenus ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni sui principes collocaret „. At hæc non episcopatum, sed prædicationem, martyriumque Apostolorum in Urbe demonstrant. Cur autem eos principes Maximus vocet, paulo post explicabimus. Eodem recidunt, quæ Maximus scribit *Hom. v. p.* 231. Ac Pauli quidem *prædicationem*, non *regimen* indicasse Maximum ex eadem ipsa *Homil. v. pag.* 231. plane liquet. Sic enim habet: „ Petro sicut „ bono dispensatori clavem regni cælestis dedit. Paulo tamquam idoneo Doctori magiste- „ rium ecclesiasticæ institutionis injunxit. scilicet ut quos rite erudierit ad salutem, ille sus- „ cipiat ad quietem, ut quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum ani- „ mabus Petrus aperiat regna cælorum. Claves enim quodammodo a Christo scientiæ & „ Paulus accepit... Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiæ iste, ille POTEN- TIÆ. Accedit auctoritas episcopi, doctorisque sapientissimi Paulini Nolani, qui *Natal. XI. de s. Felice v. 54. seq.*, inquit.

„ Inde Petrum, & Paulum Romana fixit in Urbe,
„ Principibus quoniam medicis caput Orbis egebat.

At hinc non magis, quam ex Maximi loco sequitur Paulum fuisse episcopum Romanorum. Quod si Paulinus, quia Petrum, Paulumque *in Romana urbe medicos* fuisse, hoc est doctrina sua civibus salutem attulisse, dixit, idcirco eos episcopos Romanorum fecisse, credendum est, quid erit reliqui, quam ut ab eo & Vincentium Martyrem diaconum, & Felicem Nolanum, qui presbyter revera fuisset, episcopos fuisse factos putemus, cum ipsos Paulinus una cum episcopis nominet, tenebrasque excussisse Hiberorum, atque Nolanorum testetur? *Natali enim* XVIII. *de s. Felice pag. 662. edit. Veron. an. 1736. v. 70.* inquit:

„ At Carthago potens Cypriano Martyre gaudet,
„ Cujus & ore simul profusi, & sanguine fontes
„ Fecundaverunt Lybiæ sitientis arenas.
„ Nec minor occiduis effulsit gratia terris,
„ Ambrosius Latio, Vincentius extat Hiberis,
„ Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumpsit.
* * *
„ Sic itaque & nostra hæc Christi miserantis amore
„ Felicis meruit muniri Nola sepulcris,
„ Purgarique simul, quia cæcis mista ruinis
„ Orbis, & ipsa pari moriens in nocte jacebat &c.

Quinetiam si Paulini auctoritate evincere se quidquam confidant posse, jam hoc etiam evincere se putabunt, ut non Alexandrina ecclesia, sed Nolana secunda post Romam fuerit. Quo re quid dici potest absurdius? Verum Paulinus, qui emphasi quadam hæc scripserit, Romamque non episcopatu Pauli, sed sepulcro potentem esse affirmavit, non id voluit, ut qui legerent: aut episcopos fuisse Paulum Romanorum, Felicem autem Nolanorum; aut Nolanam ecclesiam post Urbem secundam haberi oportere arbitrarentur. Verba sunt Paulini *Natali* II. *v. 26. pag.* 381.

„ O felix Felice tuo tibi præsule Nola...
„ Postque ipsam titulos Romam sortita secundos,
„ Quæ prius imperio tantum, & victricibus armis,
„ Nunc & Apostolicis terrarum est prima sepulchris.

2 Theodoritus *epist.* CXIII. *quæ est ad s. Leonem Magnum pag. 983. tom.* III. *opp. edit. Paris. an.* 1642. multis prærogativis ornari sedem Romanam testatur. „ In his esse sanctorum Apostolorum sepulcra, qui Romæ & docuerunt, & martyres decesserunt. Nominat deinde

Cyrensi, de Petro Chrysologo (1), de Hilario Arelatensi (2), de Vincentio Lirinensi (3), de episcoporum Orientalium (4) ad Symmachum Papam litteris, de Dorotheo (5) Thessalonicensi, de

deinde eorum thronum, eumque ab Leone occupari scribit. Quo autem sensu thronum dixerit, explicatum supra est, cum Romanorum Pontificum testimonia, quibus adversarii abutuntur, interpretarer. Prælatum vero Paulo fuisse Petrum ab Theodorito, paullo post, allatis ejus scriptoris locis, demonstrabo.

1 Nihil est in Petri Chrysologi sermonibus, quod episcopatum Pauli Romanum constituat. Id ne adversarii quidem negant. Quæ autem de Pauli principatu Chrysologus scribit, cum tempus monuerit, diligenter, utque veritas postulat, explicabimus.

2 Quæ Hilarii Arelatensis loca adversarii congerunt, ad principatum in ecclesia Pauli, non ad episcopatum pertinere videntur. Itaque alio loco opportune expendentur.

3 Vincentius Lirin. *Commonit. cap.* IX. *pag.* 283. *edit. Brem. an.* 1688. Romanorum Pontificum successionem *Beatorum Apostolorum beatam successionem* vocat. Sed quo sensu hæc a veteribus dici consuessent, ostensum est supra cum de Irenæi, & Eusebii locis agerem.

4 *Anno* 512. *Orientis Episcopi epist. ad Symm. Papam, quæ est post epist.* VIII. *Symmachi ejusd. tom.* V. *Concilior. edit. Veneta an.* 1728. *pag.* 44. Hoc inter Petrum, ac Paulum interesse affirmarunt: Petrum cathedram Romanam tenuisse, Paulum vero, ut etiam Petrum, fuisse doctorem Romanorum. „ Beatus gloriosorum Apostolorum princeps, cujus ca„ *thedram* beatitudini tuæ credidit Christus optimus pastor.. Quem imitatus., festina ad „ adjuvandum nos, sicut Beatus Paulus doctor vester ad auxilium quandoque Macedonum fe„ stinavit... A sacro doctore tuo Petro quotidie doceris „. Nihilo secius, quod Doctor sit Paulus ab Orientalibus appellatus, adversarii fuisse illum episcopum Romanum censent. Quasi vero doctor qui vocatur ab antiquis, idem sit continuo habendus episcopus. Sed ut intelligant institutorem, seu doctorem, rectoremque non semper episcopum esse habendum, audiant Paulinum de Felice presbytero, ac martyre *carm.* XIV. *seu Natal.* III. *de s. Felice v.* 93. *pag.* 385. Nolam alloquentem:

„ Te prius alma pio celebrans altaria cultu
„ Presbyter INSTITUIT, placido & moderamine REXIT,
„ Hinc quoque perpetuo decorat te nomine Felix.

Sed quid multis est opus? An Paulus episcopus orientalium illorum fuit? Negant adversarii. Quæ igitur caussa fuit, cur scriberent *pag.* 436. *Sicut enim magistro nostro Domino Paulo &c.* Qua enim re *magister* a *doctore* discrepet, ne suspicari quidem possum.

5 Dorotheus Thessalonicensis episcopus ann. 515. epistolam ad Hormisdam pontificem scripsit, in qua sedis Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum mentionem fecit. Iam plus millies, quæ sit sedis, & cathedræ Apostolorum significatio explicavi. Hoc nunc breve dico. Sedem apud Majores nostros non episcopi modo, sed etiam presbyterorum nominari, qui sanctitate claruisset, doctrinaque cives imbuissent. Quis enim s. Felicem episcopum umquam fuisse Nolanorum putavit? At Felicis *Sedem* Paulinus memorat *Natal.* II. *v.* 11. *p.* 380.

„ Distulerint a sede tua procul orbe remoto.

Id vero nisi de Nolana ecclesia, quam Felix docuit, confirmavit, illustravitque, intelligi profecto nequit. Cum autem *Sedis* nomine ecclesia intelligi possit, *Sedisque Apostolorum* vocabulis ecclesiæ indicentur interdum, quas Apostoli instituerint, atque docuerint (ut *c.* VIII. *de Doctrina Christiana* Augustinus scribit, estque animadversum a Cangio *ad. v. Sedes Apostolica*) unaque ecclesia Romana sit, quam Petrus ut episcopus, Paulus ut minister verbi, ac præco religionis amplificarit; nihil impediebat, quo minus *Sedes Romana, Sedes* dici ss. Petri, ac Pauli a Dorotheo Thessalonicensi potuerit. Atque ita de Petro, ac Paulo loquuti veteres sunt, ut de Quinto, & Felice, quorum ille episcopus, hic doctor, ac prædicator erat, Paulinus scripsit *Natal.* V. *v.* 240. *pag.* 409.

„ . . . . . Ipse illum tamquam minor omnia Quintus

„ Obi

de Ennodio (1) Ticinensi, de Synodi Constantinopolitanæ (2) sub Agapeto Pontifice Patribus, de Primasio Uticensi (3), de Fortunato (4) Pictaviensi, de Beda (5), de Synodo Occidentalium (6) Agathonis tempore celebrata, de Patribus Aquisgranensibus (7), ac Ticinensibus (8), de (9) Drepanio

• Observabat, & os linguam Felicis habebat.
„ Ille Gregem OFFICIO, Felix SERMONE regebat.

Quamquam Petrum, qui Romanam fundavit, duxisse etiam ecclesiam certum est. Iam vero accommodari eos Paulini versus ad Petrum, ac Paulum jure posse, demonstrat lucerna vetus medicea, quam *tom.* III. *hujusce operis pag.* 99. exhibuimus, quæque Petrum gubernaculum navis tenentem, quod est episcopatus, ac principatus ecclesiæ argumentum, Paulum vero ad proram concionantem exprimit.

1 De Ennodio agam paulo post opportune.

2 Synodus Constantinopolitana sub Menna *ann.* 536. congregata *Act.* v. successionem ss. Apostolorum commemorat. Verum ut successio intelligi debeat, explicavi supra, quo loco de Irenæo, Eusebioque Cæsariensi disserui.

3 Primasius Uticensis *Præfat. in epist. Pauli pag.* 144. *tom.* x. *Biblioth. Patrum edit. Lugdun.* post Apostolos Clementem fuisse episcopum Romanorum scribit, qua de re egi diligenter, cum de Eusebii Cæsariensis locis disputarem.

4 Venantius Fortunatus de episcopatu Pauli Romano non disputat. De principatu, quod statuere videtur, explicabitur alio loco opportune.

5 Beda *Serm. de Natal. s. Benedicti* Romam eminere per summos Christi Apostolos dixit. At quemadmodum hinc fit consequens Paulum episcopum fuisse Romanum, non video.

6 Patres *Occid. in synod. congreg. Agathonis tempore ann.* 680. *tom.* III. *Concilior. edit. Hard. Paris. pag.* 1178. Petrum & Paulum, eorumque ἀποστολικῶν διαδόχων *Apostolicorum successorum* meminit. Cur autem Romani Pontifices Apostolorum non solum Petri, sed etiam Pauli seipsos successores non appellassent, quem Paulum & Apostolum fuisse, & episcopum (etsi non ecclesiæ Romanæ, nullibi enim sedem fixerat) & Romæ martyrio perfunctum constat; cum episcopi Portuensis & Ostiensis in synodo sub Agathone ipso *an.*679. *suum Prædecessorem* Gregorium magnum vocent, qui neque Portuensium, neque Ostiensium antistites fuit? *Per nostrum prædecessorem B. memoriæ Gregorium. Ibid. p.*1040. Quod si argumento adversariorum vis inest ulla, fuerit item Jacobus Apostolus Romanæ ecclesiæ antistes necesse est, quod Epiphanius *Hæres.* XXI. *n.* 6. *p.* 300. *tom.* 1. *opp. edit. Paris. Petavii* scripserit: Hygini Pontificis memor τὸν ἔνατον κλῆρον ἔχοντος ἀπὸ τῆς τῶν Ἰακώβου καὶ Πέτρου, καὶ Παύλου ἀποστόλων διαδοχῆς *ducentis nonum locum a successione Jacobi, & Petri, & Pauli Apostolorum*. Tam scilicet levis est argumenti ex successionis vocabulo conclusa sententia.

7 In synodo Aquisgranensi I. habita *ann.* 816. *lib.* 1. *cap.* XII. *tom.* IV. *Conciliorum pag.* 1071. *seqq.* nihil invenio, quod efficere Pauli episcopatum Romanum possit. Immo vero ne in secunda quidem celebrata *ann.* 836. *pag.* 1412. Nam quod hæc habet fundatam ecclesiam a Paulo *in tota generaliter mundi latitudine ecclesiam*, peregrinationes Pauli, laboresque in latissime propagando evangelio indicat, episcopatum Romanum non indicat.

8 Concilium Ticinense *sub Joh.* VIII. *ann.* 876. *habitum*, *tom.* VI. *Concil. pag.* 169. *part.* 1. Pontificem Romanum Apostolorum Petri, Paulique vicarium eo fere sensu dicit, quo s. Epiphanius Hyginum successorem Iacobi, Petri, ac Pauli appellavit. Quamquam eo commodius Pontifex vicarius Pauli dicatur, quo Paulus idem, etsi episcopus Romanus non fuit, fuit tamen inter præcipuos Apostolos illustris, episcopali dignitate præditus, Romæque versatus, ac postremo martyrio functus.

9 Drepanius Florus, quem *alii* XII. *alii* IX. *sæculo* floruisse censent, in Hymno, quem de

nio Floro, de Reginone (2), de Mose Barcepha (2), de Luitprando Cremonensi (3), de Petro Damiano (4), de Oecumenio (5), de Bernardo (6), de Goffrido Cardinali Vindocinensi (7), de Ruperto (8), de Johanne Sarisberiensi (9), de Cardinali S. Georgii (10), de Lirano (11), de Cathari-

de s. Michele Archangelo scripsit, *Petri, Paulique sedem* commemoravit. Id vero, ut supra ostendi, non est Pauli episcopatus Romani indicium. Confer *tom.* VIII. *Bibl. Patrum pag.* 669. *edit. Lugd.*

1 Regino *lib.* II. *Chron. pag.* 410. *ad an.* 842. *edit. Argent. an.* 1606. Præsentia Petri, Paulique in Urbe Romana, privilegiique proinde ecclesiæ Romanæ, quo fit ut ceteris antecellat, meminit. Verum ne id quidem episcopatum Pauli Romanum evincit.

2 Moses Barcepha episcopatus Romani Pauli nusquam mentionem fecit. Quod si ad scriptores Syros provocare Adversarii pergant, intelligent eos, principatum Romano Pontifici Petri unius caussa tribuere solere. Sed hac de re alias.

3 Luitprandus episc. Cremon. *l.* I. *Hist. c.* VIII. *edit. an.* 1723. *pag.* 430. Sergium Papam Apostolorum vicarium vocat. Qua de re, quid sit sentiendum, paullo ante dixi. Idem Antistes *lib. de Vit. Rom. Pontific. pag.* 1. *edit. ann.* 1602. Etsi Petri, ac Pauli meminit, unum tamen Petrum episcopatum Romanum tenuisse ostendit: „ B. Petrus Apostolus, *inquit*, & „ Princeps Apostolorum Romam ingressus secundo Claudii anno in episcopali cathedra sedit „ ann. 25. qui uno eodemque tempore & die, videlicet post passionem Domini anno 38. ultimo vero anno Neronis, III. Kal. Jul: cum Paulo martyrium consummavit „. Solum ne Petrum episcopum appellasset, Paulum vero non item, si utrumque, cujus certe meminit, episcopatu Romano fuisse potitum existimasset?

4 Adversarii a Petro Damiano Romanam sedem, sedem Apostolorum *Opusc.* XXXI. *contra Phylarg.* & Apostolos ipsos principes totius orbis *serm.* XVII. *qui est* 1. *de s. Vitale*, fuisse vocatos, animadverrunt. Sed rem a nobis alio loco explicatam, nulla est caussa, cur esse rursum explicandam arbitremur.

5 Oecumenii loca ad principatum, non ad episcopatum Pauli pertinere videntur. Itaque paulo post, dum, ratio monuerit, expedientur.

6 S. Bernardus *epist.* CCXLIII. *al.* CCXLII. *pag.* 242. *tom.* I. *opp. edit. Paris. Monach. Congreg. s. Mauri.* Romanum Pontificem vicarium, & successorem vocat Apostolorum. Sed de hac re dictum supra est copiose, Interim animadvertendum est, Paulum numquam a Bernardo fuisse appellatum episcopum Romanorum.

7 *Lib.* I. *epist.* VII. *ad Paschalem Papam pag.* 7. *tom.* XXI. *Bibl. PP. edit. Lugd.* In sede Petri, ac Pauli Apostolorum residere Pontificem Romanum dicit. Qua de re supra satis copiose disputatum est.

8 Romam Beati Petri sedem factam esse, ejusque consortis Pauli prædicatione illustratam scribit *lib.* II. *in Jonam. cap.* III. *pag.* 320. *edit. an.* 1638. *tom.* I. quæ res indicat, ne in cogitationem quidem Ruperto venisse, ut Paulum episcopum fuisse Romanum arbitraretur.

9 De Pontificibus, qui sedem Petri, & Pauli Apostolorum possideant, agit Johannes Sarisberiensis *Polycrat. lib.* VIII. *cap.* XVII. *pag.* 395. *t.* XXIII. *Bibl. PP. edit. Lugdunen.* Hæc vero ut sint intelligenda explicavi supra, ut non sit opus eadem repetere, ne actum agam.

10 Jacobus Cardinalis s. Georgii *lib. de Centesimo, seu Iubilæo c.* XXII. *tom.* VI. *Bibl. PP. pag.* 936. *edit. Lugdun.* s. Paulum compatronum Petri, & ejusdem loci primatu potitum scribit. De primatu dicam paulo post. De *compatrono*, seu *coapostolo* Petri, nihil est, cur multis disputem. Constat enim compatronum, & coapostolum, immo vero & coepiscopum dici aliquem posse, quamvis non sit ejusdem urbis episcopus, cujus ille fuit, cujus coapostolus, & coepiscopus appellatur.

11 Liranus in *Gloss. ad cap.* II. *epist. ad Galat.*, ut adversarii jactitant, Petro Paulum non imparem vocat. Id vero est intelligendum de Apostolatu, quod sæpe animadvertimus. Atque id quidem satis de Lirano esto.

tharina Senensi (1), de Patribus synodorum Constantiensis (2), Florentinæ (3), cui Græci, Latinique interfuerunt,

1 S. Catharina Senensis *epist.* VIII. *ex earum numero, quas ad Principes, atque seculares scripsit p.* 515. sedem Romanam *sanctorum Petri, & Pauli sedem* appellat, quæ verba eodem, atque illa superiora patrum scriptorumque testimonia, recidunt. Miror autem quid sit, quod Pium II. P. M. adversarii memorent, qui in Bulla Canonizationis sanctæ Catharinæ ejus Virginis doctrinam laudavit. Cur enim non laudasset, quod dignum erat commendatione? Ceterum Petrum solum fuisse & episcopum Romanum, & summum ecclesiæ principem idem Pius ostendit in *Bulla retract. an.* 1463. *tom.* IX. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 1451. *seq.* Nam posteaquam se se in B. Petri solio collocatum dixit, quod Beati Petrus, & Paulus suo sanguine dicaverunt: "requirit, *inquit*, ordo, ut inferiora a superioribus gubernentur, & ad UNUM tandem deveniatur tamquam PRINCIPEM, & moderatorem cunctorum, quæ infra se sunt; sicut grues unam sequuntur, & in apibus unus est rex, ita & in Ecclesia militante, quæ instar triumphantis se habet, unus est omnium moderator, & arbiter Jesu Christi vicarius, a quo tamquam capite omnis in subjecta membra potestas, & auctoritas derivatur, quæ a Christo Domino Deo nostro sine medio in ipsum influit. Nec profecto in ALIUM, tamquam sui exercitus ducem, supremam auctoritatem Christus principaliter derivasset, quam in SUUM VICARIUM, qui PRIMUS fuit Petrus, cui commissam novimus dominici gregis curam. Nec DUOS pluresve Petros Evangelistæ commemorant, nec DUOS, aut plures instituit Dominus, qui suum locum tamquam CAPITA tenerent ÆQUALIA, SED UNUM constituit, ut VERTICEM, ac DUCEM, & PASTOREM universi gregis, SIMONEM PETRUM, dicens *Tu es Petrus &c. & pasce oves meas.* Quæ NULLI alteri seorsum dicta leguntur, NISI PETRO, ut in PETRO unitas, & SUMMA contineretur AUCTORITAS. Nec alius a petra dictus est PETRUS, nisi SIMON, ut intelligeremus unicum esse veræ, & solidæ petræ, idest Christi, ut Paulus exponit, locum tenentem SIMONEM PETRUM, qui SOLUS pro Domino in periculo constituto exemit gladium. PETRUS igitur, & successores ejus Romani Pontifices primatum in ecclesia tenuerunt". *Et pag.* 1467. "Petrus in Antiochia primum sedit. Inde Romam venit, unde cum persecutionem fugiens vellet abire, a Domino prohibitus est, & hic glorioso martyrio vitam finivit, successore Clemente substituto. Atque ita in hanc usque diem servatum est, ut qui Romæ sederit ... hunc omnes ... tamquam Jesu Christi vicarium, & B. Petri SUCCESSOREM ... venerati sint". Quam hæc sint perspicua, nemo est, opinor, quin videat.

2 Opponunt synodi Constantiensis auctoritatem, quæ anno 1415. *sess.* VIII. *pag.* 301. *tom.* VIII. *Concilior. edit. Paris. Hard.* damnavit art. XXXVII. Joh. Wiclefi, qui sic habebat: "Ecclesia Romana est synagoga satanæ, nec Papa est immediatus, & proximus Vicarius Christi, & Apostolorum". Qua ex re concludunt, Papam esse Pauli Apostoli successorem, itaut Paulus una cum Petro episcopus fuerit Romanorum. Confer Bullam Martini V. *an.* 1418. *contra errores Hussi, & Wiclefi editam: tom. eod. pag.* 911. Sed qui sic disputant, non animadvertunt, Wiclefum, qui negaret Papam esse *Vicarium Apostolorum*, hoc voluisse, ut Papa successor non esset B. Petri Principis Apostolorum. Pontifex enim Vicarius Christi est, ac successor Petri, quod qui negat, is est in hæreticis numerandus. Ceterum episcopatus Pauli Romani, supremæque Pauli auctoritatis, quam a Pio II. deindeque ab Innocentio X. haud probatam vidimus, rationem nullam habendam putavit. Neque vero nostro arbitratu explicanda sunt, quæ Conciliis continentur, sed exponi majorum, imprimisque Romanorum Pontificum decretis debent. Quo autem sensu dici Pontifex ss. Apostolorum successor possit, cum ostensum paullo ante fuerit, nunc omittatur.

3 In synod. Florent. *an.* 1439. *sess.* XXV. *pag.* 415. *tom.* IX. *Concilior.* Papa vocatur a Græcis τῶν πρωτοκορυφαίων διάδοχος *successor Protocoryphæorum*. Quod ut intelligi debeat, demonstravimus, cum ageremus de Irenæi, Eusebiique locis. Verum *eadem session. pagin.* 411. jussos a Pontifice Theologos fuisse constat, ut de privilegiis ipsius agerent, ostenderentque ὅτι διάδοχος τοῦ πέτρου, καὶ τοποτηρητὴς τοῦ χριστοῦ, *quod sit successor Petri, & vicarius Christi.* Id autem unum adnotatum in decreto unionis fuit, *ibid. p.* 423.

αὐτοῦ

ac Lateranensis (1), de Laurentio Justiniano (2), de Cardinali Cusano (3), de Paulo Æmilio (4), de Contareno de

αὐτόν τε τὸν Ῥωμαίων ἀρχιερέα διδάσκειν εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ: *& ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi vicarium*. Confer Gregorii Protosyncelli Apologiam *adv. Marcum Ephesinum*: *Tom. eod. Concilior. pag.* 665. & Eugenii IV. P. Max. litteras *insertas Coll.* 1. *Concil. Florent. pag.* 747. *tom. eod.*

1 S. Laurentii Justiniani testimonia aspendam, cum fuerit de singulari Petri principatu sermo.

2 Cardinalis Cusanus *epist.* II. *De Usu Communionis ad Bohemos. Pag.* 836. *tom.* II. *opp. edit. an* 1565. „ Petri, & Pauli Romanum Pontificem unicum successorem esse, ambos„ qua Apostolos unius sedis, & episcopatus titulum accepisse, & unum quidem inter Judæos, „ alterum inter gentes primatem fuisse „ scribit. Quæ si ita, ut sonant, accipienda sunt, monarchicum ecclesiæ primæ statum, quem adversarii probant, funditus avertant necesse est. Quæ enim esse monarchia potest, divisis duobus populis, quorum alteri unus, alteri vero alius datus sit princeps supremus, qui *primo non subesset*? At hi duo unum caput constituebant. Itane vero? Divisis gentibus, principibusque duobus, quorum unus alteri non subsit, ulla esse reliqua unius capitis, uniusque monarchiæ notio poterit? Hæc dici quidem ludendo possunt, percipi animo profecto non possunt. Mea igitur sic est ratio. Non tam fuisse accuratum Cusanum, ut quæ cogitaret, exponere dilucide, recteque scribendo posset. Quare etsi nolens, lapsus tamen interdum fuit. Est autem illius aliorum, quæ edidit, operum subsidio explicanda sententia. Quod si Petro de Marca prælvit, qui episcopum Romanum Paulum fuisse, adeoque hoc in genere successorem ac Petri, & Pauli Romanum Pontificem esse censuit, parvi refert. Quamquam nihil impediat, ut constat ex illius testimonio supra descripto *pag.* 347. *seq. hujus vol. not.* 2. quo minus hunc successorem eorum eo sensu dixerit, quo dixisse veteres supra ostendimus. Verum Apostolatus ratione primatem Petrum Judæorum, Paulum gentium appellavit, quod partitæ inter se nationes fuissent, quibus evangelium nunciarent, non quod Petro prædicare gentibus non liceret; addit enim: *Potuit uterque ubique ecclesias fundare*: non quod uterque princeps ecclesiæ universæ esset; sed rationa ut dixi, Apostolatus, qua cum Paulus par esset Petro, Paulum affirmavit Cusanus *non subesse* hoc est non fuisse inferiorem. Ceterum principatum universæ ecclesiæ uni Petro attribuit, ut supra vidimus *pag.* 347. *hujus volum.*

3 Ægidius Viterbiensis *orat. ante Concilium Lateran. sub Julio II. pag.* 1580. *tomo eodem Concil.* Patronos esse Rom. Ecclesiæ Petrum, ac Paulum dicit, quod facile concedimus; Paulum autem episcopum Romanum, non item. Immo vero Petrum, posterosque Romanos episcopos memorat, Paulum contra in his nusquam memorat. Quid? si Julius II. in *Bulla indict. Concilii an.* 1512. *pag.* 1590. etsi auctoritate omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus fungi se scribat, quod ita, ut sæpe dixi, accipiendum est, tamen mox sedem Petri, omisso Paulo, nominans, Petrum solum fuisse indicet episcopum Romanorum? Bernardus Zane Archiep. Spalatensis *Orat. habita sess.* 1. *ejusdem Concilii pag.* 1603. Paulum celebrans, *antecessorem* Romanorum episcoporum fuisse ne litterula quidem indicat; ubi vero Petri meminit, hujus esse Pontifices ipsos successores animadvertit: *pag.* 1604. & 1606. Confer Orationem Alexii episc. Melfit. *ibid. sess* III. *pag.* 1635. & *sess.* VI. *p.* 1675. *sess.* XI. *pag.* 1801. Quod si adversarii prætermissa communi, pervulgataque omnium fere Theologorum de solius Petri episcopatu Romano consensione, voculas quasdam, atque ornamenta orationis, quibus sunt interdum usi majores nostri, sectentur, vereor ne eo demum impelli nolentes possint, ut quoniam sedes duodecim Apostolorum occupari ab episcopis, sedesque antistites eorum ecclesiæ interdum legerint, & in singulis urbibus Apostolorum aliquem fuisse episcopum, & Constantinum Augustum episcopi dignitatem aliquando sustinuisse confiteantur.

4 Quod famulorum, rerumque sanctorum Petri, & Pauli Paulus Æmilius meminerit *Hist.*

(1), de Doctoribus Parisiensibus (2), deque ceteris (3) disseram, quorum aliqui de re nondum ab ecclesia definita aliter sentiendum existimarunt.

Jam qui quarto primum seculo cautum fuisse pugnant, ne duo, pluresve episcopi eamdem ecclesiam gubernarent (4); hi certe sic agunt, ut mihi aut ludere in tantis rebus, aut pervertere, miscereque omnia videantur. Quæ

Hist. Francor. l. II. de Pippino Rege p. 50. edit. an. 1601. Patronos ecclesiæ Romanæ eos quidem esse ostendit; episcopum autem fuisse Paulum Romanorum, non item. Quæ ab ejus locis describendis temperare sibi adversarii poterant.

1 Testimonium Contareni, quæ auctor operis *De la Grandeur &c. l. III. c. IX. p. 515. seq. ex Tract. de Pot. Pont.* attulit, Paulum episcopum fuisse efficiunt; Romanum vero episcopum fuisse, nullo modo. Quamobrem turpissime adversarios labi liquet, qui confidenter affirmant, Cardinalem Contarenum in ea, quæ est *de Pot. Pont.* disputatione nonnihil habere, quod episcopatum Romanum Pauli statuere posse videatur. Petri enim successores Pontifices Contarenus vocet, Pauli vero successores non item. Quinetiam in litteris, quas ad Paulum III. *de Potest. Pontif. in compensationibus*, scripsit, *pag. 20. edit. Florent. an. 1558.* „ Summam „ potestatem ... a Deo, unicoque ejus filio collatam fuisse sanctissimo Petro, ejusque succes„ soribus „, testatus est. Quod ipsum confirmavit *pag. 25.* Summam autem fuisse Pauli potestatem, adeo ut *subordinata, subjectaque* nullo modo esset potestati Petri, non solum nusquam affirmavit, sed ne indicavit quidem.

2 Confugiunt denique ad Doctores Parisienses adversarii. Laudant autem imprimis Genebrardum, qui *Tract. de Sacrar. Election. jure*, Romanum episcopum successorem Petri, ac Pauli, & Clementis vocat; tum Fevardentium, qui in *cap. III. lib. III. s. Irenæi* extitisse clavum ecclesiæ Romanæ Petrum, Paulumque, fatetur; eorumque, quos coryphæos appellat, *successionem* commemorat. At his duobus, si modo vera adversarii prædicarent, consistere Parisiensis schola non potest. Quot enim contra numerantur, quorum longe disparans est de Pauli episcopatu Romano sententia? Quamquam ne hi quidem ceteris adversantur duo. *Successorem* namque Petri, Paulique dicere episcopum Romanum licet, etsi Paulus episcopus non fuerit Romanorum. Qua de re satis copiose supra est disputatum. Administratam vero ab utroque Apostolo Romanam ecclesiam fuisse, cur demum Fevardentius non dixisset, si Paulinus de Quinto, & Felice disserens, ab utroque, ut ante ostendimus, Nolanam ecclesiam fuisse gubernatam statuat, tametsi Felix episcopus numquam fuerit Nolanorum? Equidem longe esse clariora intelligo, quæ de Paulo doctores alii Parisienses scripserunt. Confer Michaelem Mauclerum *de Monarchia Divina, Ecclesias. &c. lib. IV. cap. X. pag. 556. edit. Paris. an. 1622.* quo loco negat *Paulum fuisse privatæ, ac singularis cujusdam ecclesiæ episcopum*. Alios item numerat Habertus doctor & ipse Sorbonicus *lib. I. de singulari Primatu Petri cap. IX. n. III. pag. 57. edit. Paris. ann. 1745.* Quid si proprie Petri successorem, non Pauli, Papam esse Fevardentius indicet *in Adnot. ad idem cap. p. 267. t. II. opp. s. Irenæi edit. Venet. an. 1734.* Adde Franciscum Harlæum Archiepiscopum Rotomagensem *Apolog. Evangel. lib. 2. pag. 75. seqq. edit. Paris. an. 1625.* Coeffetau *de Monarch. Rom. Eccl. lib. IV. cap. 2. pag. 242. seqq. edit. Paris. an. 1623.*

3 De episcopatu Romano Pauli quid senserit Bellarminus, ex illius 1. *de R. P. lib. cap. XXVII. lib. II. cap. IV. & lib. III. cap. II.* constat. Confer Petavii *adnot. ad Epiph. Hæres. XXVII. pag. 147. tom. II. edit. Paris. opp. Epiph. an. 1622.* Sed omnium societatis Jesu Theologorum testimonia, qui Paulum episcopum fuisse Romanum negant, persequi non vacat. Quod si unus aliquis ante Petrum de Marca adversam defendit, is certe communem sociorum labefactare non potest sententiam.

4 Confer Petrum de Marca *loc. supr. indic.*

enim hæc tanta perversitas est, ut quod commune universis cœtibus christianorum factum quarto seculo synodi Nicænæ decreto fuit, id quisquam proprium ante fuisse aliquorum nolit? An usquam fuisse quidpiam ab synodis casu, ac temere præscriptum sine exemplo, auctoritateque majorum putant? Quid ergo est, quod tam fuisse novum Nicænum de singulis episcopis singulis ecclesiis præficiendis canonem (1) arbitrentur, ut vel communem omnibus ante fuisse negent, vel aliquibus saltem ecclesiis, quæ magno in honore haberentur, peculiarem? Cujus autem tam esse ea consuetudo propria poterat, quam Romanæ, quæ jam usque a tertio seculo, ut Novatiani conatus reprimeret, (2) unum esse defendebat in quaque ecclesia episcopum oportere? Quod si ita sunt instituti, qui partibus student adversariorum, ut eorum, quæ sancita ab ea synodo sunt, nihil fuisse olim in ullo christianorum cœtu observatum existiment, fateantur necesse est, nullam ab Apostolis in posteros de non celebrando cum judæis paschate *traditionem* manasse; nullam fuisse Alexandrini, atque Antiocheni episcoporum in antistites suarum diœceseon potestatem; nullam denique regulam usquam obtinuisse de non cooptandis in clerum iis, qui sese abscindere auderent; quod his de (3) rebus edita fuisse a Patribus Nicænis decreta constet. Neque vero Augustinus, qui, si (4) Nicæni canonis notitiam habuisset, numquam se commissurum fuisse scribit, ut vivo Valerio, qui Hipponensem ecclesiam regebat, episcopus ejus ecclesiæ crearetur; veterem consuetudinem Romanorum, Carthaginiensiumque aut ignoravit, aut negavit, quam sciret testimoniis niti Cornelii, ac Cypriani, quæque unum episcopum cuique ecclesiæ esse præficiendum ferret. Qui enim dili-

1 Synod. Nicæn. *an.* 325. *can.* VIII. *pag.* 326. *tom.* I. *Concilior. edit. Hard. Paris.*

2 Vide supra sanctorum Cornelii, & Cypriani testimonia *pag.* 368. *seq. not.* 3. *hujus voluminis.*

3 Vide *synodum Nicænam can.* I. *pag.* 324. & *can.* VI. *pag.* 326. & *epistolam Constantini Imperator. ex lib.* III. *Eusebii de vita Constant. cap.* XVII. & *ex Socr. lib.* I. *Hist. Eccl. cap.* IX. *tomo eodem Concilior. pag.* 447. *seqq.*

4 August. *epist.* CCXIII. *alias* CX. *pag.* 601. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700.

diligenter versatus in legendis operibus Cypriani erat, is ignorare minime poterat, quæ tam sæpe; inficiari autem multo minus, quæ sanctus martyr tam clare, tamque dilucide scripsisset.

Quod de accitis a Paulo Miletum episcopis Ephesiorum objiciunt, quoniam explicatum alio loco est (1), prætermitti nunc poterit, ne actum agere videamur.

Etsi Paulus episcopus fuisset Romanorum, consequens tamen non esset, æqualem eum fuisse principatus auctoritate Petro.

Negant, qui Paulum vellent fuisse omnino parem auctoritate Petro. Atque hi sane invidiam sedi Apostolicæ creari clamant. Vereri namque se, ajunt, ne Pontifex, qui Pauli Petro inferioris successor sit, summo in ecclesia principatu potiri desinat, quod plus juris successori, quam decessori tribuendum (2) non videatur. Sed hi cum minime læsam cupiunt, tum maxime oppugnant, debilitareque student Romanæ ecclesiæ antistitum dignitatem. Nam si monarchiam, unitatemque ecclesiæ verbo statuunt; duobus autem principibus constitutis, omnem re vera unitatem, monarchiæque rationem tollunt; relinquitur, ut quæ de centro unitatis, de radice ecclesiæ, de fonte, de sole, quæ præcipuam Romanorum præsulum dignitatem indicant, disputata a Cypriano, ceterisque Patribus sunt, ea omnia funditus evertere conentur. Quamobrem cum (3) Petrum a sancto Josepho, cum Archiepiscopum (4) de Marca, cum Charlasium, ceterosque scriptores accusant, quorum est eadem atque nostra de singulari principatu Petri sententia, ita profecto se gerunt, uti se Catilina, Gracchique gessissent,

1 *Tom. IV. hujus operis pag. 334. seqq.* Confer etiam Massuetium Monachum Benedictinum Congregationis S. Mauri *dissert. III. in Irenæum art. III. n. XXV. pag. 105. seq. tom. II. opp. Irenæi edit. Venetæ an. 1734.*

2 Ita quidem censet auctor operis inscripti: *De la Grandeur de l'Eglise Romaine l. III. cap. XI. pag. 279. seq*

3 *Lib. supra indic. pag. 33. edit. an. 1645.*

4 Loc. indic. *Exercit. de Singul. Primat. Petri.*

ſent, ſi Tullium, Scipionemque ſeditionis reos egiſſent.

Sed venio ad rem. Ajo igitur Petrum, ac Paulum, ſi Romanæ eccleſiæ epiſcopatum ſimul obtinuiſſent, futuros tamen non fuiſſe auctoritate, dignitateque principatus pares (1). Principio enim eorum diſpar eſt dignitas, atque auctoritas, quorum unum alteri fuiſſe & dignitate, & auctoritate excellentiorem non majorum modo teſtimoniis, ſed pluribus etiam locis ſacrorum bibliorum conſtat. Petrum autem fuiſſe & dignitate, & auctoritate Paulo excellentiorem majorum teſtimoniis, pluribuſque ſacrorum bibliorum locis conſtat. Diſpar igitur Apoſtolorum eorumdem dignitas, auctoritaſque fuit. Scripturarum namque auctoritate, traditioneque majorum, non unius rationis momentis explicari, dirimique controverſiarum hæc genera oportere, & noſtri pugnant, & ii, contra quos eſt omnis hæc instituta oratio (2), confitentur. Quamquam hi quidem modo hoc, modo illud. Si enim rationis momentis premi ſe videant, ſcripturas, patreſque deſeri; ſin ſcripturarum, patrumque locis exagitentur, dialecticorum præceptiones contemni queruntur. Velut in hac quæſtione is, qui opus de *Magnitudine Romanæ eccleſiæ* conſcripſit, poſteaquam Iſaaco Haberto, a quo urgebatur, rationem eſſe ſcripturarum, patrumque, non argumentationum dialecticarum habendam reſpondit; cum ſcripturis, teſtimoniiſque veterum a Petro ab S. Joſepho agi animadvertiſſet (3), eorum, quæ dixerat, oblitus, confugit ad præſidium, ut ſibi quidem videbatur, dialecticorum, ſucceſſoremque id juris habere oportere ſtatuit, quod anteceſſorem habuiſſe conſtet. Quaſi vero ſucceſſor, hæreſque & dignitatis, & auctoritatis utriuſque Apoſtoli futurus Romanus epiſcopus non fuiſſet, ſi uterque Apoſtolus epiſcopatum Romanorum obtinuiſſet; cumque Petrus non epiſcopatu Romano ſolum, ſed etiam princi-

1 Confer Antonium Charlaſium *tom.* III. *de Libert. Eccl. Gallic. cap.* 1. §. III. *p.* 95. *edit. Rom. an.* 1720.

2 Auctor operis *de la Grandeur &c. lib.* 2. *cap.* 11. *ſeq. pag.* 11. *ſeq.*

3 Idem *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 179. *ſeqq.*

principatu in universa ecclesia potitus esset, hunc non fuisset adepturus Pontifex (etiamsi hac tanta dignitate Paulus caruisset), quem Pontificem non tam Pauli episcopatus, doctrinæ, studiique instituendarum ecclesiarum, quam Petri & episcopatus, & principatus ratione esse successorem liquet. At de modo dirimendarum hujusmodi controversiarum hactenus. Nunc de scripturis, ac patribus quid sentiendum sit, videamus.

Itaque a Christo servatore datum Petro, non Paulo fuisse christianæ reipublicæ principatum, cum ex aliis pluribus, tum ex iis præcipue, quos supra descripsimus, scripturæ locis cognosci potest. Petrum namque singulari modo a Christo petram (1) ecclesiæ constitutum, & fratribus (2) prælatum, & rectorem, pastoremque omnium christianorum dictum fuisse in sacris novi testamenti libris legimus plerumque; Paulum numquam. Non enim est credibile, ut scriptores sacrorum bibliorum, qui Petrum aut semper, aut fere semper (3) priore loco, ut præcipuam illius dignitatem, auctoritatemque ostenderent, nominarunt, tamque excellentem illi fuisse divinitus tributam potestatem affirmaverunt, ut eum universo gregi christianorum pastorem Christi loco fuisse creatum dicerent; nihil tale umquam de Paulo, cujus res egregie, præclareque gestas aliqui accurate, copioseque sunt persecuti, scribendum putaverint. Quin etiam tantum abfuit, ut eum principem ecclesiæ, paremque fuisse Petro arbitrarentur, ut potius quemadmodum Paulus ipse tradiderat, ascendisse se (4) Hierosolymam, ut Petrum videret, cumque eo, ac sociis Apostolis evangelium, quod promulgare cœperat, conferret, ne frustra id opus aggressus fuisse videretur; ita illi ob ortam Antio-

1 Confer *pag.* 132. *hujus vol.* & *pag.* 304. *seqq.*

2 Vide *pag.* 317. *seqq. hujus vol.*

3 Vide *pag.* 92. *seqq. hujus vol.*

4 *Epist. ad Galat. cap* 1. *v.* 18. „ Veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud „ eum diebus quindecim „ & *cap.* 11. *v.* 2. „ Ascendi autem secundum revelationem, & „ contuli cum illis evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui vide- „ bantur aliquid esse (*in his erat Petrus*) ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.

Antiochiæ de ceremoniis legis contentionem (1), Paulum ipsum ad Hierosolymitas fuisse missum narrarent, ut ex Apostolis, Petroque imprimis, cujus omnes sententiam sequuti fuerunt, quid statuto, factoque opus esset, cognosceretur. Ecquis autem sibi persuadeat, Paulum, si primas obtinuisset in ecclesia partes, ut ne Petro quidem auctoritate esset inferior, aut ex Petro, quid esse faciundum judicaret, quæsiturum, aut Hierosolymam unius Petri videndi caussa ascensurum, eique, quod prædicaret evangelium, propositurum umquam fuisse, ut ne inanem suscepisse laborem existimaretur?

Atque de scripturis quidem satis dictum est. De patribus autem, quorum opera ad nostram ætatem divinæ, Apostolicæque traditiones manarunt, quid dicam? quorum alii Petrum *Apostolorum*, seu *omnium Apostolorum principem*, ne omisso quidem Paulo; alii *petram* christianæ reipublicæ; alii *ovium*, *agnorumque*, hoc est non solum laicorum, sed etiam *pastorum pastorem*, *&* *coryphæum*; alii *monarcham*; alii *collegii*, *chorive Apostolici caput*, *ac principem*; alii Paulo *majorem*, *præstantiorem*, *excellentiorem*, alii denique summam illius potestatem, dignitatemque post Christum indicaturi, sine adjuncto *coryphæum*, hoc est *principem*, ac *verticem* nominarunt, quod numquam est ab eis de Paulo non modo dictum, sed ne cogitatum quidem. Atque ut me ab omni invidia liberem, indicabo loca, in quibus est ab eis harum rerum tam magnifice facta mentio: sic autem agam, ut adversarios imitatus, quo quisque seculo floruerit, ostendam.

Nun-

1 Vide supra *pag.* 53. *seq.*

Numerantur Patres, qui Petrum esse Paulo præferendum judicarunt.

SECULO I. ET II.

Jam de ſcriptoribus Hagiographis ſatis dictum eſt. Clementis autem Romani, etſi non tam eſt perſpicua, quod alia de re ageret, tamen eo ſpectare videtur ſententia, ut Paulo, indicet, eſſe præferendum Petrum. Nam qui Apoſtolorum auditor fuerat, quæque illi aut ſcripto, aut voce poſterorum memoriæ tradidiſſent, ſatis explorate cognoverat, is certe cum priore loco Petrum (1), ſecundo Paulum in ea, quam poſt Domitiani mortem (2) ad Corinthios ſcripſit, epiſtola nominaverit, principatus honorem tribuere Petro voluit, quem a Chriſto eidem fuiſſe acceperat tributum Petro. Niſi enim perſuaſum omnibus fuiſſet, primas obtinuiſſe Petrum in adminiſtranda, regendaque republica populi Chriſtiani partes, non tam vetus fuiſſet, neque tam ſtabilis illius priore ſemper loco numerandi permanſiſſet ratio, nec confirmata fuiſſet diuturnitate temporis; ſed aut

1 *Epiſtol. ad Corinth.* 1. *n.* v. *pag.* 12. *tom.* 1. *epiſtolar. Roman. Pontific. edit. Pariſ. Conſtantii.*

2 Errore typographi factum eſt, ut *tom.* 1. *hujuſce operis pag.* 344. pro *neque multo poſt Domitiani interitum*: poneretur: *neque poſt Domitiani interitum* fuiſſe ſcriptam epiſtolam 1. ad Corinthios a Clemente. Id ut animadverti, emendandum curavi in iis Diſſertationibus, quas de *Diaconis*, & de *epiſtolis ad Corinthios*, deque *martyrio Clementis Romani*, rogatu Clementis Chodykiewicz i Poloni Ord. Prædic. ſtudioſiſſimi, eruditiſſimique juvenis, qui de iis rebus publicas diſputationes habere in Baſilica S. M. ſuper Minervam inſtituerat, eodem, quo primum Antiquitatum Chriſtianarum volumen publicavi, anno 1749. ſcripſi, edidique Romæ typis fratrum Palearinorum. Harum vero Diſſertationum quum Auctor italici operis inſcripti: *Storia letteraria d' Italia. Tom.* 11. *lib* 11. *cap.* iv. §. II *pag.* 232. magna cum laude, ut eſt illius erga me ſingularis humanitas, meminiſſet; tum jocans, quaſi pugnantia eſſem loquutus: „ il P. Mamachi, *inquit*, dice, che fu queſta lettera ſcritta „ non prima del martirio de' principi degli Apoſtoli . . . . nè dopo la morte di Domizian .... „ ma il Domenicano, del quale parliamo, circa l' anno 97. di Criſto, e dopo la morte di „ Domiziano ſeguita nel 96. mette col Tillemont &c. l' epoca di queſta lettera „. Verum ſi cum iis, quæ *tom.* 1. *pag.* 344. de ſcripta poſt Domitiani perſecutionem epiſtola 1. ad Corinthios a Clemente dixi, ea quæ de ſævitia Domitiani in Chriſtianos ad extremum uſque ſuæ vitæ tempus *pag.* 424. adnotavi, contuliſſet, facile quidem certe erratum typographi cognoviſſet. Verum non is ſum, qui eum eſſe reprehendendum putem. Non enim omnia cuique eſſe perſpecta, atque explorata poſſunt.

minus conſtans fuiſſet (velut in ceteris, quorum unus alteri non præſtat, recenſendis evenit, ut modo hic, modo ille nominetur prior) aut, quemadmodum pleræque omnes opiniones fictæ, atque vanæ, diuturnitate extabuiſſet. Ac de Clemente quidem Romano plura fortaſſe, quam neceſſe fuit. Neque vero Conſtitutionibus, Recognitionibus, atque Homiliis, quæ neſcio quo errore hominum Clementinæ ſunt appellatæ, agendum eſt; quas, etiamſi vetuſtatis habeant, quantum voles, tamen non fuiſſe a Clemente perſcriptas conſtat. Quamquam iis etiam, quibus adverſarii abuti audent, multa (1) contineantur, quæ Petri præcipuam in univerſa Chriſtiana republica confirment non dignitatem modo, ſed etiam auctoritatem.

Clementis exemplum eſt imitatus Ignatius (2), qui etſi initio ſeculi ſecundi ſcripſit, primo tamen ſeculo creatus ab Apoſtolis fuit epiſcopus Antiochenorum. Juſtinus autem Martyr (3), qui Antoninorum temporibus floruit, Cepham myſterio fuiſſe divinitus appellatum Petrum, animadvertens; moderatorem hunc quidem, principemque omnium fuiſſe confeſſus eſt. Atque etiam Irenæus, qui a Polycarpo accepit diſciplinam, Petrum (4) ſemper primum commemorans, ſummum illi, poſt Chriſtum, in eccleſia tribuit principatum. Nam cum principes Apoſtoli omnes dici conſueſſent, ſi inter eos Petrus Irenæi judicio fuit honore, atque dignitate prior, fuerit item omnium princeps, neceſſe eſt. Accedunt Dionyſius Corinthius (5), Clemens Alexandrinus (6), Tertullianus (7), Auctorque Carminum contra Marcionem

1 Confer l. VIII. *Conſt Clem. c.* IV. *p.* 394. *t.* 1. *Apoſt. PP. Amſt. & edit. Turrian. p.* 121. *& lib.* 1. *Recogn n.* XII. *tom. eodem pag.* 405. *ſeq. & Epitom. n.* CLIX. *pag.* 801. *tom. eod. edit. Amſtel. ann.* 1724.

2 Ignat. *epiſt. ad Rom. n.* V. *pag.* 205. *tom.* II. *Apoſt. PP. edit. Londin. an.* 1746.

3 Vide quæ ſcripſi *pag.* 305. *not.* 1. *hujus vol.*

4 S. Irenæus *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 175. *& cap.* XII. *pag.* 193. *ſeqq. edit. Venet. tom.* 1. *ann.* 1734.

5 Apud Euſebium *lib.* II. *Hiſt. Eccl. cap.* XXV. *pag.* 76. *edit. Taurin.*

6 Clemens Alexandrinus apud Euſebium *lib.* II. *Hiſt. Eccl. cap.* 1. *pag.* 42. prælatos Petrum, & Iacobum, & Iohannem ceteris Apoſtolis fuiſſe a Chriſto ſcribit. Petrum autem priore loco nominat tum imprimis, cum de Apoſtolorum dignitate agit.

7 Tertullianus Petrum *ædificandæ eccleſiæ petram* vocans, claveſque regni *perſonaliter* conſequutum affirmans (ut ſupra *pag.* 61. *hujus vol & pag.* 64. *& pag.* 133. oſtendi) idque jam decus Paulo numquam attribuens, ſatis indicat fuiſſe Petrum Paulo præſtantiorem.

cionem (1), quæ Tertulliani nomine circumferuntur. Quod si horum aliqui de potiore Petri dignitate, ac potestate non tam copiose, tamque dilucide, quam adversarii vellent, scripserunt; non eo certe fecerunt, quo dubitarint, esset ne Petrus Paulo præferendus, sed quo fusius, diligentiusque ea de re agendum non putarint, de qua nulla esset inter ipsos, hostesque religionis, quos oppugnabant, orta contentio. Ac si aut silentio, aut minus perspicua scribendi ratione, qua sunt in hoc genere usi veteres, proficere se quidquam adversarii putant posse; caveant, ne Petrum non solum principem Paulo parem fuisse, sed etiam principem ecclesiæ nullo modo fuisse concludere velle videantur. Age vero nisi ob nominatum Petrum a Patribus ante Paulum effici posset, Paulo fuisse Petrum præstantiorem, quæ ratio esset reliqua, ex qua liceret concludere, fuisse a Patribus primi, ac secundi seculi ceteris Apostolis antelatum Petrum? Nam si hæc apud nos, adversariósque nostros valet contra Calvinianos, Lutheranos, Zuinglianos, omnes denique protestantes ratio, qui æqualem fuisse potestate ceteris Apostolis Petrum pugnant; valeat item contra eos necesse est, qui Petrum Paulo fuisse parem arbitrantur. Neque enim primum in serie Apostolorum nominari a sacris Scriptoribus, Patribusque adversarii Petrum existimant, quod Petrus ordine solum fuerit collegis prior (alioqui protestantibus assentirentur, a quibus se vehementer dissidere clamant) sed quod ad Petrum fuisse universæ ecclesiæ, collegiique ipsius Apostolici delatum a Christo principatum putent. Quamobrem si prior in Apostolorum serie locus indicium est principatus, excellentiorisque inter Apostolos dignitatis Petri; excellentior sane Paulo Petrus fuit, ut qui nominari fere semper ante Paulum & a Scriptoribus Canonicis, & a Patribus consueverit (2).

S E C U L O III.

Sed redeo ad Patres. Seculo tertio, quum esset de auctori-

1 *Lib. III. pag. 635. opp. Tertul. edit. Veneta ann.* 1748.
2 Vide Coteler. *in not. ad lib.* VIII. *Const. Apost. c.* XXXIII.

ctoritate, deque unitate ecclesiæ vehementius disputari cœptum; Orthodoxi omnes de summa Petri post Christum potestate ita disseruerunt, ut eum non ceteris Apostolis modo, sed Paulo etiam ipsi præferendum esse ostenderint. Fuerunt autem in horum numero Catholici, qui in hæresim Cataphrygarum invecti sunt (1), Cajus Romanæ ecclesiæ presbyter (2) is, quem fuisse episcopum (3) nationum creatum diximus, Origenes (4), Hippolytus Portuensis (5), Cyprianus (6), Cornelius (7), Firmilianus (8), Dionysius Alexandrinus (9), Arnobius (10).

SE-

1 Tertullianus *lib. de Pudic. cap.* XXI. *pag.* 574. Catholicos (qui contra Montanistas, seu Cataphrygas agebant) ecclesiæ, imprimisque Romana, quæ princeps est omnium, potestatem a Petro, non a Paulo petere consuesse ostendit. Vide quæ disputavi supra *pag.* 64. *seq. hujus voluminis*.

2 Apud Eusebium *lib.* II. *Hist. Eccl. cap.* XXV. *pag.* 76.

3 Confer qua scripsi *tom.* IV. *hujus operis pag.* 338.

4 Origenes apud Eusebium *lib.* VI. *Hist. Eccl. cap.* 252. *edit. Taurin.* de Petro, ac Paulo agens, scribit hoc modo: „ Paulus, qui ab Hierosolymis, & finitimis locis usque ad Illy„ ricum evangelium adimplevit, non omnibus Ecclesiis, quas docuerat, scripsit, sed & iis, „ quibus scripsit, paucas admodum lineas exaravit „. Quid demum in his verbis adversariis reperire licet, quo statuere Pauli principatum possint? *Prædicasse* Paulum, ac late, longeque religionem christianam propagasse confirmat Origenes; principatu vero in Ecclesia summo fuisse potitum, non item. Contra non de Petro loquens: Πέτρος δὲ ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἧς πύλαι ᾅδου οὐκ ἀποσχύσουσι &c. *Petrus autem*, inquit, *super quem ædificatur ecclesia Christi, adversus quam portæ inferi non prævalebunt*. Cetera hujus scriptoris testimonia prætermitto, at quæ descripta a me fuerint, cum de monarchica Christianæ reipublicæ regendæ forma, deque Petri suprema post Christum in ecclesia potestate dissererem.

5 Sive quisquis ille est vetus editor *Fragm. Constit. Apost. de Ordinationibus per Hippolytum*, quod post Ernestum Grabium edidit Johannes Albertus Fabricius *tom.* I. *opp. Hippolyti pag.* 248. *& seqq. edit. Hamburg. ann.* 1716., quodque etiam extat *lib.* VIII. *Constit. Apostolic. cap.* IV. *pag.* 394. *seq. tom.* I. *PP. Apostolic. edit. Amstel. a.* 1724. Is enim πρῶτον primum Apostolorum Petrum vocat; Paulum vero, quem *vas electionis, & coapostolum* ab collegis appellatum dixit, ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων, *minimum Apostolorum*, quamquam Paulus suis laboribus, doctrina, prædicationeque evangelii meruerit, ut in præcipuis Apostolis numeraretur.

6 Confer illustrem Cypriani locum a nobis *pag.* 73. *hujus vol.* descriptum, quo quidem in loco s. martyr Petrum cum Paulo conferens, Petro principatum attribuit, eumque Paulo fuisse ostendit præstantiorem. Consule præterea *not.* 2. *pag.* 287. *hujus vol.*

7 Unius Petri Cathedram principalem nominanti Cypriano Cornelium fuisse assensum, quis neget? Confer *epist.* XL I. *Cypr. ad eumd. Corn. n.* XIV. *pag.* 184. *seq. tom.* I. *epist. Rom. Pont. edit. Paris. Constan.*

8 Soli Petro dictum fuisse Firmilianus animadvertit: *tu es Petrus, & super hanc petram &c.* Ex qua re solum Petrum principem, & caput omnium ecclesiarum fuisse intelligitur.

9 Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* XXV. *pag.* 353. *edit. Cantabrig. ann.* 1920. Petro singulare quidpiam a Christo tributum indicat, quod in reliquos Apostolos non competeret.

10 Arnobius *lib.* II. *adversus Gentes pag.* 64. *edit. Paris. ann.* 1605. Petri Romam adventum commemorat, ab eoque uno Simonis magi præstigias fuisse dissipatas scribit.

SECULO IV.

Sequuti deinceps fuerunt Petrus Alexandrinus, (1) Lactantius (2), Canones Nicæni Arabici (3), Eusebius (4), Athanasius (5), Julius Romanus Pontifex (6), Patres Sardicenses (7), Lucifer Calaritanus (8), Hilarius Pictaviensis (9), Juvencus Poeta (10), Cyrillus Hierosolymitanus (11), Liberius

1 *Ex Serm. de Pœnit. can.* IX. *apud Beveregium tom.* II. *Synodici, sive Pandect. Canonum &c. pag.* 14. *edit. Oxon. an.* 1672. οὕτως ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων Πέτρος πολλάκις συλληφθεὶς, καὶ φυλακισθεὶς, καὶ ἀτιμασθεὶς ὕστερον ἐν Ῥώμῃ ἐσταυρώθη, καὶ ὁ περιβόητος Παῦλος πλειστάκις παραδοθεὶς, καὶ ἕως θανάτου κινδυνεύσας πολλά τε ἀθλήσας, καὶ καυχησάμενος ἐν πολλοῖς διωγμοῖς, καὶ θλίψεσιν, ἐν τῇ αὐτῇ πόλει καὶ αὐτὸς μαχαίρᾳ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη: „ Ita Petrus Apostolorum primus (seu potius *prælatus*, *seu præpositus* seu *præcipuus*) sæpe comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremo „ Romæ crucifixus est. Similiter inclitus Paulus sæpe traditus, & ad mortem usque in periculum adductus, multa mala perpessus, & in multis persecutionibus, afflictionibusque gloriatus, in eadem urbe ipse quoque gladio capite multatur est „. Viden' ut Petrum cum Paulo comparet, atque eum quidem præpositum Apostolis statuat; hunc vero non item?

2 Lactant. *lib.* IV. *de vera Sapient. cap.* XXI. *tom.* I. *opp. pag.* 332. *seq. edit. Paris. an.* 1748. Petrum ante Paulum nominat, ut fert constans ecclesiarum traditio. Lucius vero Cæcilius, quem aliqui eumdem atque Lactantium fuisse arbitrantur (etsi sunt, qui negent, quamquam synchronum quidem illi fuisse defendant) Lucius, inquam, Cæcilius in eo, quem *de mortibus Persecutorum* perscripsit, *lib. cap.* II. *pag.* 184. *seq. tom.* II. *opp. Lact. edit. ejusd.* ita de Petro disserit, ut eum non modo priore loco nominet, sed etiam primas in ecclesia Romana instituenda obtinuisse partes affirmare videatur.

3 Etsi in synodo Nicæna editi non fuerunt, ostendunt tamen summam omnium Orientalium ecclesiarum, quæ iisdem utuntur, de principatu Petri singulari consensionem. Canon autem VIII. *pag.* 329. *tom.* II. *Concilior. edit. Venetæ an.* 1728. sic habet: *Romano Patriarchæ successori Petri. Et can.* XXXVII. *pag.* 335. *sint Patriarchæ in universo mundo quatuor tantum* . . . *& sit princeps, ac præpositus ipsis dominus Sedis Divi Petri Romæ, sicut præceperunt Apostoli. Et can.* XLIV. *pag.* 337. *Quemadmodum patriarcha potestatem habet super subditos suos, ita quoque potestatem habet Romanus Pontifex super universos patriarchas, quemadmodum habebat Petrus super universos Christianitatis principes, & concilia ipsorum, quoniam Christi vicarius est, super redemptionem, ecclesias, & curatos populos ejus.*

4 Confer supra, quæ ex *Hist. lib.* VI. *cap.* XXV. descripsimus, quum de Origene disputaremus. Quæ enim Origenis sunt, ea Eusebium constat fecisse sua. Vide præterea, quæ ex eodem Eusebio produxi supra *pag.* 134. *hujus vol. n.* 1. *& pag.* 287. *not.* 5. ex quibus quantum Petro præ Paulo tribuerit, plane perspicitur.

5 Vide *pag.* 135. *hujus vol. n.* 1.

6 Consule *pag.* 136. *hujus vol. n.* 1. *& pag.* 287. *not.* 7.

7 Confer *not.* 1. *pag.* 136. *hujus vol. & not.* 8. *pag.* 287.

8 *Lib. adv. Constant. tom.* IV. *Biblioth. PP. edit. Lugdun. pag.* 247.

9 Vide *pag.* 135. *seq. hujus vol. not.* 2.

10 Consule quæ scripsi *pag.* 288. *not.* 1.

11 Vide *pag.* 136. *seq. hujus vol. not.* 2. Est autem animadvertendum, ab Cyrillo nusquam iis titulis honorum fuisse ornatum Paulum (cujus sæpe meminit) quibus ipse ibidem ornavit Petrum.

rius (1), & Damasus (2) Romani præsules, Basilius Magnus (3), Gregorius Theologus (4), Gregorius Nyssæ (5), Eustathius Antiochenus (6), Serapion Tmueos (7), Macarius Senior Ægyptius (8), Hilarius Diaconus (9), Ambrosius (10), Philastrius (11), Gaudentius Brixiensis (12), Zeno Veronensis (13), Siricius Papa (14), Optatus Milevitanus (15), Pacianus Barchinonensis (16), Epiphanius Salaminius (17), Rufinus presbyter Aquilejensis (18), Titus Bostrensium antistes (19), Petrus alter Alexandrinus (20), Victor episcopus Antiochenus (21), Patres Synodi Aquilejensis (22), Johannes Chrysostomus (23), Hieronymus (24), Augustinus (25), Pau-

1 Confer *pag.* 288. *hujus vol. not.* 4.
2 Vide *pag.* 82. *hujus vol. ante not.* 1.
3 Confer *pag.* 288. *hujus vol. not.* 5.
4 Consule *not.* 6. *pag.* 288. *hujus vol.*
5 *Pag.* 237. *hujus vol. ante not.* 1.
6 *In opere de Engastrimytho tom.* III. *Criticor. sacr. edit. an.* 1698. *pag.* 1154.
7 *Lib. contra Manich. pag.* 53. *tom.* 1. *Antiq. Lect. Canis. edit. Antuerp. ann.* 1725.
8 *Homilia* XXVI. ex earum numero, quas esse fortasse interpolatas ferunt *pag.* 154. *edit. Paris. an.* 1621.
9 *Pag.* 288. *hujus vol. not.* 8.
10 *Pag.* 288. *hujus volum. not.* 9.
11 *Ibid. not.* 10.
12 *Ibid. not.* 11.
13 *Ibid. not.* 12.
14 *Ibid. not.* 13.
15 *Ibid. not.* 14.
16 *Ibid. not.* 16.
17 *Ibid. not.* 15.
18 *Ibid. not.* 17.
19 Seu quisquis est auctor *Comment. in Luc. tom.* IV. *Bibl. PP. edit. Lugd. pag.* 440.
20 Is adfuit synodo Romanæ sub Damaso, ut est apud Theodoritum *lib.* V. *Histor. Eccles. cap.* X. apud Coustantium *tom.* I. *epistolar. Roman. Pontif. edit. Paris. n.* 3. *pag.* 574. in qua quidem synodo *depositus* Timotheus Apollinaris hæresiarchæ discipulus fuit, Atque is sane Petrus, qui quanti Pontificem Maximos penderet, suo in urbem, velut in perfugium, adventu, ostendit, ex traditione majorum, exque Damaso sine dubio intellexerat, Beati Petri Apostoli, qui sedem Romanam occupavisset, caussa, clavum ecclesiæ universæ a Pontifice teneri. Confer Damasi *epist. eamdem apud Theodoritum l.c. indic.* & apud Coustantium *ibid. pag.* 571.
21 *Comm. in cap.* VIII. *Evang. Marci tom.* IV. *Bibl. PP. edit. Lugd. pag.* 389.
22 Aquilejenses Patres an. 381. congregati, cum ecclesiam Romanam caput esse ceterarum omnium affirmarint, heredem esse eam dignitatis Petri ostenderant, quem unum omnium Apostolorum caput fuisse a Christo constitutum liquet. Vide Damasi *epist.* XII. *n.* 4. *tom.* I. *collect. epistolar. Rom. Pont. edit. Constantii pag.* 554.
23 Confer *pag.* 137. *hujus vol. not.* 3. & *pag.* 94. *seqq.* & *pag.* 831. *not.* 3. & *pag.* 320. *not.* 2. quo loco ostendi Petrum ab Johanne Chrysostomo fuisse anteiatum Paulo & dignitatis ratione, & auctoritatis.
24 Confer *pag.* 138. & 290. *hujus vol.*
25 Vide *pag.* 94. 97. 139. 181. *seq.* & 262. *hujus vol.* Idem *lib.* II. *de Bapt. contra Donat.*

Paulinus Nolanus (1), Synodique Romana anno 370. (2), & Aquilejensis anno 382. (3) celebratæ.

SECULO V.

Palladius antistes Heliopolitanus (4), Aurelius Prudentius (5), Isidorus Pelusiotes (6), Cyrillus Alexandrinus (7), Theodoritus (8), Petrus Chrysologus (9), Patres Synodorum Milevitanæ (10), & Carthaginiensis (11), & Oecumenicorum Conciliorum Ephesini (12), atque Chalcedonensis (13), Innocentius (14), Zosimus (15), Bonifacius (16), Cælesti-

Donat. cap. 1. *n.* 2. *pag.* 64. *seq. tom.* IX. *opp. edit. ann.* 1700. „ Magnum quidem, *ait*, „ meritum novimus Cypriani, sed numquid majus, quam Petri Apostoli, & martyris, de „ quo idem Cyprianus in *epist. ad Quintum* ita loquitur: *nam nec Petrus*, inquit, *quem* „ *primum Dominus elegit, & super quem ædificavit ecclesiam suam, cum secum de* „ *circumcisione Paulus disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arrogan-* „ *ter assumsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris* „ *sibi potius oportere, nec despexit Paulum &c* „. Quinetiam *enarrat. in Ps.* LXIX. *p.* 533. *n.* 4. *tom.* IV. *edit. Amst. ann.* 1700. „ Petrus, *inquit*, qui paullo ante eum confessus est „ filium Dei, & in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Eccle- „ sia &c „. Quæ quis umquam de Paulo dicta legit?

1 Confer *p.* 140. *hujus vol. n.* 7. & *ep.* XXIII. *Paulini pag.* 146. *edit. Veron. an.* 1736.

2 Vide *pag.* 289. *hujus vol. not.* 4.

3 Consule *notat.* 4. *hujus volum. pag.* 289.

4 Vide *pag.* 289. *hujus vol. not.* 5.

5 Vide *pag.* 279. *not.* 6. & *pag.* 396. *not.* 4.

6 *Pag.* 140. *hujus vol. not.* 3.

7 *Pag.* 93. *hujus vol. not.* 3. *Idem lib.* XII. *in Joh. pag.* 1064. *tom.* IV. *opp. edit. Paris.* πρόκριτον *Prælatum* sanctorum discipulorum Petrum vocat. *Et lib.* IX. *in Julian. pag.* 325. *edit. an.* 1696. Petrum cum Paulo comparans, cum quidem ἔκκριτον appellat τῶν ἁγίων ἀποστόλων *præcipuum sanctorum Apostolorum*, cum nihil tale de Paulo dicat.

8 *Pag.* 142. *hujus vol. not.* 3. *Idem Dialog.* I. *cum Eraniste tom.* IV. *opp. edit. Sirmondi pag.* 26. πρῶτον τῶν ἀποστόλων *primum Apostolorum* appellat, ob eam præcipue caussam, quod testimonium reddidisset Christo.

9 *Pag.* 140. *not.* 4. *hujus vol.*

10 *Pag.* 189. *not.* 11. *hujus vol.*

11 *Not.* 12. *pag.* 189. *hujus vol.*

12 *Not.* 2. *pag.* 140. *hujus vol.*

13 *Not.* 2. *pag.* 142. *hujus vol.*

14 *Not.* 3. *pag.* 139. *hujus vol.*

15 *Not.* 4. *pag.* 139. *hujus vol.*

16 *Epist.* V. *ad Rufum n.* 1. *pag.* 1022. *tom.* I. *epistolar. Rom. Pontif. edit. Constantii*; *Petrum pastorem perpetuum dominicarum ovium*, dicit, *esse*, *in quo positum sit universalis ecclesiæ fundamentum*. *Et epist.* XIV. *pag.* 1037. *In Petro consistere*, scribit, *universalis ecclesiæ regimen*, & *summam*. Confer etiam *epist.* XV. *pag.* 1039.

lestinus (1), Leo (2), Hilarus (3), Felix III. (4), & Gelasius (5), Marius Mercator (6), Johannes Cassianus (7), Præsules Tarraconensis Provinciæ (8), Theodosius (9), & Valentinianus Augusti, Prosper (10), Eucherius Lugdunensis (11), Vin-

1 Vide *pag.* 140. *hujus vol. n.* 1.

2 Confer Sixti III. P. M. locum supra *pag.* 141. *not.* 1. & S. Leonis testimonia *ibid. n.* 2. *seq.* & *pag.* 201. 567. & 575.

3 *Epist.* v. *ad Leontium Arelatensem pag.* 61. *tom.* v. *Concil. edit. Veneta.* „ Quantum „ reverentiæ in Spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat sacerdotes, Beato Petro Apostolo, „ & sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditio- „ num incorrupta custodia est „. Confer *ejusd. epist.* VIII. *pag.* 63. De Petro autem cum ita loquitur, tum de Paulo agens *epist.* II. *cap.* IV. *pag.* 59. Doctorem eum quidem gentium vocat, suum autem antecessorem, quasi sedem occuparit Romanam, non vocat: *Secundum quod etiam*, inquit, *B. Apostolus magister gentium, de his, qui fieri desiderant Sacerdotes, propria institutione non tacuit dicens: unius uxoris virum. Cujus sane tenore sententia ita informati esse debetis, ut inter cetera, quæ cavenda sunt, hac studeatis præcipue custodire, quæ cognoscitis ante universa mandari. In quibus etiam prospiciendum est, ne duo simul sint in una ecclesia sacerdotes.* Hæc vero quemadmodum Paulum nominans Hilarus dicere ausus fuisset, si Paulum & principem totius ecclesiæ, & una cum Petro Romanorum episcopum fuisse putasset? Aut cavisset, duos ne fiant in eadem ecclesia sacerdotes, hoc est episcopi, si duos imo Romanorum fuisse episcopos cognosset? Sed hæc alias.

4 Confer *not.* 1 *pag.* 143 *hujus vol.*

5 *Epist.* 1. *ad Euphemianum pag.* 284. *tom. eod. Concilior.* ubi consortium sedis Romanæ B. Petri consortium vocat: & *pag.* 285 ita differit de Petro, ut Paulo, ut eum rectorem, & petram ecclesiæ, hunc magistrum fuisse gentium, indicet. Confer *ejusd. epist.* II. *ad Episc. Dardaniæ ibid. pag.* 294. & *epist.* IV. *pag.* 295. *seqq* & *epist.* v. *ad Honorium Dalmatiæ episcopum pag.* 298. ubi: „ Pro sedis, *inquit*, Apostolicæ moderamine totius ovilia dominici curam sine cessatione tractantes, quæ B. Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est, „ *& tu conversus confirma fratres tuos*: Et item: *Petre amas me, pasce oves meas*, dissimulare nec possumus, nec debemus, quæ nostram sollicitudinem forma perstringit, cum „ B. Apostolo Paulo sentientes, atque dicentes: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror* „? Vides ut curam universæ ecclesiæ traditam Petro confirmet, fuisse; Paulum vero ratione Apostolatus, caritatisque, quæ ipsum urgeret, commoveri fratrum caussa consuesse confiteatur, primatum autem obtinuisse non indicet? Confer ceteras Gelasii epistolas, quæ plenæ sunt hujusmodi sententiarum.

6 In *Commonitor pag.* 2. *edit. Bruxel. ann.* 1673. Anastasium *summum Pontificem* appellat. Id vero non dicit Pauli caussa. Hunc enim non totius ecclesiæ principem, sed *Dei* tantum *præconem*, & *vas electionis* vocat. *Ibid. pag.* 31. Petri igitur hoc caussa dixerit necesse est, quem summum universæ ecclesiæ primatem ab omnibus, quos numeravimus, quosque deinceps numeraturi sumus, appellari constat.

7 *Not.* 1. *pag.* 143. *hujus vol.*

8 Concilii Tarraconensis Patres *epist. ad Hilarum Papam tom.* II. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 787. „ Expetendum nobis fuerat illud privilegium sedis vestræ, quo susceptis „ regni clavibus post resurrectionem Salvatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis „ prædicatio universorum illuminationi prospexit, cujus Vicarii principatus sicut eminet, „ ita metuendus est ab omnibus, & amandus . . . . Quod sancti Petri cathedra obtinet, ca- „ tholica audiat ecclesia &c. „

9 *Not.* 1. *pag.* 141. *hujus voluminis*.

10 *Not.* 6. *pag.* 140. *hujus vol.*

11 *Not.* 1. *pag.* 142.

Salvianus Massiliensis (1), Socrates (2), Sozomenus (3), Maximus Taurinensis (4), Vigilius Tapsensis (5), Victor Vitensis (6), Avitus Viennensis (7), Galla Placidia (8), & Licinia Eudoxia (9) Augustæ, Tiresius Melitenensis (10), Johannes Arcensis (11), & Adelphius Arabissiensis episcopi (12), Varadatus Monachus (13), Ascanius episcopus Tarraconensis (14), & ceteri provinciæ ejusdem antistites, Patres synodi Romanæ (15) sub Felice III. Pontifice, Asterius Amaseæ epi-

1 Salvianus *lib.* IV. *pag.* 113. Paulum solum Apostolum vocat, Petrum autem *principem Apostolorum*. *Edit. Brem. an.* 1688.

2 Vide *not.* 7. *pag.* 190. *hujus vol.* Sed errore Typographi evenit, ut loco indicato pro *lib.* 11. *Socratis Hist. Eccl.* legeretur *lib.* 1. Atque eam dignitatem, quam Pontificibus *ibid.* tribuit Socrates, nonnisi Petri caussa tribuit. Nam Paulum episcopum Romanum a veteribus creditum numquam fuisse, supra est eorum testimoniis demonstratum. Cum autem illius Apostoli, cui succedit Pontifex, ratione, is sit principatus eidem Pontifici attributus, Petrum vero omnes episcopum Romanum fuisse confiteantur, sequitur ut principatum, unius Petri caussa, Socratis etiam judicio, obtineat Pontifex.

3 Sozomenus *lib.* VII. *cap.* IV. *Hist. Eccl. pag.* 260. *edit. Taurin. an.* 1747. „ Significabat, *inquit*, Imperator eo rescripto, velle se, ut omnes subditi sui eam religionem „ sequerentur, quam Petrus ὁ κορυφαῖος τῶν ἀποστόλων *princeps Apostolorum* Romanis ab „ initio tradidisset „.

4 *Not.* 10 *pag.* 190. *hujus vol.*

5 *Ibid. not.* 12.

6 *Ibid. not.* 13.

7 *Ibid. not.* 14.

8 *Epist. ad Theodosium Imperatorem act. Concil. part.* 2. *tom.* II. *Concilior. edit. Paris. Hard.* κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων *verticem*, *seu principem Apostolorum Petrum* vocat.

9 Quantum Petro tribuerit Licinia Eudoxia, constat ex illius epistola *ad Theodosium ibid. pag.* 38.

10 *Epist. Episcopor. Armen. ad Leonem Imperat. tom.* II. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 745.

11 *Ibidem.*

12 *Ibidem.*

13 Petrum anteponit Paulo *epist. ad Leonem Imperatorem. Tom. eod. Concil. pag.* 770.

14 *Tom.* II. *Conc. pag.* 787. *&* *Synod. Rom. an.* 465. *sub Helaro ibid. pag.* 800.

15 *Epist. Synodica*, *quæ est* IV. *inter epistolas Felicis*. *Tom. eodem Concilior. pag.* 826. *ad Petrum Cnapheum* . „ Non statuisti credere veritati, & binis litteris nostris ad te scri- „ ptis, nunc incœpi sententiare contra te, immo ὁ ἀκρωτήριον τῶν ποιμαντικῶν θρόνων, „ ὁ ἐν ἁγίοις εὐφημίαις ἀκμάζων, ὁ ἄριστος τῶν ἀποστόλων ἀληθῶς Πέτρος. *summus ver-* „ *tex pastoralium sedium, in sanctis laudibus florens, optimus vere Apostolorum Petrus* .... „ Et firma sit hæc depositio a me, & ab his, qui una mecum Apostolicum thronum regunt.... „ Quis non defleret sic dicentes de intemerato trisagio, quod mihi valde convenit refutare, „ & fletum merito dare in hos cavillatores ... quos & alienos putavimus ab orthodoxa fide, „ Catholica ecclesia, & a communione ducis nostri gloriosi προέδρου Πέτρου *prædecessoris* „ *Petri*, qui claves regni a Salvatore nostro recepit „? Felix igitur post auctos Patres, scribit *summum verticem*, *&* *optimum Apostolorum* esse Petrum, eique fuisse claves a Christo traditas regni cælorum, seque esse successorem B. Petri fatetur. De Paulo autem ne verbum quidem addit. Immo vero cum Petrum summum esse verticem dicat, anteponat eum Paulo neces-

episcopus (1) Victor Antiochenus, seu quisquis ille est vetus Commentariorum in Evangelium Marci auctor (2), Capreolus episcopus Carthaginiensis, Sedulius Poeta, Nilus Monachus, Bachiarius Maccæus, Basilius Seleuciensis, Nonnus Ægyptius Poeta, Arnobius junior, ut ceteros ejus seculi scriptores prætercam (3).

SECULO VI.

Non est autem necesse, ut quos seculi sexti scriptores supra commemoravi (4), quique cum Petrum aut Coryphæum, aut principem, aut primum vocarint Apostolorum, satis explicate suam declararunt de suprema Petri dignitate sen-

necesse est. Jam vero non ab se solum damnari Cnapheum, dicit, sed etiam ab iis, qui una cum ipso apostolicum thronum regebant. Quid? an adversarii plures cum Felice fuisse episcopos Romanos defendent? Scilicet ii, qui propterea Paulum episcopum Romanum cum Petro fuisse jactant, quod apud scriptores aliquos legerint, eum rexisse ecclesiam cum Petro, ex hoc item loco concludant necesse est, Felicis tempore plures fuisse Romæ episcopos Romanorum, quod Felix eos commemorarit, qui secum eamdem ecclesiam regebant. Qua re quid fingi potest obtusius? Sed ut adjutor Petri Paulus, ita episcopi suffraganei, presbyterique Romanæ ecclesiæ Felicis adjutores in confirmandis fidelibus, dilatandaque religione, fuerunt, eoque pacto thronum apostolicum rexerunt.

1 Modo sit Asterius auctor Homil. de ss. Apostolorum principibus Petro, & Paulo, quæ extat *tom. 1. Auctarii Biblioth. PP. p. 127. seq. edit. Parif. Combefisii an. 1648.* Is autem vetus auctor scribit: *petram* ecclesiæ fuisse Petrum πρῶτον αὐτοῦ μαθητὴν *primum ipsius discipulum* appellatum, per quem ecclesiarum stabilis, atque inflexa firmitas consistit. Eumdem addit *pag. 130.* πρὸ πάντων τῶν κοινωνῶν *omnibus sociis priorem* pro episcopi, ut præ- „ positi munere os aperuisse &c. „ pascendarumque ovium accepisse a Christo potestatem. Quinetiam *pag. 142.* Jacobum, Johannem, atque Philippum, etsi magni Apostoli fuerint, Petro tamen cedere oportere statuit *pag. 142.* Confer *pag. 146. seqq.* Quid? si de Paulo disserens *pag. 158.* primas tribuat Petro, congressumque illum cum κορυφαίῳ τῶν ἀποστόλων *vertice Apostolorum*, neque episcopatu cum eo potitum romano, sed ejus fuisse adjutorem *pag. 167.* testetur.

2 *Tom. IV. Biblioth. PP. edit. Lugdun. pag. 377.*

3 Capreolus *epist. de Una Christi, & veri Dei persona apud Sirmondum tom. 1. opp. pag. 373. edit. Parif. ann. 1696.* Sedulius *lib. IV. operis Paschalis pag. 471. tom. VI. edit. Lugd. Bibl. PP.* Nilus *lib. II. epist. LXXV. edit. Rom. Allatii an. 1668.* Petrum a Christo benigne exceptum constitutum fuisse ποιμένα τῆς οἰκουμένης ἁπάσης *pastorem universi orbis*, testatur; Bachiarius *libell. fidei pag. 7. edit. Rom.* opera, & studio Francisci Flori Canonici Aquilejensis viri clarissimi *edit. Rom. an. 1748.* Basilius Seleuciensis *orat. XVI. pag. 91. edit. opp. Parif. an. 1629.* Paulum justitiæ pennis alatum in tertium cælum evolasse, præconemque fuisse ecclesiæ scribit, moxque de Petro disserens; κορυφαῖον illum τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν Χριστοῦ μαθητῶν προστάτην *Coryphæum Apostolorum, & Christi discipulorum primatem* vocat. Nonnus *in Evang. Joh. cap. XXI. pag. 221. seqq. edit. Lugd. Batavor. an. 1627.* De Arnobio vide, quæ scripsi supra *pag. 206. not. 3. hujus volum.* Alcimi locum vide apud Sirmondum *tom. II. opp. edit. Parif. pag. 141.*

4 *Pag. 390. seq. hujus vol.*

te ſententiam, rurſum eſſe nominandos putem. Sed Aratoris, qui priorem ordinem Petro, ſecundum Paulo tribuit, ex ſecundo Hiſtoriæ Apoſtolicæ libro illuſtrem locum tacitus præterire non poſſum. Nam is, quod ad rem, cauſſamque maxime pertinet, Paulum cum Petro conferens: *Gloria*, inquit, *rerum contulit, ut Petro Paulum gerat ordo ſecundum* (1). Quinetiam in priore libro Petrum ipſum, qui primus *in agmine Apoſtolico parva de puppe vocatus* fuiſſet, *agnos* in fidem, *oveſque* recepiſſe, *ſummumque* gregis Chriſti paſtorem eſſe conſtitutum ſcribit (2). Quid? ſi a Petro retineri eccleſiæ cacumen (3) adjungat? Accedit Venantii Fortunati poetæ hujus ſeculi auctoritas, qui Petrum cum Paulo comparans, hunc eſſe gradu inferiorem fatetur in eo carmine, quod de Apoſtolorum eorundem reliquiis Nannetenſibus edidit (4). His addere licet Epiphanium Scholaſticum (5), Cæſarium (6), Orientales epiſcopos in ea, quam ad Symmachum Pontificem ſcripſerunt, epiſtola: qua quidem in epiſtola, etſi Petrum, ac Paulum duo totius mundi lumina vocant, tamen Paulum eumdem, non modo Petro Coryphæo non præferunt, ſed ne æquant quidem. Nam Pe-

1 Vide *pag.* 291. *hujus vol. not.* 5.

2 *Lib.* 1. *Hiſt. Apoſt. pag.* 126. *tom.* x. *Bibl. PP. edit. Lugd.* habet hoc modo:

„ Primus Apoſtolico parva de puppe vocatus
„ Agmine Petrus erat, cujus . . . . quæ geſſerat hamum,
„ Ad clavim tranſlata manus . . . . . cui tradidit agnus,
„ Quas paſsus ſalvavit oves, totumque per orbem
„ Hoc auget paſtore gregem, quo munere ſummus
„ Surgit.

3 *Lib.* 1. *pag.* 132.

„ Ferrea quid mirum ſi cedunt oſtia Petro.
„ Quem Deus ethereæ cuſtodem deputat aulæ,
„ Eccleſiæque ſuæ faciens retinere cacumen
„ Infernum ſuperare jubet?

4 *Lib.* III. *carm.* VII. *tom.* x. *Bibl. PP. edit. Lugd. pag.* 541.

„ Cælorum portæ lati duo lumina mundi
„ Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
„ Inter Apoſtolicas radianti luce coronas
„ Doctior hic monitis, CELSIOR ILLE GRADU.

Et lib. IX. *carm.* II. *ad Chilpericum regem pag.* 580.

„ Princeps clave Petrus, primus quoque dogmate Paulus.

5 *Hiſt. Tripart. lib.* IX. *cap.* XV. *pag.* 553. *edit. an.* 1528.

6 Confer exemplum libelli Cæſarii Arel. epiſcopi oblati Symmacho Papæ *tom.* II. *Concilior. pag.* 956. *edit. Pariſ. Hard.*

trum Apostolorum principem appellant; Paulum vero non item (1). Post illos autem, Johannem episcopum Constantinopolitanum in libello fidei ad Hormisdam Pontificem (2), Archimandritas, ceterosque Monachos secundæ Syriæ, qui unum Petrum principem vocarunt Apostolorum in celebri ad Hormisdam epistola, quæ hoc modo inscribitur: *Sanctissimo, & Beatissimo universæ orbis terræ patriarchæ Hormisdæ continenti sedem principis Apostolorum Petri* (3), Elpidium, Stephanum, & Timotheum episcopum epistola ad Bonifacium II. Pontificem (4) Maximum, itemque doctissimum hominem, Andream Cæsariensem episcopum, quem anno fere quingentesimo æræ christianæ floruisse ferunt (5), Marianum Monachorum B. Dalmatii Urbis Regiæ Archimandritam (6), Synodi Constantinopolitanæ contra Anthimum Trapezuntium Patres (7), Episcopos secundæ Provinciæ Syrorum in iis litteris, quas adversus Severum, Petrum, ac Zoaram hæreticos ad Justinianum Imperatorem scripserunt (8), Vigilium Pontificem Maximum epistola ad universam ecclesiam (9) Pelagium II. in iis, quas ad episcopos Istriæ scripsit, litteris (10). Is autem superari Paulum a Petro tam perspicue, dilucideque docuit, ut nihil supra desiderari posse videatur.

1 *Inter epist. Symmachi n. VIII. tom. V. Concil. edit. Veneta pag. 434.*

2 *Tom. II. Concilior. edit. Paris. Hard. pag. 1017.*

3 *Tom. eodem Concil. pag. 1032.* „ Exurgite Patres sancti venite ad salvandum nos . . . „ Petrum illum respicite principem Apostolorum, cujus sedem ornatis, & Paulum, qui est „ vas electionis, qui circumeuntes, orbem terrarum illuminaverunt „. Viden ut lumina orbis terrarum Petrum, Paulumque fuisse indicent, sed ita, ut Petrus princeps fuerit, Paulus autem vas electionis? Quid ergo est, quod tanti vocem luminum faciant adversarii, ut hac una Petrum Paulo fuisse æquatum arbitrentur?

4 *Tom. II. Concil. edit. Hard. pag. 1117.* „ Pro his enim & vestram appellamus beati„ tudinem, & apostolicam sedem, & per eam ter beatum Petrum „. Atqui hujus caussa Patrem Patrum Pontificem appellatant. Quare principatum Petro tribuerint, necesse est.

5 *Commentar. in Apocalyps. tom. V. Biblioth. PP. edit. Lugdun. pag. 631.*

6 *Epist. ad Justinianum Imperatorem, quæ extat act. I. Synodi Constantinopolitanæ celebratæ sub Mena an. 536. tom. II. Concilior. edit. Hard. Paris. pag. 1195. & epist. ad Agapet. Pontif. ibid. pag. 1207.*

7 *Ibid. act. IV. pag. 1258.* 8 *Ibid. act. V. pag. 1271.*

9 *Tom. III. Concil. edit. Hard. Paris. pag. 5.*

10 *Tom. eodem pag. 414. seq. epist. III. & epist. IV. n. VIII. pag. 427. seqq.* qua quidem in epistola Petrum cum Paulo conferens, scribit hoc modo: „ Debet ergo perpendere „ vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum in hac caussa consensus tanto post inanis „ non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudavit. Sed his insuper factum „ PETRI, QUI ET PAULUM SUPERAT, vestra fraternitas ad memoriam reducat „.

deatur. Sed hujus locum, nescio, cur adversarii prætermiserint. Nam si bona fide agere constituissent, non obscura quædam, atque implicata, quæ ad rem minime pertinerent, Pontificum Maximorum loca consectati fuissent, neque ab Gelasio ad Gregorium Magnum, omissis ceteris, descendissent; sed eorum etiam præsulum meminissent, qui post Gelasium ad Gregorii usque tempora sedem Apostolicam occupaverant, attulissentque testimonia, quibus principatus Petri confirmaretur.

SECULO VII.

Pontificum autem, Patrumque, qui septimo seculo floruerunt, loca adducere longum esset, cum tam multa sint, ut numerari vix; describi vero breviter, ne vix quidem possint. Itaque missis iis, quæ supra indicavimus, cum de Apostolorum Principe ageremus (1), aliqua dumtaxat commemorabo, imprimisque ea, quæ continentur actis, collectionibusque Conciliorum. Confer igitur Sergii Cypri episcopi ad Theodorum Papam (2); Columbi, Stephani, ac Reparati, quorum prior primæ Sedis Numidiæ, alter primæ Sedis Byzacenæ, tertius primæ Sedis Mauritaniæ Provinciæ in Africa antistes fuit (3); Agathonis ad Heraclium, & Tiberium Augustos (4); Constantini Imperatoris ad Leo-

1 *Pag. 147. seqq.* quo loco Bonifacii Papæ IV. *epist. ad Athelbertum regem Anglorum tom. III. Conc. edit. Hard. Paris. pag. 444.* laudavimus, ut & Martini *ex epist. V. tomo eodem Hard. pag.* non quidem *629.* ut errore Typographi factum est, sed *639.* aliorumque.

2 *Act. II. Concilii Lateran. sub Martino I. pag. 730.* ubi: „ Firmamentum, *inquit*, „ a Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam „ sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster: Tu es enim, sicut divinum ve- „ raciter pronunciat verbum, Petrus, & super fundamentum tuum ecclesiæ columnæ confir- „ matæ sunt, tibi & claves cælorum commisit, atque ligare, & solvere κατ' ἐξουσίαν *pote- „ stative*, quæ in terra, & cælis sunt, promulgavit „.

3 *Epist. ad eumdem Theodor. act. II. Concilii Lateran. pag. 734. tom. III. Concil. edit. ejusd.* qua quidem in epistola verticem Apostolicum Romanum Pontificem Petri Apostoli caussa vocant.

4 *Act. IV. Concilii VI. pag. 1079. tom. III. Concilior. edit. ejusd.* „ A Deo omnium „ beatus esse pronunciatus est Petrus, qui & spiritales oves ecclesiæ ab ipso redemptore om- „ nium terna commendari one pascendas suscepit . . . cujus auctoritatem, utpote Apostolorum „ omnium Principis, semper omnis catholica ecclesia . . . amplexa est . . . Unde & B. Paulus „ Apo-

Leonem Pontificem (1) & Leonis ad Constantinum (2) epistolas. His accedunt, quæ Johannes Malala celebris imprimis Chronographus (3), anonymus Chronici Paschalis auctor (4), & Maximus martyr (5) disputant.

SECULO VIII.

De Gregorio II., de Zacharia, de Paulo, de Hadriano Pontificibus, de Bonifacio Moguntino, de Constantino Imperatore, qui divalem ad Hadrianum Romanum antistitem dedit, deque Tarasio Patriarcha, satis est supra, ut arbitor, diligenter scriptum (6). Assentiuntur autem iis Germanus Constantinopolitanus (7), Patres Concilii Oecumenici septimi (8), Beda (9), Collector monumentorum, quæ Libro Diurno Romanorum Pontificum continentur (10), Johannes Damascenus (11), episcopi, & sacerdotes Orientis ad Ta-

„ Apostolus gentium commonet, & dicit: *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo &c.*„. Hinc constat Agathonem (qui conferens Petrum cum Paulo, illum quidem *omnium Apostolorum*, hoc est, Pauli etiam ipsius principem vocat) numquam in ea fuisse opinione, ut Paulum esse putaret æquandum Petro. Quod si *epist. eadem, & seq. pag.* 1118. utrumque Apostolum nominans, Principes eos appellat Apostolorum, non sequitur, ut Petrum æqualem Paulo esse censendum statuerit. Principes enim, alter *potestatis*, ut supra Venantii Fortunati, & Aratoris auctoritate constitit, alter *prædicationis* caussa dici potuerunt, quamquam Petrus ab Agathone *omnium Apostolorum* princeps appellatus, Paulo etiam præcelluerit. Ubinam autem *omnium Apostolorum* principem Agatho nominavit Paulum? At nominavit Petrum. Petrum igitur antetulerit Paulo necesse est. Neque repugnare decessori suo Pelagio poterat, qui disertis verbis affirmarat, ut paullo ante vidimus, fuisse Paulo excellentiorem Petrum.

1 *Divali sacra ad Leonem Papam, quæ extat post Acta Conc.* VI. *pag.* 1662. *tom. eod.* ὥσπερ αὐτὸν τὸν ἐξάρχοντα τοῦ ἀποστολικοῦ χοροῦ τὸν πρωτοκάθεδρον Πέτρον κ. τ. λ. *Ut ipsum principem Apostolici chori, & prima cathedra antistitem Petrum &c.* Paullo post *Petrum* τὸν κορυφαῖον commemorat.

2 *Ibid. pag.* 1474. „ Petri Apostolorum principis sinceram doctrinam agnoscens &c. „.

3 *Chronogr. pag.* 106. *seq. edit. Veneta an.* 1733.

4 *Pag.* 224. *seqq. edit. Paris. an.* 1688.

5 *Quæst. in script.* XXVII. *tom.* I. *opp. pag.* 66. *edit. Paris. Combefisii an.* 1675.

6 *Pag.* 148. *seq. hujus volum.*

7 *In Theoria Mystagogica tom.* II. *Biblioth. PP. Græcor. edit. an.* 1624. *pag.* 135. ubi: οἱ δώδεκα λίθοι ἀπόστολοι. ἡ πέτρα ὁ ἀπόστολος ἀρχιεράρχης τοῦ Χριστοῦ *duodecim lapides Apostoli: petra Apostolus Hierarcharum Christi princeps.*

8 *Canon* IV. *tom.* IV. *Concilior. edit. Hard. Paris. pag.* 490. Πέτρος ἡ κορυφαία τῶν ἀποστόλων ἀκρότης. *Petrus principalis Apostolorum summitas.*

9 *Homil. de ss. Petro, & Paulo pag.* 112. *seq. tom.* VII. *opp. edit. an.* 1612. „ Petrus „ specialiter claves regni cœlorum, & principatum judiciariæ potestatis accipit „. Vide *pag.* 271. *hujus vol.*

10 Confer *pag.* 153. *hujus vol. not.* 5.

11 Vide *pag.* 150. *hujus vol. not.* 2.

ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum (1), Patres synodi Forojuliensis anno septingentesimo nonagesimo primo habitæ (2), & qui anno septingentesimo nonagesimo quarto Francofordiense Concilium celebrarunt (3), Alcuinus, seu Albinus Flaccus (4), Elias Cretensis (5), Isaacius Theophanes Confessor (6), Theodulphus Aurelianensis (7).

SECULO IX.

Seculo vero nono Ludovicus Pius Imperator (8), Theodorus Studites, Nicolaus I. Pontifex Maximus, Ignatius Patriarcha Constantinopolitanorum, Anastasius Bibliothecarius, Patres Synodi Romanæ contra Photium congregatæ (9), Gregorius IV. Pontifex Maximus (10), Concilii secundi Aquisgranensis Patres (11), Auctor vetus Actorum s. Viventii (12), Agobardus (13), Claudius Taurinensis (14), Lupus Servatus (15), Isidorus Mercator (16), Ratramus Corbejensis (17), Freculphus episcopus (18), Walafridus Strabo 19) Abbas

1 *Action.* III. *Concilii* II. *Niceni pag.* 142. *tom.* IV. *Concilior. edit. Hard. Paris.* Hi a Pontifice Romano occupari τὸν ἀποστολικὸν τοῦ κορυφαίου θρόνον *Apostolicum principis* (Apostolorum) *thronum* scribunt.

2 *Tom.* IV. *Concilior. pag.* 851. *edit. Paris. Hard.* Petrum *quasi primum* post Christum *pastorem principatum gessisse Apostolorum* testantur.

3 *Ibid. pag.* 867. Hi Petrum *primum pastorem ecclesiæ*, & Paulum *gentium magistrum* vocant.

4 *Commentar. in Joh. evang. lib.* VII. *pag.* 679. *edit. opp. an.* 1617.

5 *In Orat.* 1. *Gregor. Nazian. pag.* 33. *tom.* II. *opp. Nazian. edit. Colon. ann.* 1690.

6 *Chronogr. pag.* 342. *edit. Goarii Paris. an.* 1655.

7 *Lib.* V. *Carm. pag.* 1094. *edit. Sirmond. an.* 1696.

8 *Decret. confirmat. Donationum Avitar. a Papa Paschali suscepto, & prob. apud Habert. de singular. Primat. Petri lib.* 1. *cap.* VI. *pag.* 39.

9 *Pag.* 149. *seqq. hujus volum.*

10 *Epist.* 1. *ad univ. episc. tom.* IV. *Concil. pag.* 1170.

11 *Lib.* 1. *cap.* XIII. *pag.* 1078. *tom.* IV. *Concil. edit. Paris. Hard.*

12 Apud Bollandianos *tom.* 1. *Januarii pag.* 806.

13 Confer *Bibl. PP. edit. Lugd. tom.* XIV. *pag.* 259. & 284.

14 *Tom.* XIV. *Bibl. PP. pag.* 145. *seqq. edit. Lugd. an.* 1677.

15 *Pag.* 127. *seqq. edit. Balutii an.* 1664.

16 *Collect. Canon. pag.* XVI. *seq. edit. tom.* 1. *an.* 1530.

17 Confer *Spicil. Dacherianum tom.* 1. *pag.* 68. *edit. an.* 1723.

18 *Chronic. tom.* II. *lib.* 1. *cap.* XX. *tom.* XIV. *Bibl. PP. pag.* 1146. *seq. edit. an.* 1677.

19 *Bibl. PP. tom.* XV. *edit. Lugd. pag.* 233.

bas Augiæ, Paſchaſius Radbertus (1), Hincmarus Remenſis (2), Chriſtianus Grammaticus (3), Rabanus Maurus (4), Regino (5), aliique.

SECULO X.

Benedictus Quartus Pontifex Maximus (6), Chriſtophorus itidem Pontifex (7), Leo Septimus (8), Agapetus Secundus (9), Otto Imperator (10), Johannes Tertius ac Decimus Pontifex Maximus (11), Edganus Rex (12), Patres Synodi Romanæ habitæ anno nongenteſimo ſexageſimo nono (13), Benedictus Sextus (14), ſynodus Romana habita anno nongenteſimo octogeſimo tertio (15), Johannes Quintus ac decimus Pontifex (16), ſynodus Romana anno nongenteſimo nonageſimo tertio celebrata (17), Gerbertus Remorum Archiepiſcopus, qui alioqui male in Romanum illius ætatis Pontificem animatus videbatur (18), Gregorius Papa Quintus (19), Patres ſynodi Romanæ anno nongenteſimo nonageſimo octavo habitæ (20), Silveſter Secundus Pontifex (21). Euti-

1 *Ibid. tom. xiv. pag. 491. ſeq.*
2 *Tom. 1. opp. edit. Pariſ. Sirmondi pag. 150. ſeq. & pag. 459. tom. II.*
3 *Tom. xv. Bibl. PP. edit. Lugd. pag. 117.*
4 *Tom. v. opp. Rabani edit. an. 1626. pag. 704. ſeq.*
5 *Edit. Balutii Pariſ. an. 1671. pag. 197.*
6 *Epiſt. ad epiſcopos Galliar tom. vi Concilior. part. 1. pag. 494. edit. Pariſ. Hard.*
7 *Diplom. in confirm. privilegior. Abbatiæ Corbejenſis. Ibid. pag. 499.*
8 *Epiſtola ad Gallos, & Germanos III pag. 578. tom. eodem. part. prima.*
9 *Epiſtola ad Gerardum Laureacenſem prima, pag. 560. tom. eod. part. 1.*
10 *Diplom. pro confirmat. jurium ſedis Apoſtolicæ ibid. pag. 624.*
11 *Epiſt. 1. ad epiſcopos citerioris Britanniæ tom. eodem. part. 1. pag. 639. & epiſt. III. ad Berengarium pag. 641. ſeq.*
12 *In ea Charta, qua nullos unquam fuiſſe perhibet in Wintonienſi Cœnobio Monachos ante eos, quos ipſe introduxit. Ibid. pag. 650.*
13 *Vide epiſt. Joh. Papæ XIII. tomo eodem pag. 679.*
14 *Epiſtola ad Fridericum Salisburgenſem Archiepiſcopum ibid. pag. 689.*
15 *Ibid. pag. 711.*
16 *Epiſt. ad omnes Fideles pag. 713. tom. eodem.*
17 *Tom. eodem. Concil. pag. 727.*
18 *Epiſt. ad Signinum Archiepiſcopum Senonenſem pag. 731. ſeq. tomo eodem Conc.*
19 *Epiſt. II. ad Gerbertum Ravennat. epiſc. tom. eodem pag. 741. & epiſt. III. p. 742;*
20 *Tomo eodem Concilior. pag. 755.*
21 *Epiſt. III. ad Robertum Vizeliacenſem ibid. pag. 762.*

Eutychius Patriarcha Alexandrinorum (1), Luitprandus (2) Abbo Floriacensis (3).

SECULO XI.

Seculo undecimo, ut ceteros prætermittam, qui sunt pene innumerabiles, Dominicus Aquilejensis Patriarcha (4); Petrus Antiochenus (5), Theophanes Cerameus (6) Episcopus Tauromenitanus, Ivo Carnotensis (7), Burcardus Wormatiensis (8), Oecumenius, qui fortasse vixit seculo decimo (9), Johannes XVII. Pontifex Max. (10), Benedictus VIII. Pont. Max. (11), Henricus Imperator, & Episcopi Erchandildus Moguntinensis, Heribertus Coloniensis, Bobo Trevirensis, Thiedericus Metensis, Eberhardus Bambergensis, Mazelinus Wirceburgensis, Walterius Spirensis, Ricodardus Constantiensis, aliique (12), Johannes XVIII. P. M. Canutus Anglorum rex, qui in ea epistola, quam ad Proceres Anglorum scripsit, etsi Petri simul, ac Pauli meminit, unum tamen Petrum, affirmat, magnam fuisse potestatem consequutum (13), Patres synodi Lemovicensis habitæ

 anno

1 *Apud Ecchellensem Eutych. Vind. pag. 29. edit. Rom. an. 1661.*

2 Vide supra *pag. 400. not. 3.*

3 *Epitome de vitis Pontificum pag. 119. edit. an. 1602.*

4 *Epist. ad Petrum Antiochenum pag. 109. tom. II. monumentor. eccles. Græcæ edit. Cotelerii Paris. an. 1681.*

5 *Ibid. pag. 115. epist. ad Dominicum Aquilejensem, & epistola ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum pag. 149.*

6 *Homil. LIV. quæ est de sanctis Apostolis Petro, & Paulo pag. 375. edit. Parisiensis ann. 1644.*

7 *Part. V. Decretor. cap. VI. pag. 137. edit. an. 1647.*

8 *Part. I. Decr. lib. I. cap. I. & II. pag. I. edit. an. 1549.*

9 *In acta cap. I. pag. 9. edit. opp. an. 1631.* ἀνίσταται ὁ Πέτρος, καὶ οὐχ' ὁ Ἰάκωβος, καὶ ὡς θερμότερος, καὶ ὡς τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος. „ Surgit non Iacobus, „ sed Petrus, & ut ferventior, & ut is, cui discipulorum præfectura tradita erat „.

10 Diplomate, quo confirmat episcopatum Bambergensem, *tom. VI. Concilior. edit. Paris. Hard. part. I. pag. 770.*

11 *Epist. ad episc. Burgund. Aquit. & Provinc. pag. 797. tom. eodem.*

12 *Ibid. pag. 799. seqq.*

13 *Ad univers. episc. Galliar. epist. I. pag. 837. tom. eodem.* „ Petrum nostrum, cui „ claves cælorum commissæ sunt, confessorem dicimus, quia Christum confessus est, ... „ & Apostolum dicimus, & ab ipso Domino ad prædicationem est missus: martyrem nomi- „ namus, quia prædicando Christum martyrio vitam finivit; PRINCIPEM APOSTOLORUM „ CRE-

anno millesimo trigesimo primo (1), Clemens II. Patresque synodi Romanæ celebratæ anno millesimo quadragesimo sexto (2), Leo IX. in iis litteris, quas ad Michaelem Cerularium schismatis restitutorem scripsit (3), & in iis, quas dedit ad Thomam episcopum Africanum, & ad Petrum item episcopum (4), Stephanus IX. P. M. (5), Benedictus II. P. M. (6), Alexander II. P. M. (7), Eduardus Rex (8), Gregorius VII. P. M. (9), Patres synodi Romanæ anno millesimo septuagesimo quarto habitæ (10), Petrus Damianus (11), & Lanfrancus Cantuariensis (12).

SECULO XII.

Eosque sequuti seculo XII. Rupertus Abbas Tuitiensis (13), Petrus Cellensis (14), Anselmus Cantuariensis (15), Bernardus Clarevallensis (16), Arnulphus Lexoviensis (17), Petrus Lombardus Magister sententiarum, aliique plurimi, quo-

„ CREDIMUS, quia Apostolos constituit, sicut est Marcus baptismate filius, & Matthias sorte „ electus, Lucas discipulus, Apostoli PAULUS, & Barnabas „. Quid est autem, nisi hoc Petrum præferre Paulo est? Canuti locum ex epistola ad Anglorum proceres scripta *ann.* 1031. videre Lector poterit *tom. eod. Concilior. pag.* 845.

1 *Sess.* I. *ibid. pag.* 874. & *sess.* II. *pag.* 890.

2 *Tom. eod. pag.* 929.

3 *Epist.* I. *n.* VI. *seqq. pag.* 930. *tom. eod. collect. Concil.*

4 *Ep.* III. *p.* 949. & *ep.* V. *p.* 952. *seqq. t. eod.* Confer ceteras Pontificis ejusd. epistolas *ib.*

5 *Epist.* II. *ad Pandulphum Marsicanum episc. tom. eod. pag.* 1052.

6 *Epist.* III. *ad Gervasium Remensem Archiep. pag.* 1054. *tom. eod.*

7 *Epist.* XLI. *ad Odiscum Abbatem Vindocinensem ibid. pag.* 1106.

8 *In charta pro s. Petri Westmonaster. Monaster. tom. eod. Concil. pag.* 1152.

9 *Lib.* I. *epist.* XLII. *ad Sicardum Aquilejensem Archiep. pag.* 1220. *tom. eodem* & *l.* II. *ep.* XXX. *p.* 1285. & *l.* III. *ep.* II. sexcentisque aliis in locis, quos numerare non vacat.

10 *Cap.* VIII. *tom. eod. pag.* 1529. *seq.*

11 *Opusculo* XLVI. *de Ferenda Fortiter corrept. cap.* V. *pag.* 322. *tom.* III. *opp. edit. Paris. an.* 1664. quo loco Paulo disertis verbis antefert Petrum.

12 *De Primatu Cantuariensis eccl. contra Thomam Eboracensem pag.* 378. *edit. Paris. opp. an.* 1648.

13 Hujus est perspicuus imprimis *in tract. de Trinit.* & *operib. ejus.* In *volum. quatuor evang. lib.* I. *cap.* XXV. *tom.* I. *opp. edit. Paris. an.* 1638. de Petri solius summo in ecclesia post Christum principatu locus.

14 *Lib.* I. *epist.* III. & VIII. *pag.* 2. *seq.* & *pag.* 6. *seq. edit. Paris. an.* 1771.

15 *Homilia* IV. *in evangelium secundum Matthæum pag.* 162. *edit. opp. Paris. an.* 1675.

16 *Lib.* II. *de Consideratione cap.* VIII. *pag.* 412. *edit. Paris. Monachor. Congregat. s. Mauri an.* 1690. *tom.* I.

17 *Epistola* IX. *ad Alexandrum* III. *pag.* 1312. *tom.* XXII. *Bibl. PP. edit. Lugdunensis an.* 1677. In eadem sententia fuit Petrus magister sententiarum. Confer ejus *Com. in epist. ad Gal. cap.* II. *pag.* CXLV. *edit. an.* 1535.

quorum omnium ſi inire numerum vellem, longum, plenumque laboris, atque moleſtiæ opus eſſet.

SECULO XIII. ET XIV. ET XV.

Venio ad eos, qui XIII. ſequentibuſque ſeculis floruerunt. Atque ut mittam de aliis permultis dicere, ſatis eſſe ajo, Thomæ Aquinatis auctoritatem. Is autem non modo Opuſc. 1. Parte ſecunda, ex qua locum inſignem in ſuum de ſingulari Primatu Petri opus tranſtulit Iſaacus Habertus (1), quem quidem locum adverſarii prætermiſerunt, ſed etiam in Commentariis in Epiſtolam ad Galatas ſic agit de Petro, ut eum ſtatuat ipſi eſſe Paulo præferendum (2). Eſtque non minus in hoc genere S. Bonaventuræ perſpicua ſententia (3). His aſſenſi fuerunt Herveus Natalis (4), Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymorum (5), Johannes Gerſonus (6), Alfonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis (7) Patres ſynodi Florentinæ, Beſſarion Cardinalis, Joſephus Methonenſis, Gregorius Protoſyncellus, Eugenius IV. P. M., utque alios Pontifices prætercam, Pius II. is, cujus teſtimoniis adverſarii abuti audent (8), Alvarus Pelagius, Durandus de S. Portiano, Auguſtinus de Ancona, Nicolaus de Lyra, Baldus juris conſultus, Richardus de Media Villa,

 Pa-

1 Iſaacus Habert *lib.* 1. *cap.* VIII. *pag.*48.

2 *Lect.* III. *in cap.* II. *epiſt. ad Galat. pag.*390. *tom.*XVIII. *opp edit. Lugd. an.*1689.
„ Licet, *inquit*, (Paulus) eum, qui SUPERIOR erat, & omnium Apoſtolorum PRIMUS, re-
„ prehendit, quia tamen ex quadam ſancta libertate propter neceſſariam occaſionem id fa-
„ cere auſus eſt, ne doctrina evangelii tali exemplo læderetur, vel fides infirmorum ſubver-
„ teretur, tantum abeſt, ut hujuſmodi reprehenſio generare ſcandalum potuerit, quin oc-
„ caſio boni pro SUBDITIS exempli extiterit ad ſuos aliquando SUPERIORES ſalva reveren-
„ tia corrigendos„.

3 *In caput* IX. *evangel. Lucæ pag.*120. *tom.* II. *opp. edit. Rom. an.*1589.

4 *Libro de Poteſt. Papæ pag.*368. *edit. opp. an.*1647.

5 *Lib. de Eccl. Poteſt. art.* 1. *concl.* 1. *edit. Pariſ. an.* 1506.

6 *Lib. de ſtat. conſid.* 1. *tom.* II. *opp. pag.* 530. *edit. an.* 1706.

7 *In cap.*XVI. *evang. Matth. quæſt.* LXVIII. *pag.*285. *edit. an.*1615.

8 Vide *pag.*401. *hujus vol. not.*3. Beſſarionis *Card. epiſt. Gener. ad Græc.* Ioſeph Methonenſis *Reſp. ad libell. Marci Epheſii tom.* IX. *Concilior. edit. Pariſ. Hard. pag.* 564. Gregor. Protoſyncelli *Apologiam adv. Marcum Epheſ. ibid. pag.* 665. Eugenii IV. litteras, quas indicavi ſupra *pag.*402. *hujus vol. ante not.*1. Pii denique II. P.M. locum deſcriptum *pag.*401. *hujus vol. not.* 1.

Patres synodi Constantiensis, Laurentius Justinianus Patriarcha Venetiarum, Johannes Przibramus qui cum in Wiclefianorum errorem incidisset, post facti pœnitens, catholicam religionem professus est, Nicolaus Gorranus, Henricus Boicius, Johannes de Turrecremata, Antonius de Rosellis, Petrus Montius Venetus, Andreas Barbazia Siculus, Georgius Trapezuntius, S. Antoninus Archiepiscopus Florentinorum, Dionysius Cartusiensis, aliique, quorum testimonia descripsit Nicolaus Sanderus in celebri opere de Visibili Ecclesiæ monarchia (1). Ac solum quidem Petrum post Christum Monarcham fuisse ecclesiæ, ne eorum quidem græcorum aliqui negant, qui acriter pro tuendo schismate pugnaverunt. In his est Nilus Thessalonicensis in eo, quem adversus Latinos scripsit, de Romani Pontificis principatu libro (2).

SECULO XVI.

Eamdem sunt de Petri summo Pontificatu rationem, sententiamque sequuti scriptores, qui sexto decimo seculo floruerunt, ut Johannes Franciscus Picus Mirandula, ut Bernardus Zane Archiepiscopus Spalatensis, ut Thomas de Vio Cajetanus Theologorum sui temporis facile princeps, ut Alexius episcopus Melfitanus, ut Johannes Maria de Monte Archiepiscopus Sipontinus, ut Carolus Dux Sabaudiæ, ut Petrus Maronitarum Patriarcha sub Leone X. Pontifice Maximo, ut Johannes Randeus, ut Silvester Prieras Sacri Palatii Apostolici Magister, ut Albertus Pius Carporum princeps, ut Gaspar Schatzigerus, ut Johannes Driedo, ut Franciscus de Sylvestris, ut Johannes Roffensis antistes, sanctæque Romanæ ecclesiæ Cardinalis, ut Alfonsus

1 *Lib. VII. pag. 510. seqq. edit. Lovaniensis an. 1571.*

2 Περὶ τῆς τοῦ πάπα ἀρχῆς *de Principatu Papæ. Pag. enim 27. Salmas. append. ad libros de Primatu Papæ edit. Lugd. Batav. an. 1645.* Latinos in ea sententia versari ait, ut Pontificem suprema in Christiana republica potestate potiri credant, propterea quod Petri successor sit, quem fuisse a Christo constitutum liquet principem, & coryphæum Apostolorum. *Pag.* vero 30. facile concedit Πέτρον, καὶ ἀπόστολον, καὶ ἀποστόλων ἔξαρχον εἶναι. *Petrum esse & Apostolum, & principem Apostolorum.*

ſus de Caſtro, Dominicus Sotus, Franciſcus Victoria, Petrus Sotus, Johannes Viguerius Granatenſis, Conradus Clingius, Fridericus Nauſea epiſcopus Viennenſis, Gaſpar Contarenus, Staniſlaus Hoſius Cardinalis atque epiſcopus Warmienſis, Robertus præſul Arboricenſis, Johannes Quintinus, Franciſcus Titelmannus, Clemens Monilianus, Reginaldus Polus S. R. E. Cardinalis, Petrus Auratus, Albertus Pighius, Thomas Campegius, Remundus Rufus, Melchior Canus, Gaſpar Caſalius, Adamus Delphinus, Johannes Geneſius Sepulveda, Johannes Heſſelius, Preſules aliquot orientis in Profeſſionibus fidei editis hoc eodem eccleſiæ ſeculo, Johannes Slotanus, Tilmannus Segebergenſis, Franciſcus Turrianus, Jacobus Navarchus, Johannes Moronus, Gaſpar a Foſſo, Petrus Fontidonius, Gaſpar Ferrantius Sueſſanus, Hieronymus Oſorius, Michael Medina, Thomas Elyſius Neapolitanus, Marianus Victorius Reatinus, Hieronymus Seripandus S. R. E. Cardinalis, Guillelmus Poſtellus, Fridericus Staphylus, Franciſcus Horantius, Paulus de Palatio, Hector Pintus, Guillelmus Lindanus, Catechiſmi Tridentinæ ſynodi auctores, Georgius Ederus, Alanus Copus, Renatus Benedictus, Martinus Cromerus, Franciſcus Vargaſius, Jodocus Raveſtenius, Sixtus Senenſis, Franciſcus Sonnius, Benedictus Arias Montanus (1), Cæſar Cardinalis Baronius (2), Robertus Cardinalis Bellarminus (3), Dominicus Banneſius (4) Gregorius de Valentia Societatis Jeſu Theologus (5), Guillelmus Eſtius (6). Hanc vero Orthodoxorum de Petri principatu ſententiam, cum tam clara, tamque perſpicua ſit, ut nulla ratione implicari poſſit, etſi imprudenter Calvinus rejecit, veterem tamen eſſe, ac late, longeque propagatam confeſſus eſt (7).

SE-

1 Horum teſtimonia deſcribit Sanderus *ibid. pag. 566. ſeqq.*
2 *Ad an.* XXXIII. *n.* 18.
3 *Lib.* 1. *de Rom. Pont. cap.* XXVII. *pag.* 711. *ſeq. edit. Ingolſt. an.* 1586.
4 *In ſecund. ſecundæ s. Th. q.* 1. *art.* 3. *pag.* 327. *edit. Veneta an.* 1586.
5 *De rebus Fidei lib.* VII. *cap.* VI. *pag.* 56. *edit Lugdun. an.* 1591.
6 *In cap.* 1. *epiſt. ad Galatas pag.* 539. *edit. Pariſ. an.* 1653. *& in cap.* II. *pag.* 547.
7 *Lib.* IV. *Inſtitut. cap.* VI. *n.* XVI. *pag.* 298. *edit.* 1667. „ Non nego, quin magnum

„ Ro-

SECULO XVII.

Numerari autem vix possunt, qui seculo XVII. pro singulari primatu Petri accurate imprimis, diligenterque scripserunt. Itaque aliquos commemorabo, missis ceteris, ne lectori creem molestiam. Igitur Matthaeus Caryophilus Archiepiscopus Iconiensis in eo, quod adversus Gergani blasphemias perscripsit, opere (1), Petrus Arcudius in ea, quam adversus Barlaamum edidit, de Purgatorio Tractatione (2), Leo Allatius (3), Melchior Inchoter (4), Natalis Alexander (5), Michael Mauclerus (6), Nicolaus Coeffetau (7), ut Charlasium, Petrum de Marca, Theophilum Raynaudum

,, Romanae Ecclesiae honorem ubique deferant veteres, reverenterque de ea loquantur. Quod ,, tribus maxime caussis fieri arbitror. Opinio enim illa, quae nescio quomodo invaluerat, ,, fundatam, & constitutam eam fuisse Petri ministerio, ad conciliandam gratiam, & auctoritatem plurimum valebat. Itaque in occidente sedes Apostolica honoris caussa vocabatur &c.,,.

1 *Refutat. catech. Blasph. Gerg.* XXXI. *pag.* 209. *seqq. edit. Rom. an.* 1631. *Blasphemia autem* XXXV. *pag.* 263. ϗ ἰδὼ, inquit, ὡς σημαδεύσῃ πᾶς φιλαλήθης, πῶς ὁ Χρυσόστομος κράζει τὸν Πέτρον ϗ ἰσότιμον τοῦ Παύλου, ϗ μεγαλήτερον ἀπὸ τὸν Παῦλον. Τὸ ὁποῖον, ἤθελεν εἶσαι φανερὴ ἐναντιλογία εἰς ἕνα στίχον, ἂν δὲν ἦτον ἐκεῖνο ὁποῦ εἴπαμεν παρεμπάνω διὰ τὴν ἰσότητα ϗ ἀνισότητα τῶν ἀποστόλων. ϗ εἶναι τόσα ἀληθινὸν, ϗ κοινὴ ὁμολογία τῶν παλαιῶν, νὰ ἦτον καθὼς λέγει ὁ Χρυσόστομος, μείζων τοῦ Παύλου κατὰ τὴν ἐξουσίαν ὁ Πέτρος, ὅτι ϗ ὁ χριστιανομάχος πορφύριος ἐτόλμησε νὰ κατηγορήσῃ τὸν ἅγιον Παῦλον ὡς ἰταμὸν, ϗ ἀναίσχυντον, διατὶ, λέγει, ἀποκότησε να ἀντισταθῇ κατὰ πρόσωπον τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων.,, Hic etiam animadvertant studiosi omnes veritatis, ,, Petrum a Chrysostomo dici & majorem, & aequalem Paulo. Quae profecto manifesta esset ,, in uno versu repugnantia, si verum non esset, quod supra diximus, de aequalitate, & inaequalitate Apostolorum. Adeo vero certum, adeo confessum erat omni antiquitati, Petrum, ut Chrysostomus ait, fuisse Paulo auctoritate superiorem, ut Christiani nominis ,, hostis Porphyrius non dubitaverit arguere Paulum ut procacem, quod ausus fuerit reprehendere principem Apostolorum,,.

2 *Pag.* 335. *edit. Rom. an.* 1637.,, Τὴν ἐκκλησίαν, inquit, μίαν, ϗ μόνην, οὐ δικέφαλον ὁ χριστὸς ἀπεφήνατο. Ὁ δὲ Πέτρος τῶν ἀποστόλων ἀρχηγὸς ὅσον εἶχεν ἐξουσίας, ϗ ἀνήκει εἰς τὸ κυβερνᾷν πᾶσαν τὴν τοῦ χριστοῦ ἐκκλησίαν, ϗ ὅλον το ποίμνιον, τὸ πᾶν τοῖς διαδόχοις κατέλειπε, καὶ ὁ χριστὸς ὁμοίως.,, Ecclesiam unam, & solam, non bicipitem ,, Christus instituit; Petrus vero Apostolorum princeps, quantum habuit potestatis, quod ,, spectat ad gubernandam totam ecclesiam Christi, & totum ovile, id universum suis successoribus reliquit, & Christus similiter,,.

3 *Loc. indic. pag.* 355. *hujus vol.*

4 *Loco indic. pag.* 355. *hujus vol.*

5 *Hist. Eccl. sec.* I. *Diss.* IV. §. III. *pag.* 89. *tom.* III. *edit. Luc. an.* 1749.

6 *Lib.* III. *de Monarch. Eccl. cap.* XII. *pag.* 426. *edit. Parif. an.* 1622.

7 *De sacra Monarch. Eccl. lib.* I. *cap.* X. *pag.* 258. *seq. edit. Parif. an.* 1623. & *l.* IV. *cap.* I. *pag.* 252.

dum, Iſaacium Habertum, Petrum a Sancto Joſepho, epiſcopum Vaurenſem, Auguſtinum de Bellis, Antonium Dianam, Claudium Morellium, Guidonem Britonellum, alioſque præteream, quorum ſunt a nobis initio hujus diſputationis indicati de ſingulari Petri Principatu libri (1).

SECULO XVIII.

Poſt Innocentii X. P. M. decretum, nemo uſquam fuit eorum, qui Romanæ eccleſiæ religionem ab ſe coli dicerent, qui Petrum parem omnino fuiſſe Paulo arbitraretur. Itaque non ii ſolum, qui ſummo eſſe opere ſibi pro eccleſiaſtica Monarchia pugnandum judicarunt, ut Lequienius (2), ut Benedictus Bacchinius (3), ut Ludovicus S. R. E. Cardinalis Gottus (4), ut Franciſcus Antonius de Simeonibus (5), ut Orſius (6), ut Fogginius (7), ut alii propemodum innumerabiles; ſed ipſe (8) etiam Queſnellus, qui a Dupinio (9) non diſſentiens, verbo Monarchiam ſtatuere, re autem vera

1 *Vide pag.* 351. *hujus volum.* Hoc idem ceteri ſenſerunt, qui ſeculo XVII. *primatum Papæ* tutati ſunt. Sed omnes numerare longum eſt. Confer Henricum Valeſium *in adnot. ad Euſebii Hiſt. Eccl. lib.* III. *cap.* XXI. *pag.* 98. *edit. Taurin.*

2 *Panopl. contra Schiſma Græcor. Proluſ.* §. XI. *ſeq. pag.* 9. *ſeq. edit. Pariſ. an.* 1718.

3 *Lettere Polemiche contra il Picenino. Lett.* IV. *p.* 251. *ſeqq. edit. Altorf. an.* 1738.

4 *Tom.* II. *della vera Chieſa art.* 1. *pag.* 1. *ſeqq. edit. Bonon. an.* 1719.

5 *De Romani Pontificis judiciaria Poteſt. cap.* 1. §. 1. *ſeqq. pag.* 5. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1717.

6 *De auctoritate Rom. Pont. lib.* VII. *diſſert. de Monarch. Eccl. cap.* III. *pag.* 597. *ſeqq. tom.* III. *p.* II. *edit. Rom. an.* 1740.

7 *De s. Petri itinere, & Apoſt. exerc.* 1. *p.* 1. *ſeqq. edit. Florent. an.* 1741. Non diſcrepat eruditiſſimus Scheffancherus ſocietatis Jeſu theologus iis in epiſtolis, quas gallice ad nobilem quemdam de numero proteſtantium virum ſcripſit, ediditque Argentinæ *an.* 1730. *ep.* III. *pag.* 184. *ſeq.* Bernardus Rabaudius Ord. Præd. *exercit. theologic.* III. *cap.* II. §. 1. *ſeqq. pag.* 161. *ſeqq. & præcipue* §. IV. *pag.* 190. *ſeq. edit. Toloſanæ an.* 1714. Cardinalis Lucinus Ord. Præd. *Diſſert.* 1. *de infallibilitate Pontif.* §. 1. *ſeqq. edit. Colon. an.* 1734. Fridericus Nicolaus Gavardus, & Benignus Sichrowskius Auguſtiniani *Theolog. vol.* III. *Tract. de Fide quæſt.* IV. *de Hierarch. art.* 1. *pag.* 144. *edit. Norimberg. an.* 1720. Carolus Renatus Billuartius Ord. Præd. *in ſumm. Theol. s. Thom. ſec. ſecundæ tom.* 1. *diſſert.* IV. *art.* 1. *p.* 346. *ſeq. edit. Leodienſ. an.* 1751. Cacciarus *in not. ad ſerm.* LXXXII. *s. Leonis al.* LXXX. *pag.* 234. *edit. opp. s. Leon. Rom. an.* 1753. Petrus etiam Couſtantius Monachus Benedictinus Congregationis s. Mauri *præfat. in tom.* 1. *epiſtolar. Romanorum Pontificum part.* 1. *n.* 7. *ſeqq. pag.* IV. *ſeqq. edit. Pariſ. an.* 1721. Sed omnes perſequi non vacat.

8 Loco ſupra indicato *pag.* 358. *not.* 4. *hujus vol.*

9 *De antiqua Eccleſiæ diſcipl. diſſert.* IV. §. III. *pag.* 318. *edit. Pariſ. an.* 1686.

vera evertere visus est, Petrum potiorem fuisse, præstantioremque dignitate, atque potestate Paulo confirmarunt.

Quum igitur tanta tot scriptorum, tamque illustrium omnium ætatum consensione adeo excellens Petri dignitas, auctoritasque fuerit, ut eum universi non ceteris Apostolis modo, verum etiam Paulo ipsi præstitisse defenderint; magno scilicet in errore, maximaque in perversitate sententiarum versentur necesse est, qui Paulum Petro ut non superiorem fuisse, ita ne inferiorem quidem censent.

Proponuntur, refelluntur que argumenta eorum, qui Paulum existimarunt æqualem fuisse auctoritate Petro.

At esse quædam statuunt, quæ conturbent, impediantque, quin Petrus Paulo præstantior credatur. Principio namque, Paulum, ajunt, (si episcopatum Romanum una cum Petro obtinuisset, neque tanta excelluisset auctoritate, quanta Petrum præstitisse constat) Lino, qui Petro successerit, inferiorem fuisse futurum, si superstes Paulus Petro fuisset. Id vero tam esse a vero discrepans, ut ne veri quidem simile videatur.

Jam vero qui ante Petrum quandoque, persæpe autem post Petrum nominari consueverit, hunc esse dignitate Petro, atque potestate parem. Nam Petrum potiorem ceteris Apostolis & haberi, & esse, quod priore semper loco a Patribus nominetur. Paulum vero interdum ante, persæpe autem post Petrum commemorari. Fuisse igitur Paulum Petro dignitate, atque potestate parem.

Deinde caput, principemque universæ ecclesiæ censeri Petrum, propterea quod traditum a majoribus sit, fecisse eum ecclesias Romanam, Antiochenam, Alexandrinamque suas. Traditum porro idipsum ab iisdem Patribus esse de Paulo. Quamobrem fuisse Paulum universæ Ecclesiæ caput, ac principem.

Rursum Pontifices Maximos, qui sustineri *ab se curam, sollicitudinemque ecclesiarum* dixerint, Pauli hæc caussa solitos fuisse

fuisse dicere. Hæc vero numquam fuisse dicturos, nisi Paulum non modo ratione Romani episcopatus, sed etiam summi in ecclesia principatus suum fuisse *præcessorem* existimasset.

Præterea, ut Petrum, ita Paulum christianæ reipublicæ patrem, atque pastorem fuisse a majoribus appellatum. Fuisse autem his vocibus indicatum summum principatum Petri. Fuisse proinde principatum item Pauli indicatum, quem majores ipsi Petri gloriæ consortem vocant.

Geminum quoque lumen oculorum universæ ecclesiæ Petrum, ac Paulum appellari. Id vero nomen, nisi in summum ecclesiæ principem, cadere in alium posse neminem. Summum ergo utrumque Apostolum ecclesiæ fuisse principem. Quocirca mirabile minime videri, si veteres *provectum utrumque in tantum apicem inter ecclesiæ membra* scripserint. *Apex* enim, Patrum quidem sententia, *primatus* est, *principatusque* indicium.

Quid? si Patres ipsi Romanam ecclesiam quemadmodum Petri, sic Pauli opera tantam esse gloriam consequutam ferant? Esse autem Romanæ ecclesiæ præcipuam gloriam principatum. Consequutam igitur fuisse Romanam ecclesiam principatum Pauli opera. At principatum dare qui demum potuisset is, qui princeps minime fuisset? Fuisse ergo principem ecclesiæ Paulum.

Post qui *meritis*, *virtute*, *electione*, *laboribus* ita sunt pares, ut nullum fingi inter eos discrimen possit, horum esse parem etiam dignitatem, ac potestatem. Fuisse autem Paulum meritis &c. Petro parem. Fuisse igitur parem dignitate, ac potestate. Esse namque interdum, majorum opinione, *meritum* idem omnino ac principatum, quo dignitas, atque auctoritas continetur. Itaque *præcipuos Apostolorum* Petrum, ac Paulum dici ab antiquis scriptoribus consuesse; quod ii viros merito, virtuteque æquales, æquandos etiam dignitate, auctoritateque esse arbitrarentur.

Inde qui socius in administranda republica populi christiani, qui in Apostolico principatu frater, qui comminister Apostoli Petri fuit; qui caput nationum, totius eccle-

siæ princeps, præcessor Pontificum, clavigerque, cujus auctoritate Romani antistites orbem christianum regunt, ac moderantur, appellatus est; qui denique patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, atque episcopatus tulit, nomenque Apostolicum Pontificibus tribuit, duxque est habitus omnium christianorum; hunc summum fuisse principatum christianæ reipublicæ consequutum. Fuisse autem hujusmodi Paulum. Consequutum ergo fuisse summum christianæ reipublicæ principatum.

Judices item seculi qui sunt, patresque, quibus nati sunt Pontifices filii, atque principes super terram constituti; eos principatu summo fuisse potitos. Petrum vero, ac Paulum & seculi judices, & patres fuisse, ex quibus nati sunt Pontifices veluti filii, qui sunt constituti principes super terram. Petrum ergo, ac Paulum summo fuisse potitos principatu ecclesiæ.

Rursum fundatores tot ecclesiarum, quot fuisse ab Apostolis illis duobus constitutas liquet, etsi urbium, in quibus ecclesias constituerunt, episcopi non fuerint, fuisse tamen principes, & pastores summos. Quare Petrum, ac Paulum summos fuisse pastores, principesque ecclesiarum.

Irenæum porro Martyrem, qui adhærendum Romanæ ecclesiæ propter potiorem principalitatem, ut quæ instituta a Petro, & Paulo fuisset, scripserat, principatum non minus Paulo tribuisse, quam Petro: quem non magis fuisse, quam Paulum, ecclesiæ architectum sapientem, ducemque Apostolorum cognorat.

Age vero Patres, qui de Petro ita loquuti sunt, ut ei Paulum conjunxerint, quis credat id umquam fuisse facturos, ni parem fuisse Petro Paulum putavissent? Loquutos autem hoc modo fuisse Patres. Æquasse igitur Paulum coryphæo Apostolorum, ac primati Petro.

Qui deinde fidei principes, & capita, & doctores gentium, & columnæ ecclesiæ, & petræ ita sunt, ut unus altero non sit minor; eos principatu ecclesiæ supremo potiri. Hujus-

Hujusmodi autem fuisse Petrum, ac Paulum. Quare potitos fuisse supremo ecclesiæ principatu.

Inde qui vertices, qui præpositi, seu præfecti, qui gubernatores, qui divinitus constituti rectores sunt, ut alter alteri nihil contulerit, eosdem supremos fuisse ecclesiarum Hierarchas. Fuisse vero tales Petrum, ac Paulum. Quinetiam quam Petrus in judaismo obtinuit, eamdem Paulum in gentibus obtinuisse auctoritatem. Itaque non imparem Petro Paulum ab Hieronymo vocari.

Inveniri autem posse neminem, qui cum Paulum nulli secundum a majoribus nostris appellari, iisque titulis honorum omnibus ornari, quibus ornari consuerit Petrus, videat; parem fuisse Paulum Petro inficietur: præsertim si consideret fuisse Petrum redargutum a Paulo.

Quod si sunt, qui Petrum, propterea quod solus & rector, & pastor, & princeps Apostolorum, & dux omnium, ac moderator, & claviger, & petra ecclesiæ vocetur, nullum habuisse in gerenda christianorum republica collegam putent, hos nihil agere. Quemadmodum enim ex his appellationibus, quibus unus interdum Paulus ornatur, non sequitur, Petrum summa caruisse in gubernanda ecclesia potestate; ita ne illud quidem ex Petri titulis sequatur necesse est, esse Paulum de summo auctoritatis, dignitatisque gradu dejiciendum. Ornari vero solum interdum Paulum hisce generibus appellationum, tam esse perspicuum, ut oratione, qua confirmetur, non egeat. Itaque labi, decipi, errare vehementer Habertum, Petrum a s. Josepho, atque Vaurensem episcopum, qui uno illo argumento ex Petro Apostolorum coryphæo concluso nixi, Paulum monarcham fuisse negant ecclesiarum. Magnis item in erratis eorum esse sententiam, qui Paulo Petri collega constituto, verentur, ne biceps esse christiana respublica videatur. Petrum namque, ac Paulum principes esse duos, qui unum caput constituant. Nullum autem tam ineptum, tamque imperitum rerum esse, qui aut tricipitem Trinitatem, aut Romanum imperium biceps tum fuisse arbitretur, cum duo essent

 Impe-

Imperatores, qui pari auctoritate ita essent instructi, ut unus nullo modo alteri cederet. Quod si salva Monarchia populi Romani, duo interdum, tresve fuerunt Imperatores; duobus etiam summis ecclesiæ principibus constitutis, Monarchiam ecclesiasticam potuisse consistere. Quamobrem injuria Habertum agere, qui a Marco Antonio de Dominis mutuatos adversarios, scribit, fuisse, quam tuentur de duobus principibus caput ecclesiæ unum constituentibus opinionem. Spalatensem enim duos principes constituisse aliquando fortasse; duos vero principes, qui unum caput efficerent, numquam. Æquiorem fuisse Allatium, qui discrepare dixit Spalatensis errorem ab eorum, qui duos principes, caputque unum confiterentur, sententia. Quinetiam Combefisium virum ex Ordine Prædicatorum eruditissimum, qui tanta cum laude in veterum Patrum doctrina versatus fuisset, tam fuisse ab Haberti, Petri a sancto Josepho, Marcæque errore distantem, ut Paulum Petro parem omnino fuisse statuens, Antonio Arnaldo, ejusque defensoribus assentiretur.

Verum est, quod priore loco opponunt, levissimum. Quis enim eos docuit, non Paulum (si Romanum episcopatum una cum Petro obtinuisset, ipsique fuisset superstes Petro) sed Linum fuisse Petri primatus successorem futurum? Atque est hæc adversariorum ratio propria non differentium quidem Sophistarum, sed somniantium. Nam qui ita duos episcopos Romanos Petrum, ac Paulum comminiscuntur, ut post eos unum, non duos fuisse semper antistites Romanos futuros putent, quo demum stupore animi sese in opinionis portentum illud abripi sinant, ut Petro vita functo, si vixisset Paulus, Linum cum Paulo episcopum Romanum, Pauloque episcopo item Romano superiorem fuisse futurum existiment, ne suspicari quidem possum. Sed hoc nihil ad nos attinet, qui Paulum episcopum fuisse Romanorum non arbitramur. Quod si Lino post Petri mortem episcopo, & præcipue totius ecclesiæ Pontifice constituto, verentur, ne si superstes Paulus dicatur, dereptum quidquam esse de digni-

tate Apostolica videatur; sic habeant: eo tunc pacto sustineri dignitatem a Paulo potuisse, quo eam Johannes sustinuit (1), quem vitam ad Clementis Pontificis tempora produxisse constat. De altero agumento dicam alio loco opportune.

Neque est gravius tertium, quo freti adversarii esse Petro Paulum æquandum censent. Etsi enim Petrum principem fuisse omnium ecclesiarum, facile concedam, propterea quod traditum a Patribus fuerit, eum sedes præcipuas, ut Romanam, ut Alexandrinam, ut Antiochenam, fecisse suas; tamen Paulum pari auctoritate fuisse instructum, numquam concedam. Nemo namque fuit veterum, qui de solo Paulo differens, fuisse illum in iis ecclesiis principatu potitum (2) affirmaret; quamquam, qui de uno Petro affirmarent fuisse permultos liquet (3). Quare si qui fuerunt, qui de Petro, ac Paulo junctim

1 Recte Lequienius *Panopl. contra Græcos p.* 14. *Prolus.* n. XVII. *edit. Paris. an.* 1717. „ Nequaquam profit objectare cum Nectario absonum videri, ut Johannes Apostolus, Petri „ superstes cum esset, Clementi, vel alteri Romano præsuli inferior fuerit. Nam etsi Jo„ hannes, ut Apostolus Christi nulli non genti destinatus, singularique adeo Spiritus Sancti „ munere, & instinctu perfusus cuicumque alii orbis episcopo præcellebat, alia tamen ra„ tione Petri successori, tamquam unius visibilis ecclesiæ visibili vertici suberat, ne san„ cita a Domino unitas, & statutus ordo inverteretur „. Consequens id est ex iis Cypriani, Optati, Hieronymi, aliorumque Patrum locis, quos supra indicavimus *pag.* 412. *not.* 6. & *pag.* 347. *seqq. not.* 2. & *pag.* 138. *not.* 2. *hujus vol.* Confer exercitationem Petri de Marca *de singulari Primatu Petri pag.* 53. *seqq. edit. Paris. Opusculor. an.* 1682.

2 Nicolaus I. Pontifex Maximus *epistol.* VIII. *ad Michaelem Imperatorem pag.* 162. *tom.* V. *Concilior. edit. Paris. Hard.* Vide *pag.* 380. *hujus vol. ante not.* 1. Petrum, ac Paulum ecclesiam Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam suas fecisse ait. Sed quo sensu, ex eadem epistola intelligitur. Vide *pag.* 381. *not.* 3. *hujus vol.* Quod autem Nicolaus de duobus Apostolis altero ut principe, altero ut principis adjutore scribit, idem uni Petro Gregorius Magnus tribuit in ea, quam ad Eulogium Alexandrinum scripsit *epistol.* XXXX. *libri* VII. *pag.* 888. *tom.* II. *edit. Paris. Monachor. Congreg. s. Mauri*.

3 S. Irenæus jam usque a seculo ecclesiæ II. a Petro fuisse Marcum institutum scripsit, *Lib.* III. *contra hæreses cap.* 1. *pag.* 474. *tom.* 1. *opp. edit. Veneta ann.* 1734. Huic est seculo III. assensus Tertullianus *in* IV. *contra Marcionem lib. cap.* V. *pag.* 416. *edit. Veneta an.* 1748. Accessit porro huic, seculo IV. Eusebius, qui *in secundo libro Hist. c.* XV. *pag.* 59. Clementem Alexandrinum auctorem sequutus, accepisse a Petro Marcum disciplinam scripsit. Idipsum ceteris deinceps historicis, scriptoribusque ecclesiasticis fuisse probatum liquet. Sed de Marco alias. Itaque veteres Pontifices ita de Alexandrina ecclesia loquuti sunt, ac si ad Petrum pertinuisset, nulla Pauli mentione facta. Vide s. Leonem Magnum *epist.* XI. *quæ est ad Dioscorum pag.* 46. *par.* II. *edit. Rom. Petri Thomæ Cacciari* viri clarissimi *an.* 1755. quo loco sic habet: „ Cum Beatissimus Petrus Apostolicum a Domino „ acceperit principatum, & Romana ecclesia in ejus permaneat institutis, nefas est credere „ quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui Alexandrinam prius ecclesiam gubernavit, aliis „ regulis traditionum suarum decreta formaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus „ Spiritus discipuli fuerit, & magistri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ec-

ctim agentes, fecisse eos illas ipsas ecclesias suas dixerunt, id quidem certe eo consilio dixerunt, ut, secundum servatorem Christum, Petrum (quem aliis in locis palam statuerant fuisse Paulo auctoritate (1), dignitatisque gradu præstantiorem) principem supremum ecclesiarum, Paulum vero, qui in primis Apostolis numeraretur, adjutorem fuisse Petri, non Pontificem, atque Monarcham earumdem ecclesiarum, ostenderent. Nisi enim ita res habuisset, numquam illi Paulo præponere ausi fuissent Petrum.

Est autem ridiculum, ne gravius dicam, quartum, quo argumento adversarii tanto opere gloriantur. Non enim *secundum Apostolum* Pontifices solicitudinem ab se geri ecclesiarum, curamque scribunt, quod non a Petro, simul ac Paulo id genus

„ ab ordinatore suscepit „. Vide *ejusd. epist.* III. *ad episcopos Galliæ. T.* I. *Conc. edit. Paris. Hard. pag.* 1780. & Gelasii Papæ decretum *ex synod. Rom. ann.* 494. *tom.* II. *Concil. edit. ejusd. pag.* 938. quod sic habet: „ Sancta Romana Catholica, & Apostolica ecclesia „ nullis synodicis constitutis ceteris ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini, & „ Salvatoris nostri primatum obtinuit: *tu es Petrus*, inquientis, &c.... Est ergo prima „ Petri Apostoli sedes Romana ecclesia ... secunda autem sedes apud Alexandriam B. Petri „ nomine a Marco ejus discipulo, & evangelista consecrata est... Tertia vero sedes apud „ Antiochiam ejusdem Beatissimi Petri nomine habetur honorabilis „. *Et epistolam Apocrisiariorum Alex. eccl. ad Legatos sedis Apostolicæ Anastasii II. tempore datam ann.* 497. *tom.* II. *Conc. edit. ejusd. pag.* 952. *seq.* Idipsum habet Gregorius *l. c.* Quamobrem, quod Nicolaus I. scripsit, eo, quo diximus, sensu scripserit, necesse est. De Antiochena ecclesia confer, quæ disputant *Innocentius I. Pont. Max. epist.* LXIV. *ad Alex. Antioch. pag.* 851. *tom.* I. *Collect. epist. Rom. Pont. edit. Coustant. Et epist.* XXIII. *ad Bonifacium Presbyt. ibid. p.* 849. *Et s. Leo epist.* XCIV. *ad Maximum par.* II. *opp. edit. Rom. Cacciari p.* 358. Mitto ceteros, ne sim longior, quam oportet.

1 Vide supra ex Pelagii II. Papæ epistola illustrem locum *pag.* 430. *not.* 10. & s. Gregorii Magni testimonium descriptum *pag.* 268. *not.* 2. Idque jam Patrum traditio postulat. Confer loca s. Cypriani *pag.* 73. s. Hieronymi *pag.* 138. *not.* 2. s. Johannis Chrysostomi *pag.* 320. *not.* 2. s. Augustini *pag.* 144. *seq. not.* 25. Non discrepat Ennodius Ticinensis *Apolog. p.* 1629. *edit. Sirmondi tom.* 1. *opp. edit. Paris. an.* 1696. Quinetiam s. Thomas Aquinas, ut alios, qui certe sunt plurimi, prætermittam, non solum *loco indic. pag.* 427. *hujus vol. not.* 3. sed etiam *sec. secund. quæst.* XXXIII. *art.* IV. subditum fuisse Paulum Petro testatur, his verbis: „ Unde Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fi- „ dem Petrum arguit, & sicut Augustinus dicit *ad Galat. II. Ipse Petrus exemplum ma-* „ *joribus præbuit, ut sicubi forte rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam* „ *a posterioribus corrigi* „. Nugantur autem, qui posteriorem dici a Patribus censent Paulum, propterea quod vocatus post Petrum fuerit. Nam posteriorem Paulum dici, quod Petrus principatum tenuerit, dignitate, & auctoritate, ex Patrum iisdem locis cognosci facile potest. Deinde quis nesciat, Paulum post Barnabam fuisse vocatum? At cum contentiones inter Paulum ipsum, ac Barnabam ortæ interdum essent, nemo umquam miratus est, neque animadvertit, demisso fuisse Barnabam animo, ut qui priorem se Paulo fuisse non dixerit. Cum autem mirati Petri modestiam fuerint, argumento est, eos prioris voce indicasse primatum Petri.

nus auctoritatis in ipsos manasse ; sed quod hæredes se esse Petri dignitatis , auctoritatisque defenderent , a quo non ut ab Apostolo solum caritate , studio salutis generis humani , *regimine* quodam , atque præstantia ; verum etiam ut a capite christiani orbis administrationis , centrique unitatis jure , quod est summi Pontificis proprium , cura omnium gerebatur , solicitudoque ecclesiarum . Jam vero Pontifices *secundum Paulum* sustineri ab se curam , solicitudinemque ajunt , non ut Pontificem summum ecclesiæ Paulum fuisse arbitrentur, sed ut indicent uti se testimonio Pauli velle ad eam rem illustrandam, (1) quæ ipsis per Petrum jure

1 Usos fuisse Pontifices testimonio Pauli ut illustrarent, quod dicebant, non ut ostenderent se esse principatus ratione successores Petri , ex eorum epistolis plane liquet . Petrum enim solicitudinem gessisse , curamque ecclesiarum tradunt Siricius *epist.* 1. *ad Himerium Tarraconensem cap.* 1. *n.* 2. *pag.* 623. *collect. epist. Rom. Pont. tom.* 1. *edit. Paris. Coustantii* Innocentius I. *epist.* xxx. *ad Patres Concil. Milevit. pag.* 896. *tom. eodem num. secundo* Cœlestinus I. *epist.* xii. *ad Perigenem, ceterosque episcopos Illyricanos n.* 1. *pag.* 1063. *tom. eod.* ubi : „ Nosque , *inquit* , præcipue circa omnes cura constringimur , quibus necessitatem „ de omnibus tractandi Christus IN SANCTO PETRO Apostolo , cum illi claves aperiendi clau„ dendique daret , indulsit : & inter APOSTOLOS SUOS NON QUO ALTERO ESSET INFERIOR, „ SED MAXIME QUI ESSET PRIMUS LEGIT . „ S. Leo *ep.* xvi. *p.* 76. *part.* ii. *opp. edit. Petri Thomæ Cacciarii Ord. Carmel. Rom. an.* 1755. quo loco : „ divinis , *inquit* , præceptis, „ & apostolicis monitis informamur , ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus af„ fectu , ac si quid usquam reprehensioni invenitur obnoxium , celeri solicitudine . . . re„ vocemus . Admonente enim dominicæ vocis imperio , quo Beatissimus Apostolus Petrus „ trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur , ut Christi oves , qui Christum diligit , pa„ scat &c „ . Hadrianus I. *epistola ad Imperatores tom.* iv. *Conciliorum pag.* 82. qui etsi Petri , Paulique meminit , solicitudinem tamen , curamque ecclesiarum attribuit imprimis Petro . Sed multorum loca describere non vacat . Itaque non erat , cur nobis adversarii locum ex 1. *Siricii epistola cap.* xi. *pag.* 630. opponerent , cum quorsum is pertineret locus, idem ipse 1. *cap.* explicavisset . Poterant eodem pacto afferre Cælestini I. Pontif. Maxim. *ex epist.* xiv. *ad Clerum , & Pop. Constantinop. n.* 2. *pag.* 1131. *tom.* 1. *collect. epist. Rom. Pontif. edit. Coustant.* testimonium , ut attulerunt Leonis *ex epist.* xciv. *ad Theodoritum cap.* v. *pag.* 364. *part.* ii. *edit. Cacciari* locum , qui tamen locus ut sit intelligendus , ex *cap.* v. *pag.* 365. cognoscitur , exque epist. Theodoriti, quæ est inter Leonianas *ibid. p.* 212. qua in epistola Paulo perspicue anteferetur Petrus . Nihil de Simplicii *ad Leonem Imperatorem , de Acacii ad Simplicium tom.* ii. *Conc. edit. Hard. pag.* 804. deque *Hadriani* ii. *ad Basilium Imp. quæ extat act.* 1. *synodi* viii. epistolis dico , quas ita explicari oportere , ut dixi , constat . Ceterum quod *ex* xlii. *epistola Nicolai* 1. *ad episcopum Metensem* (addere poterant *epist.* xviii. *ad Carolum Calvum regem pag.* 213. *tom.* iv. *Conc. edit. ejusd.*) exque lxxix. & clxxxi. *Joh.* octavi proferunt , eorumdem Pontificum dictis exponi facile potest . Vide *epist.* lxx. *Nicolai ad Hincmar. pag.* 307. *tom.* v. & *Joh. ep.* lxxxvi. *ad Clericos Salonitanos pag.* 57. *tom.* vi. *part.* 1. *Conc. edit. ejusd.* & *epist.* xcvi. *ad Constantinopolitanos pag.* 77. ubi : „ Omnium , *inquit* , ecclesiarum Dei secundum Apo„ stolum solicitudinem habentes , & pastoris gregis Dominici nobis in ipso Apostolorum „ principe curam commissam gerentes &c „ . Voces autem *secundum Apostolum* illustrando„ tum

re successionis concessa est. Nam si Prophetarum dictis (1) utuntur interdum, ut quod sit onus episcoporum demonstrent, utque sua de episcopis decreta illustrent, atque confirment, non ut efficiant, esse revera episcopos pastorum testamenti veteris successores; cur Pauli testimonio indicandæ suæ, quam per Petrum acceperant, potestatis caussa uti nequiverint, nullo modo prorsus intelligo. Atque non aliam fuisse Pontificum, qui *τὸ secundum Paulum* usurparunt, sententiam, cognosci facile ex ipsis epistolis, quibus adversarii abutuntur, potest. Ceterum etsi *τὸ secundum Paulum* de auctoritate, quæ in ipsos manarit Pontifices, intellexissent, consequens tamen non esset, Petrum fuisse Paulo auctoritate supremi principatus parem. Sunt enim Pontifices non primatus Petri hæredes solum, sed etiam dignitatis, auctoritatisque ceterorum Apostolorum (2).

Venio ad quintum. Nego Patris, ac Pastoris (3) vocabula ita esse

rum dictorum suorum caussa Pontifices adduxisse, tam est manifestum, ut negari nullo modo posse videatur. Nam Cælestinus Pontifex, ut ceteros prætercam, *epist.* XXII. *p.* 1196. *t.* I. *collect. epistol. Rom. Pont. edit. Constantii*: „ *Vos*, inquit, *exsecutores nobiscum videmus* „ *fuisse Dei sacerdotes*, qui convenientes in unum, & secundum Apostolum, non quæ ve„ stra sunt, quærentes, sed quæ Christi Jesu &c. „ Atque hoc restat, ut adversarii synodi Aquisgranensis Patres summos Pontifices, & capita ecclesiæ faciant, ut qui illud sibi accommodarint Apostolicum. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? T.* IV. *Conc. edit. Paris. Hard. pag.* 1068. *&* 1095. Sed de his satis dictum esto.

1 Confer *epist.* I. *Siricii Papæ ad Himerium Tarraconen. cap.* VIII. *pag.* 632. quo loco sacerdotibus novi Testamenti aptat illud *Levit.* XXI. 13. 14 *sacerdotes mei semel nubant, & sacerdos uxorem virginem accipiat*. Et Cælestini I. *epist.* IV. *ad episcop. Provinciæ Vienn. pag.* 1071. *tom. eodem* I. *epist. Romanor. Pont. edit. Constantii*. Consule etiam *epistolam* LVII. *s. Cypriani, quæ est* XI. *ad Cornelium in ead. collect. epistol. Roman. Pont. pag.* 171. *& epistol.* LXVIII. *quæ est in eadem collectione inter epistolas Stephani Papæ pag.* 214.

2 Vide Hieronymi *ex epist. ad Damasum* locum descriptum supra *pag.* 281. *hujus vol.* Confer etiam *epist.* XVIII. *Cælestini Papæ ad synodum Ephesinam pag.* 1155 *tom.* I. *collect. epist. Rom. Pontif.* Sed hac de re quum multa disputata a Petavio in libris de Hierarchia ecclesiastica, a Petro de Marca *in exercit. de singulari Primatu Petri*, ab Haberto *tract. de Primatu Petri singulari*, atque ab aliis fuerint, nihil est opus, ut esse pluribus agendum putem.

3 Abutuntur adversarii *serm.* I. *s. Leonis in Natal. ss. Apostol. qui est num.* LXXX. *in Quesnelliana, &* LXXXII. *in Cacciariana edit. pag.* 234. quem locum explicavi supra *pag.* 374. *seqq. hujus vol.* Eodem recidunt aliorum quorumdam Pontificum, Patrumque verba, quæ congerunt. Ceterum non Pontifices Maximi solum, sed etiam Apostoli quique, atque episcopi etiam simplices, *Patres* a majoribus dici consueverunt. Confer quæ scripsi *tom.* IV. *hujus operis p.* 298. *seq.* Ac si eorum, quos ad *fidem* converterant, Apostoli dicebantur Patres, etsi episcopatu illius ecclesiæ non potirentur, quid est, quod Paulus dici nequiverit

esse comparata, ut indicare Pontificem Maximum, atque episcopum loci alicujus debeant; Apostolum autem omnino non debeant. Patrem enim Corinthiorum Paulus sese interdum vocat, etsi eorum episcopus numquam fuerit. Quid si Romana ecclesia canere in præfatione (1) missæ de quocumque Apostolo soleat: datum illum fuisse divinitus, ut ecclesiæ præesset pastor? An quemque proinde Apostolum supremum ecclesiæ principem adversarii fuisse, atque monarcham defendent? Non equidem censeo. Quid est igitur, quod his vocabulis patris, pastorisque (2) adeo confidant, sibique plaudant, ut his, si ceteris Patrum dictis carerent, vinci nos posse, arbitrentur?

De gemino oculorum lumine (3) quod quinto loco ob-

verit Romanorum christianorum pater, quorum perplures Christo conciliaverit? Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* VII. *n.* VIII. *pag.* 116. *edit. Paris. an.* 1720. „ Non eo, *inquit*, „ quod secundum carnem genuisset, sed quod docuisset, & secundum spiritum regenerasset, „ Corinthiorum pater erat „. At Corinthiorum aliquos Cephas, alios Apollo, alios Paulus ad christiana sacra converterat, cum tamen nonnulli Apollo, nemo autem Paulum eorum episcopum fuisse dicat. Quid ergo est, quod eam multis Romanis auctor Paulus fuerit, ut suam Christo obligarent fidem, etsi episcopatum non obtinuerit Romæ, neque princeps fuerit Apostolorum, appellari Pater Romanorum nequiverit?

1 Vide notationem superiorem.

2 Confer *p.* 274. *seq. huj. vol.* Quid? quod si *Pastorum* nomine principes intelligi debeant ecclesiarum auctoritate quidem pares, non solum Apostolos omnes, sed etiam episcopos principatu fuisse summo potitus dicendum sit? Qua re quid fingi potest obtusius? Nam Apostolus in 1. *ad Ephesios cap.* IV. *v.* 11. *& epist. ad Cor.* I. *cap.* XII. *v.* 28. divinitus in ecclesia positos pastores, doctoresque scribit, quos episcopos esse adversarii pugnant freti testimoniis Paulini *ep. inter Augustinianas* CXXI. *al.* LVIII. *p.* 271 & Augustini *ep.* CXLIX. *al.* LIX. *p.* 385. *tom.* II. *opp. edit. an.* 1700. Quasi presbyteri, qui curam gerunt Parœciarum pastores interdum non fuerint appellati. Confer quæ dixi *pag.* 374. *seq. hujus vol.* De Consorte gloriæ Petri Paulo quod Leo addit, non efficit, Paulum fuisse æqualem Petro. Nam Cyprianus Apostolos pari consortio fuisse præditos honoris, ait, quos tamen adversarii pares omnino fuisse negant. S. Maximus Laurentium martyrem Apostolico *sese consortio copulasse* dicit *serm.* 1. *de s. Laur. pag.* 356. *edit. Veneta ann.* 1741. etsi eum parem Apostolis non fecerit.

3 S. Leo *serm. eodem* LXXXII. *al.* LXXX. *de Nat. ss. Petri, & Pauli cap.* VII. *p.* 237. *seq. edit. Cacciari Rom. an.* 1755. Neque vero geminum oculorum lumen iidem Apostoli appellantur solum; sed etiam duo luminaria magna a Nicolao I. Pont. Max. *epist.* VIII. *ad Michaelem Imperator. pag.* 162. *tom.* V. *Concilior. edit. Hard. Paris.* & a Patribus Johanne Chrysostomo *homil.* XXXII. *in epist. ad Romanos Tom.* IX. *opp. edit. Paris. Montfauconi pag.* 757. *n.* 2. episcopisque Orientalibus in litteris ad Symmachum Papam, quæ decimum inter epistolas Symmachi locum occupant; quibus Origenem præivisse constat, qui *Homil.* VII. *in Levit. n.* IV. *tom.* II. *opp. edit. Paris. Monachor. Congr. s. Mauri*, Petrum ac Paulum duo lumina vocat Apostolorum. Mirabiles item *lampades æquali per universam terram luce fulgentes* duo illi Apostoli nominantur a Chrysostomo *ibid.* & ab Hilario Arelatensi, seu ab homiliæ *de ss. Petro, & Paulo*, quæ ipsi adscribi solet, auctore.

objiciunt, nihil moror. Apostoli namque omnes appellari interdum oculorum consuerunt a Patribus (1) nomine. Cum autem Petrus, ac Paulus præcipui Apostoli fuerint, Romæque docuerint, & martyrio functi fuerint, quid impediebat, quin geminum aut Romanæ ecclesiæ, aut ecclesiæ universæ lumen, cum una simul nominarentur, vocari possent? Sed hoc erat adversariis demonstrandum, gemini illius oculi parem in quoque genere & dignitatem fuisse, & potestatem. Quod cum non effecerint (efficere namque, invitis Patribus, qui scripturarum auctoritatem sequuti, Petrum præponere solent Paulo, omnino non poterant) nihil pro-

1 Cum Petrus, & Paulus tot gentes, Romanamque imprimis, tanto studio, totque laboribus, cruciatibusque perfuncti docuissent, lucemque eis intulissent evangelii, cur geminum ecclesiæ, præsertim autem Romanæ, lumen oculorum appellari nequiverint, etsi Paulus non fuerit par dignitate, auctoritateque Petro, ne suspicari quidem possum: quum reliquos etiam Apostolos, itemque episcopos, ac sapientes, probosque viros ipsos, qui aucti numquam fuissent honore episcopatus, oculos interdum fuisse vocatos liqueat. Ac de Apostolis quidem Macarius senior *Homil.* 1. *pag.* 4. *edit. Parif. an.* 1621. „ Quemadmodum, *inquit*, „ oculi sunt lumen corporis, qui si sani fuerint, totum quidem corpus lucidum est . . . sic „ & Apostoli ὀφθαλμοί, ἢ φῶς ὅλου τοῦ κόσμου ἐτέθησαν, *oculi, & lumen totius mundi sunt* „ *constituti* . . . Cum ergo lux essent Apostoli, lucem administraverunt credentibus, & eorum „ corda illuminaverunt cælesti lumine spiritus, a quo ut ipsi erant illuminati „. Quid igitur? omnes ne Apostolos æquales fuisse potestate, eique dignitate defendent? De episcopis vero, ut ceteros prætercam, sic statuit Chromatius Aquilejensis *in cap.* v. *Matth. pag.* 983. *t.* v. *Biblioth. PP. edit. Lugdun.* „ In corpore ecclesiæ oculus velut pretium membrum episcopus „ significatus, agnoscitur „. Præterea Iohannes Chrysostomus Iobum *epist.* 131. *ad Olympiadem n.* vi. *pag.* 558. *tom.* iii. *opp. edit. Parif. Monach. Congregat. s. Mauri*, non oculum modo, verum etiam *adamantem*, & *petram* vocat, ab eoque *virtutis magnitudine universum terrarum orbem collustratum* tradit. Scilicet hoc restat, ut Iobum ob hasce laudes principatum ecclesiæ summum obtinuisse adversarii arbitrentur. Quid? si eos qui opem indigentibus ferant, Chrysostomus oculos appellari posse pauperum statuat? Confer hujus *homil.* LXVI. *in Genef. pag.* 634. *tom.* iv. *opp. & in Pf.* LVIII. *num.* 3. *pag.* 509. *tom.* v. Sed omnes, qui pari e dixerint, persequi non vacat. De luminaribus magnis quod addunt, leve est. Nam horum unum esse majus, alterum minus potest. Itaque id similitudinis genus Paulum non efficit Petro parem. Ac inferiorem fuisse Paulum Petro paullo ante majorum testimoniis demonstratum est. Verum si hæc argumentandi ratio apud adversarios valet, fateantur necesse est, Basilium, qui a Gregorio Nazianzeno *Orat.* xx. *pag.* 362. *edit. Colon. an.* 1690. *majori luminari*, hoc est *soli* comparatur, fuisse æqualem Petro: „ Basilio „ *inquit*, ubi folia vites descripsit, pulchritudo virtus fuit, magnitudo, Theologia, cur„ sus, perpetua vitæ agitatio . . . potentia, ac vitæ semen, ac distributio. Itaque ne hoc „ quidem mihi dicere verendum est, in omnem terram sonum illius exisse, atque in fines or„ bis terræ vim illius verborum „. Mitto de lampadibus dicere. Quum enim a Christo lampadibus, seu lucernis quosque Apostolos comparari *Matth.* v. *verf.* 15. ab Isidoro vero Pelusiote *epist.* xxxii. *lib.* i. *p.* 10. (post Gregorium Nazianzenum, qui *Orat.* xl. *pag.* 639. bonis moribus institutos homines *lumen* dixerat) sacerdotem quemque *lucem* esse confirmari videam; vocibus, quæ transferri ad res tam varias indicandas solent, qua demum confidentia quisquam illum unum significari defendat, qui principatum in ecclesia summum obtineat, ne suspicari quidem possum.

profecto effecerint, necesse est. De apice (1) quod adjungunt, simile esse video superiorum. Inter ecclesiæ namque *membra provecti in apicem tantum*, ut Petrus, ac Paulus, ita dici ceteri Apostoli potuerunt (2). At inter eos, qui ad *apicem tantum provecti* fuerunt, quis tandem primas obtinuerit, quærendum erat. Id si adversarii fecissent, jam Paulum Petro inferiorem fuisse ex Pontificum, Patrumque verbis, quæ paullo ante descripsimus, cognovissent.

Quod si Leo Pontifex Romanam ecclesiam tam illustrem gloriam fuisse Petri, Paulique opera consequutam scripsit, non eo certe scripsit, quod Paulum parem Petro, sed quod in ea ecclesia *fundanda*, amplificandaque adjutorem Paulum fuisse Petri arbitraretur. Quod quum demonstratum alio loco fuerit, nunc omittatur (3).

Atque omittat urgere Barcosius, eum, qui meritis, qui virtute, qui electione, qui laboribus par sit alicui, esse item dignitate, auctoritateque oportere parem. Nam si pares dignitate, auctoritateque Apostolos omnes negat fuisse, etsi sunt, qui eos pari consortio præditos

1 s. Leo *serm.* LXXII. *qui est* I. *de ss. Petro, & Paulo cap.* VII. *pag.* 237. *edit. Rom. Cacciari*. Eodem autem spectare adversarii ajunt, quæ quandoque de *culmine Apostolico Petri, & Pauli* Venantius Fortunatus *lib.* III. *de vita s. Martini*, ac Beda *serm. de Natali s. Benedicti, de Roma per summos Christi Apostolos totius ecclesiæ caput effecta* scripserunt. Verum hæc de Petro separatim a Paulo dici solent plerumque; de Paulo conjunctim, ac Petro perraro; de Paulo autem sejunctim a Petro numquam. Quod sane argumento esse debet, Paulum, qui unus e præcipuis, celebrioribusque Apostolis fuisset, adjumento fuisse Petro principi, & coryphæo omnium Apostolorum, ac suo, ut Romani christianismum amplecterentur, ecclesiamque constituerent, quæ caput esset, ac princeps reliquarum. Alioqui ut hæc de Petro solo tam sæpe dicuntur, dicerentur etiam sæpe de solo Paulo, si præditus pari uterque dignitate fuisset.

2 Omnes, qui de *Apice Apostolatus* loquuti sunt veteres, persequi longum est. Unum Petrum Damianum commemorabo, quo maxime teste gloriari adversarii consuerunt. Is *Homil.* 11. *quæ est de s. Matthæo pag.* 120. *edit. Paris. an.* 1664. ejus Apostoli laudes celebrans: „ ut Apostolici senatus, *inquit*, conscenderet apicem, & inter evangelistas in eo, quod „ primus est, privilegio susciperet dignitatem &c „. *Et pag.* 123. „ Ut firmam spem pec„ catoribus daret, non illos (*de Apostolis omnibus loquitur*) ad apostolatus culmen ele„ git, qui credebantur inter homines justi, sed vel ignaros justitiæ, vel etiam peccatores „. Viden ut Matthæum *apicem conscendisse Apostolatus*, ceterosque Apostolos *ad culmen apostolatus electos* fuisse dicat? Quid igitur? an adversarii omnes Apostolos Petro fuisse proinde pares, defendent? Non arbitror. Quæ ergo caussa esse poterit, cur Paulum censeant supremo fuisse una cum Petro in Ecclesia principatu potitum; propterea quod Leo scripserit, ad illum apicem fuisse utrumque provectum?

3 Confer quæ scripsi *pag.* 375. *seqq. hujus vol. not.* 1. *seqq.*

ditos fuisse tradant (1), honoris & potestatis, qui demum *pares* fuisse Petrum, Paulumque dignitate defendet, quorum non honos, neque dignitas, sed virtus, ac meritum a Patribus memoretur? Quod si Apostolos dignitate, auctoritateque Apostolatus æquales fuisse, ut majorum loca explicet, recte, atque ut res ipsa postulat, respondet; cur non eodem utitur responso, cum de duobus illis Apostolis disserit, ut Paulum quidem laboribus, quod disertis verbis Patres confirmant, meritis, virtute, non dignitatis, potestatisque ratione confiteatur, æqualem fuisse Petro? At meritum eodem interdum atque dignitas recidit. Fateor equidem. Sed non semper. Si ergo meritum, non semper dignitatem, potestatemque significat, qua demum fronte, ac confidentia vocem ancipitem, dubiam, & sæpe diversa, ac discrepantia significantem, quasi certam, remque ipsam conficientem, atque confirmantem audacter sumit? Sed in his nugis refellendis diutius fortasse constitimus, quam necesse fuit.

Venio ad appellationem sociorum (2). Apostolos omnes socios (3) appellari, quis neget? Quæ igitur est caussa,

1 Vide Cypriani locum *pag. 55. not. 5.*

2 Gelasius Pont. Max. *Conc. Rom. celebr. an. 494. can. 1. tom. II. Concilior. pag. 938.* de Petro agens: „ cui, *inquit*, data est etiam societas Beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis „. At quæ illa societas fuit? Potestatis ne, atque dignitatis? Minime vero. Socium enim adventu Romam, laboribus, cruciatibusque Petri Paulum ostendit fuisse, principatu vero non item. Mox namque addit: „ Qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est, & pariter supradictam sanctam Romanam ecclesiam Christo Domino consecrarunt, talemque omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt „. Inde *de primatu* disserens: „ Est, *inquit*, prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia „. Cum igitur de *præsentia*, de *laboribus*, de morte agens, utriusque Apostoli: de principatu vero loquens, unius Petri meminerit, argumento est, fuisse ab eo existimatum Paulo excellentiorem Petrum. Alioquin Andream quoque principem fuisse Apostolorum, qui unum cum Petro caput constitueret, dicendum esset, propterea quod de hoc item cani soleat in ecclesia: „ Andreas Christi famulus, dignus Dei Apostolus, germanus Petri, & in passione socius „. Quod cum non sit consequens, fateantur adversarii necesse est, frustra se Gelasii attulisse locum.

3 Quis enim neget a Petro fuisse, non Paulo solum, sed etiam Barnabæ dexteram datam societatis? *epist. ad Galat. cap. II. v. 9.*: „ & cognoscentes, *inquit Paulus*, gratiam datam mihi Jacobus, & Cephas, & Johannes, qui videbantur columnæ esse, δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ καὶ Βαρνάβᾳ κοινωνίας *dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis*. Ac Cepham quidem eundem atque Petrum fuisse & ii, quos supra nominavi, veteres *pag. 103. seq. hujus voluminis*

caussa, cur ob unam socii appellationem, Paulum fuisse Petro æqualem dignitate putem? Sed singulari quodam modo Paulus Petri socius vocatur. Demus id quoque. Verum quid hinc sibi commodi adversarii pollicebuntur? An qui Petro in amplificanda Romana ecclesia adjutor fuit, is dici singulari quodam modo non potuit socius, atque consors Petri? Leviora hæc sunt, quam ut Paulum Petro demonstrent fuisse dignitate parem. Hoc idem licet contra ea, quæ de coapostolo (1) Petri Paulo jactant, dicere. Certa enim res est, non solum Paulum, sed ceteros etiam, quos cooptatos in collegium fuisse Apostolorum legimus, fuisse Petri coapostolos (2) appellatos. Quod si coapostoli vocabulo, adversariis auctoribus, tanta vis inest, ut eam ob rem parem fuisse Pau-

minis, & Clementis Alexandrini auditor Origenes *lib. II. contra Celsum n. I. tom. I. opp. edit. Paris. Monachor. Congreg. s. Mauri*, *&* *n.* LXV. ut ceteros, qui sunt recentiores, prætercam, animadverterunt. Quotus autem quisque erit, qui Barnabam parem fuisse Petro putet ob acceptam dexteram societatis? Quod si nemo est, qui demum unius societatis ab Gelasio memoratæ caussa Paulum quisquam esse Petro æquandum arbitretur? Confer Iohan. Chrysost. *in cap. II. epist. ad Galat. n. III. pag. 685. tom. X. opp. edit. Paris. Monach. Congreg. s. Mauri*. Scilicet hoc restat, ut quoniam Paulus christianos *in societatem filii Dei vocatos* scribit I. *ad Cor. Epist. cap. I. v. 9.* adversarii statuant, esse nos Christo servatori meritis, atque potestate pares.

1 De Coapostolo Petri Paulo, quod adversarii scribunt, confirmare conantur s. Leonis Magni *ex serm.* LXXXII. *cap.* VI. *pag.* 237. *part.* I. *opp. edit. Cacciar. Rom. an.* 1753. & Cardinalis s. Georgii, de quo *pag. hujus vol.* 400. diximus, auctoritate. Verum nihil agunt. Est enim Leonis perspicua sententia, ut ostendi *pag.* 375. *seq.* Cardinalis autem s. Georgii, quo patrono adversarii gloriantur, cum Petrum pastorem vocet, Paulum non vocet, satis indicat, quæ sua fuerit de summo Petri principatu opinio. „ Decet igitur, *in-* „ *quit*, (pastor ecclesiæ) domum tuam sanctitudo, & coapostoli Pauli laudatio. Quisnam „ electionis vas, gentiumque doctorem ad tertii arcana cæli provectum cooperatorem, „ coapostolum &c., & compatronum Petri &c.? „ Vide *p.* 410. *hujus vol.* Ac si Epaphroditum Paulus *cooperatorem*, & *commilitonem* suum *epist. ad Philipp. cap. II. vers.* 25. etsi Paulo par non erat, vocavit, quid impedisset, quin appellari coapostolus Petri Paulus, atque compatronus posset, non concessa utriusque in quoque genere æqualitate? Quod si ob propagatum cum Epaphrodito evangelium, & ob labores una susceptos commilito, & cooperator Pauli Epaphroditus est appellatus, cur non item coapostolus, & compatronus Petri Paulus dictus fuisset, qui una cum Petro Romanis evangelium nunciaverat, ecclesiamque, ut Antiochenam, atque Corinthiam, ita Romanam amplificaverat, quamquam par non esset principatus ratione Petro?

2 Confer Nicetæ Paphlagonis Laudationem de s. Andrea *apud Combefisium tom.* VI. *Bibl. concionat. pag.* 41. *edit. Paris. an.* 1662. Petrum Damianum *serm. de s. Andrea Apostolo apud eumdem ibid. p.* 46. qui etsi non verbo, re tamen vera ita, ut Nicetas, coapostolos fuisse Petri Andream, Apostolosque universos scripsit: „ Unde cum divina dispensatio Petrum, & „ Andream consummari per crucis supplicium voluit, inter ceteros Apostolos, licet omnes „ unius potestatis, & dignitatis sint, quodammodo egregios, atque conspicuos fecit „. Ac hæc de Apostolatu, non de regimine, principatuque in Ecclesia universa summo intelligenda sunt, ut etiam quæ ab adversariis afferantur de Paulo.

Paulum Petro arbitrentur, caveant ne aliquos episcopos Pontifici Maximo pares faciant, propterea quod coepiscopi (1) fuerint a Petri successoribus appellati.

At est appellatus ab antiquis Paulus Petri & socius (2) in administranda christianorum republica, & comminister (3), & in Apostolico principatu frater (4). Quis negat? Verum non de socio est, neque de comministro, neque de fratre in gerenda republica populi christiani, sed de pari in omni genere dignitate, atque auctoritate utriusque Apostoli quæstio. Nam Apostoli quique Petri socii (5) in regenda ecclesia, comministri (6), atque in Apostolico principatu fratres

1 Plura exempla persequi longum esset. Itaque paucis contentus ero. S. Cælestinus *epist.* XIII. *ad Nestorium tom.* I. *epistolar. Rom. Pont. edit. Constantii pag.* 1115. *n.* 2. Cyrillum Alexandrinum *συνεπίσκοπον coepiscopum* vocat. Idipsum reperire licet in iis litteris, quas anno 430. *ad Clericos, & Populum Constantinopolitanum* scripsit, *Tom. eod. ep.* XIV. *n.* V. *pag.* 1139. Non discrepat s. Leo *epist.* CIII. *al.* CI. *ad Marcianum Augustum edit. Cacciar. pag.* 381. Ac de Coepiscoporum quidem vocabulo satis dictum esto.

2 De Paulo Petri socio a majoribus appellato, confer quæ scripsi *pag.* 444. *hujus voluminis not.* 2. *seq.*

3 De comministro agam paullo post.

4 Abutantur adversarii Gregorii testimonio ex *lib.* I. *Dialogorum cap.* XII. *pag.* 205. *tom.* II. *opp. edit. Paris. an.* 1705. quo loco Gregorius ex Petro Diacono quærit. „ Numquidnam nescis, quoniam Paulus Apostolus Petro Apostolorum primo in principatu Apostolico frater est? „. Respondet Petrus: „ scio plane, nec dubium est „. His tantum verbis contenti adversarii fuerunt. Ita Auctor operis *de la Grandeur de l'Eglise Romaine lib.* II. *cap.* X. *pag.* 117. At addere debebant, quæ mox sequuntur, satisque ostendunt, quo sensu in Apostolico principatu Paulus frater appelletur Petri: „ Quia, *inquit Petrus*, etsi Paulus „ minimus omnium Apostolorum, plus tamen omnibus laboravit „. Præmio igitur cælesti, quod statim adjungit Gregorius, laboribusque, quod ait Petrus, frater fuit Petri Paulus; par autem dignitate, potestateque non fuit. Quod si persistent adversarii, caveant, ne Andream perinde æquare cogantur Petro. Præter quam enim quod socium appellari Petri Andream paullo ante vidimus, transferri quoque huc possunt, quæ in sacramentario Gregoriano leguntur *Natal. s. Andreæ tom.* III. *opp. s. Gregor. pag.* 144. *edit. ejusd.* „ Vere „ dignum, & justum est, æquum, & salutare nos tibi semper, & ubique gratias agere .... „ Quoniam adest nobis dies magnifici votiva mysterii, qua venerandus Andreas Apostolus „ germanum se gloriosi Apostoli tui Petri tam prædicatione Christi tui, quam conversa- „ tione monstravit, ut id quod libera prædicaverat voce, nec pendens taceret in cruce ... „ Utrique igitur germani piscatores ambo cruce elevantur in cælum, ut quos in hujus vitæ „ usu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, hos immarcescibilis in regno cælo- „ rum necteret corona. Et quibus erat una caussa certaminis, una retributio esset & præ- „ mii „. Quæro nunc quid fuerit a Gregorio tributum Paulo, quod non fuerit Andreæ? Prædicatione laborasse Paulum, fratremque hoc genere principatus, & præmio Petri dicit, ut etiam Andream germanum prædicatione, ac præmio ejusdem fuisse Petri testatur. Quid ergo est, quod Paulum principatus auctoritate Petro parem fuisse adversarii censeant, Andream non item?

5 Vide supra *pag.* 444. *hujus vol.* Confer *serm.* XXVII. *append. opp. s. Fulgentii pag.* 358. *edit. Venetæ an.* 1742.

6 Omnes enim ministri Christi erant I. *ad Cor. cap.* III. *v.* 5. & *cap.* IV. *v.* I. Itaque cum

tres (1) appellari commode potuerunt, quamquam, fatentibus adversariis, nemo eorum assequutus gradum supremæ Petri dignitatis esset. Qui enim vivo Petro, tam multas, tamque a nostris disjunctas regiones propagandæ religionis caussa peragraverant, ecclesias constituerant, easque Romanæ, ut capiti, centroque unitatis conjunxerant, diuque rexerant, iis ne quisquam negandum putasset Petri *sociorum* in administranda republica populi christiani nomen? Quid de *comministris* loquar? Adversariorum partes sunt, genus hoc argumenti, quod ex una comministri voce concluditur, quam sit inane, ostendere. Nam qui unum esse summum in christiana republica principem oportere statuunt, iis est maxime cavendum, ne argumentando plures inducere cogantur. Cooperatorem enim, & commilitonem (2) Pauli Epaphroditum, *comministrum* vero Leonis Flavianum (3) fuisse appel-

cum conservos vocarent socios, qui servi erant Christi (*Ad Coloss. cap.* IV. *v.* 7.) cur non etiam Apostolos, qui ministri ejusdem servatoris erant, *comministros* appellassent Patres?

1 Fratrem Petri non natura solum, sed etiam Apostolico munere, hoc est principatu fuisse vocatum Andream constat. Quod non est, ut pluribus confirmem, necesse. Uno utar loco veteris libri Liturgici, quem Leonianum Codicem appellant, fuisseque seculo V. conscriptum liquet. Sic enim in eo legitur ad *Natal. s. Andreæ diem pag.* 165. *parte* II. *Cod. Liturgic. edit. Aloysii Assemani viri clarissimi Rom. an.* 1754. ,, Qui gloriosi Apostoli tui pariter forte nascendi, consortio fidei, Apostolicæ collegio dignitatis, & martyris est claritate germanus; ut quos in hujus vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, similis in regno cælorum necteret & corona ,,. Ac ne quis putet *Apostolicæ dignitatis collegium* non esse principatum vocandum, ejus libri auctor, quem aut Leonem, aut Gelasium fuisse ferunt, paullo post *pag.* 167. de Andrea ipso loquens, scribit: ,, Domine quæsumus ecclesiam tuam sub tantis gaudere *principibus*, & intellectu capere, quod devotione sectatur. Quod si pergant, ac principatum quidem dici Apostolicam dignitatem defendant, *culmen* vero non item, sic habeant: Johanni Evangelistæ hunc ipsum honoris titulum in s. Gregorii Magni libro sacramentorum esse tributum. *Ad d.* VI. *Kal. Jan. pag.* 10. *tom.* III. *opp. s. Gregor. edit. ejusd.* ,, Beati Apostoli tui, & Evangelistæ Johannis veneranda natalitia recensentes, qui Domini Nostri Jesu Christi filii tui vocatione suscepta terrenum reliquit Patrem, ut posset invenire cælestem, adeptus in regno cælorum Sedem Apostolici Culminis, qui tantum retia carnalia contemserat genitoris &c ,,. Quis nunc neget fuisse, publica Romanæ ecclesiæ testificatione libris illis Liturgicis tam vetustis contenta, Andream Apostolorum coryphæi Petri in Apostolici principatus culmine fratrem germanum? Quid igitur? An eum supremo in ecclesia universa principatu potitum fuisse adversarii statuent? Minime gentium. Nam Apostolatum intelligi verbis illis pugnant, supremum vero principatum nullo modo. Nulla est ergo caussa cur Paulum ob hujusmodi laudes non solum Apostolum fuisse, sed collegam etiam in principatu supremo Petri, ita ut nulla ratione subditus Petro fuerit, arbitrentur.

2 Vide *pag.* 445. *hujus vol. not.* 1.

3 Scribit enim Flavianus Leoni hoc modo: *epist. post Leonianam* XXXIV. *pag.* 159. *t.* II. *opp.*

appellatum legimus. Quod si ubi de Apostolo quopiam, vel principe agitur supremo ecclesiarum, eadem est comministri, atque Apostoli, summive Pontificis notio, erunt fortasse, qui consequens arbitrentur esse, & Epaphroditum Paulo, & Leoni Flavianum nulla re omnino fuisse inferiorem. Quibus nisi consenserint adversarii, quid denique his erit, quo principatum Pauli summum tueantur, reliqui? De *fratre* quid sentiam, explicabo brevi. Fratres enim christianos omnes vocari consuesse, certum est. Qua de re alio loco diximus (1). Iam vero cum Apostoli, dignitatis, quam sustinebant, caussa, principes (2) appellarentur, adeoque apostolatus ipse principatus (3) quidam vocaretur, & esset, atque ut Petrus, ita Paulus, Andreas, Johannes, Jacobus &c. in Apostolis numerarentur, dicique Petri ejusdem in apostolico principatu collegæ, fratresque (4) possent; mirabile nemini videri debet, quod veteres, qui Paulum & Antiochiæ, & Corinthi, & Romæ una cum Petro Apostolatu fuisse perfunctum legissent, eum esse singulari quadam ratione Petri in Apostolico principatu fratrem appellandum existimaverint. Quamquam eorum video fuisse neminem, qui hisce appellationibus aut aliorum Apostolorum quemquam, aut Paulum parem omnino censeri oportere Petro (5) contenderet. I-

dem

opp. edit. Rom. Cacciari: τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ πατρὶ, καὶ συλλειτουργῷ λέοντι φλαβιανὸς ἐν κυρίῳ χαίρειν. *Sanctissimo, & beatissimo Patri, & Comministro Leoni Flavianus in Domino gaudere*.

1 Confer *tom.* 1. *hujus operis pag.* 4. *seq.*

2 S. Augustinus *in Psal.* LXVII. *v.* 34. *pag.* 510. *tom.* IV. *opp. edit. Antuerp. Principes sunt Apostoli*, inquit. Non discrepat synchronus Gregorii auctor *Commentariorum in libros regum lib.* 1. *cap.* III. *num.* XIX. *pag.* 51. *tom.* III. *opp. Gregorii*. Quamobrem mirabile non est, quod *primi Pastores* Apostoli quique a Gregorio appellentur II. *part. Pastoralis cap.* IV. *pag.* 17. *tom.* II. *opp.*

3 Confer Augustinum *enarrat. in Ps.* CXXXVIII. *n.* XXXV. *pag.* 1156. *tom.* IV. *opp. edit. ejusdem*. Sed omnes, qui similia scripserint, persequi longum est. Itaque hoc uno contentus ero.

4 *Ioh. cap.* XXI. *evang. v.* 23. „ Exiit sermo inter fratres „. Loquitur autem de Apostolis. Confer *Ioh. Chrysost. Homil.* LXXXVIII. *al.* LXXXVII. *in Ioh. n.* 2. *p.* 527. *t.* VIII. *opp. edit. Paris. Monach. Congr. s. Mauri*.

5 Vide supra *not.* 1. *pag.* 449. Accedit Fulgentii, sive auctoris, quisquis tandem est, qui *sermonem* LXVII. *qui extat in append. opp. s. Fulg. edit. Veneta ann.* 1742. perscripsit. Is enim Apostolos omnes, ipsumque Paulum laudaturus, de Petro scribit hoc modo: „ Petrus in capite Scaphæ cælestis &c „.

dem est de vocibus: *Caput nationum* (1), *totius ecclesiæ princeps*,

cla-

1 Johannes Chrysostomus *Homil. de Utilit. Leg. Script. n.* III. *pag.* 76. *tom.* III. *opp. edit. ejusd.* capiti Apostolos comparat. Cujus rei hæc fuit meo quidem judicio caussa. Caput enim principes, ac duces quique, etsi uni summo imperatori pareant, appellari possunt. Vide *Numeror. cap.* I. *v.* II. quo in loco Moses numeratis ducibus exercitus Israel: „ Hi „ sunt, *inquit*, nobilissimi principes multitudinis per tribus, & cognationes suas, & Capi- „ ta exercitus Israel „. Apostoli autem principes, ducesque vocari solent. De principum vocabulo, vide quæ scripsi *pag.* 447. *not.* 1. *hujus vol.* & Athanasium *in Ps.* LXVII. *p.* 1116. *seq. tom.* 1. *part.* II. *opp. edit. Paris. Montfaucon.* Eusebium Cæsariensem *lib.* IX. *Dem. Evang. pag.* 441. *edit. Colon. an.* 1688. Chrysostomum *Homil. de Util. L. Script. &c. n.* III. *pag.* 76. *tom.* III. *opp.* Innocentium I. Pont. M. *epist.* XIII. *ad Rufum Thessalonic. pag.* 515. *seq. tom.* 1. *Collect. epistolar. Rom. Pont. edit. Constantii.* De *Ducibus gregis Christi* confer S. Augustinum *enarrat. in Ps.* LXV. *n.* XVII. *pag.* 478. *edit. Antuerp. an.* 1700. & auctorem *Tractatus de* XLII. *Mansionibus Filior. Israel inter opera* S. *Ambros. tom.* IV. *pag.* 9. *edit. Veneta an.* 1751. Sed quoniam adversarii appellationibus quibusdam, quæ fuerunt a majoribus tributæ Paulo, permoventur, age videamus, communes ne fuerint reliquorum Apostolorum. Appellantur igitur Apostoli *columnæ ecclesiæ*, & *dodecastylon*, *seu duodecim columnarum firmamentum*, & *fundamenta* ab Irenæo *lib.* IV. *contra Hæreses c.* XXI. *pag.* 258. *edit. Veneta ann.* 1734. ab Interpolatore *epistolæ Ignatii ad Philadelph. n.* II. *tom.* II. *Apostolicor. PP. edit. Lond. an.* 1746. *pag.* 147. ab Athanasio *in Psalm.* LXXIV. *pag.* 1135. *tom.* 1. *part.* II *opp. edit. Montfauc. Paris.* ab Hilario *in Psalm.* LXVIII. *n.* X. *pag.* 171. *tom.* 1. *edit. Veneta.* Ab Ambrosio *in Ps.* CXVIII. *n.* XXXVIII. *pag.* 409. *tom.* II. *opp. edit. Veneta an.* 1748. ab Augustino *epist.* CXL. *al.* CXX. *ad Honoratum cap.* XIV. *n.* 36. *pag.* 330. *tom.* II. *opp. edit. ejusd. Antuerp.* & *Enarrat. in Ps.* LXXIV. *n.* VI. *pag.* 588. *ta.* IV. *opp.* ab Auctore Commentariorum *in Cantic. Cantic.*, qui Gregorio Magno tribuuntur, *cap.* V. *n.* XXII. *pag.* 443. *tom.* III. *opp.* S. *Gregorii edit. Monachor. Congreg.* S. *Mauri*, a Claudio Taurinensi *in cap* II. *epist. ad Galat. pag.* 147. *tom.* XIV. *Bibl. PP. edition. Lugd.* Et *Reges* ab Gregorio *lib* IV. *moral. in Job. cap.* III. *pag.* 131. *tom.* 1. *opp.* & ab Ambrosio Ansperto *in Apocal. lib.* VII. *pag.* 580. *tom.* XIII. *Bibl. PP. edit. Lugdunensis*. & Fundamenta rursum ab Cyrillo Alexandrino *lib.* V. *in Isaiam tom.* II. *opp. pag.* 767. *edit. Paris. an.* 1638. Turres Hierusalem ab Eusebio Cæsar. *in Ps.* XLVII. *pag.* 204. *n.* XV. *t.* 1. *Collect. veter. PP. edit. Paris. Montfaucon.* oculi ecclesiæ, & oculi Christi: ab Hilario in *Ps.* CXVIII. *n.* IV. *pag.* 278. *tom.* 1. *opp.* & *in Psalm.* CXXXVIII. *n.* XXXIV. *pag.* 445. *tom. eod.* & ab Augustino *in Ps.* LXXXVII. *n.* VIII. *pag.* 700. *tom.* IV. *opp.* & *Lucernæ ecclesiæ*, & lumen mundi, & lampades, & Luminaria: ab Hilario *in Ps.* CXXXVIII. *n.* XXXIV. *p.* 445. *tom.* 1. *opp.* ab Augustino *lib.* XIII. *Conf. cap.* XVIII. *pag.* 176. *tom* 1. *opp.* ab auctore *sermonis* CLXXXII. *in Append. tom.* V. *opp.* S. *August. pag.* 217. *edit. Antuerp. ann.* 1700. & cæli: ab Origene *Homil.* I. *in Genes. n.* XIII. *tom.* II. *opp. edit. Paris. Monach.* S. *Mauri*. Et nubes, & filii tonitrui ab Eusebio *in Ps.* LXXV. *n.* XVIII. *pag.* 460. *tom.* 1. *Collect. veter. PP. Montfaucon.* & magnæ dignitatis *Homil.* 1. & *in cap.* 1. *epist. ad Timoth. primæ n.* 1. *pag.* 548. *tom.* XI. *opp. edit. supra indicata*, & præcipuus in ecclesia magistratus: a Chrysostomo, *De Utilit. Lect. Scriptur. &c. tom.* III. *opp. pag.* 75. & major omnibus dignitas Apostolorum: *ab eod. ibid.* & consules: *ab eodem ibid. pag.* 76. *seq.* & radices ac fundamenta dignitatum *ab eodem ibid.* & Fundatores ecclesiæ *ab eodem in Scription. actor.* II. *n.* II. *pag.* 62. *tom. eodem* & patres, doctores, gubernatores, rectores, pastoresque primi ecclesiæ pari honore præditi: ab Augustino *Enarrat. in Ps.* XLV. *n.* XXII. *pag.* 297. a Chrysostomo *in Ps.* XLIV. *pag.* 181. *num.* XII. & XIII. *tom.* V. *opp.* & ab Andrea Cæsariensi *in Apoc. cap.* LX. *pag.* 626. *tom.* V. *Biblioth. PP. edit. Lugd.* & ab Leone, sive a Gelasio *Sacramentar. Leonian. in Natal.* S. *Joh. evang. pag.* 173. *apud Asseman. loc. cit.* a Gregorio *part.* II. *Pastoral. cap.* IV. *pag.* 17. *tom.* II. *opp. edit. Paris. Monach. Cong.* S. *Mauri* a Cypriano *lib. de Unit. eccl. pag.* 107. *edit. opp. Oxon. an.* 1682. & decora capitis ecclesiæ ab

(1), *clavigerque* (2) dicendum. Quo autem sensu Romanorum Pontificum *Præcessor* (3), *cujus auctoritate* (4) Pontifices ipsi orbem terrarum regunt, ac moderantur, appelletur Paulus, satis est supra explicatum, cum de Paulo ipso, fueritne episcopus Romanorum, dissererem. *Ad Patriarchatus* (5), *Primatus*, *Ar-*

stæ ab Hilario *in Ps. LXVIII. pag. 189. n. VII. tom. 1.* & Vicarii Christi ab Hilario Diacono *in 1. epist. ad Cor. cap. III. pag. 147. tom. IV. opp. s. Ambrosii*: & fontes ab auctore *Tract. de Mansionib. Filior. Israel tom. eodem. opp. s. Ambr. pag. 9.* & Coapostoli Pauli ab Augustino *in Ps. LXXIV, n. VI. pag. 588.* Quinetiam Johannes Apostolus ab auctore epistolæ *ad Iohannem Apostolum*, quem auctorem Dionysium Areopagitam vocant, *tom. II. opp. Dionys. epist. X. pag. 179. seq. edit. Antuerp. an. 1634.* sol est appellatus, ut ipse ceterique collegæ Judicea superni ad culmen gloriæ perducti, potestatemque relaxandi peccata consequuti a Gregorio *lib. II. Homil. XXVI. in evang. tom. I. opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri*, & Petrus, ac Johannes coryphæi Apostolorum κορυφαῖοι τῶν ἀποστόλων ab Johanne Chrysostomo *Homil. X. in Acta n. 1. pag. 80. tom. IX. opp.* quemadmodum Petrus, Johannes, & Jacobus *columnæ sunt*, *& magni*, *& eximii* ab eodem Chrysostomo dicti *in cap. II. epist. ad Galat. n. III. pag. 685. tom. X. opp.* Quod si ex his omnibus appellationibus concludere nemini liceat, Apostolos non apostolatus ratione solum, sed rebus etiam omnibus fuisse Petro auctoritate, atque dignitate pares, propterea quod veteres, principatus caussa, Petrum ceteris esse præferendum statuerint; quid est, quod ex his ipsis, harumque similibus vocibus Paulum esse Petro æquandum pateat, etsi disertissimis majorum testimoniis esse item constet Petrum Paulo præferendum?

1 Vide quæ de Apostolis ecclesiæ principibus dixi *notat. superiore*.

2 Confer quæ *notatione* 10. *seq. pag. 269. seq. h. v.* indicavi Patrum de Apostolis claves regni Cælorum sortitis loca.

3 Vide *notat. 3. seqq. pag. 378. seqq. hujus vol.*

4 Consule *notat. 1. seqq. pag. 380. seqq. hujus vol.*

5 Multa sunt Patrum de Apostolorum præstantissima dignitate testimonia. Horum aliqua indicavi *not. 1. pag. 449.* Quamquam est illud etiam, atque etiam considerandum: nonnumquam majores nostros cum de duobus pluribusve Apostolis agunt, ne longiore oratione uti cogantur, ea, quasi multis competant, afferre consuesse, quæ nonnisi unius, aut summum duorum propria fuisse liquet. Quis enim nesciat aliquos Apostolos piscatores minime fuisse? Ac Patres ita de Apostolis loquuti sunt, ac si omnes piscandi artem exercuissent. Confer Gregorium Nazianzenum *orat. XXV. p. 437. tom. 1. opp. edit. Colon. ann. 1690.* Johannem Chrysostomum, qui cum aliis in locis sæpe, tum in *cap. IX. Geneseos Homilia XXVIII. num. V. pag. 276. tom. IV.* „ Ita quoque, *inquit*, & in fine per undecim piscatores illiteratos, & idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem attraxit „. Mitto alios, ne de re manifesta testibus uti videar minime necessariis. Rursum, qui Jacobum, & Johannem solum fuisse a Christo Boanerges, hoc est *filios tonitrui* appellatos, ignoret, christianorum arbitror esse neminem. Nihilo secius Origenes *Apostolos, qui erant cæli, missos ad enarrandam gloriam Dei*, *& Boanerges nomine* fuisse vocatos scribit *Homilia I. in Genes. n. XV. tom. II. opp. edit. Paris. Monachor. s. Mauri*. Origeni consentit Eusebius *comment. in Ps. LXXV. n. XVIII. p. 460. tom. I. collect. vet. PP. edit. Paris. Montf. p. 460.* διὰ καὶ τοὺς ἀποστόλους αὐτοῦ, inquiens, ὁ σωτὴρ Βοανεργὲς ὠνόμαζεν *propterea & suos discipulos* Salvator Boanerges *nominavit*. Quid ergo mirum, si Patres interdum de Petro, ac Paulo simul acturi, quorum alter potestate principatus in ecclesia summi potitus, alter maximam ob singularem doctrinam susceptosque labores gloriam consequutus fuerat, ne multis copiosiusque quam vellent, dicere cogerentur, ea interdum junctim de utroque dixerint, quæ in unum Petrum competerent; cum præsertim ubi distincto esse opus existimarunt, nulla circuitione verborum, sed dilucide imprimis, apertèque Paulum inferiorem esse affirmarint Petro?

Archiepiscopatus, atque Episcopatus quod attinet, paucis dicam, quod sentio. Pauli tempore nullos fuisse, qui Patriarcharum vocarentur, Primatumque nomine, ut ne Archiepiscoporum quidem. Quemadmodum vero cum Primatus, qui vocarentur, atque Patriarchatus, nulli essent, tum Primatus Paulum, Patriarchatusque gessisse (nisi Apostolatus, qui latius, quam Patriarchalis dignitas, patebat, vel adjutorii, quod ille Petro attulit, ratione) credam? Illi enim ipsi Pontifices, Patresque, qui Paulum Patriarchatus gessisse, atque Episcopatus scripserunt, Paulum ipsum esse putarunt postponendum (1) Petro. Neque vero Paulum umquam, cum de eo uno separatim (2) a Petro agerent, gessisse Patriarchatus, Primatusque dixerunt. Itaque quoniam adjutor Petri Paulus fuerat, Petrusque, principatus summi caussa, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus (seu quidquid est, fuitque in Ecclesia muneris) sustinuerat: quod Petro erat proprium, id (de utroque Apostolo disserentes) ita usurpaverunt, ut transferre etiam in adjutorem Paulum voluisse, latiore quadam significatione, viderentur. Quod ne dubitare possimus, maximo sunt argumento, quæ de Timotheo (3) majores nostri testati sunt. Eum enim, propterea quod adjutor Pauli fuerit, unaque multas regiones peragraverit, προςασίαν primatum totius orbis fuisse consequutum, emphasi

1 Vide *not. 1. pag. 438. hujus vol. & not. seq.*

2 *Pag. 450. not. 5. & pag. 420. not. 10. & 425. not. 13. hujus voluminis.* Est autem is locus, quo adversarii abutuntur, *Gregorii VII. e Concilio* VII. *Rom. num.* VII. *pag. 1590. tom.* VI. *Concilior. part.* II. *edit. Hard. Paris.* At eodem in sermone Gregorius cum de Petro, & Paulo divisim loquitur, & quæ sint cujusque propria munera, atque ornamenta indicat, Petrum principem Apostolorum, Paulum vero gentium doctorem vocat. ,, Beate Petre princeps Apostolorum, & tu B. Paule doctor gentium dignamini quæso aures ,, vestras ad me inclinare &c ,,. Quibus sane verbis efficitur, Gregorium numquam in eam venisse opinionem, ut jure principatus ecclesiæ Paulum fuisse æqualem Petro judicaret.

3 Vide quæ scripsi *p. 82. huj. vol. not.* 1. Neque vero de Timotheo hæc solum, sed etiam de Cypriano, deque Athanasio Patres prædicant. Confer *p. 80. seq. hujus vol.* Verum de Petro, ejusque successoribus Pontificibus Maximis, non a paucis, neque semel, aut raro, ut de Cypriano, Athanasio, Timotheo, ipsoque etiam Paulo, sed perpetuo, sed summa consensione, sed ab universis ecclesiis, Patribusque hæc eadem, multoque etiam ampliora, quæ principatum summum plane demonstrant, dici consuerunt. Neque enim Paulum quisquam aut centrum unitatis, aut unum electum, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio, aut Petro potestate superiorem &c. dixit, quæ omnia dicta fuisse de Petro liquet a Cypriano, ab Hieronymo, ab Optato, a Patribus, & Pontificibus denique, quorum sunt paullo ante descripta loca.

phasi quadam, aliquando dixerunt; quamquam nullus esset, qui parem fuisse dignitate Paulo Timotheum, adeoque in fidem universum orbem, Dei beneficio, recepisse judicaret. Eodemque modo explicandum est, quod legimus: tributum a Petro, & Paulo Romanis Pontificibus fuisse Apostolicorum (1) nomen. Petri enim Apostoli caussa, cui Pontifices Maximi

1 Si ecclesiæ ab Apostolis constitutæ apostolicæ sunt appellatæ, cur non item *apostolici* Pontifices, & Romana ecclesia *apostolica* vocari potuerunt ob Petrum, Paulumque, a quibus hæc instituta, illi vero edocti sunt? quorum Apostolorum alterum principem sustinendæ unitatis ecclesiasticæ, continendorumque omnium christianorum in officio caussa cum potestate constitutum, alterum propter doctrinam, atque longa itinera religionis propagandæ studio suscepta, principem quoque dictum fuisse accepimus? Jam vero, ecclesias ab Apostolis constitutas Apostolicas fuisse vocatas, auctor est in libro *De Præscriptionibus* Tertullianus *c.* XX *seqq. p.* 208. *ed. opp. an.* 1748. Mirabile autem videri cuiquam fortasse potest, quid sit? quod cum sedes apostolicas eas crebrius vocari consuesse dixerim *to.* IV. *p.* 286. quæ fuissent ab Apostolis institutæ; tum id auctor *Histor. litter. Ital. l.* II. *tom.* VI. *c.* VII. *p.* 500. minime probarit, propterea quod locum veterum nullum adduxerim, ex quo τὸ *crebrius* efficeretur, cum quinque ipse afferat testimonia, quibus *sedes Apostolicas* fuisse eas appellatas constet, quæ nullum Apostolorum habuissent institutorem. Eum namque, qui peritum sese Antiquitatum & Romanarum, & Græcarum, & Christianarum haberi velit, qui demum tot hac de re, quot mihi sunt in promptu, testimonia majorum fugerint, ne suspicari quidem possum. Equidem, quum satis esse omnibus explorata, quæ statueram, existimassem; veritus fueram, ne si veterum, quæ sunt ea de re loca produxissem, aliqui tandem aliquando invenirentur, qui uti me voluisse testibus minime necessariis dicerent. Sed est nunc illi faciendum satis, ut, (quamquam diffido, tamen si fieri quidem potest) conqueri aliquando desinat. Tertullianus libro indicato *capit.* XXXV. *pagin.* 215. „ *Percurre*, inquit, *ecclesias Apostolicas*, *apud quas ipsæ* „ *adhuc Cathedræ Apostolorum suis locis præsident* „. Loquitur de ecclesiis ab Apostolis constitutis, easque Apostolicas vocat, in quibus ait cathedras, seu sedes Apostolorum, hoc est Apostolicas suis locis præsidere. Eusebius *lib.* VII. *Hist. Eccl. cap.* XXXII. *pag.* 326. *edit. Taurin.* obtinuisse, scribit, Hermonem ἀποστολικὸν θρόνον *Apostolicam sedem* ecclesiæ Hierosolymitanæ. S. Athanasius *in Historia Arianor. ad Monachos n.* XXXV. *pag.* 364. *edit. Montfauc. Paris. an.* 1698. *sedem Romanam* ἀποστολικὸν θρόνον vocat. S. Augustinus *lib.* II. *De Doctrina Christiana cap.* VIII. *pag.* 18. *tom.* III. *Part.* I. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. „ In canonicis scripturis, *inquit*, ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere .... meruerunt „. Quis ex hoc loco non concludat, Apostolicarum sedium nomine, episcoporum illorum sedes intelligi præcipue consuesse, qui ecclesias ab Apostolis institutas moderabantur? Iuvenalis Hierosolymorum antistes *act.* IV. *synodi Ephesinæ pag.* 1490. *tom.* I. *Concilior. edit. Paris. Harduin.* „ Oportebat, *inquit*, Iohannem ... Antiochiæ episcopum .... accurrere ad ἀποστολικὸν θρόνον ... τῆς μεγάλης ῥώμης *ad Apostolicam sedem* ... magnæ Romæ, καὶ τῷ ἀποστολικῷ τῆς ἱεροσολύμων ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας ὑπακούειν: Et *Apostolico* (adde throno) *ecclesiæ Hierosolymorum parere &c.* „. Sozomenus *Historiæ lib.* IV. *cap.* XXV. *pag.* 157. *edit. Taurin.* Cyrillum Hierosolymitanum de jure Metropolitico cum Acacio Cæsareensi contendisse scribit, ὡς ἀποστολικοῦ θρόνου ἡγούμενον *ut tenentem Apostolicam sedem*. Quæ autem hæc fuisset argumentandi ratio, si cujusque episcopi sedes Apostolica dici tam crebro consuesset, quam dici solebant sedes eorum, qui ecclesias, quas rexissent Apostoli, obtinebant? Quod enim de iis potius, qui sedem ab Apostolo quopiam institutam occuparent, quam de ceteris intelligitur, id crebrius fuisse usurpatum facile est existimare. Rursum synodus Antiochena *Act.* X. *Concil. Chalced. tom.* II. *Concil. edit. Paris. Hard.* ἀποστολικὸν θρόνον *Apostolicam sedem*

mi ſuccedunt, ipſi ſunt Pontifices *Apoſtolici* appellati. Cumque Paulus & Apoſtolus, & adjutor Petri fuerit, Romæque Evangelium nunciarit, martyrio perfunctus ſit, eccleſiamque a Petro, atque a ſe ipſo conſtitutam ſuo ſanguine illuſtraverit; nihil prohibebat, quin a Petro, ac Paulo conſequuti fuiſſe nomen Apoſtolicum Pontifices dicerentur. Quod ſi ſcriptorum catholicorum ſententia eſt, *perſonalem* (1) fuiſſe ampliſſimam reliquorum Apoſtolorum auctoritatem, eamque non in epiſcopos, ſed in unum Pontificem manaſſe; quid obſtat, quo minus, quam a Petro, & Paulo, eamdem a Petro, & Paulo, & Johanne, & Jacobo cenſerentur Pontifices conſequuti Apoſtolicorum appellationem? Sed de his plura fortaſſe, quam neceſſe fuit.

Iudicum (2), *Patrum* (3), quibus ſint Pontifices nati filii, *principum* (4), *præcipuorum*, atque *ſummorum* vocabula ut in Paulum, ita in alios quoſque Apoſtolos cadere interdum poſſunt; quare non ſunt primatus illius, de quo agimus, argumenta.

Irenæus a Petro, Pauloque fundatam eccleſiam (5) Romanam dixit; eamdem vero eccleſiam principatum, Pauli cauſ-

ſedem thronum Antiochenum appellat, *pagin.* 514. Idem de ſede in ſynodi ſeptimæ *Act.* I. *tom.* IV. *Conciliorum edition. Pariſien. Harduin. pagin.* 51. ſcriptum legimus. Jam vero ſi multo plura Hiſtoricus inſequentium etiam temporum exempla ſibi proponi cupiat, quibus quæ fuiſsent ab Apoſtolis inſtitutæ, dici ſæpius conſueviſse demonſtretur, illi equidem morem geram. Interea ex his octo perſpiciet, recte ne ſcripſerit: „ Sicchè è di parere il Padre Mamachi, che Sedi Apoſtoliche ſieno più che le altre chiamate quelle, che „ furono dagli Apoſtoli iſtituite. Ma ſi dà il caſo, i più eſempli, che negli antichi monu„ menti abbiamo di chieſe dette ſedi Apoſtoliche, ſono di chieſe, le quali dagli Apoſtoli non „ furono fondate „: idque ut efficeret, exempla protulerit omnino quinque, quorum certe duo, ſi diligenter conſiderentur, contorqueri in alium ſenſum poſsunt. Eſt porro Hiſtorici humanitas erga me ſingularis, qui quaſi in cathedra ſedeat Ariſtotelis, docet me propoſitionum diſtinguendarum, expediendarumque controverſiarum modum. Nam etſi, quod *pag.* 287. *ſeq. tom.* IV. *De Sedis Apoſtolicæ nomine Romanæ eccleſiæ peculiari*, tam clare, dilucideque ſcripſi, ut ne oratione quidem egere videatur, *crederei* tamen, inquit, *che abbiſognaſſe queſto punto di una diſtinzione*. Sed de his alias.

1 Confer Petavium *lib.* I. *De Hierarch. Eccl. cap.* V. *n.* VIII. *pagin.* 681. *tom.* III. *Theologicor. Dogm. edit. Pariſ.* Eodem pertinent, quæ diſputant Arcudius, Habertus, aliique. Confer Allatium *lib.* I. *cap.* V. *n.* XIX. *pag.* 82. *indic. operis.*

2 Vide *not.* I. *pag.* 449. *hujus vol.*

3 Conſule *eamdem notationem pag.* 449. *& not.* I. *hujus paginæ*.

4 Vide eamdem *notationem pag.* 450. Ac ſi Iohannes, ut *ibid.* vidimus, ac Petrus *Coryphæi*, hoc eſt *vertices*, ſunt vocati Apoſtolorum, cur non item ſummi dici potuerint non video, quum in rebus quibuſque ſummus ſit vertex.

5 Confer *pag.* 389. *ſeq. hujus vol.*

caussa obtinere, non dixit. At cum ei adhærendum esse, propter potiorem principalitatem, statuit, ut Petri, ita quoque Pauli mentionem fecit. Quis negat? Sed non video quid sequatur. Quid? An Johannem adversarii principem Christianæ reipublicæ summum fuisse defendent, qui caput cum Petro, Pauloque unum componeret; quia Tertullianus, de Romanæ ecclesiæ dignitate loquens, Petri, Pauli, atque Johannis, a quibus amplificata fuisset (1), meminit? Id si negent (negant autem vehementer, ut video) quid est, quod esse ex Irenæi verbis consequens arbitrentur, fuisse Paulum Petro Pontificatus Maximi dignitate, auctoritateque parem? Verum longe discrepans fuit Irenæi, atque Tertulliani ratio. Hi namque hæreticos expugnaturi, eam a quoque Christiano doctrinam coli oportere constituerunt, quam a Christo docti (2) Apostoli fuissent, iisque ecclesiis tradidissent, quibus suos auditores præfecerant. Institutas autem ecclesiam Smyrnensem ab Johanne, Corinthiam, Philippensem, Thessalonicensem a Paulo, Romanam a Petro, Pauloque; iisdemque ecclesiis præfectos fuisse illos, qui disciplinam ab ipsis Apostolis accepissent, ut Polycarpum Smyrnensi, Romanæque Linum, aut Clementem. Esse igitur ab horum successoribus dogmata Christi repetenda, non ab hæreticis, qui rebus novis delectarentur. Cum autem Romanæ ecclesiæ incidisset mentio, ut vim, ac pondus suæ Irenæus adderet orationi, huic esse imprimis auscultandum animadvertit, ut quæ sit princeps ceterarum. Verum Petri ne, an Petri simul ac Pauli ratione id principatus genus obtineat, explicandum non putavit: non quod res illum tam certa, tamque testata fugeret (quemadmodum namque vir doctus, inque libris sacris tanta cum laude ver-

1 Consule locum Tertulliani *pag. 61. hujus vol.* Adversariis non placet, quod Habertus, Iohannem Romam propagandi evangelii caussa venisse dicit. At nisi hoc velit Tertullianus, quid demum velit, non video. Doctrinam enim ab Apostolis Romanæ ecclesiæ traditam commendaturus, Petrum, Paulum, Iohannemque commemorat. Id vero numquam fecisset, si Iohannem immissum in dolium ferventi oleo plenum fuisse tantum, non autem docuisse Romæ putasset.

2 Vide *pag. 389. & 59. seq. hujus vol.*

versatus, quæ scripta sunt de Petro & Pastore agnorum, atque ovium, & regni cælestis clavigero in evangeliis ignorasset?) sed rei alius caussa. Credo ne abs re sibi ad demonstrandum proposita recessisse videretur.

Jam vero Patres de Petro, ac Paulo conjunctim persæpe & loqui, & scribere consueverant, propterea quod sese illi mutuo dilexissent (1) unaque Antiochiæ, ac Romæ versati fuissent, evangelium nunciassent, eorumque alter dignitatis, auctoritatisque ei a Christo tributæ; alter doctrinæ, itinerum, laborum susceptorum ratione principatum tenuisset (2), atque uterque eodem die, eademque in urbe sanguinem, Christianæ religionis tuendæ caussa, fudisset (3).
De

1 Ita fit, ut ecclesia canere soleat: „ Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua di„ lexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

2 Vide Prudentii *pag.* 306. *not.* 4. Origenis *pag.* 412. *not.* 4. Petri Alexandrini *p.* 413. *not.* 3. Augustini, & Cypriani *pagin.* 414. *not.* 25. Leonis I. *pagin.* 375. *seq* Hilari Papæ *pag.* 416. *not* 3. Gelasii Papæ *pag.* 416. *not.* 5. Basilii Seleuciensis *pag.* 418. *not.* 3. Aratoris *pag.* 295. *not.* 5. *&* *pag.* 419. Venantii Fortunati *pag.* 419. *not.* 4. Monachorum secundæ Syriæ *pag.* 420. *not.* 3. Pelagii II. Papæ *pag.* 420. *not.* 10. Agathonis Papæ *pag.* 421. *not.* 4. Germani Constantinopolitani *pag.* 422. *not.* 7. Johannis XXIII. P. M. *pagin.* 425. *notat.* 13. & s. Thomæ Aquinatis *pag.* 427. *not.* 2. *&* *pag.* 38. *notat.* 5. Jucundissima testimonia. In vetustissimo Leoniano Sacramentario apud Assemanum *loc. cit. pag.* 46. hæc leguntur. „ Qui ut hanc sedem regimen ecclesiæ totius efficeres, & quod hæc prædicasset, „ ostenderes ubique servandum, simul in ea (illo scilicet, quo supra id explicavi, modo) „ & APOSTOLICÆ PRINCIPEM DIGNITATIS, & MAGISTRUM GENTIUM COLLOCASTI „. *Et pag* 37. „ Quorum Beatissimum *Petrum* gratiæ tuæ, electionisque primitias IN APOSTOLICÆ „ DIGNITATIS CULMEN ASCITUM ita ad confitendum te Deum vivum... secreta tui revela„ tione docuisti, ut in cognoscenda unigeniti tui gloria, nullis carnis, & sanguinis impe„ diretur obstaculis. Pro qua magistra omnium credentium fide, confessorem tuum CÆLO„ RUM CLAVIBUS PRÆFECISTI, ut cui ad te per te fuerat accessus, per IPSUM CETERIS „ AD REGNUM TUUM PATERET INTROITUS. Huic quoque B. Apostolum Paulum AD SALU„ TEM GENTIUM non impari vocatione consocias, QUEM MAGNIS LABORIBUS PRÆPARA„ TUM gratia tua & mentem mutavit, & nomen „. Missa facio cetera, quæ ritualibus latinorum libris continentur. Nimium enim essem longus, si persequi omnia diligenter vellem. E *Melodicis diei festi Principum Apostolorum Canticis* Græcorum hoc unum afferam, quod habet Arcudius *pag.* 320. *seq. operis de Purgatorio igne, edit. Rom. an.* 1637. Ἱεροῖς ὑμνῳδιῶν στέμμασιν ἀναδήσωμεν Πέτρον, καὶ Παῦλον τοὺς διακηρύκων προστάτας, τὸν μὲν ὡς τῶν ἀποστόλων προεξάρχοντα, τὸν δὲ ὡς ὑπὲρ τοὺς ἄλλους κοπιάσαντα. „ Quibus laudum „ coronis coronabimus Petrum, & Paulum primos præsides Dei præconum, alterum quidem „ UT APOSTOLORUM PRINCIPEM, alterum vero UT QUI PLUS CETERIS LABORAVERIT?

3 Gelasius Pontifex Max. *in synod. Rom. ann.* 494. *tom.* II. *Concilior. p.* 938. *edit. Paris. Hard.* Primatum obtinere Ecclesiam Romanam testatus est, Petri Apostoli caussa, ob Christi servatoris verba: *Tu es Petrus* &c. Mox autem addit: „ Cui, *hoc est Petro*, data est so„ cietas Beatissimi Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt, „ sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro sub Cæsare Nerone agoni„ zans

De Apoſtolis ut fuerint a majoribus & columnæ, & doctores, & principes vocati, ſatis diſputatum eſt (1) Dicam de petræ appellatione; ſed breviter. Igitur & ſi fuiſſet aliquando a veteribus chriſtianis Paulus ſeparatim appellatus hoc tanto nomine, nihilo ſecius nunquam aſsentirer iis, qui omnibus rebus æqualem fuiſse Paulum Petro contenderent. Non enim Paulum, ac reliquos Apoſtolos (2) ſolum, ſed omnes etiam chriſtianos, qui recte vivunt, petras (3) interdum fuiſse dictos intelligo. Quotus vero quiſque adverſariorum eſt, qui Apoſtolos, Apoſtolos autem? immo vero chriſtianos bene inſtitutos omnes eodem jure, atque Petrus, fuiſse (4) appellatos petras putet? Quod ſi nemo eſt, quem demum ipſis conceſsurum ſperant, fuiſse Paulum Petro parem, propterea quod ille, etſi perraro, fuerit tamen a Patribus vocatus Petra? Quamquam fateor, legiſse numquam in veterum ſcriptis me, Paulum dictum fuiſſe petram, quum non cum Petro ſimul, ſed ſolus nominaretur. Quæ autem cauſsa fuerit, cur ambo, una nominati, petræ interdum dicerentur, quoniam explicatum alio loco (5) eſt, nunc omittatur.

At

„ zans coronatus eſt, & pariter ſupradictam Romanam eccleſiam Chriſto Domino conſecrarunt, talemque omnibus urbibus in univerſo mundo ſua præſentia, atque venerando triumpho prætulerunt „. Vide, ut Romanam eccleſiam primatum ob Petrum obtinere profeſſus eſt, propterea quod dictum ei a Chriſto fuerit, *tu es Petrus*, Paulum autem non æqualem Petro, ſed ſocium datum affirmet, qui Romanam eamdem eccleſiam ſua præſentia, ſuoque ſanguine illuſtraret? Ac ne ſocium quiſquam æqualem eſſe arbitretur, meminerit, Chriſtianos in ſocietatem Chriſti vocatos a Paulo dici. Chriſtianos vero æquales eſſe Chriſto, quis demum, niſi impius, atque demens, putet?

1 Vide *pag. 449. not. 1. hujus vol.*

2 Sacramentarium Leonianum *apud Aſſemanum par. III. lib. IV. Cod. Liturg. Eccl. Univerſæ edit. Rom. an. 1754. pag. 47.* hæc habet: „ Qui in montibus ſanctis cæleſtis Hieruſalem fundamenta poſuiſti, quæ duodecim ſolidata lapidibus Apoſtolorum Chorum eccleſiæ tuæ ſpiritali conſtructione declarat &c.

3 Vide Origenem *tom. XII. in Matth. n. XI. tom. III. opp. edit. Pariſ. Monach. Congreg. s. Mauri*, ubi: „ Inde, *inquit*, accepta occaſione juſtos a Chriſti juſtitia, ſapientes a Chriſti ſapientia denominatos eſſe dices, idemque facies de reliquis ejus nominibus nomina in ſanctos ducens, & quicumque tales fuerint, dicetur iis a ſervatore illud, quod ita ſe habet: *Tu es Petrus*, & quæ ſequuntur ad id uſque: *non prævalebunt adverſus eam* „. Et paullo ante n. X. „ Petra eſt, *inquit*, omnis, qui imitator eſt Chriſti.

4 Iam hoc omnium Patrum, quorum teſtimonia ſupra aut deſcripſimus, aut indicavimus, auctoritate plane conſtat. Confer Huetii adnotationem ad *n. XI. Tr. ejuſd. Origenis in Matth. tom. eod. opp. Orig. edit. Pariſ. Monach. Congr. s. Mauri.*

5 Confer quæ ſcripſi *pag. 449. hujus vol. not. 1. & pag. 450. not. 5.*

At enim ita est Paulus columna, & princeps, & præpositus, & præfectus, & rector, & gubernator, & petra dictus (1), ut neque quidquam a Petro accepisse, neque

1 Abutuntur adversarii testimoniis Cyrilli Hierosolymitani e *Catech.* VI. *n.* XV. *pag.* 96. *edit. Paris. an.* 1720. quo loco Petrum, ac Paulum ecclesiæ προστάτας præsules, præsidesve vocat: Petri Chrysologi, quem *serm.* XXXIII. utrumque Apostolorum scripsisse ferunt, *principem fidei* fuisse, Chrysostomi, qui ait *Homil. in sanctos Apost.* XII. Paulum fuisse *ex ultimo primum* (*Homil. de orat.*) ,, columnam ecclesiæ, & firmiorem ferro, & petra, & spiritalem adamantem, & myriadum civitatum principem ,, (*Et Homil.* LV. *in Acta*) ,, Patrem, & parentem servorum Christi ,, (*Hom.* XXIII. *in* 1. *ad Corinth.*) ,, Ob prædicationem, & legationem præsulem orbis factum ,, (*Homil.* XXXII. *in epist. ad Roman.*) ,, Coryphæum chori Apostolorum, & præsulem ,, (*Homil.* XXV. *in* II. *epist. ad Corinth.*) ,, Gubernatorem totius universi, omniaque ipsum, & nautam, & rectorem ,, (*In* 1. *c. epist. ad Gal.*) Honore æqualem Petro ,, (*Homil.* 1. *in epist. ad Rom.*) ,, mutationem nominis sortitum, ut hac item similis esset Petro ,,. Hieronymi, qui *lib.* 1. *in epist. ad Galat. c.* II. hæc habet: ,, Ille absque jactatione sui occultus est sensus: mihi qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt, sed e contra a me eis collatum est, dum fiunt in evangelii gratia firmiores ,,. *Et in cap.* 1. ,, Nullius pro lege auctoritate movetur, qui Christum solum evangelii habeat præceptorem ,,. *Et lib.* II. *in eamd. epist. post init.* ,, sed nec Paulus tam procaci maledicto de ecclesiæ principe loqueretur ,,. *Et ibidem in Proem. ad Paulam, & Eustochium*: ,, Ne negligendum putarent, quod Apostolorum principes observarent ,,. Hilarii Diaconi, qui in *cap.* II. *epist. ad Galatas*. ,, Paulus, *inquit*, gratiam primatus sibi soli vindicat, concessam a Deo, sicut & soli Petro concessa est inter Apostolos ,,. *Et*. ,, Plena auctoritas Petro in judaismi prædicatione data dignoscitur, & Pauli perfecta auctoritas in prædicatione gentium invenitur ,,. *Et*. ,, Quis eorum auderet Petro primo Apostolo, cui claves regni cælorum dominus dedit, resistere; nisi alius talis, qui fiducia electionis suæ sciens se non imparem, constanter improbaret, quod ille sine consilio fecerat ,,? *Et in cap.* XI. *epist.* 2. *ad Cor.* ,, ubi Paulum inducit loquentem hoc modo: ,, Existimo me in nullo inferiorem fuisse ab iis, qui valde sunt Apostoli ,,. Augustini in *Ps.* LXXXVII. aientis: ,, præcipuum membrorum Christi fuisse Apostolum Paulum ,,. *Et serm.* XXV. *de sanctis*: ,, Petrum Paulumque ditatos fuisse honore uno ,,: *Et serm.* XXIX. ,, duos eos potentissimos duces ,,. S. Maximi, qui *Homil.* V. *de ss. Petro, & Paulo* ,,: Inter ipsos, *inquit*, quis cui præponatur incertum est. Puto illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse ,,. *Et* ,, Petrus, ac Paulus videntur præ ceteris peculiari quadam .... fidei virtute præcellere ... Nam cum Petro sicut bono dispensatori clavem regni cælestis dedit &c. Clavem enim quodammodo a Christo scientiæ & Paulus accepit &c. Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ ,,. *Et Homil.* 1. ,, *Romæ* regni sui *Christus* principes collocavit ,,. *Et* ,, Ecclesiarum omnium principes ,,. Theodoriti episcopi Cyri *epist.* CXIII. *ad Leonem Papam*. Hilarii Arelatensis, qui *Hom. in Nat. Apost. Petri, & Pauli* ,, electos duos præcipuos, *ait*, ad duorum populorum salutem: Petrum ad judæorum, Paulum ad gentium ,,. *Et* ,,. Paulus æqualis per omnia virtutibus Petro. Nam etsi ille primus, iste præcipuus ,,. Fulgentii, qui *serm.* LVIII. ,, Hodie, *inquit*, prior passus est Petrus, hodie prior passus est Paulus ,,. *Et* ,,. Si Paulum dicis, Petrum non taces &c. Ennodii Ticinensis, qui *epist.* II. *ad Honorat. episc. Novar.* ,, Cælorum radii, *inquit*, Apostolorum diademata Petrus, & Paulus ,,. Venantii Fortunati, qui *lib.* III. *de vit. B. Mart.* ,, Culmen Apostolicum, *inquit*, celsas, & honore columnas, sæpe Petrum meruit, Paulumque videre licenter ,,. *Et*. ,, Principibus geminis fidei sub principe Roma carnis Apostolicæ, quo sunt duo celsa sepulcra. Prima tenent terris, & utrinqua priora supernis dogmatis ore pares, & sedis honore curulis; ambo triumphantes spargunt nova dona per orbem ,,.

fuisse Petro inferior videatur. Miror equidem adversarios, qui acuti videri velint, quæ dicta de Pauli sapientia, laboribus, Apostolatu denique fuerint, ea contorquere fuisse ausos, ut cadere etiam in pontificatum posse defenderent. Quod si Patres minus clare, minusque distincte his de rebus loquuti essent; id equidem, etsi graviter, at ferrem tamen. Cum autem ubi Paulum non inferiorem fuisse Petro, neque a Petro Apostolatus accepisse auctoritatem dixerunt, eo se pacto dixisse ostenderint, ut indicarent, vel de Apostolatu (1) sese fuisse loquutos, vel ita comparasse cum Petro Paulum, ut cum ille pontificatu præstantior fuerit, hic doctrinæ (2), laborum (3), propagati latissime evangelii (4) laude præcellere visus sit, qua

„ bem „. Mosis Barcephæ, qui *lib. de Paradiso part.* 1. *cap.* XI. *Paulum principem* dicit *Apostolorum*. Petri Damiani, qui *opusc.* XXXV. *c.* IV. „ s. Paulum præsidere, inquit, omnibus „ ecclesiis „. *Et in discept. synodi opusc.* IV. „ Non ignoras, quod inter omnes s. martyres „ Petrus, & Paulus in Apostolici Senatus culmine possident principatum „. *Et serm. de s. Vitali* XVII. „ Roma per duos summos Apostolos Petrum scilicet, & Paulum totius or„ bis sibi vindicat principatum „. Oecumenii, qui *in cap.* 1. *ad Rom.* non fuisse *Paulum inferiorem Petro* testatur. Cardinalis s. Georgii, & s. Laurentii Iustiniani.

1 De Apostolatu loqui Paulum ex illius ad Galatas litteris intelligitur. Scribit enim *cap.* II. *v.* 8. „ Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter „ gentes „. Itaque ut Petrum judæorum, ita se gentium Apostolum vocat. Cumque Petrus ob res egregie gestas ratione Apostolatus eminere collegis videretur, se quoque Paulus præstare Barnabæ, qui socius ipsi datus fuisset, demonstrat. Confer. Johannem Chrysostomum in *cap.* II. *epist. ad Galat. n.* III. *pag.* 684. *seq.* ubi „ Iam, *inquit*, se ostendit αὐτοῖς *ipsis* „ (Apostolis) ὁμότιμον *parem honore*, nec se reliquis illis, sed ipsi coryphæo comparat „. Qui demum? Qui? Vide quid mox Chrysostomus addat: *δεικνὺς ὅτι τῆς αὐτῆς ἕκαστος ἀπήλαυσεν ἀξίας*, *declarans, quod horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem*, Quid igitur? nisi ratione Apostolatus, parem ne dignitate Petro unumquemque Apostolum fuisse adversarii censent? Si negant, concedendum est, quæ Patres *de pari honore Pauli, ac Petri* dicunt, intelligi de Apostolatu oportere, non de principatu, seu Pontificatu Maximo Christiani orbis „. Vide supra *pag.* 320. *hujus vol. not.* 2.

2 Confer locum s. Maximi ab adversariis adductum *pag.* 457. *not.* 1. *hujus vol. ex homil.* V. *de ss. Apostol. Petro, & Paulo pag.* 355. *edit. opp. Venet. an.* 1741. Sed quem clavem scientiæ, cumdem potentiæ pontificatus Max. clavem obtinere necesse est. Id vero vehementer nego. Confer quæ scripsi *pag.* 398. *seq. not.* 1. Veterum enim, imprimisque Paulini auctoritate demonstratum est, dici interdum consuevisse regi populum verbo doctrinæ ab eo, qui ne episcopus quidem esset.

3 Vide locum e Melodicis canticis Græcor. supra descriptum *pag.* 457. *hujus vol. not.* 1.

4 Confer scriptorum loca indicata *pag.* 447. *hujus vol. not.* 1. Atque huc quidem Cyrilli sententiam pertinere ex eodem ipso contextu, quo adversarii confidunt, constat. Statim enim adjungit: „ Petrus namque erat is, qui claves cæli circumferebat. Nil quoque mirum. „ Paulus enim erat is, qui in tertium cælum, atque in paradisum raptus erat, audieratque „ arcana verba, quæ non licet homini loqui „. Vide ut sublimem his verbis de rebus divinis scientiam, doctrinamque Pauli, ac potestatem Petri Cyrillus prædicet? Rursum *Cat.* X. *n.* XX. *pag.* 147. „ Paulus, *inquit*, modico tempore inimicitias gessit, diuturno vero servi-
„ tium

qua demum confidentia consequens hinc esse quisquam con-

Mmm 2 ten-

„ tium exhibuit „. *Et catech.* xiv. *n.* xxvi. *pag.* 218. „ Elias revera in cælum assumptus „ est, at Petrus habet claves regni cælorum. . . Elias in cælum dumtaxat est sublatus, Paulus „ vero in cælum, & paradisum. . Descendit autem. . ut perceptis humanam sortem superantibus donis, cumque honoris accessione descendens, eum Christum prædicasset, & mortem pro ipso toleravisset, martyrii quoque coronam assequeretur „. *Catech.* xvii. *n.* xxvi. *seq pag.* 277. *seq.* de Petro, & Paulo agens. „ Eum, qui persecutor prius fuerat, „ præconem, & servum bonum reddidit, qui ab Hierosolymis in Illyricum usque Evangelium „ prædicavit, regiamque Romam institutis imbuit, & in Hispaniam usque promtam prædicandi voluntatem extendit, mille præterea labores adivit, signaque, & prodigia effecit, „ de quo hæc interim dicta sufficiant. In virtute igitur ejusdem Spiritus Sancti & πρωτοστάτης τῶν ἀποστόλων, ἡ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος &c. *Apostolorum* „ *primus princeps, regni cælorum claviger Petrus* „. Quis neget igitur, principatum Paulo caussa prædicationis evangelii, itinerum, atque laborum a Cyrillo; Petro vero ob principatum primum (nam hunc πρωτοστάτην vocat; Paulum vero προστάτην aliquando, non solum, sed una cum Petro, πρωτοστάτην autem nunquam vocat) clavesque tribui? Non is tamen sum, qui πρωτοστάτας quandoque Petrum, ac Paulum fuisse dictos negem. Verum junctim quod sciam, ut in canticis melodicis Græcorum, de quibus est supra demonstratum; solumque Petrum persæpe; Paulum vero solum numquam. Ex locis autem Chrysostomi, quos adversarii proferunt, principem fuisse, & columnam &c. Paulum appellatum, caussa tam late propagati evangelii, perspicue palam est. Vide *not.* 1. *pag.* 449. *hujus voluminis*. *Homil.* xxiii. *in* 1. *epistol. ad Corinth. pag.* 202. *n.* 11. *tom.* x. *opp. edit. Paris. Monachor. s. Mauri*, quem locum adversarii urgent: „ Si Paulus, *inquit*, qui tot homines docuit, quoque & factus est Ange„ lus, & universi τὴν προστασίαν *patrocinium suscepit*, vel *præfecturam &c.* „ En ut præfectum ob prædicationem universo orbi dicat. Ita fit, ut Paulum Petro primas cedere confiteatur, τῶν πρωτείων παραχωρεῖ τῷ Πέτρῳ. *Hom.* xxxv. *n.* 5. *pag.* 329. *in eamd. epist.* Confer ejusdem Chrysost. *Homil.* xxvi. *in* ii. *epist. ad Cor. pag.* 617. *tom. eod.* Huc item spectant, quæ ex Augustino opponunt. Ceterum Augustini perspicua sunt de Petro præstantiore Paulo testimonia. Vide supra *pag.* 414. *not.* 25. *hujus vol.* Theodoritus autem *epist. ad Leonem pag.* 219. *tom.* ii. *opp. s. Leonis edit. Cacciar. Rom.* hæc scribens. „ Si Paulus præco veri„ tatis, tuba Spiritus Sancti ad magnum Petrum se contulit, ut iis, qui Antiochiæ de legali „ conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret „: nonne ostendit Paulo fuisse prælatum Petrum? Hilarius porro Arelatensis, seu quisquis est Homiliarum, Sermonumve, qui illius nomine circumferuntur, auctor, virtute Petrum Paulo fuisse æqualem, atque illum primum, hunc præcipuum dicens, satis indicat non de Pontificatu se, verum de virtute agere. Quo sane sensu priorem Petrum, & priorem item Paulum Fulgentius, & Ennodius diademata Apostolorum ambos illos Apostolus vocaverunt. Confer Hilarii *pag.* 457. *not.* 1. *hujus vol.* & Fulgentii *pag.* 448. *not.* 3. & Ennodii *pag.* 144. *seq. not.* 7. testimonia, ex quibus primatus potestatis, hoc est Pontificatus maximus intelligitur tributus fuisse Petro. Non me movent Venantii Fortunati carmina. Quod enim ille de culmine Apostolico scribit, satis est explicatum supra *p.* 443. *not.* 1. *&* 2. *hujus vol.* Ac principem prædicatione fuisse Paulum, Petrum gradu, ac potestate, idem est auctor Fortunatus, ut ostensum est *pag.* 419. *hujus vol. not.* 4. Moses Barcephas eo sensu principem appellat Paulum, quo alii quidam scriptores, de quibus demonstratum est supra *pag.* 449. *not.* 1. *hujus vol.* Miror autem quid sit, quod Petri Damiani auctoritate glorientur. Is enim *opusc.* xxxv. *de Pict. principum Apostolorum cap.* iv. *tom.* iii. *pag.* 267. *edit. an.* 1664. Paulum prædicationis caussa principem dici confirmat: „ Plane quia ipse toto terrarum urbe universalem fundavit ecclesiam, „ dignum est, sicut ut in omnibus fidei semen sparsit, sic etiam in omnibus jus teneat præ„ fidentis „. Negat porro episcopum Romanorum fuisse Paulum, quod cum adversariorum sententia pugnat: „ Iste dum nullam cathedram specialiter teneat &c. „. Quinetiam *primum & principem Senatus Apostolici* Petrum nominat. *Ibid. cap.* 1. *pag.* 265. Quod vero ait:

„ inter

tendet, nihil fuisse divinitus datum Petro, quod veteres concessum quoque fuisse Paulo non putarint? Nihilo gravius est, quod de Petri apud Judæos, deque Pauli apud gentes auctoritate objiciunt. Est enim de Apostolatu (1), non de Pon-

„ inter omnes sanctos Martyres Petrus, & Paulus in Apostolici Senatus culmine possident „ principatum „ de principatu martyrii, non de Pontificatu intelligi omnino debet. Principem porro esse Romanam ecclesiam per Petrum ac Paulum scribit, non quo Pontifex Paulus esset, sed quo e præcipuis, magnisque Apostolis ob labores susceptos, sapientiam &c. cum esset, martyrium subijsset Romæ cum Principe primo Apostolorum. Oecumenius in *cap.* XIX. *Act. & in c.* I. *ep. ad Rom.* Paulum mutatione nominis similem fuisse Petro testatur, quod ut hic ante Simon, post Petrus, ita ille Saulus, post Paulus sic appellatus. Cardinalis s. Georgii *loc. cit: pag.* 445. *hujus vol. not.* 1. *Pastorem Petrum, Paulum vero electionis vas, gentium doctorem, ad tertium cælum provectum, compatronumque* vocat. Sed diversa ratione ab utroque principatum obtineri existimat. S. Laurentius Justinianus eo pacto apices Apostolatus, clavigerosque Petrum, ac Paulum appellat, quo ii, de quibus *pag.* 443. *not.* 2. *hujus voluminis* egimus, loquuti sunt. Vide illius *serm. de ss. Petro, & Paulo pag.* 40. *seq. edit. opp. an.* 1506.

1 Petrum omnium fuisse Christianorum caput, ac principem non Iudæorum modo, sed etiam eorum, qui ex gentibus ad Christianam religionem accessissent, fatentur Hieronymus *loc. indic. pag.* 138. *not.* 2. *hujus vol.* Ambrosiaster, seu Hilarius Diaconus *loc. indicato pag. hujus vol.* 138. *seq. not.* 3. Quinetiam *Primum* inter Apostolos fuisse Petrum, ne Paulo quidem demto, idem est auctor Hilarius *in epist. ad Corinth.* II. *cap.* XI. *pag.* 232. *tom.* IV. *opp. Ambros. edit. Venet. ann.* 1751. „ Omnes, *inquit*, Apostoli, exceptis Iohanne, & „ Paulo, uxores habuerunt. Et vide an conveniat accusare Petrum Apostolum, qui primus „ inter Apostolos est, quanto magis inter cæteros? „ His est assensus Petrus Chrysologus *loc. cit. pag.* 140. *hujus vol. not.* 4. Neque vero loco indicato solum, sed etiam in ea, quam ad Eutychen scripsit, epistola, quæ extat *tom.* II. *opp. s. Leonis edit. Rom. Cacciari p.* 111. *seq. post epist.* XXXIV. *al.* XXXIII. *Pag. enim* 112. „ B. Petrus, *inquit*, qui in propria sede „ vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem „. Quæ cum ita sint, sicubi Hieronymus scribit, ut *in cap.* II. *epist. ad Galat. pag.* 240. *seq. tom.* IV. *part.* 1. *opp. edit. Martianæi*: „ Inter docentem, & discentem minorem esse illum, qui discit; interque conferen„ tes esse æqualitatem, & (veluti in *cap.* 1. *pag.* 237.) ostendi a Paulo non Petrum, non „ Iacobum, non Iohannem se habuisse doctores, humilemque fuisse Paulum, qui doctor in „ toto orbe jam gentium ad præcessores Apostolos evenerit (in *cap.* II. *pag.* 240. *seq.*) etsi „ Christum solum evangelii habuisset præceptorem „ (*Ibid. in cap.* I.) de Apostolatu id quidem, non de primatu, seu Pontificatu maximo scribit. Neque enim quidquam in ejus verbis est, quod ad Pauli primatum, si quis esset, contorqueri posse videatur. Ac Hieronymus ubi junctim de Paulo, & Petro disserit, neque alterum alteri comparat, principes eos appellat ecclesiæ; ubi unum cum altero confert Petrum *principem* vocat, non Paulum: „ sed „ nec Paulus tam procaci maledicto de ecclesiæ principe loqueretur „ inquit (*lib.* III. *in eamd. epist. post initium pag.* 292.) Quid? si non modo non reprehendat Porphyrium, quod Paulo Petrum, ex sententia Christianorum, principatus ecclesiæ caussa, præferendum dixerit, sed etiam rationes quærat, quibus consulere Petri dignitati possit (*epist. ad Augustinum* LXXV. *al.* XI. *capit.* III. *num.* 4. *pagin.* 128. *tom.* II. *opp. s. Augustin. edition. Antuerp. an.* 1700.) inquiens: „ Et in fine ejusdem capituli ... scripsi: sicui iste non placet sensus, „ quo nec Petrus peccasse, nec Paulus procaciter ostenditur arguisse majorem, debet expo„ nere, qua consequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipse commisit „ *& num.* 6. *pag.* 129. „ Hanc explicationem (de reprehenso honesta dispensatione Petro a Paulo), quam „ interpretes sunt sequuti, illa vel maxime caussa subintroducunt, ut Porphyrio respondeant „ blasphemanti, qui Pauli arguit procacitatem, quod principem Apostolorum Petrum ausus „ est

de Pontificatu intelligendum. Cum enim Apostoli, qui Hierosolymis agebant, datam a Christo potestatem Apostolatus Paulo fuisse tot signis, prodigiisque cognossent, datis dexteris (1), in societatem Paulum, atque Barnabam receperunt, decreveruntque, ut hi quidem gentes, illi Judæos docerent, ita tamen, ut si tempus, si ratio, si opportunitas monuisset, fas esset Paulo Judæos, Petroque ethnicos instituere. Verum commissum numquam ab eis est, ut Petrus & centrum, & fons (2), & radix, & caput unitatis, adeoque etiam & primus Antistes, & Pontifex Maximus, qualis erat a Christo constitutus, esse desineret. Immo vero Patres cum hæc & sæpe, & magnifice prædicarent de Petro, tum numquam esse dicenda de Paulo judicarunt, quod satis explorate perspexissent, hoc genere fuisse Paulum Petro inferiorem (3).

Quod

„ est reprehendere... Si igitur me reprehendis errantem, patere me quæso errare cum „ talibus (interpretibus)„. Quid autem est, nisi hoc Petrum præferre Paulo est? Eodemque modo explicandæ sunt, quæ habet Ambrosiaster, seu Hilarius *Comment. in epistol. ad Galatas cap.* II. *pag.* 257. *seq.* aliisque illis in locis, quibus adversarii abuti audent. Atque huc item revolvuntur, quæ *de Petro, & Paulo fidei principibus serm.* ut jactant, XXXIII. „ Et de Petri Pastoris collega Paulo, qui pro pastu plenæ lactis uberæ porrigebat „. *serm.* VI. *in Ps.* XCIX. *pag.* 6. *edit. an.* 1633. scribit Chrysologus. Nam *prædicatione* fideique propagatione fuisse indicant, non *pontificatu* maximo Paulum collegam Petri.

1 S. Paulus *cap.* II. *epist. ad Galatas v.* 6. *seqq.* „ Ab iis autem qui videbantur esse ali„ quid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus personam hominis non accipit) „ mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sed e contra cum vidissent, quod „ creditum est mihi evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis, qui enim operatus „ est Petro in Apostolatum operatus est & mihi inter gentes, & cum cognovissent gratiam, „ quæ data est mihi Iacobus, & Cephas, & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dexte„ ras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. „ Tantum ut pauperum memores essemus „. Ethnicorum autem a Petro fuisse plures ad Christiana sacra perductos ex *Actor.* X. & XI. ut item Iudæorum a Paulo *Act.* XIII. XIV. XVII. XVIII. & XXVIII. *capp.* intelligitur. Confer *Greg. Nazianz. orat.* I. *pag.* 24. *edit. Colon. an.* 1690. ubi Paulus est, *inquit*, κήρυξ ἐθνῶν, ἰουδαίων προστάτης *Prædicator gentium, judæorum præses*. Is autem multo id magis de Petro dixerit, necesse est, quem ceteris omnibus præfert; ut ostensum est supra *pag.* 197. *hujus vol. not.* 5.

2 Vide supra Cypriani locum *pagin.* 73. & Hieronymi *pagin.* 138. *not.* 2. & Optati Milevitani *pag.* 347. *seq. not.* 2. *hujus vol.* Idem Optatus *lib.* VII. *n.* III. *pag.* 101. *edition. Antuerp.* „ Christus OMNES DISCIPULOS suos voluit in uno esse... Bono UNITATIS PETRUS „ eligitur, cui satis erat, si post quod negavit, solam veniam consequeretur, & PRÆFERRI APOSTOLIS OMNIBUS MERUIT, & CLAVES REGNI cælorum communicandas ceteris ac„ cepit... Potuit utique CAPUT APOSTOLORUM ita se gubernare, ut nihil incurreret, quod „ doleret „.

3 Vide *pag.* 438. *not.* 1. *hujus vol.*

Quod adjungunt de Paulo *nulli ſecundo* (1), ſimile eſt ſuperiorum. *Nemini* enim *ſecundum* Apoſtolatu (2), ſapientia, laboribus, itineribus, *zelo* Paulum fuiſſe aſſentior; *nemini* autem *ſecundum* Pontificatu (3), nullo modo prorſus aſſentior. *Titulos præterea honorum omnes* fuiſſe Paulo tributos, qui tribui conſuerint Petro, vehementer nego. Eſt id namque omnino falſum. Nam Petrum minorem, inferioremque Paulo vocatum numquam legimus; Paulum contra minorem, inferioremque Petro dictum legimus & apertis verbis, & ſæpe (4). Quid? Caput Paulum uſquam, aut centrum, aut fontem, aut radicem unitatis, quacum ceteri Apoſtoli conjuncti eſſe deberent, ut ſchiſmatis tollerentur occaſiones, quiſquamne fuit majorum, qui diceret, quæ omnia fuiſſe de Petro & dicta, & litterarum mandata monumentis conſtat? Quod addunt, redargutum fuiſſe Petrum a Paulo, quale tandem eſt? An Petrum Paulo poteſtate inferiorem fuiſſe cenſent? Minime gentium. Atque hoc etiam reſtabat, ut Gnoſticis auſcultarent, qui Paulum Petro prætuliſſe videbantur. Quorſum igitur hoc pertineat? quæro. Nam ſi nihil impedire, ajunt, quo minus ab æquali reprehendi quiſquam & poſſit, & interdum etiam debeat; ſciant nihil perinde obſtare, quin & poſſit, & debeat aliquando ab (5) inferiore. At quæ eſſe inferioris in ſuperiorem auctoritas poteſt? Ridiculum! Quaſi vero par in parem quidquam obtineat poteſtatis. Si enim obtineret, non par ille quidem, ſed ſuperior

1 S. Ambroſius *Lib. II. de Spir. S. c.* XIII. *pag. 82. tom. IV. opp. edit. Venetæ ſupra indicatæ.* „ Nec Paulus *inferior* Petro, quamvis ille ECCLESIÆ FUNDAMENTUM, & hic ſapiens „ architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus, inquam, indi- „ gnus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facile conferendus, & nulli ſecundus. Nam „ qui ſe imparem neſcit, facit æqualem „. Quis hæc de architecti veſtigia fundantis credentium prædicatione, & Apoſtolatu intelligi oportere neget? Itaque Collegio Apoſtolorum dignum Paulum, & nulli ſecundum, in eo genere, Apoſtolatus nempe, dicit, quod non minus laboravit doctor gentium, quam Apoſtolus primus, quem fundamentum Ambroſius teſtatur eſſe eccleſiæ, id quod de Paulo non affirmat.

2 Vide *not. 1. ſeqq. pag. 445. ſeqq. hujus vol.*

3 Confer *pag. 438. not. 1. hujus vol.*

4 *Pag. ſuperior. not. 2. hujus vol.*

5 *Pag. 438. not. 1. hujus vol.*

rior haberetur, & esset. Itaque cum & moneri superior ab æquali, atque ab inferiore, & reprehendi, si ratio id postulet, quod est a Patribus traditum, non modo possit quandoque, ut dixi, sed etiam debeat, reprehensio illa, cujus est in epistola ad Galatas facta mentio, non tam efficit parem fuisse Paulum, quam inferiorem Petro. Quare non est ad rem.

Extremum, quod objiciunt, ut separatim Petrum, ita etiam Paulum separatim fuisse & rectorem a Patribus, & principem Apostolorum (1), & pastorem, & ducem omnium, ac moderatorem, & clavigerum, & petram ecclesiæ appellatum; non est simile. Nam Petrus ab omnibus constanter, perpetuo (2), semper; Paulus perraro, atque a paucis his est ornatus titulis honorum. Quemadmodum autem neque Athanasius (3), neque Cyprianus (4), neque Timotheus (5), neque Apostoli (6) quidam, etsi

1 Vide *pag. 449. not. 1. hujus vol.*

2 Id vero traditione omnium seculorum constat. Confer PP. loca, quæ indicavi *p. 231. seqq. & pag. 286. seqq.*

3 Vide Patrum tetrimonia *pag. 81. n. 1.*

4 *Pag. 80. not. 1. hujus vol. & s. Gregor. Nazianz. orat. XVIII. pag. 281. tom. 1. edit. ann. 1690.*

5 Præcipuum in regno cælorum Cyprianum vocat s. Maximus *serm. de s. Cypr. p. 360.* consortem vero Apostolorum s. Laurentium *de s. Laur. p. 356. edit. Veneta an. 1741. p. 82. n. 1. h. v.*

6 Iohannes Chrysostomus *Homil. XXXII. al. XXXIII. in Matth. pag. 368. tom. VII. opp. edit. Monach. Cong. s. Mauri.* de Iohanne loquens, quem post Iacobum Fratrem Evangelistam nominat. „ Viden, inquit, πῶς οὐ κατὰ τὴν ἀξίαν *non secundum dignitatem* ponit, „ ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὁ Ἰωάννης οὐχὶ τῶν ἄλλων ἢ τοῦ ἀδελφοῦ μείζων εἶναι. *Mihi enim videtur Johannes non aliis solum, sed & fratre major esse*„. Mitto de reliquis dicere. Verum si laudibus, quibus Paulum veteres ornarunt, effici adversarii putant posse, Paulum fuisse æqualem Petro, jam ex hoc Chrysostomi loco concludent, fuisse Petro Iohannem non æqualem modo, sed majorem etiam dignitate, quamvis aliis in locis Chrysostomus idem fit auctor *primas semper Johannem cessisse Petro.* πανταχοῦ τὸν Ἰωάννην τῷ Πέτρῳ παραχωρεῖ. Sed animadvertendum adversariis erat, quemque Apostolorum aliqua in genere fuisse ceteris creditum excellentiorem, quamquam ea præstantia Apostolatus rationem, ac munus haud superaret, neque Pontificatus secum potestatem ferret, quam Petri propriam fuisse ostendimus. Itaque Patres, ut Petrum Pontificatus, amorisque erga Christum caussa collegis prætulerunt semper, ita Paulum quod plus aliis laborasset, Iohannem quod magistro acceptissimus fuisset, Jacobum Zebedæi filium, quod animo esset ad subeundam pro veritate religionis christianæ mortem parato demonstrasset, præcipue laudandos putarunt. Ita fit ut Chrysostomus ipse *Homil. LVI. al. LVII. in Matth. n. 1. pag. 566. tom. eod. VII.* „ Hi, *inquit*, „ aliis præstantiores erant. Petrus quod admodum diligeret Christum (*jam ante de primatu Petri dixerat. Vide pag. 94. seqq. & pag. 137. seq. not. 3. hujus vol.*) „ Iohannes „ quod valde diligeretur. Iacobus ex sua cum fratre responsione, quando dixit: *possumus* „ *bibere*; neque ex hac responsione solum; sed etiam ex operibus, tum aliis, tum, quod „ di-

etsi separatim a Petro hujusmodi nominibus honestati sunt, pares fuisse pontificatus ratione Petro creduntur, ita ne Paulus quidem, cui fuisse liquet a majoribus antelatum Petrum. Nos enim non quid raro, atque emphasi, adeoque ὑπερβολῇ quadam, sed quod semper, quod ubique, quod constanter, quod ab omnibus dictum, scriptum, transmissum ad posteriorem ætatem est, id esse retinendum, credendum, prædicandum defendimus. Nihil de Haberto, deque aliis, quos adversarii insectantur, dico. Si enim vocatum Paulum numquam separatim principem Apostolorum fuisse affirmarunt, leve id quidem illorum erratum fuit. Non enim omnia, quæ scripta a Patribus sunt, habere in promtu possumus. Quod ni ita esset, non tam graviter, ut supra demonstratum est, tamque multis in rebus illi ipsi, contra quos agimus, & qui Patres continenter crepant, peccassent. Quod autem errare nos vehementer ajunt, qui vereamur, ne biceps fuisse ecclesia videatur, si Petrus, Paulusque duo ecclesiæ principes, qui unum efficerent caput, fuissent; tam temerarium, tamque indignum catholico viro est, ut nulla sit ratione ferendum. Quis enim tam stolidus, tamque amens est, ut duos homines (quorum alter ethnicis tantum, alter tantum judæis, ut adversarii statuere videntur, præesset, quorumque unus alteri ne re quidem ulla etsi minima subjiceretur, sed ita par esset, ut sine alterius consulto, perficere, quæ vellet, posset) duos, inquam, ejusmodi homines unum potuisse caput constituere (1), arbitretur? Irrideant Patres, vanos, futiles esse dicant, quorum argumenta de divina, atque humana monarchia, & res ipsa, & ratio comprobavit, contemnant. Condemnent, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis,

„ dixerat &c. Iudæis quippe ita acer, & vehemens esse videbatur, ut Herodes munus maximum se illis daturum putaret, si eum occideret „. *Homil.* LXV. *n.* IV. *pag.* 648. „ Ab initio enim Iacobus magno ferebetur ardore, & missis humanis omnibus ad tam ἄφατον ὕψος *ineffabilem altitudinem* ascendit &c „.

1 Non me movet, quod *unum* fuisse Petrum, ac Paulum Patres interdum dicant, ut Petrum, Petrique dignitatem, & cathedram qui nominet, is nominare simul Paulum, Paulique dignitatem, & cathedram videatur. Nam qui dixerunt nominato Petro commemorari etiam Pau-

tis, aut imprudentiæ, qui duobus pluribusve vel principibus in republica, vel in mundo diis constitutis, Monarchiam (1) & humanam, & divinam non labefactari modo, sed tolli etiam funditus statuerunt. Atenim duo interdum, tresve Imperatores (2) rempublicam, salva Mo-

 nar-

Paulum videri, iidem hoc ipsum de Andrea dixerunt, etsi Andream æquandum non putarint Petro. Fulgentius enim *serm.* LXVII. *de Solemnitate ss. Apostolorum pag.* 358. *in append. edit. Venet. ann.* 1742. „ Quis eligens Petrum, *inquit*, respuat Paulum? Quis quærens An-„ dream, contemnat Jacobum, & Johannem? Nulla est diversitas nominum, quia una est „ corona gemmarum, unus natalis Apostolorum, una est lætitia populorum... Petrus in „ capite scaphæ cælestis triumphat in littore. Si Andream contempseris, unus est uterus, „ unus usus, unus innocens captus. Per pisces piscatorum paupertas tollebatur, per animas „ in captura conclusas gratia demonstratur, & regni cælorum divitiæ publicantur. In Scapha „ Petri quis numerat pisces? Quis in evangelio Pauli numerat gentes? Diversa nomina, & „ una captura „. Ex quibus verbis intelliges, qui demum explicandus sit ejusdem Doctoris de Petro Pauloque ex *serm.* LVIII. *in append. pag.* 352. locus: „ Una duobus concessa est „ gratia, in tantum, ut amborum videaris appellare nomina. Si enim Paulum dicis, Petrum „ non taces „ quo loco abuti aversarii consueverunt. De dignitate autem, quod addunt, ita est sumendum, ut sumi illud Cypriani, *de uno episcopatu*, omnino debet. Vide *p.* 70. *seqq. hujus vol.* Etsi enim Cyprianus *unum esse* dixit *episcopatum, cujus a singulis in solidum pars tenetur*, tamen episcopos ceteros æquari episcopo Romano posse, ne adversarii quidem ipsi censent. Eodem spectat, quod adjungunt de Cathedra. *Cathedram enim unam* esse Petri, a qua nullam Apostoli reliqui constituerint discrepantem, auctor est Optatus Milevitanus *lib.* II. *de Schism. Donatist. cap.* III. *pag.* 31. *edit. Antuerp. an.* 1702. „ Igitur, *inquit*, „ negare non potes scire te in urbe Roma PETRO PRIMO cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium APOSTOLORUM CAPUT PETRUS, unde & Cephas appellatus „ est, in qua UNA CATHEDRA UNITAS ab omnibus servaretur, NE CETERI APOSTOLI SIN„ GULAS SIBI QUISQUE DEFENDERENT, ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra „ singularem cathedram alteram collocaret „. Id cum de ceteris dictum sit, quid obstabat, quin diceretur de Paulo; qui Romæ aliquandiu constitisset, adjutor Petri fuisset, sanguineque suo ecclesiam illustrasset? Quid? Gregorius Magnus, qui ad Eulogium Alexandrinum (*epist.* XL. *lib.* VII. *pag.* 888. *tom.* II. *opp. edit. Paris. Monach. Congr. s. Mauri*) scribens: *In tribus locis unius esse Apostolorum principis sedem*, & Romæ, & Alexandriæ, & Antiochiæ statuit, adeo ut *una esset sedes, cui tres tunc episcopi præsiderent*, & quidquid de Alexandrino, atque Antiocheno diceretur, *ipse sibi Gregorius imputaret*, ita ne fuit institutus, ut Alexandrinum, aut Antiochenum antistitem æquandum esse putaret sibi? Id cum adversarii vehementer negent, quid est, quod ob similes dicendi rationes, quibus usi sunt aliquando veteres, Paulum fuisse Petro dignitate parem arbitrentur? Vide Habertum *de Primatu Petri singul. cap.* IX. *lib.* II. *pag.* 67. *seqq.*

1 Vide *pag.* 5. *hujus vol.* Confer etiam Habertum *lib.* II. *cap.* X. *pag.* 75 *seqq.*

2 Julius Capitolinus *in Marc. Aur. cap.* VII. *pag.* 316. *Histor. August. Scriptor. edit. Lugd. Batav. an.* 1671. *tom.* I. „ Post excessum divi Pii, *inquit*, a Senatu coactus regi„ men publicum capere, fratrem sibi participem in Imperio designavit: quem Lucium Au„ relium Verum Commodum appellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo „ pariter cœperunt rempublicam regere. Tuncque primum Romanum imperium duos Augu„ stos habere cœpit „. At quæ fuerit ejusmodi dignitas Lucii veri, Capitolinus in Lucii ejusdem vita narravit *cap.* IV. *tom. eod. pag.* 412. „ Sibi *Marcus eum* consortem fecit, „ quum illi soli (Marco) Senatus detulisset imperium. Dato igitur imperio, & indulta tri„ bunicia potestate, proconsulatus etiam honore delato Verum vocari præcepit, suum in „ cum

narchia, rexerunt. Ego vero, nisi duo illi reliqui subditi uni aliqua ratione fuissent, salvam fuisse verbo futuram monarchiam patiar, re autem vera non item. Oligarchia enim reipsa quæ sit, eam esse monarchiam quis credat? Ac nota quidem sunt incommoda, quæ illo ex genere oligarchiæ in rempublicam immigrarunt. Ea Patres, cum de divina monarchia agerent, etsi breviter, tam graviter tamen, tamque vere descripserunt, ut duobus principibus constitutis, unum caput coalescere, monarchiamque consistere nullo modo posse demonstrarint (1). Exemplum Trinitatis (2), quo adversarii abutuntur, non est ad rem. Quamquam enim tres sunt in Trinitate personæ, una tamen eademque natura, unus idemque *intellectus*, una atque eadem est *voluntas*. Id in hominibus non modo non dari, sed ne fingi quidem cogitatione potest. Scio esse aliquos, qui Augustinum una cum Valerio fuisse episcopum Hipponensium, parique auctoritate eam fuisse moderatum ecclesiam objiciant. Sed non animadvertunt, vivo sene Valerio, Augustinum, qui ignoratione canonum episcopus creatus fuerat, charactere quidem episcopatus eodem fuisse præditum, sermones ad populum habuisse, sacramenta administrasse, rexisse denique ecclesiam, sed subditum aliqua ratione fuisse præcessori, qui sese dignitate non abdicasset, cui idem Augustinus datus successor, atque adjutor, non collega *independens* (3), ut vocant, fuisset. Alioqui summa

„ cum transferens nomen, quum ante Commodus vocaretur. Lucius quidem Marco vicem red-
„ dens suscepit, OBSEQUUTUSQUE UT LEGATUS PROCONSULI, VEL PRÆSES IMPERATORI.
Idem de ceteris, qui collegas sibi asciverunt, dicendum Imperatoribus est. Confer Habertum *ibid. pag.* 78. Filii Constantini, & qui deinceps plures imperium obtinuerunt, ii tres, duasve Monarchias constituerunt, non unam. Vide *Aurelium Victorem in Constantini vita pag.* 178. *seqq. tom.* II. *Hist. Augustæ scriptor. edit. Paris. an.* 1544. Ab aliorum ut Valentiniani & Valentis, Valentiniani & Theodosii, Arcadii & Honorii, Theodosii Junioris & Valentiniani exemplis afferendis supersedeo. Nam pluribus rem satis perspicuam confirmare velle, hominum est otio, & litteris abutentium.

1 Confer *pag.* 5. *seqq. hujus vol.*

2 Vide Habertum *lib. eodem* II. *cap.* XII. *pag.* 96. *seqq.*

3 Ita etsi coepiscopus Valerii Augustinus erat, tamen ei obsequebatur, ut patri. Confer *Augustini epist.* XXXI. *al.* XXXIV. *ad Paulinum n.* IV. *pag.* 43. *tom.* II. *opp. edit. Antuerp. an.* 1700. Quod ni ita fuisset, tot orta incommoda in Hipponensi ecclesia fuissent, quot ante Mele-

ma oriri potuisset in Hipponensium Christianorum perturbatio rerum, atque confusio. Quæ cum ita sint, nihil est, cur adversariorum de sua a Spalatensis (1) errore discrepante sententia rationes morer. Nam quod Spalatensis duos principes unum caput constituisse non dicat, adversarii vero dicant, parvi refert. Verborum enim omnis hæc est pugna, non rerum. Duobus enim principibus omnino æqualibus positis, ut unum caput constituatur, ne fingere quidem possumus. Itaque recte, si de re ipsa sermo sit, disputatum ab Haberto de Spalatensis, atque adversariorum errore fuit. Allatius, quod nondum (2) damnata adversariorum sententia fuisset, verborum etiam rationem habendam existimavit; de re ipsa, etsi nobiscum sentiebat, expectandum esse duxit Apostolicæ Sedis judicium. De Combefisio, quod postremo loco opponitur, falsum est.

 Ab

Meletii, & Paulini caussa Antiochenam vexaverant. Adeundi Theodoritus *lib.* III. *Histor. Eccles. cap.* v. *seqq. pag.* 112. *seqq. edit. Taur. an.* 1748. Socrates *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* v. *pag.* 151. *& cap.* IX. *pag.* 157. *edit. Taur. an.* 1747. Nihil de Donatistis dico, quibus promissum olim a nostris fuit, si orthodoxam religionem, *unitatemque* amplexi essent, fore ut episcopi gradum, ac dignitatem eadem in ecclesia, in qua pro schismate tamdiu pugnassent, una cum antistite catholico sustinerent. Nostri enim tolli errorem, ac schisma, quam unum esse brevissimo tempore in peculiaribus quibusdam cœtibus caput, maluerunt. At id in Romana *universali* ecclesia neque fecissent umquam, neque fieri aut oportere, aut posse putassent. At adversarii Mosen, atque Aaronem duos fuisse synagogæ sacerdotes summos, qui unum caput constituerent, synagogam autem fuisse *in omnibus* ecclesiæ figuram censent. Neutrum nostri probant. Non enim *in omnibus* eodem modo synagogam fuisse ecclesiæ figuram, respondent, cum plures Christi figuræ in testamento vetere fuerint, quin plures Christi poni (nisi temere, impie, falsoque) possint. Jam vero ne Mosen quidem vere, proprieque fuisse sacerdotem, vel si fuit, *extraordinarium*, ut vocant, & *ad tempus*, non *ordinarium*, *perpetuumque*, ut Aaron, fuisse pugnant. Negant enim Mosen fuisse vere, proprieque sacerdotem s. Thomas *in* IV. *lib. sent. dist.* XIX. *p.* 122. *ed. a.* 1570. aliique: concedunt autem s. Gregorius Nazianz. *orat.* VI. *pag.* 137. *tom.* I. *opp. edit. an.* 1690. s. Augustinus *in Ps.* XCVIII. *n.* X. *pag.* 800. *edit. Antuerp. an.* 1700. Sed hæc facile componi possunt. Voluntate namque Dei factum est, ut potestate *extraordinaria* sacerdotio Moses fungeretur, Aaronemque sacerdotem primum ungeret. Hoc ille deinceps munere (ubi fratrem consecravit, eidemque, *ut accederet*, *atque immolaret*, jussit (*Levit. cap.* IX.) fungi desiit. Confer Tostatum *qu.* IV. *in c.* VIII. *Levitici pag.* 108. *seq. edit. a.* 1615. & antiquum scriptorem Josephum *lib.* III. *Antiq. cap.* VIII. *pag.* 157. *seq. to.* I. *opp. edit. Havercampi an.* 1726. Multa hac de re disputat Habertus *lib.* II. *de Primatu Petri singular. cap.* I. *pag.* I. *seqq.* quem consule.

1 *Lib.* I. *de Republic. Eccles. cap.* XI. *num.* XXIV. *pag.* 132. *tom.* I. *& lib.* IV. *cap.* I. *nu.* IX *seq. tom. eod. p.* 531. *seq.* Eadem fere turbat Iohannes Rainoldus Britannus *Colloq. Oxon. edit. an.* 1610.

2 Vide Leonem Allatium *lib.* I. *de Eccl. Orient. & Occident. perpet. Consens. cap.* III. §. XXIII. *seq. pag.* 33. *seqq. edition. Colon. ann.* 1648. & *cap.* VI. *ejusd.* §. XXI. *pag.* 85. *seq.*

Ab Raynaudo omnino hæc licentia, qui modo Cyriacos, quos dicit, in suspicionem, invidiamque erroris vocaret, fas sibi putavit esse, quæ recte nostri statuerant, ea quidem omnia impudenti calumnia pervertere conari (1). Com-

(1) Theophylus Raynaudus in Diatribis, quas adversus Dominicanos contumeliosissimas, plenasque maledicentiæ, & mendaciorum scripsit, Franciscum etiam Combefisium itam Dominicanum hæreseos per summam injuriam reum egit. Diatriba enim 1. De Imm. Cyriac. & Censura p. 272. ed. Cracov. et autem vera Lugd. a. 1669. t. an. 479. „Assertionem, inquit, cujus„dam Arnaudi de SS. Petro, ac Paulo duobus simul ecclesiæ capitibus individue in unum coale„scentibus Innocentius x. damnavit hæresens. Et tamen assertioni inhæsit Fr. Franciscus „Combefis Ord. Præd. in Collat. Act. vi. synodi p. 244. & 245. nixus stramineo argumen„to petito ex eo, quod aliquando Pontifices dicant, se esse successores Apostolorum Petri, „& Pauli ... Et quamquam ex collatione actorum hic auctor velut sepia, affuso verborum, „ac phraseon involutarum atramento tentaverit videri aliud dicere, quam dixerat Arnau„dus, & vel ab aliquo admonitus, vel notam inurendam extimescens in calce ejusdem vo„luminis, post notas ad Orat. Demetrii Cydonii velle censeri inhærere definitioni Ponti„ficiæ; tamen non retractat, quæ prius illo loco dixerat, totidem verbis cum Arnaudo „affirmans: Paulum una cum Petro, individue, una formali, ac per se Cathedra, cu„jus successio sit penes Pontifices, esse potitum „. Quam multa paucis verbis peccata! Primo namque, post Innocentii decretum, scriptam a Combefisio Histor. Monothelitar. vindiciasque Actor. vi. synodi statuens vehementer errat. Secundo, pugnantia loquitur. Narrat quippe Combefisium, qui contra hæresim videri voluerit dicere; pro hæresi reipsa dixisse, ac monitum, censuramque extimescentem revocasse, & minime revocasse, quæ sciens, atque volens, censuramque propterea extimescens adversus decretum scripsisset. Tertio, argumentum, quo nunquam usus Combefisius est, stramineum contumelia vocans Bellarmino, qui eo aliquando usus, facit injuriam. Quarto, Arnaldo hæresim, librosque quibus hæresis continetur, adscribens, quam hæresim, quosque libros Pontifices numquam Arnaldo attribuissent, & Arnaldi patroni adscribi Arnaldo non oportere defenderant: resque proinde incertas, dubiasque pro certis, atque exploratis confidenter sumens, videtur non veritatis studio agere, sed contentionis. Nolo enim gravius dicere. Quinto, verba Combefisii ab se esse descripta jactans, quæ Combefisius numquam usurpasset; aut oculorum vitio laborare, aut fide agat non bona necesse est. Sexto, sententiam Bellarmini, quasi Combefisii sueris damnans, eum adversarium falso accusat, socium hæreseos accusat. Septimo, susceptum a Combefisio patrocinium erroris affirmans, quem errorem illa ipsa pag. 244. Combefisius oppugnaverat, rem bene constitutam calumnia pervertere conatur. Octavo, non fuisse a Combefisio retractata, quæ de una formali cathedra dixerat, contendens, labitur. Quemadmodum enim Combefisius retractasset, quæ numquam scripserat? Quod si aliquando scripsisset, iis sane verbis omnino retractasset, quæ extrema ad Demetrii Cydonii orat. adnotatione continentur. Hæc si demonstraro, spero me facile ab lectoribus impetraturum, ut aut eum aut errore, aut injuria Combefisium in hæreseos suspicionem fuisse confiteantur. Ordiar igitur a primo. Ac Raynaudum quidem post decretum defensam a Combefisio hæresim fuisse dicere, perspicuum est. Assertionem, inquit, cujusdam Arnaudi ... Innocentius x. damnavit ... Et tamen assertioni inhæsit Franciscus Combefisius. Nisi enim post editum decretum scriptam Historiam a Combefisio putasset, quo tandem modo usurpasset τὸ et tamen inhæsit? Est namque horum verborum sensus hujusmodi. Etsi damnatam ab Innocentio Combefisius eam propositionem norat, eam nihilominus ausus fuit defendere. Sed Combefisius Historiam Monotheletar. & vindic. vi. synodi conscripserat ante anni 1645. vicesimam octobris diem, (ut ex litteris Magistri Ordinis ei voluminis præfixis, quibus facta Combefisio operis illius publicandi potestas fuit, intelligitur) cum decretum editum Ianuario mense anni 1647. fuisse constet. Quod si typis excusæ Vindiciæ synodi vi. nondum fuissent,

cum

Combefisius autem etsi minus distincte interdum, minus-

cum est publicatum Innocentii decretum, cur in extremo Volumine post orationem Demetrii Cydonii, non in Vindiciis iisdem *conseri inhaerens definitioni Pontificiae* Combefisius *voluisset*? Si ergo Raynaudo auctore, *censeri tunc voluit inhaerens definitioni Pontificiae*, multo id magis fecisset, cum typis historia, vindiciaeque excuderentur, ne ullam occasionem accusandi daret. Quamobrem concedendum est, aut scriptum ante Innocentii jussu decretum non fuisse, aut nihil tunc de definitione Combefisium accepisse. De altero non est opus ut esse plura dicenda putem. Est namque patens, ac manifestum. Quid enim commodi sese adepturum Combefisius existimasset, si volens contra haeresim dicere videri, pro haeresi dicere voluisset? An ceteros oculis, menteque esse captos putabat, ut quae ipse dixisset, a nemine intelligi posse arbitraretur? Deinde quod addit, quale tandem est? Nam si censuram extimuit Combefisius decreti caussa, cum notationes in Cydonium scriberet; cur item decreti caussa non extimuisset, cum historiam, vindiciasque typis excudi curaret, si eo tempore, idem fuisse decretum publicatum cognosset? Age vero, quis sibi persuadeat, eum, qui *inhaerens videri definitioni Pontificiae* voluerit, *retractare*, quod est *definitione* damnatum unicum haereseos caput noluisse. Et invenire se tamen aliquos Raynaudus putat posse, qui haec tam absurda credant. Est autem tertium generis ejusdem. Quemadmodum enim Combefisius usus ullo argumento ad eam sententiam confirmandam fuisset, quam (ut paullo post ostendam) refutavisset? Quamquam autem Bellarminus de duobus supremis capitibus, quae unum constituerent, haeresim non probasse videatur, Petrum tamen, ac Paulum episcopos Romanos fuisse, ex iis Patrum, Pontificumque locis concludit, qui ferant Romanos Antistites successores esse Petri, Paulique Apostolorum. Id vero infra adductis Bellarmini testimoniis demonstrabimus. De quarto hoc breve dico, nihil esse in decreto Innocentii, ex quo Arnaldus haereseos aut auctor, aut defensor fuisse intelligatur. Vide *pag. 355. not. 3. hujus volum.* Fuisse autem aliquos, qui aut cujus essent libri, quibus error continebatur, defendebaturque non scripserint, aut Arnaldi non esse aperte scripserint, cognosci ex iis, quae dixi *p. 352. n. 3. pag. 354. not. 3. p. 353. not. 3.* potest. Quintum descriptis Combefisii verbia constabit. Quod equidem tunc efficiam, cum erit de septimo disserendum. Nunc de sexto. *Paulum una cum Petro individuae, una formali ac per se cathedra, cujus successio sit penes Pontifices esse potitum* dicere, idem est profecto atque statuere: *Paulum una cum Petro episcopum Romanum fuisse, adeoque utrique Apostolo Romanos Pontifices, ut episcopos urbis succedere.* Nam *Cathedra* episcopi sedem plerumque significat. Jam vero Bellarminus etsi pro solius Petri primatu pugnare videatur, Petrum, ac Paulum episcopos Romanos fuisse scribit, utiturque ad eam rem confirmandam argumento, quod *stramineum* Raynaudus appellavit. *Lib. 1. de Rom. Pontific. cap. xxvii. pag. 712. tom. 1. controv. edit. Ingolst. an. 1686.* „ Ipsi, *in-*
„ *quit*, (Romani Pontifices) tam Petrum, quam Paulum praedecessorem, & parentem agno-
„ scunt. Siquidem uterque Apostolus Romanam ecclesiam fundavit, & gubernavit „. *Et lib. II. cap. xi. pag. 858.* „ Constat, *inquit*, tempore Apostolorum non fuisse Romae alios
„ episcopos, quam Petrum, ac Paulum. Diserte enim affirmat Irenaeus *libro III. cap. III.*
„ a Petro, ac Paulo sedem Romanam fundatam, & primos in ea episcopos sedisse. Quod idem
„ omnes veteres docent, quos supra citavimus „. Haec ille. At episcopum Romanum fuisse Paulum, etsi non arbitrer, tamen non ita negandum puto, ut qui affirment, eos censeam numerari in haereticis oportere. Nihil enim decreto Innocentii contra episcopatum Pauli Romanum constitutum est. Petrumque de Marca, qui post decretum suam *de Singulari Primatu Petri* exercitationem scripsit, Paulum una cum Petro episcopum fuisse Romanorum ajentem, nemo fuit, qui accusandum diceret haereseos crimine. Vide *pagin. 336. hujus volum. not. 2.* Quare ob eam unam de *Cathedra*, & successione sententiam, viderit Raynaudus, an argui *impietatis* Bellarminus possit. Nam de Combefisio nihil est caussae, cur pertimescat. Est enim illius fides in tuto, ut qui nihil horum dixerit simile, quod mox ostendam. Venio ad septimum. Sed describenda est Combefisii, atque diligenter expendenda sententia. Est ea hujusmodi: (*collat. actor. VI. synod. Codic. Titian. pag. 244. seqq. tom.*

nuique dilucide, quam & res ipsa posceret, & ego vellem, loquu-

tom. 11. *Auctor. Bibl. ss. PP. Grac. edit. Parif. an.* 1648.) ,, Paulus primatus ejusdem, ,, SI TAMEN EJUSDEM, VELUT EXTRAORDINARIA POTESTATE, post ecclesiam fatis institu- ,, tum in duodecim AITDAM (APOSTOLIS) SUASIDIN datus, atque ad ejusdem potestatis ,, plenitudinem excellentia quadam subsidiaria VELUT CAPITIS assumtus, NON IPSE QUIDEM ,, ejusmodi PRIMATUM per se INITIAVERIT, qui NEC SUCCESSOREM ULLUM, sic extraordina- ,, rie APOSTOLATU, ac in eo EMINENTIA VELUT CAPITIS individue cum Petro auctus, per- ,, severantia in ecclesia unitate, qua primo FUNDATA fuerat, erat habiturus: UIDAM ta- ,, men PATRI SEDE initiato multum & ipse splendorem CUMULO adjecerit, dederitque Roma- ,, nis deinceps Pontificibus OCCASIONEM merito gloriandi de eo VELUT saltem MATERIALI, ,, ut vocent, INDIVIDUE CUM ILLA PETRI UNA FORMALI, AC PER SE SUCCESSIONE ,,. Viden ut Combefisii verba longe ab iis dissidentia sint, quæ ipsi Raynaudus affinxit? Nam *primatus ejusdem* mentione facta, mox addidit: *si tamen ejusdem*, quod statim esset ostensurus, fuisse Paulum inferiorem auctoritate, primatusque ratione Petro. Attende nunc, quo demum pertineant reliqua. *Ecclesiam fatis fuisse in Apostolis duodecim institutam* ait. Horum numero, etsi perfectus, atque absolutus erat, subsidio adjunctum fuisse, *velut extraordinaria potestate* Paulum a Christo, adeo ut Apostoli ordinarii fuerint duodecim; unus autem *velut extraordinarius*, cui concessa esset plenitudo illa potestatis, qua ceteri Apostoli gauderent, quæque in fundandis ecclesiis, scribendis sacris voluminibus, disponendisque eorum rebus, quos Christo conciliaverant, versaretur. Jam vero id genus auctoritatis excellens in Paulo fuisse ita, ut quamvis ecclesiæ caput unus Petrus esset, datus tamen illi Paulus VELUT SUBSIDIARIUM caput videretur. Ac si caput revera fuisse Paulum Combefisius existimasset, numquam verbis illis fuisset usus: VELUT SUBSIDIARIUM. Adjungit porro: *non ipsum per se Paulum initiasse primatum, neque successorem ullum proprie extraordinarii Apostolatus, excellentiaque illius* VELUTI CAPITIS reliquisse. Id vero quemadmodum adjunxisset, si judicasset (ita ut damnati erroris patroni judicaverunt) Paulum fuisse Petro principatus monarchici ratione parem? Pergit autem, cum quæ non caput, sed *veluti caput* Paulum fuisse statuisset, quidquid hoc *auctoritatis subsidiaria* fuit, ullam inferre divisionem potestatis, nequivisse scribit. *Unitatem enim, qua primo fundata* ecclesia in Petro fuerat, perpetuo duraturam, quæ labefactata certe fuisset, *si divisio potestatis subsidiaria a principali* admissa fuisset. *Cumulum* porro auctoritatis *Petri sede fuisse initiatum* testatur. Huic CUMULO fuisse Pauli laboribus, prædicatione, martyrio *splendorem adjectum*. Paulum proinde non fuisse causam principatus Romanæ sedis, sed OCCASIONEM Pontificibus dedisse, ut merito gloriarentur de ea veluti saltem MATERIALI (At Raynaudus homo scilicet veri amans, atque inimicus fraudis, τὸ *materiali* Combefisii, in τὸ *formali* convertit) quæ divisa non esset ab illa PETRI UNA FORMALI AC PER SE SUCCESSIONE. Quare successionem Romanorum Pontificum comparate ad Petrum *Formalem, ac per se, atque unam* esse non divisam a *materiali illa, & subsidiaria auctoritate* Pauli. Fuisse namque Paulum non caput, sed *velut caput*, neque episcopum Romanum, sed episcopum, qui etsi Romæ fuerit versatus, tamen nullibi sedem fixerit, *nullosque sui episcopatus reliquerit successores*. Hoc vero pacto explicari oportere, quod interdum apud veteres legimus, fuisse Petrum, ac Paulum Coryphæos Apostolorum. Itaque addit: ,, Nihil aliud vel maxime velint si qua vel a Ro- ,, manis Pontificibus, vel ab aliis Patribus in Romanum Pauli episcopatum ejusve primatum, ,, & ut princeps ipse Apostolorum usurpatos una cum Petro diceretur, dicta, ac conscripta ,, sunt ,,. Itaque lapsum fuisse concludit auctorem libelli, qui Paulum æquare ausus Petro fuerat: ,, AC MALE, *inquit*, veluti auctor sui nuper libelli, ut qui aliud majusque in Pau- ,, lum collatum velit ,,. Si plus tributum ab auctore libelli Paulo, quam ab se Combefisius scribit: Auctor autem libelli Paulum æquavit, non superiorem fecit Petro: Combefisius certe Paulum ne parem quidem fuisse Petro judicavit, necesse est. Id quod perspicue, dilucideque statim demonstrat, animadvertens: ita fuisse *Petrum* dictum principem Apostolorum, ut ex eo Apostolorum numero, quorum princeps Petrus erat, ne Paulus quidem exemtus esset.

loquutus est; tamen ita est loquutus, nihil ut affirmarit, significarit, innuerit, quod aut hæreticum sit, aut vocari in suspicionem erroris possit. Quod & is, quem satis longum descripsimus, & alter, quem mox describemus, declarat locus. Quamquam enim priore illo ita est a nobis in adnotationibus defensa eruditissimi viri caussa, ut iis, qui nullis partibus studeant, cumulate satisfecisse videamur; tamen ne quid Combefisii verborum prætermittamus, non monet solum, sed cogit etiam nos molestissimorum quorumdam accusatorum iniquitas, cum omnia, quæ nobis sunt adjumento, dissimulantium, tum si rem ullam & minime necessariam, & alienam prætereamus, fallacia a nobis agi, fraudeque clamantium. Ille igitur posteaquam ita suam explicavit, ut est a nobis in adnotatione demonstratum, opinionem: „ Possit item, *inquit*, ac melius res„ ponderi, sic sibi Paulum, etsi jam Petro obtinente, ceu „ *subsidio* fundandæ tantæ molis, Romanam ecclesiam ad„ dictam voluisse peculiari ejusdem suscepta cura, una „ cum Petro, ac individue cum eo, ut nihilominus *Petri* „ *tantum sedes*, ecclesiarum faceret matrem, ac privile„ gium inviolatæ fidei in posterum conferret; Pauli vero „ hanc

fet. Quamobrem Paulum fuisse *subjectum*, *subordinatumque* Petro: „ Certe Agatho, *in*„ *quit*, prima illa *suggestione* Petrum ait *omnium Apostolorum principem*. Quod putem „ ne Pauli quidem dictum exceptione, quem NEC SUBORDINARIT ILLIUS APOSTOLATUS „ CELSITUDO AB EJUSDEM PETRI velut saltem PERSONALI SUBJECTIONE, quidquid sit de „ officio ac Apostolatus plenitudine in reliquos omnes, ab Apostolis aliis eximeret „. Non enim quærendum putarat Combefisius, qua ratione Apostolatus illam dignitatem consequutus fuerit Paulus, per Petrum ne, an non? Hoc satis illi fuit, ut *subordinatum* fuisse *personaliter* saltem Petro Paulum, subjectumque ostenderet. *Factum autem Paulum ex lupo agnum* addit, cujus curam CHRISTI EJUSDEM VICARIUS *pastor*, hoc est Petrus, *omnino creditam accepisset*. Varias demum interpretationes adjungit. Sed sic ita judicarit, ut Raynaudus jactat. Quid? An in extremo volumine suam quas hac *ipsa*, *seq. pagin.* describemus aut non *retractavit*, aut non tradidit satis explicate sententiam? Atque id erat octavum. Sic enim Combefisius scribit post *notationes in Demetr Cydonii deliberat. Pro Latinor. subsidio p. 23 in tom. eodem*: „ Inter exigenda acta synodi ad Tilianum codicem, ac occasione „ verborum Agathonis Papæ, quibus Apostolorum Petri, & Pauli ad se derivat successio„ nem, aliqua dixi, asserenda excellentia quadam subsidiarii velut capitis Paulo Apostolo„ ac Romano episcopatu communi cum Petro: SIC TAMEN, UT AB EJUSDEM IPSIUS AGATHO„ NIS VERBIS primatum absolute UNI Petro, ut etiam Paulum spectes (*subditum*) assereu„ rim: moduque ubi suprema Romæ Inquisitio ac sanctissimus pronunciarunt, liberius as„ sero, ITERUMQUE *Paulum Christi ovem* SUB PETRO vice Christi pastore uno, UT ET „ APOSTOLOS RELIQUOS indubitata veritate dico „. Quid his clarius desiderari potest? Extremum est, ut adnotem potuisse Raynaudum ex Diario Bourgeisii, qui Romæ an. 1646. versabatur, fuisse Arnaldum damnatorum illorum operum auctorem. (*Pag. 9. seqq. ed. an. 1750.*

„ hanc dumtaxat ecclesiam peculiariter aliis condistinctam
„ faceret, ac qualem Johannis verbi gratia sedes fecit
„ Ephesinam, siquidem Johannes, ut peculiaris episcopus
„ post Timotheum, ac Onesimum illi ecclesiæ præfuit,
„ vel Jacobi Hierosolymitanam; siquidem fuit Jacobus iste
„ unus e duodecim, ac eximie Apostolus, non e commu-
„ ni tantum notione, quales multos Eusebius, Hierony-
„ mus, &c. agnoscunt ceu ex Paulo ad illa ejus verba,
„ *post hæc Apostolis omnibus*: sive alioqui agnoscenda est in
„ Paulo capitalis illa excellentia, qua esset velut consertus
„ Petro, sic quasi extraordinarie, ut dictum est, ac major
„ Apostolis aliis, sive tantum communis Apostolatus,
„ qualis erat undecim, qui ipsi, accepta ab ipso Domino
„ potestate, ac ab eo missi, jus plenissimum habebant, ut
„ ubique ecclesias instituerent, legesque fidelibus conde-
„ rent, aliaque omnia fundandæ religionis opportuna,
„ nulla ab invicem, aut ab alio superiori dependentia,
„ sancirent, ac peragerent, qua in potestate nullum habue-
„ re successorem; ut nec ecclesiæ deinceps status ferebat,
„ devolutis rebus ad alios, qui eorum successores, primi-
„ tias illas Spiritus cum eis non haberent, nec gratiam
„ confirmationis numquam rumpendo vinculo caritatis,
„ velut illi accepturi essent. Succedant ergo illustrissimi
„ episcopi majori, aut minori amplitudine potestatis,
„ prout sacri canones ad congruum ecclesiæ regimen cui-
„ que sanxerint, Apostolis Episcopis, *Unus major inter*
„ *fratres Romanus Pontifex Petro succedat in plenitudine pote-*
„ *statis, ejusque una sedes κατ' ἐξοχὴν, eximieque Sedes*
„ *Apostolica dicatur*, ac *sit* „ errore enim typographi pro
ac sit, in opere Combefisij, *ac sic*, legitur. His ex verbis
facile intelligi principio potest, longe abfuisse nostrum ab
eorum errore, qui per cuniculos, ut Raynaudus objectat,
æquare Pontifici Maximo ceteros episcopos molirentur.
Deinde, quæ declarandæ suæ opinionis caussa adjunxit
Combefisius, nihil habere cum hæresi ab Innocentio dam-
nata commune. *Posse namque melius respenderi*, ait. Quid
hoc est *melius*? Fortasse idem ac *clarius*.

Nam

Nam nihil fere addit priori sententiæ novi. *Petrum Romanam Sedem obtinuisse* arbitratur. Non multo id ante dixerat. Venisse Paulum *subsidio* Petro. Nempe id quoque superius constituerat. Peculiarem eum Romanæ ecclesiæ & fundandæ, & amplificandæ, & matris ecclesiarum, una cum Petro, ac individue cum eo (scilicet non ut episcopi duo ejusdem civitatis essent) curam suscepisse statuit, ita quidem; ut illa *Petri tantum sedes crederetur, & esset*. Sed dicet quispiam: *matrem ecclesiarum facere, eique privilegium inviolatæ fidei conferre*, capitis proprium est, principisque supremi ecclesiarum. Non repugno, modo is, qui talem facere ecclesiam dicitur, non adjutor sit capitis, neque subsidio veniat, sed ipse per se sit caput, princepsque habendus. Verum Combefisius adjutorem Petro (qui matrem *faciebat* Romanam ecclesiam, eique *privilegium inviolatæ in posterum fidei* conferebat) Paulum fuisse scribit; parem non item. *Subsidio* enim venisse eum Petro confirmat, sedemque Romanam *sedem tantum* fuisse fatetur *Petri*. At *Pauli hanc dumtaxat ecclesiam*, dicit, *peculiariter, aliis ecclesiis condistinctam, ac qualem Johannis V. G. sedem fuisse Ephesinam constat, siquidem Iohannes, ut peculiaris episcopus post Timotheum, ac Onesimum illi ecclesiæ præfuit; vel Jacobi Hierosolymitanam, siquidem fuit Jacobus iste unus e duodecim, ac eximie apostolus, non communi tantum notione*. Do id quidem; sed non ita, ut Paulus episcopus fuerit Romanorum. Nam si fuisset, non unius *tantum Petri sedem Romanam* Combefisius appellasset. Peculiarem autem Paulo Romanam ecclesiam appellat, & ab aliis *condistinctam*, quod Paulus cum aliquamdiu Romæ egerit, adjutor Petri fuerit, laborarit, religionem propagarit, ac demum, martyrii gloriam consequutus, obierit, hanc sibi peculiarem fecisse videatur. Johannis porro, atque Jacobi exemplis Combefisius usus est, non quod existimaret Paulum episcopum revera Romanum fuisse, sed quod velut episcopum haberet, ut qui Romæ & manserit aliquamdiu, & decesserit, & proinde visus fuerit fixisse sedem. Alioqui non unius tantum *Petri sedem*,

quod ante animadverterat, sed Petri, Paulique, quod alii, ut Bellarminus, & de Marca fecerunt, *sedem* Romanam appellavisset. De *capitali excellentia, qua esset Paulus veluti consertus Petro*, quod Combefisius scribit, non est ejusmodi, ut quod idem superius de Paulo *subjecto auctoritati Petri* statuerat, aut funditus tollat, aut labefactet. Eam namque excellentiam, qua ceteris Apostolis præstitisse Paulum dixerat, non capitis omnino, sed *velut capitis* fuisse testatur, quem ad locum spectat quod mox adjungit: *ut dictum est &c.*

Quid? si ne *capitalem* quidem illam *excellentiam*, quam vocat, quæ tamen Paulum a Petri *subjectione* haud eximebat, Combefisius quasi certam, omnique dubio vacantem ponat? Namque adjungit continuo: *sive tamen communis Apostolatus, qualis erat undecim &c.* Neque Apostolis undecim plus ille tribuit, quam a Petavio, a Bellarmino, ab Leone Allatio, a Petro Marca, ab Schelestratio, aliisque tributum fuerit (1). Quod si arguendus hujus rei caussa Combefisius est, vereor ne perplures invenire Raynaudus & veteres, & novos scriptores possit, quos accuset hæreseos crimine. Ac de iis, qui cum haberi in numero vellent catholicorum (2), tum Paulum parem omnino fuisse Petro defenderent, satis dictum est. Quibus confutatis, eversa fuerit necesse est Raynoldi, de Dominis, & Gerardi (3) argumentatio, qui principem Aposto-

1 Vide Petavii locum *tom.* IV. *hujus op. pag.* 319. *not.* 3. Bellarminum *lib.* I. *de Romano Pontifice cap.* XI. *p.* 654. *tom.* I. *controvers edit. Ingolst. an.* 1586. Leonem Allatium *lib.* I. *de Eccles. Occident. & Orient. perpet. consens. cap.* IV. *pag.* 48. §. IX. *edit. Colon. an.* 1648. Petrum de Marca *exercitat. de Singulari Primatu Petri n.* IV. *p.* 57. *edit. Opusculor. an.* 1681. Schelestratium *dissert.* II. *Antiquit. Ecclesiast. cap.* I. *seq. pag.* 79. *seqq. tom.* II. *edit. Rom. an.* 1697. At hi caput fuisse Apostolorum Petrum statuunt. Quasi vero idipsum satis explicate non statuerit Combefisius eodem illo in loco, quem Raynaudus vexat. De Combefisio, aliisque Dominicanis contra Raynaudum disputant Vincentius Baronius *Adv. Petrum a Valle Clausa edit. Paris. an.* 1667. Casalasius in eo opere, quod inscribitur *Candor Lilii edit. Paris. an.* 1664. Mitto de Combefisii ejusdem libello dicere, qui an. 1662. prodiit hoc titulo; „ Recensiti auctores Bibliothecæ Patrum *Concionatoriæ in iis obiter* „ *fere insinuata, strictimque delinata Cyriacorum immunitas a censura ementiti auctoris* „ *Petri de Valle Clausa &c.* „.

2 Fuisse in eo errore, præter scriptorem Anonymum, videtur Bourgeoisius *in sua relat. pag.* 9. *seqq. edit. an.* 1750.

3 *Locis supra indicatis.*

Apostolorum negarunt fuisse Petrum, propterea quod æquasse illi veteres Paulum videantur. Nam Pauli supremo principatu sublato, ita ut ne unum quidem cum Petro ecclesiæ caput constitueret, sublatam item omnes confitebuntur Protestantium illorum de duobus principibus, capitibusque sententiam.

CAPUT II.

Quæ caussæ majores nostros impulerint, ut Petri ad lævam, Pauli vero imaginem ad dexteram sculpi, pingive interdum facerent.

Vetus quæstio est, eaque jam usque a Petri Damiani ducta temporibus, quæ ratio majores nostros, qui Paulo præferri oportere judicarent Petrum, impulerit, ut ad hujus dexteram pingendam, sculpendamve illius esse imaginem arbitrarentur. Quam equidem quæstionem libens prætermisissem, nisi esse aliquos accepissem, qui Paulum inde conjicerent, aut parem Petro olim fuisse habitum, aut fortasse etiam præstantiorem. Sed quoniam satis copiose de supremo in christiana republica Petri principatu demonstratum est, ne quid tacitus præteriisse viderer eorum, in quibus adversarii locassent præsidium erroris sui, abstinendum mihi ab hoc item disputationis genere non putavi. Eoque me minus suscepti consilii pœnitet, quod facile intelligam, ad illius, qui Origines, & Antiquitates Christianas illustrare scribendo decreverit, institutum maxime pertinere, ut tam constans, tam late producta, tamque, ut ajunt, antiqua consuetudo, cujusmodi fuerit, demonstretur. Quod ut distincte, distributeque fiat, primum quam vetus, tum quam stabilis, deinde cur introducta, atque propagata fuerit, statuam.

§. I.

Antiquiora Christianorum monumenta Petrum partem dexteram tenentem persæpe exhibent, Paulum perraro.

Monumenta vetera, quæ Petri, Paulique iconas exhibent, aut *ærea* sunt, aut *vitrea*, aut *marmorea*, aut *eburnea*, aut *pictura, musivoque opere* perfecta. Horum ego vitrea, ærea, marmorea, & picta quædam ceteris esse puto vetustiora, quod partim notas ipsa præ se vetustatis ferant; partim, ut vitrea, in iis Urbis cœmeteriorum locis inventa sint, quæ nostri (quum ab ethnicis quærerentur ad necem, seseque in arenarias abderent, vitareque fœtorem vellent, quem condita ibidem cadavera exhalabant) obstrui, ut supra docuimus (1), egesta e superiore parte humo, curaverant.

I.

In cœmeterialibus vitris Petri imago semper, quod sciam, dexteram partem occupat.

Atque ut a vitris initium disputandi ducam, animadvertendum est, de iis me vitreorum calicum fundis agere, quos veteres (apposito auri folio, in eoque effictis, quas vellent, figuris, symbolis, litterisque) ornare; ignisque vi ita operire, claudereque altera vitrea lamina consueverant, ut pars obversa litterarum, figurarumque interiori; aversa exteriori calicis parti responderet: quo aspici, legique a bibente (2) posset. In illorum namque permultis cernere imagines Petri, Paulique licet. Quum enim Christianorum omnium, Romanorumque imprimis singularis erga utrumque Apostolum

1 *Tom. III. hujus operis pag. 161. seq.*

2 Bonarrotius Præf. operis inscripti: *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiterj di Roma pag. 111. edit. Florent. an. 1716.*

lum observantia, pietasque esset (1), propterea quod ex libris novi Testamenti, alteri quidem claves, hoc est amplissimam ligandi, solvendi, continendi in officio, inque unitate omnes, eosque gubernandi potestatem fuisse a Christo datam; alterum tot laboribus, itineribus, incommodis, religionis dilatandæ, atque in ultimas regiones inferendæ caussa, perfunctum fuisse cognossent; non modo in parietibus pingendas, insculpendasque marmoribus, æreque fingendas, sed iis etiam in vitris exprimendas eorum imagines putaverunt: ut cum erga viros, qui de genere hominum universo meriti optime fuissent, quam gratissimi & videri, & esse vellent, tum eorum ne bibentes quidem oblivliscerentur. Atque in iis sane vitris Petrus dexteram fere semper; Paulus autem sinistram tenet. Quod ex multis, quæ a Bosio (2), ab Aringo (3), a Fabretto (4), a Bonarrotio (5), a Bol-

1 Eusebius *lib.* VII. *Histor. Eccl. cap.* XVIII. *pag.* 301. *edit. Taurin.* ab Ethnicis etiam pictas Petri, Paulique imagines fuisse scribit. „ Nec vero mirandum est, *inquit*, gentiles „ a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse, cum & Apostolorum Petri, ac Pauli, „ Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. Quippe prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se benemeritos gentili quadam „ consuetudine tamquam servatores colere hujusmodi honoribus consueverant „. S. Augustinus accusans eos, qui libros ad Petrum, & Paulum falso adscripsissent Christo, id sceleris fuisse ausos testatur, propterea quod Petrus, Paulusque cum Christo pingi consuessent. *Lib.* enim 1. *de Consensu Evangelist. cap.* X. *tom.* II. *part.* II. *opp. edit. an.* 1700. *pagin.* 6. scribit hoc modo: „ Quid? quod etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia „ Christum scripsisse vel credunt, vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum, & Paulum „ dicant, tamquam epistolari titulo prænotatos ... Cum enim vellent tale aliquid fingere... „ cogitaverunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, „ qui ei familiarius adhæsissent ... & occurrit eis Petrus, & Paulus, credo QUOD PLURIBUS „ LOCIS SIMUL EOS CUM ILLO PICTOS VIDERUNT, quia merita Petri, & Pauli etiam propter „ eumdem passionis diem, celebrius solemniter Roma commendat „. Quo ex loco concludere commode possumus, non modo Petrum, Paulumque Romæ, verum etiam Petrum ad potiorem partem, hoc est dexteram, pingi consuevisse. Cur enim Petrum, hac de re agens, priore loco Augustinus; secundo autem Paulum nominasset? In alias quoque ecclesias pingendarum Petri, Paulique imaginum consuetudinem pervasisse ex Mabillonii in *Liturgiam Gallicanam adnotationibus lib.* II. *pag.* 160. *edit. Parif. an.* 1685. intelligi facile potest.

2 Confer quas exhibuimus figuras *tom.* III. *hujus operis pag.* 73., *&* *pag.* 83. *&* *pag.* 85.

3 *Rom. subterran. lib.* IV. *cap.* XXXVII. *pag.* 165. *fig.* V. *cap.* XLVIII. *pag.* 403. *fig.* II. III. *&* V. *pag.* 405. *fig.* II. *tom.* II.

4 *Inscript. Antiquar. cap.* VIII. *pag.* 593. *seq.*

5 *Loc. indic. tab.* X. *fig.* 1. *&* II. *tab.* XI. *fig.* 1. *&* II. *tab.* XII. *fig.* 1. *&* II. *tab.* XIV. *fig.* 1. *&* II. *tab.* XVI. *fig.* 1. *&* II.


Boldetto (1), a Fogginio (2), a Marangonio (3), a Bottario (4) proposita sunt, ex iisque etiam, quæ mox a nobis proponentur,

1 *Lib.* I. *Osservaz. sopra i Cimiterj de' ss. Martiri cap.* XXXIX. *pag.* 191. *fig.* 2. *edit. Rom. an.* 1720. *pag.* 192. *fig.* 1. & II. *pag.* 194. *fig.* II. *pag.* 197. *fig.* II. & III. *p.* 201. *fig.* VI. *pag.* 202. *fig.* II. & III.

2 *Lib. de Rom. divi Petri Itinere, & Apostolatu exercit.* XX. *pag.* 358. *edit. Florent. ann.* 1741.

3 *Not. ad Act. s. Victorini pag.* 42. & *in append. pag.* 118. *edit. an.* 1740.

4 *Tom.* III. *operis inscripti: Sculture, e Pitture sagre estratte dai Cimiterj di Roma tab.* CXCVII. *fig.* II. III. & IV. & *tab.* CXCVIII. *fig.* 5. & *tab.* CXCIX. *fig.* II. *edit. Romana an.* 1754. In his autem figuris ut ad dextram fere semper est Petrus, ita variis modis exhibetur. Modo ipse, Paulusque stantes vestemque ante pectus componentes cernuntur ut videre in 1. *fig. pag.* 85. *tom.* III. *hujusce operis* licet: modo ita, ut eorum manus non appareant, velut in ea, quam subjicimus, figura.



tur, exemplis intelligi plane potest. Quod si in uno, alterove eo-

Modo ita uti sese mutuo aspiciant, eorumque capitibus diadema impendeat, eoque in intervallo, quod inter utriusque Apostoli barbam est, volumen exhibeatur, ut in ea, quam addimus, figura videre est



Ectypon Vitri ab Aringo relati pag. 403. T. 11.

Quamquam inversa hæc est, Petro enim dextera, Paulo sinistra in vitro datur, ut est apud Bonarrotium *tab. x. fig.* 1. Quod ex eo magis cognosci, perspicique potest, quod literæ *Petrus* in hac nostra tabula, ut etiam apud Aringum, & Bortarium a dextera ad lævam ductæ sint, cum contra omnino evenire debuerit. Interdum vero ita collocabantur, ut ad columnæ dexteram, quæ columna monogramma Christi sustineret, Petrus altera manu volumen tenens, altera, duobus digitis tantum extensis, quasi benedicens; ad sinistram vero Paulus volumen item sinistra tenens, ac dexteram ad pectus aptans cerneretur, velut ex hoc quod adjungimus, exemplo intelligitur.

ve eorum, quæ producta ab Aringo ſunt, Petrus lævam, Pa-



Quandoque exhibeatur ita, ut ſupra oſtenſum eſt, obverſis nempe vultibus, impedenteque diademate, etſi loco voluminis in medio intervallo flos cernatur, hoc modo.



Paulus autem, ut perſpicuum inſpicienti eſt, dexteram occupat,

Nonnumquam etiam ita, ut Paulus in Petrum inſpiciat, Petrus vero in Paulum non item.



Quin etiam ſedentes aliquando exhibentur, ea ratione, ut Paulus volumen aliquod Petro porrigere videatur, quaſi *communicans cum eo Evangelium, quod prædicaverat*, ut eſt in *cap. II. Epiſt. ad Galat.* v. 2.



non est id quidem vitio antiquis tribuendum, quasi ad dexteram ponendum Petrum judicaverint, sed aut pictori novo, aut ei, qui vitreorum calicum figuras æri incidit. Nam cum oscitans ille quidem non interiorem fundi, sed exteriorem partem delineasset, effecit ut inversæ & legenti litteræ, & aspicienti imagines apparerent. Quæ res a Fabretto (1), a Bonarrotio (2), a Boldetto (3), a Fogginio (4) animadversa, a nobis certe, qui Petri singularis primatus oppugnatores refellere instituissemus, prætermittenda non fuit.

Quamquam non is ego sum, qui nullum vitreum ejusmodi calicem reperiri pro re certa putem, in quo Pauli quidem dexteram partem, Petri vero imago lævam occupet. Ac Fogginius (5), qui unum se tantum apud Boldettum vidisse narrat, in quo priore Pauli, secundo autem loco Petri nomen legatur (etsi dignosci nequeat Petri ne sit, an Pauli imago ad dexteram) vera scilicet narrat: quamquam Boldettus Petrum sinistram, Paulum dexteram occupare partem dicat (6). Qui si tam

Interdum vero sedentes proponuntur diversis pulvino stratis sedibus, ut videre est *tom.* III. *hujus operis pag.* 85. ita ut Petrus dextera manu benedicere, latinorum Sacerdotum more, altera volumen tenere; Paulus vero versus Petrum dexteram, quasi eum alloquens extendere, altera volumen gestare videatur. Simile hujus est quod exhibetur ab Aringhio l. c. & a Bottario *tab.* CXCVII. *fig.* II. tom. cit. sed inversum apud hos est. Litteras enim a læva ad dexteram ductas refert, quod fieri recte non potest. Denique proponi Apostolorum figuræ ita solebant, ut ad Christi dexteram Petrus, ad sinistram Paulus esset, id quod ex fig. 2. *pag.* 487. cognoscere lectori licet.

1 Confer Fabrettum *loco modo indic.* „ vitrum, inquit, illud ab Aringo recensitum „ tertium in ordine, ubi Paulus dexteram occupat, sed ex mera describentis incuria (addere potuisset & errore Aringhi, qui sinistram occupare Petrum scribit *lib.* IV. *cap.* XLVII. *pag.* 402. *tom.* II.) quia cum istæ imagines hinc inde pellucidæ sint, pictor non earum „ faciem, sed aversam partem excepit, id quod ex litteris inverso ordine descriptis fit evi- „ dens, tum in aliis eorumdem figuris, quæ eadem *pagina n.* 2. *&* 5. habentur „. Ac recte is quidem. Nam quod scribendum hoc modo erat, ut erat in vitri interiore parte DIGNITAS AMICORUM VIVAS CUM TUIS FELICITER, sic scriptum exhibetur apud Aringhium RETICILEF SIUT MUC SAVIV MUROCIMA SATINGID

2 *Libr. ind. tab.* X. *seq. pagin.* 77. quo loco „ In questi vetri si vede la immagine di „ *s. Pietro, la quale è sempre a man dritta* „. Sed non viderat, quod inventum deinde a Boldetto fuit. Etsi lapsus ipse etiam sum, qui æneum numisma pro vitrei calicis fundo non animadvertens sumserim *tom.* II. *hujus operis pag.* 82.

3 Bold. *loc. cit. pag.* 192.

4 Fogginius *loc. cit. pag.* 465. & Bonarrotius *lib. ind. tab.* CXCVII. *pag.* 188.

5 Fogginius *ibid.*

6 Boldettus *lib.* I. *cap.* XXXIX. *pag.* 192. „ In un vetro, *inquit*, da me ritrovato nel „ Cimiterio di Callisto si vede dipinto s. Paolo alla destra di s. Pietro „. Sed ut ei sit adjungenda fides, Lector ex ea, quam subjicio, tabula cognoscet, in cujus priore, seu dexte-

si tam confidenter loquens, non labitur, id tamen opus nihil nobis negotii exhiberet; propterea quod unicum id quidem esset, ut plane intelligi possit, eum qui fecerit, cum contra ceterorum omnium exemplum fecerit, errore, inconsiderantiaque fecisse. Quum igitur majores nostri hoc genere monumentorum, quod est ceteris vetustius, Petrum ad dexteram partem, Paulum ad lævam perpetuo exhibuerint, idque non casu, sed consulto fecerint (alioqui non tam constans ea consuetudo, neque tam stabilis permansisset) si quid umquam, illud quidem certe indicarint necesse est, quod sæpe in commentariis scriptorum Christianorum legerant, esse Petrum non reliquis Apostolis modo, sed ipsi etiam Paulo præferendum.

xtera figura, Paulus ad lævam est Petri imminente ipsis corona, in qua est digramma Christi, litterisque circum vitrum apparentibus, quæ sunt hujusmodi *dignitas amicorum vivas cum tuis feliciter Zeses*: in altera Pauli ante Petri nomen legitur, sed nihil hinc effici contra nos posse Fogginio, mihique etiam ipsi videtur. Nam Petrus post Paulum nominari interdum apud Ecclesiasticos scriptores solet, imprimisque apud Eusebium Cæsariensem *lib.* 11. *H.E. c.* 11. *p.* 79. *edit. Taurin.* μετὰ τὴν παύλου, *inquit*, καὶ πέτρου μαρτυρίαν *post Pauli, ac Petri martyrium*, & *cap.* XXI. *pag.* 98. μετὰ παῦλον τε καὶ πέτρον: *post Paulum quidem*, & *Petrum*, apud Collectorem Constitutionum Apostolicarum *lib.* VIII. *cap.* XXXIII: *pag.* 419. *tom.* 1. *PP. Apostolicorum edit. Coteler. an.* 1724. ubi hæc leguntur: ἐγὼ παῦλος, καὶ ἐγὼ πέτρος *ego Paulus*, & *ego Petrus*. Apud interpolatum Ignatium *epist. ad Magnes. n.* x. *pag.* 58. *tom.* 11. *PP. Apostolicor. ejusd. edit.* & *epist. ad Trallianos n.* v. *pag.* 62. & *epist. spuria ad Antiochenos n.* VII. *pag.* 106. Origenem *Homil.* XXV. *in Numeros n.* VI. *pag.* 396. *tom.* 11. *opp. edit. Paris. Monach. s. Mauri*, & *homil.* 11. *in Judic. num.* 1. *pag.* 461. *tom. eod.* & *homil.* 11. *in Ezechielem n.* 1. *pag.* 362. *tom.* 111. *ejusd. edition.* Gregorium Nazianzenum *orat.* XVI. *pag.* 264. *edit. Colon. an.* 1690. qui παύλου, καὶ πέτρου συμφωνίαν *Pauli, Petrique conventionem* memorat & *Iamb. carm.* 11. *pag.* 188. *tom.* 11. quo loco scribit:

Ῥώμη δὲ παῦλος καὶ πέτρος νικηφόροι

Roma autem Paulus, & Petrus victoriam ferentes.

Utque ceteros mittam, apud Paulum Silentiarium *de magna Ecclesia* ab Canglo editum post *notas ad Histor. Iohannis Cinnami edit. Paris. pag.* 518. Sed inde concludi nullo modo potest primas ab iis Patribus, aut pares Paulo fuisse tributas partes. Nam ut multis ostendimus Patres eosdem Paulo prætulisse Petrum, ita si factum aut incuria auctoris, aut oscitantia interpretum, aut errore librariorum est, ut apud Patres eosdem priore loco nominaretur Paulus, cur fieri etiam errore artificis non potuit, ut quamquam Petrus dexteram obtineret, tamen ante in vitro nomen Pauli legeretur? Atque apud Eusebium Petrum ante Paulum fuisse nominatum licet conjicere, cum Rufinus vetus interpres Eusebii *lib.* VIII. *cap.* XVIII. *pag.* 343. *edit. Cantabrig.* locum: ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ εἰκόνας παύλου, καὶ πέτρου ita vertit, ut Petrum præponens, indicet, non παύλου, καὶ πέτρου, sed πέτρου, καὶ παύλου in Græco olim textu legi consuesse. Quod ipsum est de Constitutionum loco dicendum, cum apud Anastasium Sinaitam *in Odeg. ms.* ἐγὼ πέτρος, καὶ ἐγὼ παῦλος, ut & in Typico s. Sabæ, inque mss. Codicibus quatuor, quos Cotelerius in *cap. idem Constitu-*

tio-

II.

In monumentis veterum Christianorum æneis Petrus modo potiorem, modo lævam partem occupat.

In vetustissima ænea Lucerna, quæ in Museo Mediceo servatur, Petrus ad puppim sedens, gubernaculumque navis tenens potiorem locum occupat, inferiorem Paulus, qui ad proram stans, versusque ad mare, quasi orationem ad populum habiturus (1), exhibetur. Alterum est æneum mo-

tionum recenset, non vero ἐγὼ παῦλος, ἢ ἐγὼ πέτρος legatur. Ac si Gregorius Nazianzenus in Jambis, & Silentiarius in Poemate de s. *Sophia Templo* Paulum priorem nominaverunt, parvi refert. Poetis enim licet interdum metri caussa res non ordine, sed ut versus poscunt, proponere. Verum ut Petrum post Paulum Nazianzenus, ita Paulinus Nolanus Petrum ante Paulum nominat, scribens *Natal. III. v. 66. pag. 384. edit. Veron.*

Roma Petro Pauloque potens.



1 *Tom. III. hujus operis pag. 99.*



monumentum ſane vetus in Cœmeterio Calliſti a Boldetto (1) repertum. Eſt id ad numiſmatis formam perfectum, ac Paulum ad dexteram, Petrum ad lævam collocatum refert. Sed cum in vitreis vaſculis, ut oſtendi, inque vetuſtiorum ſepulcrorum lapidibus, quod mox demonſtrabo, Petrum ad dexteram, Paulum ad lævam poni ſæpe conſueſſe compertum ſit; vereor, ne artificis errore evenerit, ut Petri, quæ in *typo dextera* fuiſſet, *ſiniſtra* in numiſmate, cui *typum* artifex impreſſerit, appareret. In valvis æneis, quas ſæculo XI. fuiſſe perfectas liquet, Baſilicæ ſancti Pauli, Petrus ordine prior ponitur, deinde Petri martyrium, poſt Paulus, inde Johannes (2) &c. Contra in valvis item æneis Vaticanæ Baſilicæ ſancti Petri, quas Eugenius IV. ſeculo XV. fieri juſſit, Petrus ſiniſter eſt, claves tamen tenens, eaſque Pontifici porrigens, Paulus dexter enſem dextera geſtans, librum (3) ſiniſtra.

I I I.

Idipſum eſt de marmoreis ſtatuendum.


In urna marmorea Probi, etſi Paulum eſſe Chriſto dexterum (4), ſiniſtrum Petrum Battellus dixerit, id tamen Bottarius (5) negavit; ac jure mea quidem ſententia. Neque vero in eo Sarcophago ſolum, ſed etiam in ſepulcrali Aſelli lapide, qui repertus in S. Hippolyti cœmeterio ab Oliverio Præſule an. circiter 1719. fuit, quemque Boldettus primum (6) tum

1 *Lib.* 1. *Oſſ. ſopra i Cimiterj de' Santi Martiri cap.* XXXIX. *pag.* 193. Vide *pag. ſeq.*
2 Confer Ciampinum *tom.* 1. *veterum monumentor. cap.* IV. *pag.* 35.
3 Ciampinus *ibid. pag.* 43.
4 Vide Battellum *de Sepulcr. Probi* §. XVIII. *pag.* 58. *edit. an.* 1705.
5 Bottarius *loc. cit. tom.* 1. *Pittur. e Scultur. della Roma Sotterr. pag.* 56.
6 Confer Bold. *ib. p.* 193. & *t.* III. *hujus op.* eſt ejus lapidis ectypon hujuſmodi. *p.* 64. E.

tum Fontaninius (1) poſt Fogginius (2) deſcripſerunt, publicaruntque, Petrus ad dexteram eſt, ad ſiniſtram Paulus. Quamquam nonnulla reperiri marmora veterum Chriſtianorum intelligo, in quibus Paulus non eſſe ad Petri dexteram videatur. Atque ut cetera prætermittam, quorum ſunt aliqua a Ciampino (3), a Boſio (4), ab Aringhio (5), aliiſque vulgata, ſatis fuerit unum illud referre, quod eſt a Marangonio in Actis (6) ſancti Victorini editum.

Sed

1 *De Diſc. Arg. cap.* XIV. *pag.* 40. cetera, quæ ſane permulta ſunt, libens prætereo.



2 Fogginius *de Rom. Divi Petri Itinere & Apoſtolatu p.* 480. *edit. Florent. an.* 1741.
3 *Cap.* III. *pag.* 6. *tom.* II. *Vet. Mon. fig.* B.
4 Aringhius *tom.* 1. *Rom. ſubterr. pag.* 317. *lib.* II. *cap.* X. & *pag.* 299.
5 Boſius *Rom. ſubterr. lib.* 2. *cap.* 8. *pag.* 85. *ſeqq.*
6 *Pag.* 42. *edit. an.* 1740.



Sed omnia ejusmodi monumenta, præsertim quæ recentiora sunt, persequi nec vacat, neque vero est opus. Itaque venio ad picturas veteres, quæ in cœmeteriis sanctorum Martyrum, inque mss. antiquis Codicibus cernuntur.

I V.

Atque etiam de pictis Apostolorum imaginibus.

Ac de pictis Petri, & Pauli imaginibus, quas Augustinus commemorat, satis fere dictum est (1). Jam vero quædam adhuc in cœmeteriis supersunt. Atque in sanctæ Agnetis, quod in via Nomentana est, illustre hujus generis arcuatum monumentum extare, auctor est in quarto Romæ subterraneæ libro Aringhius (2), quo quidem in monumento Christus medius inter Apostolos duos sedens, dexteramque extensam, quasi latinorum more benedicat, habens, sinistraque librum apertum gestans, proponitur. Apostolorum autem illorum duorum alterum, qui ad dexteram est, Petrum, ut effigies ipsa demonstrat; alterum, qui ad lævam cernitur, Paulum esse arbitror. Rursum in monumento arcuato cœmeterii Priscillæ, quod sextum ordine apud Aringhium, Bottariumque (3) est, Christus sedens, docensque exhibetur, ad cujus dexteram Petrus est, ut ex effigie conjicere licet: quamquam assequi non possum in eorumne Apostolorum, qui ad lævam cernuntur numero, imago sit Pauli. Multas ejusmodi picturas in cœmeteriis reperiri testatur Boldettus (4) in priore Observationum libro. Atque huc sane spectare putat, quæ de monumentis cœmeteriorum Urbis insignitis Petri, Paulique nominibus Eusebius secundo Historiæ libro

1 *Pag. 477. not. 1. hujus vol.*

2 *Cap. XXVIII. pag. 213.*

3 *Tom. III. delle Pitture e Sculture della Roma sotterranea tab. CLXVIII. edition. Rom.*

4 *Lib. 1. cap. v. delle Osservazioni sopra i Cimiterj pag. 21. edit. Rom. ann. 1720. tom. I.* „ Dal ritrovarsi sovente le Immagini de' Santi Pietro, e Paolo dipinte ne' Cimiterj . . . . sembra che volesse Eusebio Cesariense alludere &c.

libro (1) complexus est. Quinetiam in Basilica Siciniana, quæ deinde S. Andreæ in Barbara (2) dicta est, vetus erat, fortasse seculi quinti, pictura Petrum ad dexteram, Paulum ad sinistram exhibens. Præterea in atrio Basilicæ Vaticanæ principis Apostolorum picturæ extabant sane veteres, quæ Petri, Paulique elevationem corporum referebant (3), quibus in picturis Apostolorum princeps ad dexteram, Paulus ad sinistram cernebatur. Quod ipsum in vetustissima tabula intueri licet, quæ in Sacrario Vaticanæ Basilicæ servatur (4). Contra in cœmeterio Sanctorum Petri, ac Marcellini (5) Christus in vetere pictura proponitur sedens, cui dexter est

1 Eusebius *lib.* II. *H. E. cap.* XXV. *pag.* 75. *edit. Taur. an.* 1746. Ut Apostolos illos duos Romæ decessisse dixit: καὶ πιστοῦταί γε τὴν ἱστορίαν ἡ Πέτρου, καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις. Et confirmant quidem narrationem „ Petri, Paulique nomine insignita monumenta; quæ in Urbis Romæ cœmeteriis etiamnum „ visuntur „.

2 Confer Ciampinum *tom.* I. *Veter. Monument. cap.* VII. *pag.* 63. *edit. Rom. an.* 1690.

3 Aringhius, qui medio seculo superiore *de Roma Subterranea* libros scribebat, millesimo fere ante id tempus anno, ut harum rerum periti putabant, picturis expressam historiam illam fuisse testatur, quæ Petri, Paulique corpora in puteum ab Græcis fuisse projecta, qui ea in Orientem transferre statuerant, indeque postmodum Romanorum opera extracta, atque in loca, ubi nunc quiescunt, asportata fuisse, ferret. Quamquam neque Gregorius M. *l.* IV. *ep.* XXX. *t.* II. *opp. p.* 710. *seq. edit. Paris. an.* 1705. neque Damasus *in Epigrammate*, quod Baronius ex *Append. tom.* II. *Antiq. Inscript. p.* 1172. *n.* XIII. *Ad an.* 364. *numer.* XXIII. Aringhius ipse *lib.* III. *cap.* XII. *pag.* 466. *edit. Rom. Subterr. an.* 1651. pollque Martium Milesium Sarazanium, qui opuscula Damasi collegerat, ac semel, iterumque vulgarat, Antonius M. Merenda vir clarissimus in ea, quam anno 1754. Romæ publicavit. *Opusculorum, Gestorumque s. Damasi Papæ* collectione, produxerunt; ullam de projectis in puteum corporibus mentionem faciunt. Ac de ea quidem, quæ est de iisdem corporibus in catacumbis olim jacentibus narratione, confer quæ *ibid.* scribit Aringhius, quæque deinde Bollandiani *Act. ss. Mens. Jun. t.* V. *Anal. de ss. Petro, & Paulo* §. IV. *p.* 434. *seqq. ed. Antuerp.* Franc. Blanchinus *in not. ad Anastas. T.* II. *p.* 205. *edit. Romana Salviani an.* 1723. Mabillonius *Liturg. Gallic. p.* 159. *seq. edit. Paris. an.* 1685. Tillemontius *Monum. ad H.E. pertinent. t.* I. *In vit. S. Petri. Art.* XXXVI. *p.* 78. *edit. Bruxell. an.* 1732. Merenda *Opusc. & Gest. S. Damasi c.* XXIV. §. II. *p.* 136. *& seq.* & Abbas Terribilinus amicitia mihi, dum viveret, conjunctissimus, qui hoc ipso, quo scribimus anno, maximo rei litterariæ detrimento, paullo post quam Ravennam pervenit, quo profectus nox cum Legato Henriquesio doctissimo Cardinali, & patrono virorum eruditorum fuerat, decessit, apud *Merendam in Addend. ad Opusc. s. Damasi pag.* 7. In iis porro, quas dixi, picturis, Petrus dexteram, Paulus sinistram partem occupat. Confer Aringhium *Ibid. p.* 467. *& seq.* & Johannem Bottarium Præsulem eruditissimum *tom.* I. *delle Sculz. e Pitt. sacre estratte da' Cimiterj di Roma &c. tab.* XIII. *&* XIV. *pag.* 30. *& seqq.*

4 Hanc aliqui a Silvestro Pontifice Constantino Imperatori ostensam narrant. Sed quo argumento ducantur, nescio. Confer Johannem Christophorum Battellium *Dissert. de Sarcoph. Probi &c. p.* 72. *edit. Rom. an.* 1705. & Fogginium *l. indic. pag.* 466.

5 Vide Aringhium *lib.* IV. *Rom. Subterr. cap.* II. *pag.* 412. & Bottarium *tom.* I. *delle Sculz. e Pitt. &c. tab.* IV. *pag.* 17.

Paulus, similiter Petrus; ita tamen ut hic extenta dextera quasi auctoritatem quamdam consequutus loqui; ille accommodata ad pectus dextera audire videatur. Quod ipsum exprimit pictura sanctorum eorumdem Apostolorum in vetere codice membranaceo theologico octavo, atque vicesimo Bibliothecæ Cæsareæ Windobonensis apud Lambecium in quarto Commentariorum libro (1). Sed omnia hujus utriusque generis monumenta persequi longum est.

V.

Deque iis, quæ musivo sunt opere perfecta.

Musivum opus in S. Sabinæ templo (2) seculo v. cum Cælestinus I. Pontificatu Maximo potiretur, a Petro Presbytero perfectum, cujus operis pars tota superior vetustate periit, Petrus ad dexteram Ecclesiæ ex circumcisione, Paulus ad lævam Ecclesiæ ex gentibus imminens cernebatur. In summo arcu triumphali, quem vocant, Basilicæ Liberianæ S. Mariæ Majoris (3) quemque musivis exornavit Sixtus III. P. M. anno fere quadrigentesimo trigesimo tertio, area est ad circuli figuram, thronusque in ea exhibetur, ad cujus dexteram, lævamque orbiculi extant duo referentes capita Petri, ac Pauli Apostolorum. Eadem est ratione locatus Petrus in musivo opere templi S. Laurentii (4) in Agro Verano, quod opus perfectum Pelagii secundi Pontificis Maximi jussu anno fere 578. fuisse Ciampinus narrat. Neque vero in eo solum, sed in altero etiam Ecclesiæ S. Praxedis, quod

1 Lambecius *lib.* IV. *Biblioth. Vindobonensis. Additam.* IX. *pag.* 319. *edit. an.* 1671. post descriptas *pag.* 316. pictas Petri, Paulique imagines „ Notandum est, *inquit*, s. Pau„ lum non stare, ut primo intuitu videtur, a dextera s. Petri, quasi loco honoratiore, sed „ revera tantum stare e regione s. Petri, velut auscultantem, & modestiæ, ac reveren„ tiæ caussa dextrum brachium pallio cohibentem, cum contra s. Petrus loco stet superiori, „ & primatus indicandi caussa tanquam benedicens &c.

2 Ejus Musivi operis pars superior periit. Ita, ut olim erat, exhibetur a Ciampinio *tom.* 2. *Veter. Monument. cap.* XXI. *pag.* 191. *edit. Rom. an.* 1690.

3 Confer Ciampinium *ibid. pag.* 200. *tab* II. *cap.* XXII. *edit. Rom. an.* 1690.

4 Ciampinius *ibid. tom.* II. *cap.* XIII. *pag.* 102.

(1) quod Paſchalis primi P. M. cura fuiſſe anno fere 819. conſtructum ferunt. Quo circiter tempore muſivum item Capuani (2) templi opus abſolutum fuiſſe, idem eſt auctor Ciampinus in veterum monumentorum parte ſecunda, quo in opere Petrus ad Virginis Deiparæ dexteram claves ſiniſtra geſtans, Paulus ad lævam proponitur. Contra in muſivi Leoniani arcus Baſilicæ S. Pauli (3) parte dextera Paulum videmus, in ſiniſtra Petrum. Rurſum in Oratorio ſancti Venantii (4), ſive Baſilica Theodori, quam anno fere 642. Johannes IV. P. M. muſivis ornari fecit, Petrus ad Virginis lævam claves dextera, crucem ſiniſtra geſtans, Paulus ad dexteram utraque manu, nempe dextera pallio contecta, ſiniſtra vero nuda librum ſuſtinens exhibetur. Dexteram item Paulus occupat in vetere anni 774. Romano muſivo templi S. Marci (5), lævam Petrus: ut etiam in eo anni circiter 820. quod in templo S. Cæciliæ (6) viſitur. Ac de Muſivis quidem iconibus Apoſtolorum hactenus.

§. V.

Atque etiam de eburneis.

Eburnearum tabularum, quibus inſculptæ imagines Petri, Paulique ſunt, duo eſſe genera video. Aut enim geminæ ſunt, perfectæque ornandi potiſſimum libri alicujus cauſſa (7), aut triplices, quarum minoribus duabus tertia operieba-

1 Apud Ciampinium *ibid. cap.* xxvi. *pag.* 151.
2 *Ibid. cap.* xxix. *pag.* 166.
3 Apud eumdem *Ibid. tom.* i. *pag.* 231.
4 Apud eumd. *ibid. tom.* II. *cap.* xv. *pag.* 105.
5 *Ibid. cap.* xviii. *pag.* 121.
6 *Ibid. cap.* xxviii. *pag.* 160. ſimile autem erat horum, quod extabat in templo s. Agathæ in Subura, quodque anno circiter 472. a Ricimero conſtructum fuerat. Confer Ciampinum *tom.* i. *Veterum Monumentorum cap.* xxviii. *pag.* 271. *tab.* lxxvii. In Abſide Baſilicæ Vaticanæ s. Petri muſivo opere Petri quidem imago ad ſiniſtram more Græcorum præſulum benedicentis, Pauli ad lævam Chriſti exhibebatur. Id autem opus Innocentii III. temporibus, ſeculo nempe xiii. ineunte fuiſſe perfectum arbitror. Adi-ſis Ciampinium de Sacris Ædificiis *ſect.* II. *tab.* aiii. *pag.* 42. *edit. Rom. an.* 1693. Conſule præterea *cap.* iv. *ejuſd. operis tab.* xxiv. *pag.* 75. *edit. ejuſd.*
7 Quod nos Diptychon, idem *lib.* xv. *contra Fauſtum cap.* vii. *pag.* 199. *tom.* viii. *opp.*

riebatur. Priores *δύπτυχα* diptycha *ἀπὸ τοῦ δὶς, ϗ πτὺξ ex bis*

opp. edit. Amstel. an. 1700. *Diptychium* Augustinus vocat: *πιτυϐπτικον Pitupticon* Copticæ, ut est apud Renaud. *t.* I. *Liturg. Or. p.* 253. *πτύχον* Dionysius *l. de Eccl. Hierarch. c.* III. *pag.* 294. §. IX. *tom.* I. *opp. edit. Antuerp. an.* 1634. Confer Maximi Scholia *in eumdem Dionys. locum pag.* 310. *tom. eod.* Diptychorum autem fit *in Liturgia* Chrysostomi *t.* XII. *opp. in Append. pag.* 792. *edit. Paris. Monach Congr. s. Mauri*. *In epistola Innocentio* I. adscripta, quæ est *ad Arcad. Imper.* XXII. *in Append. ad tom.* I. *collect. epistolar. Rom. Pont. edit. Paris. Constantii pag.* 106. *In Actis synodi Chalcedonensis an.* 451. *Act.* XI. *pag.* 554. *tom.* II. *Concilior. Hard. Collect. & pag.* 691. *Cod. Encycl. pro defens. Concil. ejusd. tom. eodem*, commemoratio. Longum est omnia monumenta persequi, quæ collegerunt Johannes Stephanus Durantius Primus Senatus Tolosani Præses *lib.* I. *de Ritib. Ecclesiast. cap.* XLIII. *num.* IX. *pag.* 244. *edit. Rom. an.* 1591. Johannes Cardona Episcopus Dertusensis, a quo librum singularem de Diptychis scriptum, editumque Tarracone an. 1587. narrat Isaacus Habertus, *Pontif. Græc. ad part.* VIII. *Liturg. Ordin. de Consecrat. Presbyt. observ.* VIII. *p.* 156. *edit. Paris. an* 1643. Habertus *ibid. p. ead. seqq.* Jacobus Goarius Ord. Præd. *in not. ad Euchol og. Græcor. p.* 143. *edit. Paris. an.* 1647. Johannes Bona S.R.E. Cardinalis *rer. Liturg. l.* II. *c.* XII. §. I. *p.* 390 *sqq. & c.* XVI. *p.* 405. *seqq. edit. Rom. an.* 1671. Henricus Norisius S R E. Card. *Diss. de v. synodo c.* V *p.* 35. *seqq. ed. Patav. an.* 1673. Carolus Cangius *Glossar. Med. & inf. Græcit. ad v. Δίπτυχα, & med. & inf. Latinit. ad v. Diptychum*. Heribertus Rosweydus *in Onomast ad Vit. PP. p.* 1016. *edit. Antuerp. an.* 1615. Andreas Saussayus *Apparat. ad Martyrolog. Gallican. cap.* XVIII. *pag.* 59. *edit. ann.* 1637. Johannes Mabillonius *Liturg. Gall. lib.* I. *pag.* 43. *seqq. edit. Paris. an.* 1685. Christianus Lupus in Scholiis *ad v. synod. cap.* VIII. *p.* 179. *seqq. tom.* II. *opp. edit. Ven. a.* 1724. Leo Allatius *de Eccl. Orient, & Occident. consensu lib* III. *cap.* XV. *pag.* 1184. *edit. Colon. an.* 1648. Pompejus Sarnellus *Antiq. Basilicograph. c.* XXVI. *p.* 79. *seqq. edit a.* 1686. Eusebius Renaudotius *tom.* I. *Liturgiar. Oriental. Collect. pag.* 19. 31. 34. 72. 112. 150. 254. *seq. edit. Paris. an.* 1715. Montfauconus *Palæogr. Græc. pag.* 34. *edit. Paris. an.* 1708. Laurentius Ramiresus de Prado *in not. ad Liutpr. Chronic. pag.* 454. *edit. an* 1640. Edmundus Martenius, & Ursinus Durandus Monachi Benedictini Cong. s. Mauri *Voyag. Litteraire &c. edit. Paris. an.* 1717. Altesserra *not. in Anastas. Bibl. ad Vitam Agathonis pag.* 100. *edit. an.* 1735. *t.* IV. Petrus le Brun *Explic. de la Messe t.* IV. *Diss.* XV. *part.* II. §. III. *p.* III. *seq. edit. Paris. an.* 1726. Berlendius Cleric. Reg. Theatinus *de Oblat. ad Altar. Dissert. edit. Ven. an.* 1736. *pag.* 171. & e Protestantibus Joh. Andreas Schmidius *disput. de Diptychis edit. Jenensis an.* 1694. Petrus Zornius *Dissert. de Diptychor. Orig. in Primitiva Eccles.* §. I. *seqq. pag.* 687. *seqq. tom.* II. *Opusculor. Sacror. edit. Altonavian. an.* 1731. Henricus Dodwellus *Diss. v. Cyprianica pag.* 71. *edit. Oxon. an.* 1684. Martinus Chladenius *Disp. de Diptychis Veterum edit. Wittemberg. ann.* 1703. Gaspar Svicerus *Thesaur. Eccl. ad vocem Δίπτυχα*. Samuel Basnagius *Annal. Polit. Eccles. ad an.* 490. *pag.* 579. *n.* VII. *tom.* III. Sed hi fere de Diptychis litteratis, quæ vocant, quibus continebantur nomina Sanctorum, aut Episcoporum, aut aliorum, quæ nomina sive vivorum, sive mortuorum in Ecclesiis recitabantur, egerunt. De figuratis autem, ut ajunt, eburneis præcipue Diptychis sacris, profanisve disputant Alexander Wiltemius ad Diptychon Leodiense *edit. Leod. an.* 1659. Dan. Papebrochius *t.* I. *Act.* II. *mens. Maji p.* IX. *seqq.* Philippus Bonarrotius Vir summus *Osservaz. sopra tre Dittici antichi di Avorio*, quæ extant in extremo Volumine *Delle Osservaz. sopra alcuni frammenti di vasi di vetro trovati ne' Cimiterj di Roma p.* 231. *seqq. edit. Florent. an.* 1716. Petrus Franciscus Fogginius *de Romano D. Petri Itinere, & Apostolatu Exercit.* XX. *pag.* 472. *edit. Florent. an.* 1741. Sebastianus Donatus vir eruditus imprimis, ac diligens *de' Dittici degli Antichi libri* III. *edit. Luc. a.* 1753. utque aliquos eorum, quos priore loco nominavi, mittam, Christianus Augustus Saligus *de Diptychis Veterum lib. singul. edit. Halæ Magdeburg. an.* 1731. & hoc ipso, quo scribimus anno, Paullus Maria Paciaudius in egregio, plenoque eruditionis opere, quod inscribitur: *de Cultu s. Joh. Bapt. Antiquit. Christiana Dissert. sexta cap.* IV. *p.* 225. *seqq.*

bis ſcilicet , & *plica*, alteræ *ἀπὸ τοῦ τρὶς , ϰ̀ πτὺξ ex ter , & plica τρὶπτυχα triptycha* appellari ſolent. Triptycha aut domi (1) memoriæ , cultuſque gratia , aut in Eccleſiis ſervari conſuerant , ut cum res divina fieret , altaribus (2) imponerentur . Sunt autem alia perplura ſeu diptycha , ſeu triptycha ſacra , quorum uſus non ii modo , quos dixi , ſed alii etiam ab ipſis diſcrepantes (3) erant . Verum de his nihil attinet dicere . Quare de illis tantum , quæ iconas Petri, Paulique exhibent , agam , atque , ut equidem potero, breviter . Itaque in Mutinenſi Carmelitarum , ut ab Donato (4) in Commentario de Diptychis italica lingua perſcripto proponitur , ad dexteram Petri , ad lævam Pauli imago eſt. Contra in Florentino Riccardiorum (5) Petrus ad lævam eſt, Andreas ad dexteram . Jam vero in Tudertini (quod ſibi magno pretio BENEDICTUS XIV. P. M. non ceterarum modo doctrinarum , diſciplinarumque omnium , ſed antiquitatum etiam Chriſtianarum diligentiſſimus inveſtigator , ſtudioſiſſimus cultor , peritiſſimus , doctiſſimus , juſtiſſimuſque æſtimator , & judex comparavit ; quodque Paulus

1 Quæ cauſſa fuerit , cur plerique eorum , qui de ſacris Diptychis *figuratis* , ut vocant, egerunt non meminerint , conſuetudinis , quæ apud Græcos imprimis invaluit , retinendarum memoriæ , religioniſque ergo imaginum earumdem domi , neſcio . Nam ſi hoc etiam tempore is uſus obtinet , tabulæque ligneæ , quæ in Atho monte perfici ſolent , aut alibi , & pictæ ad triptychorum modum elaboratæ paſſim in privatorum ædibus ejus rei cauſſa ſervantur , quid impedit , quo minus olim etiam ſervarentur ?

2 Confer Bonarrotium *l. c. p.* 259 *ſeq.* Donatum *ibid. pag.* 215. Paciaudium *ibid. p.* 229.

3 De variis uſibus Diptychorum variorum generum quid ſit ſtatuendum ex Bonarrotio *ibid.* Donato *ibid.* aliiſque nonnullis eorum , quos ſupra commemoravi , cognoſcere lector poterit .

4 Confer Donatum *ibid. lib.* III. *cap.* VI. *pag.* 222. *ſeqq. edit. Luc. an.* 1753. In Diptycho Leodienſi , quod a Conſulari figurato Epiſcopale litteratum haud multo poſt Caroli Magni tempora factum eſt, ut poſt Wilteinium animadvertit Saligus *cap.* III. *libri ſingular. de Diptychis p.* 33. *ſeqq. & c.* VIII. *p.* 129. *edit. Hal. Magd. an.* 1731. Petri nomen ante Pauli nomen legitur . Atque certum quidem illud mihi videtur , ea ratione fuiſſe in Diptychis eccleſiaſticis ſcripta nomina , eaque ſerie ſculptas , pictaſque imagines Apoſtolorum , qua recitari in canone Miſſæ ab eccleſiis conſueverunt . Nulla enim ratio eſt , cur pictores , ſculptoreſque prudentes , atque volentes a conſuetudine , uſuque perpetuo eccleſiarum , receſſiſſe putem . In canone autem primum ab omnibus Petri , tum Pauli recitatur nomen ; id quod ex Romano , quem primo fuiſſe ſeculo digeſtum oſtendam ſuo loco opportune , ex Ambroſiano , ex Moſarabico , ex Æthiopico denique plane conſtat . Quamobrem a pictoribus , ſculptoribuſque , qui diptycha , triptychaque diligenter perficere ſolerent , potiorem locum fuiſſe attributum Petro concedendum eſt .

5 Conſule Fogginium *exercit.* XX. *de Romano D. Petri Itinere , & Apoſtolatu p.* 471.

lus Maria Paciaudius Clericus Regularis Theatinus vir maximo ingenio, singularique harum præcipue rerum scientia præstans primus omnium edidit, illustravitque) in Tudertini, *inquam*, Triptychi antica parte (1) Petrus in medio est, Paulusque sinistrum, Johannes vero dexterum latus tenet. Quod idem cernere in Triptycho Casanatensi item eburneo, quod ipsi nunc publicamus, licet. In hujus vero antica superiore parte Christi suppedaneo insistentis, ac dextera *benedicentis*, sinistraque librum sustinentis figura conspicitur, distinguiturque non eo circuli, sive diadematis genere solum, quod unius Servatoris imaginibus imponi (2) consuevit, verum etiam litteris I͞C. X͞C, hoc est ΙΗϹΟΥϹ ΧΡΙϹΤΟϹ *Iesus Christus*: ad lævam Deipara est dexteram manum versus filium extendens, ad dexteram Johannes Baptista. Litteræ præterea ad lævam leguntur: M͞H͞P Θ͞V, id est ΜΗΤΗΡ ΘΕΟV *mater Dei*, ad dexteram Ο Α.ΙΩ. ΠΡΟΔ. nempe, Ο ΑΓΙΟϹ ΙΩΑΝΝΗϹ ΠΡΟΔΡΟΜΟϹ *Sanctus Iohannes præcursor* (3) mediæ anticæ parti versus hujusmodi insculpti sunt.

ΩC

1 *Loc. indic. diss.* VI. *cap.* IV. *seqq. pag.* 225. *seqq.*

2 Ut ex musivo opere s. Andreæ in Barbara Simplicii Papæ cura anno *fere* 643. perfecto apud Ciampinum *tom.* I. *veter. monum. tab.* XXXVI. *cap.* XXVII. *pag.* 243. exque aliis apud eumdem, apud Aringhium, & Bottarium monumentis liquet. In his enim nimbo, seu diademati inscripta crux est. De Simplicii musivo opere in templo s. Andreæ in Barbara, deque ceteris, quæ in Basilicis Romæ, alibique aut extabant, aut etiamnum extant, incredibili, qua præstat, eruditione, atque doctrina disputat vir maximus Josephus Alexander Furiettus *Sacrar. Congreg. Concilii, & Resid. Episcoporum a secretis lib. de Musivis cap.* V. *pag.* 65. *seqq. & pag.* 73. *seqq. edit. Rom. an.* 1752.

3 De Johanne Præcursore, ut mittam, quæ interpretes Evangeliorum, quæque Hermannus Witsius, aliique a Paciaudio numerati disputant, vide, quæ idem scribit Paciaudius *in Dissertationibus Antiq. Christ. de S. J. B. cultu*. In canonibus Liturgiarum Orientalium imprimis post virginem Deiparam Johannis Baptistæ fit mentio: ut in Chrysostomi Liturgiæ canone *tom.* XII. *opp. Chrysost. pag.* 792. *in append. edit. Paris. Monachor. Congreg. s. Mauri in Liturg. Basilii Alexandrina pag.* 680. *tom.* II. *opp. in append. edit. Paris. Garnerii Monachi Congr. s. Mauri & in Coptica ibid. pag.* 694 *in s. Gregor. Coptica apud Renaud. Collect. Liturg. Oriental. tom.* I. *pag.* 34. in Syriaca s. Jacobi *apud eumd. tom.* II. *pag.* 129. & in illius, quæ duodecim Apostolorum dicitur *ibid. pag.* 173. ut etiam in Marci Syriaca *ibidem pag.* 180. Prætereo ceteras Liturgias, ne sim longior, quam oportet. Sed de his, quas numeravi, adscribendæne iis sint, quibus tribuuntur, alio loco opportune dicam. Hoc tamen nunc addam breve: labi vehementer Saligum, qui fretus testimonio Honorii Augustodunensis, recitari in canone consuesse invocationis, intercessionisque caussa Apostolorum, sanctorumque nomina non negantis, neque affirmantis; statuat *nudam Apostolorum, eorumque doctrinæ & exempli & martyrii memoriam ceu caussam recitationis* illius esse, novitatisque ea monumenta ecclesiastica condemnet, in

qui-



ΩC ΗΠΟΡΕΙ ΧΕΙΡ ΚΑΙ ΓΛΥΦΙC ΧΡΙCΤΟΥ (1) ΤΥΠΩ.
ΧΡΙCΤΟC ΔΙΔΑCΚΩΝ ΚΑΙ ΠΝΟΗΝ (2) ΗΝ ΕΙCΦΕΡΩΝ,
ΚΑΙ CΥΛΛΑΛΕΙ ΓΑΡ ΜΗΤΡΙ ΚΑΙ ΤΩ ΠΡΟΔΡΟΜΩ,
ΚΑΙ ΤΟΥC ΜΑΘΗΤΑC ΩCΠΕΡ ΕΚΠΕΜΠΗ ΛΕΓΕΙ.
ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΝ ΛΥΤΡΟΥCΘΕ (3) ΠΑΝΤΟΙΩΝ ΝΟCΩΝ
ΕΓΩ

quibus est aliquod invocationis indicium. Quid enim? Annon Cyrillus Hierosolymitanus, qui medio fere seculo iv. Catecheses composuit agens de canone Hierosolymitanæ Liturgiæ *Catech. Mystag.* v. §. 12. *pag.* 328. *edit. Paris. an* 1720. sic scribit?,, Postea recordamur ,, eorum quoque qui obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, ,, Martyrum, ὅπως ὁ Θεὸς ταῖς εὐχαῖς αὐτῶν, καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν τὴν δέησιν: ,, *ut Deus* precibus ipsorum, & legationibus orationem nostram acceptam habeat,,. Sed de Saligi sententia *cap.* vi. 2. *libri singular. de Diptychis pag.* 125. *seqq.* alias.

1 Vide *not.* 3. *hujus pag.*

2 Spiritum a Christo esse mortalibus inflatum, plena sunt & Prophetarum oracula, & volumina novi Testamenti. πνοὴ autem *spiritus* est. Confer *Proverb. cap.* 1. *v.* 23. De re vero certa non est cur multa disputem.

3 Erunt, qui hoc trypticbon votivum, donariumque quoddam fuisse putent, cujusmodi est illud, quod anno 1732. singulari Dissertatione inscripta, *Explication Historique d'un tableau en Relief*, Episcopus Varmiensis illustravit, quodque Paulum, & Johannem Apostolos exhibet. In summa enim tabula hi leguntur Iambi.

ΣΚΕΥΟC ΘΕΟΥΡΓΟΝ CΥΛΛΑΛΕΙ ΤΩ ΠΑΡΘΕΝΩΙ
ΒΛΑΒΗC CΚΕΠΕCΘΑΙ ΔΕCΠΟΤΗΝ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟΝ.
Vas divinum colloquitur cum cælibe
De tuendo a calamitate Despote Constantino.

Quos Iambos ad Constantinum Palæologum postremum Græcorum Imperatorem spectare eruditissimus Antistes (ita ut in hisce monumentis explicandis evenit) quasi divinans constituit. De Donariis ejusdem generis vide quæ scribant Montfauconus *Diar. Italici p.* 14. *edit. Paris. an.* 1702. & vir imprimis doctus, ac nobilis Flaminius Cornelius Senator Venetus *Eccles. Venet. ant. Mon. Decad.* xiii. *part.* 1. *pag.* 151. *seqq. edit. Venet. an.* 1749. &Ригginius, qui tabulam edidit Petrum, atque Andream referentem, illius omnino similem, quæ est a Varmiensi Episcopo publicata, in qua sunt Iambi:

ΩC ΑΥΤΑΔΕΛΦΟΙ ΜΥCΤΟΛΕΚΤΑΙ ΤΩΝ ΑΝΩ
ΝΕΜΟΙΤΕ ΛΥΤΡΟΝ ΔΕCΠΟΤΗ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΩ
Tamquam germani fratres supernorum mysteriorum enarratores
Tribuite liberationem Despota Constantino.

Fogg. *de Rom. D. Petri Itin. & Ap. p.* 471. *seqq.* Jam vero qui nostrum triptychon votivum esse negaverint, exque genere donariorum, ii facile intelligent, hoc eum voluisse, qui versus in media Triptychi ipsius anticæ parte scribi curavit: tantum esse Christi majestatem, ut artificis, qui perficere illius iconem conetur, manus, atque instrumenta nutent. Fuisse autem sibi in animo Servatorem ipsum generis humani exhibere docentem, afferentem spiritum, & cum Deipara Virgine, eamque Johanne Baptista colloquentem, dicentemque discipulos ab se propagandæ religionis Christianæ caussa in orbem terrarum universum mitti. A Christo sanctisque, quorum in tabellis imagines cernuntur, Constantinum, cujus gratia perfectum id esset triptychum, petere, ut ipsi permultis laboranti morbis salutem afferrent. Considere demum se fore, ut hoc ebore (ebur autem Græci Κέρας *cornu* interdum vocant) omne subtierunt cornu, hoc est potentiam, superbiamque inimicorum. Scilicet erat hoc media, infimaque ætate apud Græcos in usu, ut verbis diverso sensu acceptis quandoque luderent. Quod & ex tabulis ceteris fere hujusce tryptichi, & ex multis aliis exemplis constat. Sed non deerunt fortasse, qui fieri in tryptichо ipso salutis ab Apostolis Petro, Pauloque restitutæ Con-

Stan-

ΕΓΩ ΔΕ ΤΟΥΤΩ ΠΑΝ ΥΠΟϹΤΡΩϹΩ (1) ΚΕΡΑϹ

Ut vacillat manus, cultellusque sculptorius Christi forma!

Chri-

stantino magno mentionem censeant: versusque quartum atque quintum hoc modo latinos faciant: *& quemadmodum Apostolos mittat ad Constantinum a variis morbis liberandum, dicit*. Nam poetæ pro ΑΥΤΡΟΥϹΘΑΙ, quod est *liberare*, licuit ΑΙΤΡΟΥϹΘΕ scribere. Hoc si ita est, jam alluserit necesse est ad Acta secundæ Nicænæ synodi, quæ, confirmandi cultus sanctarum imaginum caussa, epistolam attulit Hadriani Papæ *ad Constantinum, & Irenem Augg.* in qua sic habetur: *Act.* II. *pagin.* 82. *tom.* IV. *Conciliorum edition. Harduin.* „ In ipsis exordiis Christianorum cum ad fidem converteretur prius Imperator Con-
„ stantinus, sic legitur: transacto die, nocturno regi facto silentio somni tempus advenit, &
„ ecce adsunt s. Apostoli Petrus, & Paulus dicentes, quoniam flagitiis tuis posuisti termi-
„ num, & effundere innocentum sanguinem horruisti ἰδοὺ ἀπεστάλημεν παρὰ χριστοῦ, *ecce*
„ MISSI SUMUS A CHRISTO δοῦναί σοι σωτηρίαν DARE TIBI SALUTEM. Audi ergo monita no-
„ stra, & fac omnia quæcumque indicabimus tibi. Silvester episcopus civitatis Romanæ
„ ad montem Soractem persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis Clericis
„ latebras fovet. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in quam dum
„ tertio merserit γενήσεται ἐν σοὶ ἴασις τῆς λέπρας, καὶ πάντων τῶν νοσημάτων σου *fiet*
„ IN TE SALUS A LEPRA ET AB OMNIBUS MORBIS TUIS.... Quod dum factum fuerit, hanc
„ vicissitudinem Salvatori tuo compensa, ut omnes jussu tuo per orbem totum Romanum
„ ecclesiæ restaurentur, deponens πᾶσαν τὴν τῶν εἰδώλων λατρείαν *omnem idolorum cul-*
„ *tum* „. Itaque sculptum id triptychon octavo fere seculo dicent, quo sane Græci hæc ab latinis accepta probarunt, Iconomachisque cultus sacrarum imaginum confirmandi caussa opposuerunt. Forma litterarum, quibus usus sculptor est, non est meo quidem judicio a forma earum discrepans, quæ seculo VIII. in usu erat. Jam vero cum ea narratione revinci iconomachos orthodoxi freti Pontificis auctoritate putarent posse, mirabile non est, si in tabulis dum iconas aut sculperent, aut pingerent Apostolorum, commemorandam existimarent. Addit enim Hadrianus: „ Percuntabatur qui essent isti dii Petrus, & Paulus, qui illum visita-
„ rent ob caussam salutis suæ, & ejus latebras detexissent. Silvester respondit: Hi quidem dii
„ non sunt, sed idonei servi Christi, & Apostoli electi ab eo... Cumque hæc ... diceret Papa,
„ interrogare cœpit Augustus, utrumnam istos Apostolos haberet aliqua imago expressos, ut
„ ex pictura disceret hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc Sanctus Silvester misso diaco-
„ no sibi exhiberi præcepit τῶν ἁγίων ἀποστόλων εἰκόνας *Sanctorum Apostolorum imagines*,
„ quas Imperator aspiciens ingenti clamore cœpit dicere, ipsos esse, quos viderat....
„ Ecce, ut præmissum est, sanctorum figuræ ab ipsis sanctis fidei nostræ rudimentis apud om-
„ nes fuerant Christianos &c „. Si autem multo post, sublata nempe controversia, perfectum id fuit triptychon, quid opus hoc argumento fuisse?

1 Nempe (modo vera sit posterior interpretatio, quam dedimus) potentiam, superbiamque idololatrarum comprimam Constantini opera. *Cornu* namque *potentiam* interdum, arrogantiam, superbiamque cum in deteriorem partem accipitur, indicat. Confer præter cæteros Interpretes sacrorum Bibliorum, Eusebium Cæsariensem in *Psalm.* LXXIV. *v.* 10. *seqq. tom.* 1. *Collection. veterum Patrum edition. Parisiens. Montfauconi pag.* 445. *seq.* Amplificata autem religione ab Constantino fuisse profligatam idololatriam, cum per se manifestum est, tum idem scribit Hadrianus *ibidem pagin.* 84. καὶ ἀναμνησθεὶς τοῦ ἀγαθοῦ, οὗ ἔπαθεν, ἀπήρξατο κἀκεῖνος ποιεῖν ἐκκλησίας, ἀναστηλῶν ἐν αὐταῖς τὰς αὐτὰς σεβασμίας εἰκόνας, εἰς σέβας, καὶ ἀνάμνησιν τοῦ ἐνανθρωπήσαντος κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ καὶ πάντων τῶν ἁγίων. ὥστε ἐπιστρέψαι εἰς τὸν χριστιανισμὸν, καὶ εἰς φῶς, καὶ ἀλήθειαν, καὶ πόθον τοῦ θεϊκοῦ σεβάσματος, καὶ ἀπαλλαγῆναι πάντας ἐκ τῆς τῶν ἐθνῶν εἰδωλολατρείας, καὶ δαιμόνων πλάνης. *Et in memoriam revocans bona, quæ impetrarat, cæpit & ipse ecclesias construere, collocans in ipsis easdem venerandas imagines in venerationem, & memoriam inhumanati Domini nostri Jesu Christi, & omnium sanctorum, ita ut ad Christianismum, & ad lucem, & ad veritatem, & ad studium divinæ venerationis converterit, & averterit omnes ab idololatria gentium, & a dæmonum fallacia.*

Christus docens, spiritumque afferens,
Nam colloquitur matri, & Præcursori,
Et discipulos quemadmodum mittat, dicit.
Constantinum liberate ab omnibus morbis.
Ego autem hoc omne substernam cornu.

In medio inferiore anticæ ejusdem partis Triptycho Petrus est, litteræque ad ejus dexteram Ο ΑΓΙΟϹ *Sanctus*, ad lævam ΠΕΤΡΟϹ *Petrus* leguntur. Ad lævam porro huic est Paulus, cujus sinistro lateri adscriptæ litteræ sunt: Ο. Α. ΠΑΥΛΟϹ *S. Paulus*. Paulo rursum ad lævam est S. Andreas Ο. Α. ΑΝΔΡΕΑϹ (1). Ad Petri dexteram visitur Joh. Evangelista librum, ita ut Paulus utraque manu sustinens, adjunctæque ei ad dexteram litteræ leguntur: Ο. Α. ΙΩ Ο ΘΕΟΛΟΓΟϹ *S. Iohannes Theologus*. Dexter denique Johanni Jacobus (2) est, Johannis, credo, frater, ut qui in Apostolis Majoribus numeretur. In superiore antica dexteri ostioli triptychi ejusdem parte dexterum latus tenet Ο. Α. ΓΕΟΡΓΙΟϹ (3), *S. Georgius*; sinistrum Ο. Α. ΘΕΟΔΩΡΟϹ Ο ϹΤΡΑΤΗΛΑΤΗϹ (4) *S. Theodorus dux militum*. Medio ostiolo versus hujusmodi insculpti sunt:

ΙΔΟΥ ΠΑΡΕϹΤΙΝ Η ΤΕΤΡΑΚΤΥϹ ΜΑΡΤΥΡΩΝ:
ΤΩΝ ΑΡΕΤΩΝ ΚΟϹΜΟΥϹΑ ΤΕΤΡΑΔΙ ϹΤΕΦΟϹ
Ecce adest quaternitas martyrum
Quaternum ornans sertum virtutum.

Quaternitatem autem martyrum indicat, propterea quod duo, ut dixi, exhibeantur in superiore parte, rursumque in in-

1 Eodem modo in Triptycho BENEDICTI XIV. P. M. figuræ, quæ huic nostræ omnino est similis, estque ad lævam Pauli, Andreæ nomen adscriptum est. Confer Paciaudium *l. ind. pag.* 230.

2 Jacobum hic exhiberi ostendunt litteræ Ο Α. ΙΑΚΩΒΟϹ. Ita quoque exhibetur Jacobus in BENEDICTI XIV. triptycho.

3 Multa de s. Georgio sapienter imprimis, atque erudite, ut solet, disputat Paciaudius *loc. ind. p.* 255. Confer etiam Doctiss. Bollandianos *ad d.* XIII. *Aprilis p.* 100. *seqq. t.* III. *edit. Antuerp.* Illustriss. Bizza Archiepiscopus Spalatensis incredibili vir studio propagandæ religionis, illustrandarumque patriæ Antiquitatum, mihi, quæ est illius erga me singularis humanitas, significavit: reperisse illustria quædam monumenta se, ex quibus s. Georgii Martyris cultum obtinuisse nono seculo in Dalmatia intelligeretur. Atque ea quidem ille publicari in Illyrico sacro clarissimi viri P. Farlati S. J. Theologi curabit.

4 De Theodoro Militum duce apud Græcos imprimis percelebri satis a Paciaudio dictum est.

in inferiore duo, hoc est dexter O. A. ΕΥϹΤΡΑΤΙΟϹ (1), *S. Eustratius*, sinister O. A. ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ (2) S. Demetrius martyres. In ostiolo ad lævam martyres item sum quatuor, in superiore scilicet sinister O.A. OC. (3) S...VS (reliqua deleta sunt, detracti exigui cardinis, temporis injuria, ex ostiolo caussa); dexter Ο ΑΓΙΟϹ ΘΕΟΔΩΡΟϹ Ο ΤΗΡΩΝ (4) S. Theodorus Teron; in inferiore autem dexter O. A. ΠΡΟΚΟΠΙΟϹ (5) S. Procopius; sinister O A. ΑΡΕΘΑϹ S.Are-

1 Qui Εὐστράτιος recte in menologiis, inque nostro, & BENEDICTI XIV. Pont. Max. triptychis, idem nunc corrupte Στράτης ab Græcis dicitur. Eustrasium nonnemo vocat: sed labitur. Martyris autem Eustratii festus dies non xx. sept. (ut visum novo cuidam scriptori est, qua die *S. Eustathii*, ut Græci appellant, ut Latini *S. Eustachii* fit in tabulis utriusque ecclesiæ mentio, quod ex Kalend. Latin. & Menologiis Græcor. constat. Vide Menolog. Basil. *P.1. p.55. ed. Urbin. an.*1727.) sed XVII. decembris agitur. Confer idem *Menol. part.* 1I. *p.* 27.& Ephem. Græc. Mosc. apud Bolland. T.1. *Act. ss.* Maji *p.*LII. *& p.* LVIII. & Menæa ad diem K. septembr. pag. πδ. *edit. ann.* 1738. & ad 17. *dec. pag.* τμα. Atque hoc inter *Eustathium*, seu *Eustachium*, *Eustratiumque* interest. Ille Trajano Imperatore, hic vero multo post, Diocletiano, & Maximiano Augustis passus est. Neque μεγαλεμάρτυρος ab Græcis, sed μεγας μάρτυρ, vel μεγαλεμάρτυς, vel μεγαλομάρτυρ dicitur. Quod si Eustathium sculptor indicare voluisset, non vero Eustratium; iis illum vestibus, armisque, ut ducem militum decebat, ornatum exhibuisset, quibus exhibuit Theodorum στρατηλάτην. At non ita fecit. Itaque Eustratii iconem fingere instituit, cujus est Eustratii cultus late in Græcia propagatus.


2 De s. Demetrio, qui Thessalonicæ perfunctus martyrio est, consule quos laudat scriptores Joh. Albertus Fabricius *tom.* IX. *Bibl. Græc. lib.* v. *cap.* XXXII. *pag.* 71. *seq.* Tillemontium *tom.* v. *memoir &c. not.* LXIV. *de Persec. Diocl. pag.* 277. *edit. Bruxell. & artic.* LVIII. *pag.* 64. *seq.* & Paciaudium *diss.* VI. *pag.* 257.

3 Quis hic sit martyr nescio. Etenim deletum est illius nomen, artificis, qui ostiolo, seu valvulæ cardinem addidit, vitio. Neque in nostro id evenit solum, sed etiam in BENED. XIV. triptycho. Si conjecturis agere licet, Eustathium, seu potius Eustachium ea figura referri, qui cum dux militum fuerit, eo ornatu exhiberi debuit, quo Theodorus ὁ στρατηλάτης dux item militum expressus a sculptore fuit. Nam coli hunc etiam Eustachium a Græcis, magnoque in honore haberi constat.

4 Hunc, qui ΤΗΡΩΝ *Teron* in BENEDICTI XIV. & nostro triptycho dicitur, alii Tironem, ut est apud Ruinartium *Act. Mart. sincer. edit. Veron. pag* 422. vel Tyronem, ut est apud Paciaudium *loc. indic.* vocant. Tyronem dici Goarius censet Legionis, quæ tyronum dicebatur, caussa. Alii ob arma recens suscepta. At is e regione erat Marmaritanorum, ut Acta vulgata ferunt. Τήρων Teron autem idem est, atque *custos*, *servans*, *tutor*. Quamquam Tyronem dictum arbitrer, ob arma non multo ante suscepta. Confer Nyssenum apud Ruinar. *n.* III. *p.* 424. Basilicam Constantinopoli fuisse, quæ Deo in hujus μεγάλου μάρτυρος *magni martyris*, ut a Gregorio Nysseno appellatur (*Orat. de s. Theodoro tom.* II. *opp. edit. Parif. an.* 1615. *pag.* 1002.) honorem dicata esset, auctor est Procopius *lib.* 1. *de Ædif. pag.* 15. *edit. Parif. an.* 1663. Neque vero Constantinopoli solum, sed etiam Hierosolymis. Vide s. Sabæ vitam a Cyrillo scriptam apud Cotelerium *n.* LXXVIII. *pag.* 355. *tom.* III. *Monum. Eccl. Græcæ*. Quinetiam tertia Damasco haud longe distans erat, ut Joh. Damascenus *Orat.* III. *de sacr. Imag. pag.* 378. *tom.* 1. *opp. edit. Parif. Lequienii*. Sunt qui Romæ quartam statuant. Vide Paciaudium *loc. cit. diss.* III. *pag.* 122. Ejus martyris diem festum Græci 17. Febr. celebrant. Confer *Menolog. Basil. tom.* II. *pag.* 196. *edit. Urbinat.* Sed de eo, qui plura volet, is adeat Cangium *Constantinopoleos Christian. lib.* IV. *c.* VI. *num.* 102. *pag.* 139. *edit. Parif. an.* 1680.

5 De s. Procopio magno item martyre confer quæ scribunt Ruinartius *Act. SS. Martyr. sincer. admonit. ad Pass. s. Proc. p.* 310. *edit. Ver.* & Paciaudius *loc. cit. diss.* VI. *pag.* 259.

Pag. 499.



(1) S. Arethas. Hic autem, & superior, cujus est, ut dixi, deletum nomen, cum proximi Apostolis, & Johanni Baptistæ sint, honoratiorem locum occupant. In medio ostiolo hi leguntur versus:

ΑΝΑΞΩ ΤΕΥΞΑΣ ΜΑΡΤΥΡΩΝ ΤΗΝ ΤΕΤΡΑΔΑ:
ΤΟΥΤΟΙϹ ΤΡΟΠΟΥΤΑΙ ΔΥϹΜΕΝΕΙϹ ΚΑΤΑΚΡΑΤΩϹ

Extollam formans martyrum quaternitatem.
His vi fugatur inimicus (2).

Venio ad posticam præcipuam partem triptychi. Crux totam occupat. In dextro ostiolo quatuor sunt figuræ, unius videlicet martyris, episcoporumque sanctorum trium. Horum hæc sunt in superiore parte nomina: **Ο Α. ΓΡΗΓΟΡΙΟϹ Ο ΘΕΟΛΟΓΟΣ**, S. Gregorius Theologus, Nazianzenus scilicet, & **Ο Α. ΒΑϹΙΛΕΙΟΣ**, S. Basilius: in inferiore: **Ο Α. ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ Ο ΘΑΥΜΑΤΟΥΡΓΟΣ**, S. Gregorius Thaumaturgus, & **Ο Α. ϹΕΥΗΡΙΑΝΟϹ** (3) & S. Severianus. In medio triptycho leguntur versus:

ΜΑΡΤΥϹ ϹΥΝΑΥΘΕΙϹ ΕΝ ΤΡΙϹΙ ΘΥΗΠΟΛΟΙϹ
ΠΙϹΤΟΙϹ, ΤΟ ΤΡΙΤΤΟΝ ΕΥΜΕΝΙΖΕΤΑΙ ϹΕΒΑϹ

Martyr conjunctus tribus Sacerdotibus
Fidelibus, trinum placat adorabilem Deum (4).

In sinistro quatuor perinde sunt, martyr unus, tresque episcopi. Martyr est **Ο Α. ΑΓΑΘΟΝΙΚΟϹ**, *S. Agathonicus* (5),

 Epi-

1 De sancto Aretha ab Judæis Justini Augusti tempore interfecto vide *Menolog. ad* XXIV. *Octob. diem pag.* 139. *part.* 1. *edit. Urbin. an.* 1747. Surium *ad* XXIV. *Oct. p.* 1033. *seqq. to.* V. *edit. an.* 1580. & Lambecium *tom.* V. *Biblioth. Cæsar. Vindob. pag.* 130. 132. 387. *seq. tom.* VIII. *p.* 254. 260. 262. Montfauconium *Biblioth. Coisliniana pag.* 185. 211.

2 Dæmonas vi fugari prece SS. Martyrum testata apud majores nostros res semper fuit. Sed eos omnes numerare non vacat. Confer Chrysostomum *Homil.* 1. *de Macchabæis p.* 623. *tom.* II. *opp. edit. Montfauconi Paris. & orat. de s. Babyla martyre contra Julianum, & Gentiles pag.* 556. *seqq. nu.* XII. *seqq. tom. eodem*, & Paulinum *Nolanum. Natal.* III. *de s. Felice. pag.* 381. *edit. opp. Veron. an.* 1736.

3 De S. Severiano Milite Sebasteno, & Martyre agitur in *Menolog. Basil. ad d.* 9. *Sept. pag.* 26. *part.* 1. *edit. laudata*. Et Lambecium *tom.* VIII. *pag.* 267. *& pag.* 238.

4 Trinitatem indicat *Trini honoris*, seu *trini adorabilis* vocabulum. *Deum* Theodoritus *serm.* III. *Therapeut. edit. Comel. pag.* 38. θεῖον σέβας vocat.

5 Confer Bollandianos *Act. St. ad d.* XXII. *Mens. Aug. tom.* IV. *pag.* 519. *seq. edit. Antuerp.* Lambecium *tom.* VIII. *Bibl. Cæsar. Vindob. pag.* 205. *seq.* Bandurii *Imper. Orient. p.* 648. *edit. Paris. an.* 1711. *t.* II. Non assentior autem Paciaudio viro eruditissimo, & amico meo, qui deprehendisse in ornatu martyrum Demetrii, atque Eustratii scribit, nescio quid

Episcopi duo in superiore parte Ο Α. ΙΩΑΝΝΗϹ Ο ΧΡΥϹΟϹΤΩΜΟϹ *S. Joh. Chrysostomus*, & Ο Α. ΚΛΗΜΗϹ ΑΓΚΥΡΑϹ *S. Clemens Ancyræ*; in inferiore unus Ο Α. ΝΙΚΟΛΑΟϹ *S. Nicolaus*. In medio triptycho versus leguntur hujusmodi.

ΑΡΧΙΕΡΕΙϹ ΤΡΕΙϹ ΕΙϹ ΜΕϹΙΤΕΙΑΝ ΜΙΑΝ:
ΚΑΙ ΜΑΡΤΥϹ ΕϹΤΙ ΓΗΝ ΥΠΟΚΑΙΝΕΙΝ ϹΤΕΦΕΙ.
Principes sacerdotum tres in unam mediationem,
Et Martyr est terram (sibi) subigens corona (martyrii).

His autem constitutis, facile quisque intelliget, jam usque a tertio saltem, quartoque seculis ad dexteram Petrum, Paulum

quid se, ex quo triptychon perfectum *infimi imperii temporibus* fuisse videretur.,, De Demetrii, & Eustratii vestibus, *inquit*, *pag.* 257. dicendum superest, quarum forma peculiaris, & infimi imperii temporibus plane respondens. Sagus quem uterque defert σκαραμάγγιον ea ætate appellabatur, quod supra vestem arcendis aeris, tempestatisque incommodis injiciebatur, & ad humerum dexterum, vel infra collum fibulabatur,,. Principio enim non satis intelligo unde sit temporis illius *imperii*, quod infimum vocat, ducendum initium. Quod si sumendum ab XI. seculo esse censet, ut statuere pagina mox sequente videtur, vereor ne suam multis probare non possit sententiam. Nam forma vestium Eustratii, (pace id equidem tanti viri dicam) multo est seculo XI. *infimoque imperio illo* antiquior. De tunica, ne ipse quidem dubitat. Sagus autem, seu pallium, quod chlamys est etiam a veteribus appellatum, quis non videat esse pallio Demetrii, Eustratiique omnino simile? Innumerabilia enim esse vetera & Græcorum, & Romanorum monumenta constat, in quibus genus illud indumenti cernitur, quod fibulari ad *humerum dexterum*, vel *infra collum* etiam soleret. Sed omittam ethnica, quorum perplura videre apud Gruterum, Montfauconum, aliosque antiquitatum collectores exempla licet. In Sarcophagis veterum Christianorum, quæ effossa in cœmeteriis sunt, chlamydis, seu paludamenti Eustratiani formam, quæ Constantini etiam temporibus, ut ex ipsius arcu cognoscitur, in usu erat, conspici, quis neget? Non est opus, ut multis, quæ ab Aringhio, Bottario, aliisque describuntur, utar. Satis erit Sarcophagos illos duos conferre, quorum alter in Vaticano, alter in Lucinæ cœmeterio repertus est, quorumque nos ectypa tomo hujusce operis priore *pag.* 282. *& seqq.* dedimus, in quibus, qui Pilato manus lavaturo adstant, eo chlamydis genere ornati exhibentur. Deinde quod addit de σκαραμαγγίῳ difficile demonstratu est. Nec vero is sum, qui, illius opinione, XI. seculo eam primum usurpari vocem cœpisse putem. Etenim vir clarissimus ab Theophane, quem VIII. seculo floruisse certum est, *ad an.* XVII. *Heraclii*. *Chronogr. pag.* 266. *edit. Paris. an.* 1655. hæc fuisse litteris commendata norat. καὶ τὸ λορίκιον αὐτοῦ ὁλόχρυσον ἔλαβον, καὶ τὸ σκαραμάγγιον αὐτοῦ ἤνεγκαν σὺν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ. *Et Thoracem ipsius totum aureum*, & SCARAMANGIUM, *& una caput ipsius* Rhazatis extulerunt. Quum autem hæc illi comperta essent, nescio, qui demum existimarit, scaramangium seculo XI. non fuisse vetustius. Formam autem τοῦ σκαραμαγγίου talem fuisse, qualem ipse censet, quibus argumentis efficiet? Nam si σκαραμάγγιον illud est, quod ab Leunclavio describitur, quodque nunc Græci ἰαμουρλίκιον vocant, manicis instructum fuerit necesse est. At paludamentum Eustrathianum manicis caret. Denique σκαραμάγγιον, ut est apud Leunclavium, vestem pluviam significat. Quis autem credat Reges in Throno sedentes, aut viros nobiles domi manentes ita pingi consuesse, ut vestem pluviam ferrent? At in vetustissimo ante annos 1350. scripto codice Cæsareæ Vindobonensis Bibliothecæ, Pharao Throno insidens; Jose-

lum ad finistram in vitris delineari consuesse; postque hanc eamdem obtinuisse consuetudinem, ita tamen, ut in sculptis,

Josephus Jacobi Patriarchæ filius, qui in Ægyptiorum regno primas post regem obtinebat partes; quique Regi adstabant nobiles adolescentes hoc indumenti genere ornati exhibentur: id quod paullo post demonstrabitur. Non ergo plavia hæc vestis, sed ornamentum, quoddam proprium nobilium imprimis militum fuit, illius fortasse simile, quod Valentinianus Chiliarchus, is qui post Imperator fuit, gestabat, tunc cum Julianum in templum Genii publici ingressurum comitaretur. Confer Theodoritum *l. III. H. E. c. XVI. p. 120. edit. Taurin.* Prætermitto, quod Paciaudius de σκαραμαγγίῳ, ad *humerum dexterum fibulari* solito narrat. Videris enim, an ullius infimæ, mediæve ætatis scriptoris testimonio confirmari possit. *De segmento panni e nodulo scaramangi dependente*, quod in chlamyde Eustratiana, ut est in triptycho BENEDICTI XIV. P. M. apparet, nihil opus esset dicere. Nam illius in nostro triptycho ne vestigium quidem extat. Quamquam si indicium novi generis ornatus id est, nostrum esse triptychon triptycho Tudertino Benedicti Pontificis Maximi antiquius videretur. Nam sunt chlamydes Martyrum, ac in nostro exhibentur, earum simillimæ, quas Sarcophagi vetustissimi, quasque Constantiniani arcus anaglypho opere perfectæ imagines referunt. Nihilosecius ne quis recentius, quam est, ornamentum illud panni e nodulo scaramangi dependentis esse putet, describenda est, atque expendenda, quam mox Paciaudius addit, ratio. „ Illius specimen, *inquit*, nonnisi in „ pictura Codicis Seculi XI. Bibliothecæ Coislinianæ, aut aliis illorum temporum mo„ numentis reperiri quovis pignore affirmarim „. Sed metuo, ne si affirmet, recuperare pignus non possit. Est enim primum chlamys Nicephori Imperatoris, ut in Cod. Coisliniano proponitur, propterea quod ad tunicæ oram in angulum acutum desinat, fibulaque ad collum careat, Eustratianæ triptychi BENEDICTI XIV. omnino dissimilis. (Vide *tript. fig.* apud Paciaudium *ibid. pag.* 260. & Fig. Cod. Coislin. apud Montfauconum Biblioth. Coislinianæ *Lib.* I. *pag.* 134. *edit. Paris. an.* 1715. *& pag.* 136. quo loco Nicephori imago altera expressa cernitur, cujus est chlamys instructa paullulum ab humero dextro declinante fibula, & *pag.* 137. in qua Angeli imago est paludamento Nicephotiani hujus secundi simili ornata). Quinetiam contractiores, minusque plicis abundantes in Coisliniano Codice vestes apparent, laxiores contra Eustratii, elegantiusque perfectæ, constrataque, ut facile ætatis, qua sunt imagines ejusmodi aut pictæ, aut sculptæ discrimen possis agnoscere. Contra in Menologio Basilii, quod picturis seculo decimo ornatum fuisse communis est virorum harum rerum peritissimorum sententia, S. Demetrii imago paludamento simillimo chlamydi Eustratianæ ornata conspicitur. *Ad Mens. Octob. d.* XXVI. Confer *edit. Urbinat. tom.* I. *pag.* 143. ut etiam imago Theodosii Junioris ad XXV. *Octob. diem*. *Ibid. pag.* 67. Sed prætereo ceteras ne sim longior. Quid? Si apud Cangium Romanus Augustus Constantini filius, qui paullo post mediam seculum decimum potitus imperio est, chlamydatus, cum *segmento panni e nodulo chlamydis dependente* exhibetur in nummo (*Du Cange Famil. August. Byzant. pag.* 136. *edit. Paris. an.* 1680.) ita omnino ut Eustratius in Benedicti XIV. P. M. triptycho? Immo vero Leo Isaurus, Constantinusque filius in nummis duobus (apud eumdem *ibid. pag.* 123.) & Justinianus, quique illi adstabant ad dexteram in Musivo VI. seculi ædis S. Vitalis Ravennæ, quod post Alemannum edidit Cangius (*ibid. pag.* 97.) ea ratione chlamydati sine dependente panno proponuntur, ut Eustratius, Demetriusque in Casanatensi triptycho. Verum *dependens panni* segmentum e chlamyde videre licet in consulari seculi sexti Compendiacensi diptycho a Bandurio edito (*tom.* II. *Imperat. Oriental. pag.* 492.), & in altero, quod in Gazophylacio Regis Galliarum servari, auctor est Cangius Dissertat. *De Infer. Ævi numismat. tabul.* I. *pag.* 3. *edit. ann.* 1678. In Codice præterea Theologico II. *Biblioth. Cæsareæ Vindob. quem Lambecius an.* 1670. scribens annorum fuisse 1300. scribit, *pag.* 2. *to.* III. *lib.* III. *edit. Vindob. an.* 1670. *Tab.* XXXI. *quæ pertinet ad pag.* 10. *&* 11. *& Tab.* XLVI. *quæ pertinet ad pag.* 12. *&* 13. *& Tab.* XLVII. *pertin. ad pag.* 12. *&* 13) Iosephus Jacobi Patriarchæ filius chlamydatus, assuto chlamydi *panni segmento* exhiberi solet. Ad hæc Theophanes, quem seculo VIII. floruisse dicimus, *ad an.* V. *Justini Imperat.* qui an. 522. æræ Christianæ respondet,

ptis, pictisque imaginibus sinistrum interdum latus Petrus tegere videretur.

§. II.

pondet, *pag.* 144. de Tzatho Lazorum rege scribit, hoc modo: „ Hunc Imperator beni-„ gne acceptum baptismi lumine illustravit, & filium declaravit. Romanam vero duxit „ uxorem . . . nomine Valerianam. Discessit φορέσας στέμμα, καὶ χλανίδα βασιλικὴν „ λευκὴν ἔχουσαν ταβλίον χρυσοῦν *ornatus corona, & chlamyde regia candida habente* „ *auream tabulam*. Quid hoc testimonio clarius? En ut Theophanes testetur, jam usque a Seculo VI. usurum non *scaramangio*, sed chlamydi segmentum panni auro contexti fuisse, quod segmentum, ut facile Paciaudius assentitur, tabula appellatur. Atque in ea tabula, seu *panno filis variorum colorum acu ductis imaginem Imperatoris fuisse formatam* idem addit Theophanes: ἐν ᾧ ἐκ κεντητοῦ ἐγκεχάρακτο ὁ εἰκὼν τοῦ βασιλέως ἰουστίνου. Idipsum videre apud Auctorem Chronici Paschalis ad an. 522. licet *p.* 332. *edit. Paris. a.* 1688. φορέσας .... χλαμύδην ἄσπρον ὁλοσηρικὸν ἔχουσαν ἀντὶ πορφυροῦ χρυσοῦν βασιλικὸν ταβλίον, ἐν ᾧ ὑπῆρχεν ἐν μέσῳ ἐνυφασμένη ἀληθινὸς μικρὸν τοῦ βασιλικοῦ χαρακτῆρος ἰουστίνου. In-„ dutus chlamyde candida holoserica, habens etiam loco purpuræ tabulam auream regiam „ in cujus medio efficta erat imaguncula regia pectoralis Imperatoris Justini „. Constat igitur vestem, e qua tabula, sive panni segmentum dependebat, septimo saltem, atque 8. seculo chlamydem, non scaramangium; tabulam vero ταβλίν, vel ταῦλιν, vel ταυλίν fuisse appellatam. Quorsum hæc? Nempe eo spectant, ut omnes intelligant, esse triptycha Tudertinum, & Casanatense antiquiora, quam Paciaudius statuat, posse. Quod ut magis magisque constet, animadvertendum est, chlamydum formam post seculum X. elato sinistro brachio ita complicari consuesse, ut anteriore parte in angulum acutum desineret, contra atque in chlamydibus videatur martyrum, qui in utroque tryptycho exhibentur, inque iis, quæ quarto, quinto, sequentibusque seculis adhibebantur, ut ex monumentis apud Lambecium, & Cangium *Famil. Byzant. pag.* 97. *seq.* & *Constantinopol. Christian. lib.* III. *pag.* 77. & *pag.* 125. (quibus in locis imagines eo chlamydis genere ornati S. Cæsarii fratris Gregorii Nazianzeni ex codicibus CLV. & CLIV. *Bibliotheca regia* expressas exhibet. Codicem autem postremum IX. seculo sub Basilio Macedone scriptum affirmat, in quo ii omnino characteres litterarum, eæque in vestibus plicæ, quæ in Martyrum indumentis, ut sunt in utroque triptycho, apparent) & apud Bandurium (*l. c.*) aliosque constat. Jam vero in imagine Nicephori Imperatoris XI. sec., quam Montfauconus *Bibl. Coislin. p.* 137. inque aliis sequentium temporum, quæ in nummis, inque picturis visuntur apud Cangium *Famil. Byzant. p.* 162. 168. 201. 211. & *Diss. de Inferior. ævi Numismatibus tab.* V. & VI. & apud Lambecium *l.* VIII. *Bibl. Cæsar. Vindob. p.* 504. *sqq.* & Horatium Justinianum S. R. E. Cardinalem (*De Synod. Flor. p.* 322. & 382. *edit. Rom. an.* 1638.) & formæ litterarum ab iis, quæ in utroque triptycho leguntur paullulum saltem discrepant; & vel sunt omnino diversæ vestes, vel ita chlamys exhibetur, ut ad partem anteriorem in angulum, ut dixi, acutam desinat. Quæ cum ita sint, veri esse arbitror simile, & Tudertinum, & Casanatense triptychum seculo VIII. vel IX. fuisse perfectum. Eoque magis in eam propendeo opinionem, quod suspicari quis possit, fieri mentionem in nostro salutis ab Apostolis, quos Christus misisset, Constantino Augusto restitutæ. Nam si post ea tempora cum extincti funditus Iconomachi fuissent, perfectum est, quid opus fuisset commemoratione historiæ, quæ afferri extremo octavo seculo ad cultum imaginum confirmandum solebat? Sed hæc breviter, si copiam rerum consideres; sin adnotationem, copiosius fortasse, quam necesse erat.

§. II.

Etsi in fictis, sculptis, pictis, musivoque opere perfectis imaginibus Paulus ad Petri dexteram cernatur, tamen id usu stabili, nisi in Bullis Pontificum plumbeis, numquam obtinuit.

Jam de fictis sculptis, pictis, musivoque opere perfectis imaginibus satis copiose demonstratum est paragrapho superiore. Itaque iis quidem missis, ne actum agam, venio ad Bullas Pontificum plumbeas. In iis autem, quarum certe vix ulla est Petro Damiano antiquior, Petri semper caput ad lævam Pauli conspicitur. Qua de re multa disputant Thomas Aquinas (1), Paris Crassus (2), Raynaldus (3), Lambecius (4), Allatius (5), Inchofer (6), Caracciolus (7), Mucantius (8), Bellarminus (9), Habertus (10), Petrus de Marca (11) Mabillonius (12), Battellius (13), Baronius (14), Johannes Baptista Casalius (15), Bonarrotius (16), Ale-

1 Vide *pag.* 90. *hujus vol. not.* 4. Id autem accepisse a Gregorio videtur Thomas. Ille namque *Homil.* XXI. *in Evang. pag.* 1526. *tom.* I. *opp. edit. Paris. Monachor. Congr. s. Mauri*: „ Quid, *inquit*, per sinistram, nisi vita præsens? Quid vero per dexteram nisi perpe- „ tua vita designatur? Unde in canticis canticorum scriptum est: læva ejus sub capite „ meo, & dextera illius amplexabitur me „.

2 Apud Allatium *De Eccles. Occid. & Orient. Perpet. Consens. lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 102. *edit. Col. an.* 1648.

3 Apud Allatium *De Eccles. Occid. & Orient. perpet. consens. lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 87. *edit. Colon. an.* 1648.

4 *Biblioth. Cæsar. lib.* IV. *Append. additam.* IX. *pag.* 319. *tom.* IV. *edition. Vindob. ann.* 1671.

5 *Loco supra indic. pag.* 86. *seqq.*

6 Apud Allatium *ibid. pag.* 90.

7 Apud Allatium *ibid. cap.* VII. *pag.* 146.

8 Mucantius *De ss. Petri, & Pauli imaginibus tom.* VI. *Junii Bollandian. part.* II. *pag.* 163. *seqq. edit. Antuerp.*

9 *Lib.* I. *de Rom. Pontific. cap.* XXVII. *pag.* 294. *edit. Venet. an.* 1721.

10 *De Primatu Petri singulari lib.* II. *pag.* 69. *edit. Paris. an.* 1645.

11 *Exercit. de singulari Primatu Petri n.* XXI. *pag.* 69. *edition. Opusculor. Parisien. ann.* 1681.

12 *De Re Diplomat. lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 130. *edit. Paris. an.* 1681.

13 *Dissertat. de Sepulcr. Probi* §. XVIII. *pag.* 57. *seq. edit. Rom. an.* 1705.

14 *Ad an.* CCCXXV. *num.* LIX.

15 *De veterum Sacr Christianor. ritib. part.* II. *cap.* III. *pag.* 20. *edit. Rom. an.* 1645.

16 *Lib. supra indic. pag.* 77.

Alemannus (1), aliique perplures (2), quorum vel nomina numerare vix possumus.

§. III.

Quemadmodum introducta fuerit Paulum ad Petri dexteram in pictis, musivo opere perfectis, sculptis, imprimisque in bullis plumbeis exprimendi consuetudo.

Variæ autem sunt de hoc controversiæ genere, interque se discrepantes scriptorum opiniones. Sunt enim, & fuerunt, qui fraude (3), aut casu, atque errore pictorum cælatorumque factum id fuisse arbitrarentur (4). Contra

1 Apud Allatium *lib. ind. cap.* vi. *pag.* 105. Et Alam. ipsum *lib. de Lateranen. Pariet. cap.* ix. *pag.* 68. *edit.* Rom. *an.* 1625.

2 Angelus Rocca De ii. *Apostolorum Petri, & Pauli Prælatione, sive imaginibus opp. tom.* i. *pag.* 81. *seqq. ed. an.* 1719. Theophylus Raynaudus *De Bicipiti Ecclesia puncto* vii. *n.* iv. *pag.* 224. *tom.* x. *opp. edit. Lugd. an.* 1661. Antonius Diana *Discept. Apologet. De Primatu solius divi Petri sect.* iii. *pag.* 140. *tom.* iv. *Biblioth. Pontif. Rocaberti*. Lælius Bisciula *Hor. subseciv. part.* ii. *lib.* xi. *cap.* v. *pag.* 734. *edit. an.* 1618. Georgius Longius *de Annulis cap.* ix. *p.* 88. *seq. edit. an.* 1672. Petrus Franciscus Fogginius *De Itin. D. Petri & Apostolatu Diss.* xx. *pag.* 466. *seq.* Peciadius *loc. indic. pag.* 245. *seq.* E Protestantibus vero Joh. Mich. Heineccius *de veteribus Germanorum, aliarumque nationum sigillis p.* i. *c.* xii. §. v. *edit. an.* 1709. Raynaldus apud Allatium loc. cit. nullum ejusmodi plumbum ante Hadriani iv. qui ann. 1155. pontificatu potitus est, tempora vidit. Vidit tamen Doubletus Paschalis II. ut testatur Fogginius *exerc.* xx. *p.* 467. *ed. a.* 1741. qui Paschalis an. 1099. Ecclesiam moderari cœpit. Mabillonius porro *lib.* ii. *De Re Dipl. cap.* xiv. *pag.* 129. *edit. Paris. an.* 1681. post Urbani II. quem an. 1088. constat dictum fuisse Pontificem, id factum ait. Heineccius tamen *loc. cit.* etiam Leonis ix. vidit, qui an. 1049. ad Petri sedem evectus est.

3 Petis Crassus apud Allatium *lib.* i. *cap.* vi. *n.* iii. *pag.* 91.

4 Antonius Caracciolus Clericus Regular. Theat. epistola ad Leonem Allatium, quæ extat *lib.* i. *de Eccl. Occid. perpet. consens. cap.* vi. *n.* iii. *pag.* 89. *seq.* Atque hanc in sententiam Paciaudius meus videtur esse propensior. At ita est institutus tamen, ut triptychi Tudertini auctorem eam tribuisse Deiparæ Virgini partem putet, quem esse apud cives suos potiorem arbitraretur. Quamquam nutet rursum, atque hæreat, in qua tanta Græcorum præsertim pictarum, sculptarumque imaginum varietate, quid de consuetudine Pauli ad Petri dexteram pingendi statuto sit opus sese nescire consiteatur. Ego vero Græcos, qui præsertim Nicænæ secundæ synodi temporibus, deincepsque etiam, Deiparam ad Johannis lævam collocandam putarunt, s. Sophronii Hierosolymorum antistitis fuisse auctoritatem sequutos arbitror, cujus hac de re illustris extat in Actis synodi ejusdem locus. *Action.* iv. *pag.* 206. *tom.* iv. *Concil. edit. Paris. Hard.* Narrat enim visum ejusmodi: „ Venientes ad „ Templum quoddam perfectum specie quidem terribile, & præclarum, altitudine vero ad „ Cælum ipsum pertingens, quod intrantes maximam imaginem, & admirabilem videba„ mus, in medio quidem Dominum Christum pictum coloribus habentem, Christi autem „ ma-

tra alii, quod Petrum a Christo, cum inter nos ageret; Paulum autem ab eodem Christo in cælum sublato ad religionis veræ cultum vocatum fuisse legissent, indicarique proinde a Petro mortalem hanc, a Paulo vero *πνευματικὴν spiritalem*, cælestemque vitam arbitrarentur; Petrum quidem ad sinistram, quæ temporariæ vitæ indicium sit; ad dexteram vero, quæ sempiternæ, Paulum pingi, sculpique consuesse judicarunt (1). Quinetiam fuisse aliquos video, qui lævam apud gentes plerasque honoratiorem (2), potioremque, adeoque tributam fuisse Principi Apostolorum defenderent. Horum cum alii falsam esse animadvertissent sententiam, Petrum ad lævam pictum fuisse dixerunt ab iis, qui rationem esse habendam censerent (3) inspicientium. Nam eum fuisse, pictorum quidem illorum, sculptorumque judicio, collocatum ad dexteram, qui non collegæ Apostolo, sed inspicienti dexter fuisset. Id multi, cum satis gravi argumento confirmari negarent posse, rejecerunt, animadvertendumque etiam, atque etiam esse dixerunt, quo demum templa, in quibus ejusmodi imagines servantur, spectent. Nam templorum alia esse eotho-

„ matrem, & dominam nostram & semper Virginem Mariam εὐώνυμον *sinistrorsum*, καὶ ἐκ „ δεξιῶν *& dextrorsum* Johannem Baptistam, & Præcursorem ejusdem Salvatoris „. Nam etsi Sophronius rationem nullam, cur ad dexteram Johannes collocatus est, attulerit, tamen valere illius cum apud ceteros, tum apud pictores, sculptores, cælatoresque auctoritas potuit, quam synodus laudasset.

1 Confer supra indicatum s. Thomæ Aquinatis locum.

2 Lævam in sacris præsertim habitam fuisse & Græcorum, & Latinorum, & Hebræorum consuetudine, potiorem, putarunt Bartholomæus Chassanæus *in Catal. Glor. Mund. part.* III. *Conf.* II. *pag.* 127. *&* *Consid.* XXXI. *pag.* 151. *edit. Taurin. an.* 1617. Goropius Becanus *lib.* III. *Hieroglyph. pag.* 44. *edit. an.* 1580. Baronius *ad an.* 325. *n.* 121. *& ad an.* 213. *n.* VI. Aringhius *Rom. subter. l.* IV. *c.* XLVII. *n.* 2. *p.* 402. *edit. Rom. an.* 1651. *t.* II. Antonius Nebrissensis *in annotat. ad quinquag. script. loc. p.* 109. *seq. edit. an.* 1600. Ita fit, ut lectorem moneant, ne sine mysterio Paulum ad Petri dexteram a pictoribus, sculptoribus, cælatoribusque collocari judicet. Quid autem hinc præsidii sibi polliceri possint, nullo modo prorsus intelligo. Nam si mysterio poni ad lævam Petrus interdum solet, quid est, quod sæpius in antiquioribus monumentis, imprimisque in vitris, ad dexteram positus videatur? Scilicet cum illi in quibusdam antiquis, atque novis imaginibus mysteria quæritant, tollant necesse est, quidquid mysterii in vetustis fuit. Sed est eorum copiose oppugnata cautio a Mucantio *apud Bollandian. t.* VI. *Act. ss. Mens. Junii par.* II. *p.* 163. *seqq. ed. Antuerp.* & ab Leone Allatio cive meo *lib.* I. *de Eccl. Orient. & Occident. perp. consens. c.* VI. *n.* VII. *seqq. pag.* 95. *seqq. edit. Colon. an.* 1648. Confer Justum Lipsium loco infra indic.

3 Vide Petrum de Marca *Exercit. de singul. Primatu Petri* §. XXI. *pag.* 69. *edit. Opuscülor. Paris. an.* 1681.

la (1) quorum tholi, seu tribunæ, quas vocant, ad orientem, portæ ad occidentem; alia eopyla, quorum portæ ad orientem, tholi ad occidentem solem pertinent. Jam vero imagines, quæ ad septemtriones in utrisque vergunt, sinistram occupare partem. Cum autem in eotholis dextera ad septemtriones spectet; fieri omnino ita, ut in eotholis iisdem, qui ad dexteram partem est, is revera lævam obtineat. Verum ne hæc quidem probabilis aliis videtur ratio. Si enim in templis valere posset (vereor autem ut in omnibus possit) in tabulis sane sculptis, pictisque, in vasis, in numismatibus, quæ affixa nulli certo, destinatoque loco essent, valere nullo modo posset. Itaque inventi sunt, qui longe diversam sibi esse ineundam putarent viam. Græcis enim eam fuisse dexteram partem, quæ templum ingredienti sit dextera (2); Latinis contra dexteram esse, quæ dextera sit homini, qui sese ad fores ejusdem convertat templi. Fuerunt porro, qui his resisterent (3), quique nihil ea de re sta-

1 De Nicolao Alemanno, cujus Schedæ in manus Allatii venerant, hæc idem scribit Allatius *loc. cit. n.* XVI. *pag.* 105. *seq.* „ Is dexteræ modum inter sacra receptum non ad mo„ dum sanctorum inter se, neque ad nostri corporis habitum, sed ad templorum dexteram, ac „ lævam composuit. Dexterum enim australe latus, boreale sinistrum est, more majorum, & „ cum antiquorum ecclesiis aliis porticus, & pylæ sint ad auroram, quas *eopylas* nuncupabat „ aliis sacrarium, & adici tholus ad auroram spectet, quas *eotholas* appellat, fit ut in templis „ *eotholis* necessario valvæ, in *eopylis* sacrarium vergat ad occasum: & *eotholorum* pars „ dextra, australis scilicet, statim ingredientibus ad dexteram cadat, eopylorum ad sinistram „ *Et n.* XXXII. *pag.* 113. „ Juxta hanc eotholarum partitionem ecclesiarum, atque earumdem „ partium considerationem, a Patribus positæ sunt imagines sanctorum in templis „. Confer Alemanni opus *De Pariet. Lateran.* Et Mabillonii librum II. *de Re Diplomat. c.* XIV. *p.* 130. *seq. edit. an.* 1681.

2 Nititur hæc opinio controversiæ, quæ orta inter Græcos, Latinosque de loco in Synodo Ferrariensi *an.* 1438. diremtaque hoc modo fuit: „ ut Papæ, & Pontifici ea pars tem„ pli daretur, quæ læva esset ingredienti; altera vero, dextera scilicet Imperatori, & „ suis „. *Tom.* 10. *Concilior. edit. Paris. Hard. pag.* 10. *seq.* Hoc vero ut componi cum Alemanni sententia possit, non video. Nam quæ ille de australi latere, quod dextrum fuisse more majorum existimat, scribit, hoc saltem monumento refelluntur. Nunquam enim Pontifex eam partem occupari ab se sivisset, quam esse cognosset deteriorem majorum more. Nam præsedisse Pontificem Acta ferunt ἐν τῷ βορείῳ μέρει *in parte aquilonari*; Imperatorem vero ἐν τῷ νοτίῳ *in australi*. Confer veteres ejus rei picturas apud Lambecium *l.* VI II. *pag.* 504. *seqq. Bibl. Windob.*

3 Harum omnium sententiarum nullam satis esse probabilem putavit Carolus Moronus. Itaque hanc est ingressus totius rei explicandæ viam. Esse enim similium iconum genera, ajebat, omnino duo: alterum earum, quæ ita per se ipsæ stant, nihil ut agere videantur: alterum earum, quæ exhibentur, ac si aliquid agant. In plurimis enim earum, quæ prioris sunt

re ſtatui poſſe arbitrarentur . In hac igitur tanta varietate, diſcrepantiaque ſententiarum ferent, opinor, lectores, ut ipſe quoque de cauſſis, originibuſque illius ſive conſuetudinis, ſive erroris breviter dicam, quod ſentio. Principio autem hoc mihi aſſumo.

I.

Ut Græci, Latinique numquam, ita ne Iudæi quidem lævam eſſe potiorem dextera putaverunt.

Summa enim omnium earum gentium conſenſione dexteram lævæ præſtare conſtat. Ac ſi teſtimonia ſcriptorum deeſſent, nihilo ſecius numiſmata rem conficerent. Nam numiſma equidem Romæ cuſum nullum vidi, in quo excellentior dignitate, auctoritateque qui eſt, ſi ita exhibeatur,

 ut

ſunt generis, præſtantiores dexteram occupare partem. Contra in ceteris. Nam ita collocari digniores ſolere, ut agere commode, quæ velint, poſſint. Cum autem qui agunt, dextera agant, ne ſeſe inflectent, neu contorqueant, ad lævam ſunt collocandi. Hæc ille apud Allatium *lib. ind. cap.* VI. *n.* XV. *pag.* 103. *ſeq.* At ea non probavit Allatio. Nam is Alemanno aſſenſus eſt. Confer quæ ſcribit *ibid. n.* XVI. *pag.* 105. *ſeq.* Alio confugit Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *De Rom. Pontif. cap.* XXVII. *pag.* 295. *tom.* 1. *opp. edit. Veneta ann.* 1721. „ Cœpit, *inquit*, depingi Paulus ad dexteram Petri, ut junior, & minor. Nam idcirco in diplomatibus Pontificiis ita Paulus ad Petri dexteram collocatur, ut eum præcedat, & ferme totum tegat, quod eſt argumentum obſequii in Paulo, & dignitatis in Petro „. Addit porro: „ Quod autem poſtea cœpetit poni ad dexteram, etiam cum Petrum non tegit, vel cum Chriſtus, aut B. Virgo medium locum tenent, ex imperitia factum videtur „. Sed quæ is de tecto ab eo, qui præcedens dexteram occupet, latere ſcribit, alienum a veterum inſtituto eſt, qui ſiniſtrum incedere conſueſſe indicant eum, qui latus alicujus tegeret. Qua de re nonnulla ſatis accurate ſunt ab Juſto Lipſio animadverſa *lib.* II. *Elector. cap.* II. *pag.* 300. *edit. Antuerp. an.* 1537. Dominicus Raynaldus Bibliothecæ Vaticanæ, & Tabularii Caſtri s. Angeli cuſtos, in eo, quem hac de re ſcripſit opere, ut eſt apud Allatium *lib. ind. c.* VI. *n.* XII. *p.* 99. Paulum ad Petri dexteram poni conſueſſe dicit, Petri humilitatis, ac modeſtiæ indicandæ cauſſa; vel ut conſilio Pauli uſum fuiſſe Petrum oſtenderetur (conſilium enim ante dari ſolere, quam res ſtatuatur); vel ut intelligeretur, Petrum, qui velut hoſpitio Paulum exceperit, primum ei locum honoris ergo conceſſiſſe domi. Contra Paris Craſſus non aliter fieri oportuiſſe in bullis cenſet. Nam ſyllabis prioribus utriuſque Apoſtoli nominum indicari PAPÆ appellationem. Jam vero ſi prior ſyllaba nominis Petri ad dexteram imaginis Pauli, & prior ſyllaba nominis Pauli ad ſiniſtram imaginis Petri ponatur, non PA. PE. ſed PE. PA. ſignificabit. Confer Allatium *lib. ind. cap.* VI. *n.* XIII. *pag.* 102. Mucantius porro Paulum Petro meritis fuiſſe parem confirmat, adeoque interdum ad dexteram collocatum Petri. Apud Allatium *ibid. pag.* 103. Alias affert ejus conſuetudinis Pauli nempe imaginum ad dexteram pingendarum cauſſas s. Petrus Damianus, quas numerat Zattellus *Diſſ. De Sarcoph. Prob. &c. pag.* 61. *ſeqq. edit. Rom. an.* 1705.

ut neque converso sit in eum, quocum loquitur, aut agit, vultu; neque agat dextera; sed vel una incedat, vel maneat, vel sedeat, lævam tenere videatur. Quod & exempla, quæ Pedrusius (1), Patinus (2), Begerus (3), Antonius Augustinus (4), Spanhemius (5), Liebeus (6), Havercampius (7), Gorius (8), Venutus (9), Mazzolenius (10), alii-

1 Pedrusius *t.* I. *De' Cesari in oro raccolti nel Farnese Museo p.* 71. *tav.* v. *ed. Parmens. ann.* 1694. *fig.* IV. nummum affert, in quo Nero Augustus ad Matris Agrippinæ dexteram exhibetur. Et *tab.* XIX. *fig.* VII. alterum, in quo ad matris dexteram Caracalla, ad sinistram Geta natu minor Septimii Severi filius proponitur. Et *tab.* 24. *fig.* VIII. *pag.* 309. tertium, qui refert Theodosium Juniorem ad dexteram sedentem, & Placidum Valentinianum puerum ad sinistram. Et *tab.* 28. *fig.* IX. X. XI. & XII. *p.* 357. alios, quorum prior Heraclium Aug. ad dexteram Constant. Heracl. filii, alter Heraclium ipsum medium, cui dexter Heraclius Constantinus est, sinister est Heracleon minor natu, tertius, & quartus Constantem seu Constantinum Aug. ad dexteram Constantini filii exhibet. Horum exemplorum similia cernere licet *t.* II. *De' Cesari in Argento tab.* 15. *fig.* VII. *p.* 207. *tab.* 17. *fig.* VIII. *p.* 233. *tab.* 19. *figur.* IX. *p.* 269. & *tab.* 4. *tom.* III. *fig.* XIV. *p.* 49. *tom.* IV. *tab.* 18. *fig.* XIV. *p.* 281. *tom.* V. *de' Medaglioni tab.* II. *fig.* III. *p.* 171. & *tab.* 14. *fig.* 1. *p.* 109. & *tab.* 20. *fig.* 1. *p.* 271. & *tab.* 22. *fig.* II. III. IV. *p.* 305. & *tab.* 23. *fig.* 1. *p.* 317. & *tab.* 24. *fig.* II. *p.* 325. & *tom.* VI. *qui est de' Cesari in metallo grande tab.* 11. *fig.* 8. *p.* 141. & *tab.* 16. *fig.* III. *pag.* 171. *tom.* VII. *tab.* 9. *pag.* 77. & *tab.* 14. *fig.* 1. *pag.* 127.

2 Carolus Patinus *de Imper. Roman. nummis. ex ære med. & inf. forma edit. Argent. an.* 1671. nummos describit, in quibus Augustus ad Regis Rhœmetalcis dexteram exhibetur *pag.* 49. & *pag.* 55. 56. 57. in quibus idem cernitur ad uxoris dexteram Augustus. Et *pag.* 75. nummum affert, in quo Drusus Cæsar ad dexteram est Germanici. Confer etiam, si placet, quos recenset *p.* 95. & *seq.* Caji Cæsaris, & Augusti, atque ceterorum Imperatorum.

3 Thesauri Electoralis Brandeburgici *t.* II. *edit. Colon. Marchica an.* 1696. *pag.* 623. quo loco nummus Claudii ad uxoris dexteram locati exhibetur; & *p.* 653. ubi de nummis Hadriani agitur. Prætermitto cetera ejusmodi monumenta, quæ *t. eod.* & *seq.* videri possunt.

4 Archiep. Tarraconen. *in Dialog.* XI. *Antiquit. Romanar. Hispanarumque in numm. veter. edit. Antuerp. an.* 1617. *tab.* XX. *seqq.*

5 *Tom.* II. *de Præst. & Usu numis.* Vide præter ceteras *diss.* XI. *pag.* 292. 296. 299. 308. 319. *seqq. edit. Amstel. an.* 1717.

6 Confer nummum Vespasiani apud Sigismundum Liebe. *Thes. Fridericiani edit. Amstel. an.* 1730 *p.* 59. Mitto, quæ is affert cetera, ne in re certa explicanda longior sim, quam oporteat.

7 Havercamp. in Nummophylacio Reginæ Christinæ *ed. Aga Comit. a.* 1742. *tab.* XX. XXVI. &c.

8 Gorius Mus. Florent. *tom.* IV. *tab.* V. *fig.* E. quo loco numisma aureum maximi moduli Diocletiani ad dexteram Maximiani consistentis affert. Confer *p.* 22. *tom. ejusd. edit. Flor. an.* 1740. Vide præterea *tab.* XXXII. *fig.* 2. & 3. in quibus Marcus Aurelius ad Commodi dexteram exhibetur & *tab.* XXXVI. *fig.* 3. quæ refert Commodi, & Veri numisma max. moduli *tab.* LV. *fig.* 2. & *tab.* LXXVI. *fig.* 1. & 2. & LXXVII. *fig.* 3. & LXXXI. *fig* 3. & LXXXII. *fig.* 1. & XCIII. *fig.* 1. & CXIII. *fig.* 1. *pag.* 140. & *seq. ejusd. vol.* Similia cernere licet apud Vaillantium *numism. Ær. imper. Augustor. & Cæsar. &c. edit. Paris. an.* 1688. & *numism. select. edit. Paris. an.* 1695. Begerum *Numism. max. moduli ex Cimeliarchio Ludov.* XIV. *edit. Eleutherop. an.* 1704. Albertum Mazzolenium *numism. Æreor. select. max. modul. e mus. Pisano olim Corrario tom.* 1. *edit. an.* 1741. Philippum Bonarrotium *Osserv. Istoriche sopra alcuni medaglioni antichi. Edit. Rom. an.* 1698. Constant. Landum *select. numism. edit. Lugd. Batav. an.* 1695. Jacobum Oiselium *thesaur. numism. antiquor. edit. Amstel. an.* 1677.

9 Rodulphinus Venutus *antiq. numism. max. modul. aur. arg. & ær. edit. Rom. an.* 1739. Andreas Morellius *thesaur. numism. edit. Haverc. Amstel. an.* 1734. *tom.* 1. & II. atque alii prope innumerabiles, qui vetera Romanorum Imperatorum &c. numismata collegerunt, atque illustrarunt.

10 Vide *not.* 8.

aliique attulerunt; & quæ nos inspeximus, plane demonstrant. Quod ipsum de pictis tabulis, deque marmoreis, æneis, fictilibus, eburneis monumentis, statuendum est, quæ & scriptores permulti, & Petrus Sanctes Bartholus (1) imprimis, atque Montfauconus collegerunt.

Neque vero apud Latinos solum sed etiam apud Græcos potiorem fuisse dexteram, cum ex nummis, marmoribusque, quorum figuras illi ipsi numismatum, marmorumque veterum illustratores æri incidi, publicarique curarunt, tum testimoniis antiquorum scriptorum persuaderi cuique non opinione, sed ad veritatem plane potest. Atque Aristoteles primas tribuit partes dexteræ (2). Nec minus est perspicuus Eusebii Cæsareensis, ut ceteros prætermittam, de dextera præstantiore, atque digniore parte in priore de vita Constantini libro locus. Summo enim eum in honore fuisse apud Imperatores scribit: itaque cum per Palæstinam provinciam transiret, adstitisse eum ad senioris Augusti dexteram, visumque proinde iis, qui illius aspiciendi caussa venerant, reliquis omnibus præstantiorem (3).

Ad Hebræos vero, quod attinet, jam hoc satis constat, Patrem ita induci in Psalmo (4) alloquentem Filium: *Sede a dextris meis*. Id autem honoris indicandi caussa dictum

1 Idipsum constat ex sculptis imaginibus, ex gemmis, exque ceteris monumentis veterum Romanorum, quæ videre lector in *thesauro Gruteriano, & in antiq. explic.* Montfauc. *in Mus. Capitol.* a Bottario illustrato, in Museis Florentino, & Etrusco Gorii, *in thesauro Brandeburgico* Begeri, in Museo Odescalchio a viro clariss. P. Galeottio S. J. Presbytero edito, atque reliqua prætermittam in *thesauro antiq.* Grævii. Quamobrem mirabile videri non debet, Plinium *lib.* XXXIV. *Histor. Natural. cap.* VI. *pag.* 99. *edit. Harduini Paris. an.* 1685. *tom.* V. deceptos fuisse Romanos scribere, qui cum jussi ab Apolline Pythio fuissent, ut in dextero, sinistroque cornu comitiorum statuas ponerent duorum clarissimorum virorum, sapientissimi quidem unius, alterius autem fortissimi; Pythagoræ a dextris, a sinistris vero Socratis statua posita, imprudentes Philosopho, qui fuisset ab oraculo sapientissimus omnium appellatus, Pythagoram prætulerunt.

2 Arist. *Problem. sect.* XXXI. *pag.* 1023. *edit. opp. an.* 1606. *tom.* II. Cur sensus dexte-„ ri, *inquit*, nihilo sinistris præstantiores sint, cum ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσι κρείττω τὰ δεξιά. „ *cum in aliis omnibus meliora sint dextera*. Διατί μὲν ἐν τοῖς ἄλλοις κρείττω τὰ δε-„ ξιά *cur autem in aliis præstantiora dextera*.

3 *Cap.* XIX. *pag.* 454. *edit. Taurin.* „ In summo, *inquit*, honore apud prædictos Impe-„ ratores erat, cujusmodi nos quoque eum vidimus, cum per Palæstinam Provinciam tran-„ siret una cum seniore Augusto, οὗ καὶ ἐπὶ δεξιὰ παρεστὼς, περιφανέστατος ἦν τοῖς ὁρᾷν „ θέλουσιν, *ad cujus dexteram assistens, præstantissimus apparebat videre volentibus*.

4 *Ps.* CIX. *v.* 1.

ctum Interpretes confitentur. Ac nisi dignior habita apud Hebræos fuisset dextera, dixisset certe Pater Filio: *sede a sinistris*, non *a dextris*. Neque majorem Salomon, salva dignitate regia, habere potuit honorem matri, quam ut eam ad sui latus dexterum assidere faceret (1). Quid? Si Christus, statuturum se oves ad dexteram suam, hædos autem ad finistram dicens, demonstret dexteram, quæ electis attribuenda sit, præstantiorem apud cives suos censeri consuesse (2)?

Quod si viri uxoribus in nummis interdum, persæpe autem in sarcophagis Latinorum imprimis, atque Græcorum, dexteram (3) cessisse videntur; argumentum id esse postpositæ ab Latinis, Græcisque sinistro lateri dexteræ nullo modo potest. Nam ut hoc tempore a multis, ita tunc (ab Latinis præcipue) mulieribus præstantior, digniorque concedi consuerat locus. Atque honoris quidem caussa Nero Tiridatem in theatrum adductum juxta se dextero latere collocavit (4). Neque in re civili modo, sed etiam in re sacra dexterum latus fuit præstantius. Quod & Plinii de Pythagoræ, Socratisque statuis, quam supra indicavi, demonstrat sententia, & numismata permulta ostendunt Imperatorum, qui sacrificantes, dexteramque sæpissime partem occupantes proponi solent.

Ac ne quis Ethnicorum, id more fuisse probatum putet, non Christianorum, describenda sunt Marcellini Comitis verba (5) de Johanne Pontifice Maximo, qui missus ad Justinum

1 *Lib.* III. *regum cap.* II. *v.* 19.

2 *Matth. cap.* xxv. *v.* 33.

3 Confer Montfauconum *antiq. explic. tom.* II. *part.* 1. *pag.* 11. *tom.* III. *pag.* 112. *part.* 1. *& pag.* 222. *part.* II. *& tom.* v. *part.* 1. *pag.* 14. 78. *seqq. & pag.* 80. 90. 92. 104. *seq. & pag.* 146. 160. *& suppl. tom.* v. *pag.* 36. Boldettum *Osserv. sopra i Cimiterj p.* 514. Aringhium *tom.* II. *Rom. subterr. p.* 167. 265. Mabillonium *itiner. Italici p.* 201. Bonarrotium, qui initio *delle Osserv. sopra alcuni frammenti di vasi &c.* veterem Urnam sepulcralem refert, quam in Propyl. s. Mariæ Transtyb. poni curavit Card. Carpineus. Mitto ceteros, quod non sit opus rem certam multorum auctoritate confirmare. Mattronas etiam Romanas in Severi Imperatoris funere dextrorsum, sinistrorsum vero Senatores stetisse scribit Herodianus *lib.* IV. *pag.* 540. *edit. an.* 1590.

4 Suetonius *in Neron. cap.* XIII. *p.* 127. *edit. an.* 1660.

5 *In Chronico pag.* 379. *edit.* Sirmondi *tom.* II. *opp. edit. Paris.* 1696. Idipsum habet Theophanes *in Chronogr. p.* 145. *edit. Paris. ann.* 1655.

num Auguſtum ab Theodorico Rege legatus fuit: *Dexter*, namque inquit, *dextrum Eccleſiæ inſedit ſolium, diemque Domini noſtri reſurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit*. Credibile ne eſt, ſummum Eccleſiæ univerſæ principem ſecundum occupaſſe in ſynaxi locum? Quinetiam, ut quam plurimos Anaſtaſii locos prætercam, e quibus latus dexterum dignius, præſtantiuſque ſiniſtro fuiſſe habitum intelligitur, illuſtrem ſane illum eſſe quis neget, qui extat in Leonis quarti Pontificis Romani vita (1)? *Tres ſtatuit*, inquit, *in templo S. Petri tabulas imagines, unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris, aliam poſitam ad dexteram partem Salvatoris habentem vultum B. Petri Apoſtoli, & B. Petronillæ; aliam poſitam ad partem lævam vultum habentem B. Andreæ Apoſtoli, & vultum prædicti Summi Præſulis* Leonis quarti. In Silveſtri (2) autem de Conſtantino ſcribit hoc modo: *In labium fontis Baptiſterii fecit agnum ex auro puriſſimo fundentem aquam, qui penſat libras triginta; ad dexteram agni Salvatorem ex argento puriſſimo; in læva agni B. Iohannem Baptiſtam ex argento*.

Quod ſi in Chalcedonenſi ſynodo ad lævam legati Leonis Pontificis, & Conſtantinopolitanus Antiſtes, ad dexteram vero Dioſcorus Alexandrinorum (3) Epiſcopus, aliique ſederunt, non ea hujus rei cauſſa fuit, quod læva per ſe ipſa potior exiſtimaretur, ſed quod, ut ne Baſnagius quidem inficiatur(4): *Sanctæ Euphemiæ martyris in templo ante ſacri altaris cancellos Epiſcopi cogi ſolerent, quo caſu qui in læva parte erant, Chriſto, cujus majeſtas in ſacra menſa, quaſi in throno morabantur, dexteri ſtabant, eoque nobiliorem ſibi locum vindicabant*. Quod ipſum eſt de iis veterum teſtimoniis ſtatuendum, ex quibus legatos Pontificis, qui honoris cauſſa priore loco nominabantur, ad lævam in ſynodis ſediſſe cognoſcitur. Nam etſi ad lævam habita conſidentium ratione erant; tenebant tamen reipſa dexterum Altaris latus.

De viris, dexteram ne in Eccleſia occuparint partem, an

1 *Tom. 1. Anaſt. vit. Pontif. edit. Salvioni p. 365.* 2 *Ibid. p. 19.*
3 *Act. 1. p. 66. edit. Harduini Pariſ. tom. 31.*
4 *Ad ann.* XXXIII. n. CLXVIII. p. 422.

an eam mulieribus concedendam putaverint, agetur alio loco opportune, ac diligentius.

I I.

Ut Petrus sinistrum in veteribus monumentis latus interdum teneret, neque fraude factum est, neque urbanitatis Petri indicandæ, Papæque nominis perficiendi caussa, neque habita ratione inspicientium.

Quis autem sibi persuadeat positum in publicis monumentis urbium, Romæque imprimis, fraude cujusquam, ad lævam fuisse Petrum? Hoccine Romani Pontifices non moleste tulissent, ut quæ ipsi musiva, quæque sculpta, pictaque opera perfici jusserant, dolo, ac scelere eorum, qui male in sedem Apostolicam animati essent (1), vitiarentur? Jam vero Græcos tertio, quartove seculis, quis credat tanto fuisse in Latinos odio, tantaque malevolentia incitatos, ut in cœmeteria invadere, Petrumque ad Pauli lævam in marmoreis tabulis exprimere auderent? Repertas enim in cœmeteriis fuisse tabulas ejusmodi, satis est diligenter supra, ut arbitror (2) demonstratum. Consensisse porro impostoribus Latinos, adeo ut in plumbis (3) in nummis, in valvis Ecclesiarum (4) Petrum ad lævam Pauli collocandum aut existimaverint, aut concesserint, tam alienum, tamque falsum est, ut ne ad veri quidem similitudinem accedere videatur.

Singulari autem moderatione animi, urbanitateque fuisse Petrum non modo non repugno, sed facile etiam patior. At eum modestiæ, urbanitatisque ergo fuisse ad lævam Pauli, quem Romæ quasi hospitio excepisset, locatum, id vero est, quod mihi ostendi veterum auctoritate volo. Nam primorum temporum Christianos, qui in vitris semper Petrum ad dexteram exhibere consuessent (5), nul-

1 Vide *pag.* 504. *hujus vol. not.* 3.
2 *Pag.* 457. *seqq. hujus vol.*
3 *Pag.* 487. *hujus vol. not.* 2.
4 *Pag.* 523. *hujus vol. not.* 3. *seqq.*
5 Vide supra *pag.* 485. *seq. hujus vol.*

nullam illius habuisse urbanitatis, atque modestiæ, quam recentiores habuerint, rationem, quem demum sibi Raynaldus (1) concessurum putat? Quod si apud Romanos tantum ea invaluisset consuetudo, id equidem etsi ægre, at ferrem tamen. Quum autem in tabulis, quas in aliis urbibus fuisse pictas, sculptasve (2) liquet, Paulus ad Petri dexteram interdum exhibeatur, quid est, quod ad modestiam, urbanitatemque, quam præ se Petrus Romæ gessisset, demonstrandam, fieri hoc arbitrer potuisse?

Paridis vero Crassi (3) magno in errore sententia est, qui Paulum in bullis ad Petri dexteram poni consuesse scribit, ut prioribus eorum nominum syllabis Papæ vocabulum conflaretur. Hoc enim si ita esset, cur in musivis (4), cur in pictis, sculptisque tabulis (5), cur in plumbis denique presbyterorum, & notariorum, atque in nummis Pontificum (6), in quibus aut integra Petri, Paulique nomina scripta leguntur, aut omnino prætermittuntur, ut conficere Papæ vocabulum nullo modo possint, Petrus ad Pauli lævam conspiceretur? Sed dedecet hominem studiosum Antiquitatum Christianarum operam in iis nugis fusius confutandis ludere.

Neque minus graviter lapsi sunt, qui habitam a sculptoribus, pictoribusque fuisse censent rationem aspicientium, quasi dexter is esset, cujus imago dextero aspicientis lateri responderet; sinister autem, qui sinistro. Nam hi, ut explicare, tuerique, quod perraro videmus, possent, Petrum Paulo imprudentes postposuerunt. Quum enim multo plura monumenta (7) reperiantur, in quibus dexter reipsa Petrus exhibetur, ita ut illius imago sinistro lateri aspicientis respondeat; si dignior, præstantiorque is est,

1 Reynaldus apud Allatium *loc. ind.*

2 Confer Ciampinium *tom. II. vet. mon. pag. 6. tab. III. edit. Rom. an. 1699.*

3 Apud Allatium *loc. ind.*

4 A Ciampinio adductis, ut supra ostensum est *pag. 491. hujus vol. not. 1. seqq.*

5 Vide *pag. 487. hujus vol.*

6 Apud Floravantem *Denar. Rom. Pont. pag. 107. tab. VI.* ubi sic habetur: S. PE. S. PA. & *pag. 137. fig. III. edit. Rom. ann. 1738.* & Ficoronum *de' Piombi antichi tab. XIII. num. 8. pag. 44.* & *tab. XV. num. 2. pag. 30. edit. Rom. an. 1740.*

7 *Pag. 476. seqq. hujus vol.*

cujus imago dextero aſpicientis lateri reſpondet; ſequatur neceſſe eſt, Petrum eſſe Paulo inferiorem. Accedit autem Romanorum, Græcorumque uſus, qui cum in nummis Imperatorem ſeniorem ad dexteram junioris ponendum exiſtimaverint, hunc illi, ſi vera eſſet adverſariorum ratio, antepoſuiſſent. Qua re quid fingi poteſt obtuſius? De eotholis autem, copyliſque Eccleſiis cum dictum ſupra, etſi breviter (1), ſatis tamen & dilucide, & vere fuerit, nihil nunc attinet dicere. Multas vero ejus ſive conſuetudinis, ſive erroris Petrum ad lævam Pauli collocandi cauſſas, quas alii excogitarunt, cum aut falſæ, aut futiles per ſe ipſæ ſint, libens prætereo.

I I I.

Ante Leonis III. tempora potiorem Romæ fuiſſe habitam a Chriſtianis lævam, commenticium eſt.

Sed præterire tacitus non queo Johannis Lucii viri alioqui eruditiſſimi de læva apud Romanos ante Leonis III. tempora potiore ſententiam. Is autem, cum muſivis præcipue, pictiſque in tabulis, Petrum ad Pauli lævam collocatum vidiſſet, ad Bollandianos, quid ea de re judicarent ſcripſit, rogavitque, ut ipſum de more veterum Belgarum in ſanctorum Apoſtolorum imaginibus diſponendis facerent certiorem (2). Verum non animadvertit, Petrum in multis Baſilicarum muſivis, picturiſque, quas antiquiores eſſe Leonis III. temporibus plane conſtat, ad dexteram; in quibuſdam vero picturis Leonis ætate perfectis videri præſtantiores (3) locatos ad lævam. Quod ſi læva habita ante potior, poſt vero deterior fuiſset, quo tandem modo Pontifices tuliſ-

1 *Pag.* 506. *hujus vol. not.* 1. Confer Mabillonium *de re diplom. lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 130. *edit. Pariſ. an.* 1681.

2 Bollandiani *tom.* VI. *Act. ss. Menſis Junii pag.* 161. *part.* II. *edit. Antuerp.*

3 Vide *Inſcript. Baſilicæ s. Pauli pag.* XXXIII. *edit. Rom. an.* 1654. quo loco imago exhibetur Caroli Magni, ad cujus dexteram ſunt milites duo, ad lævam Regina. *E Codice, ſacror. Biblior. ſub imagine Caroli Magni.* Militum autem chlamys ſimilis eſt chlamydi, qua ornatos in noſtro triptycho eſſe martyres Demetrium, Euſtratiumque vidimus.

tulissent, ut in antiquioribus (1) Petrus dexteram occupans inferior esse Paulo videretur?

De caussis positi Petri ad lævam Pauli, quæ a S. Petro Damiano (2), a Sancto Thoma Aquinate (3), atque ab aliis quibusdam theologis (4) numerantur, cum mysticæ sint, ad nostrum institutum non pertinent.

I V.

Cum sæpe in nummis Imperatorum, inque ceteris veterum sive ethnicorum, sive christianorum monumentis dignior, præstantiorque qui est, si, quasi dextera aliquid agat, exhibeatur, lævam occupet; concedendum erit, Petrum, qui in pictis, sculptisque majorum tabulis extensa dextera ad lævam Pauli proponatur, fuisse habitum Paulo excellentiorem.

Vetus consuetudo est, eaque jam a primis Imperatorum reipublicæ populi Romani ducta temporibus, ut qui dextera aliquid agentes a cælatoribus, pictoribus, sculptoribus &c. exhiberentur; iidem, etsi summa præstabant & auctoritate, & dignitate, ne quid forte distorti minusque apti, & commodi in illorum actione, collocationeque corporis partium appareret, ad lævam sæpissime constituerentur. Id autem, ne quis commenti-

cium

1 Vide *pag. 476. seqq. hujus vol.*

2 S. Petrus Damianus *epist ad Desiderium tom. III. opp. pag. 365. seqq. edit. an. 1664.* Hujus opinionem proponit, ac Patrum testimoniis illustrat Murantius apud Bollandianos *t. VI. mensis Jun. p. 165. seqq.* Principio autem Petrus Damianus facile patitur dexteram omnium opinione fuisse præstantiorem: sed Paulum dexteram obtinuisse ait, non quod esset Petro præferendus, sed quod e tribu esset Beniamini. Nam *Beniamin* idem esse, ac *filium dexteræ*. Cui sententiæ consensisse Menochium *lib. I. cap. XXI. Stromateon*, auctor est Battelius *De sep. Probi num.* XXI. *pag. 64.* Deinde Paulum doctorem præcipue gentium fuisse animadvertit, adeoque dexteram tenuisse partem. Cælestem præterea vitam fuisse indicatam a Paulo, a Petro terrenam, atque mortalem. Confer Mucantium *loc. ind.* & Battelium *loc. ind.*

3 Vide supra *pag. 90. hujus vol. not. 4. S. Thomæ locum.*

4 S. Bonaventura *in Psalm. LXVII. pag. 127. tom. I. opp. edit. Rom. an. 1588.* Innocentius tertius *Serm. de Evangelistis circa finem p. 168. edit. an. 1575.* Augustinus Triumphus *de Potest. Ecclesiast. quæst. VII. art. II.* Sed omnes recensere longum est. Confer Allatium *lib. I. de Eccl. Occid. & Orient. Perp. Consens. lib. I. cap. VI. n. XIV. pag. 101.* & Battelium *de sep. Prob. n. XXI. seqq. pag. 64. seqq.*

cium esse putet, exemplis est demonstrandum. Inter numismata Musei Farnesii, quæ Neapolim translata ab Carolo Rege sunt, argenteus nummus Augustum ad lævam sedentem, extensaque dextera ramusculos olivæ a militibus, ut videtur, duobus excipientem exhibet (1): Itemque alter Augustum perinde ad lævam sedentem, ac dexteram pari modo, quasi ab Germanico infantem recens natum excepturus sit, extendentem demonstrat (2). Extat præterea Dominitiani nummus, in quo Imperator ad lævam stans, Germanusque captivus cum clypeo ad dexteram supplex proponitur (3). Jam vero sexcenta ejus generis numismata reperire fas est, in quibus Imperator dexteram supplici (4) cuiquam porrigens, aut ad milites orationem habiturus (5), ad lævam collocatus cernitur. In numismatibus porro Græcorum imprimisque in iis duobus Johannis Comneni, quæ nos æri incidi curavimus (6), Deipara, & S. Georgius Imperatori baculum tradentes sinistram occupant. Neque vero in nummis

1 Confer *tom. II. Mus. Farn. pag.* 263. *tab. II. fig.* 4. 2 *Ibid. fig.* VII.

3 Beger. Thes. Brandeburg. *tom.* III. *p.* 106.

4 Vide Vespasiani nummum apud Angelonum *Hist. Augusta ann.* 1641. *pag.* 80. quo in nummo Imperator laureatus ad lævam porrigens dexteram militi exhibetur, cum inscriptione: *Spes Augusta.* & Hadriani Imperatoris numismata apud Begerum *t.* II. *Thesauri Brandeburgici p.* 656. in quorum primo Imperator togatus exprimitur ad lævam Roma sedenti; in altero stanti porrigens dexteram, cum inscript. *adventus Augusti*, & apud eumdem *p.* 657. *n.* 1. 2. 3. *&* 5. in quibus supplicibus provinciis figura humana expressis idem Augustus ad lævam consistens dat dexteram, cum inscriptionibus in primo: *Restitutori orbis terrarum*: in secundo: *restitutori Bithiniæ*: in tertio: *restitutori Achaja*: in quarto: *restitutori Hispaniæ.* Vide præterea Angelonam *in Hadrian. ibidem pagin.* 149. *figur.* 45. 47. 49. 53. In nummo Antonini Pii, apud eumdem Begerum, Antoninus ad lævam est Regis Quadorum dexteram tenens, cum inscription. *Rex Quadis datus pagin.* 665. Adeundus Angelonus *ibid.* in Antonino *pag.* 171. *fig.* 13. in Marco Aurelio *pag.* 193. *fig.* 24. In Gallieno *p.* 326. *fig.* 16. & Begerus *Thes. ex Thes. Palatino select.* in Constantino *p.* 369. in Valentiniano *p.* 382. in Gratiano *p.* 384. in Maximo *p.* 383. in Theodosio *p.* 388. in Honorio *pag.* 390. Sed omnia numismata generis ejusdem persequi non vacat, quæ a Gorio, a Vaillantio, a Venuto, a Pedrusio, a Patino, ab aliis denique harum rerum collectoribus publicata sunt. Confer Begerum ipsum *ibidem pag.* 674. quo loco Marci Aurelii nummum exhibet cum inscriptione in parte nummi postica: *restitutori Italia cos.* III. *&* *p.* 680. *&* *p.* 739. *&* *p.* 832.

5 Confer Gorium *num. maxim. mod. tom.* I. *tabul.* XXXII. *figur.* I. *Mus. Florent. edit. an.* 1740. & Beger. *ibid. pag.* 644. 648. *&c.*

6 Vide seq. Tabul. in qua primo loco gemmam exprimi curavimus, quæ in Museo Brandeburgico servatur, quæque Olympiadem ad Alexandri dexteram refert, ut mulieribus honoris, affectasque, ut ajunt, caussa, non apud Romanos solum, sed etiam apud Græcos potiorem locum tributum aliquando fuisse intelligeretur: Secundo autem & tertio nummos Plautillam Augustam ad Imperatoris dexteram exhibentes, ut apud Begerum *pag.* 704. describitur; quarto; & quinto Johannem Comnenum ad dexteram, ut nummi duo referunt, quorum in uno a Deipara, quæ ad lævam consistit; in altero a sinistro item sancto Georgio crucem accipit. Confer Begerum *ibid. pag.* 867. *seqq.*


1
2
PROPAGO IMPERI
3
CONCORDIA FELIX
4
5
MP

mis ſolum, ſed in gemmis (1) etiam, ſculptiſque lapidibus (2), qui excellentiores ſunt, iidem ſæpe, ſi quid agere dextera videantur, ad lævam locati conſpiciuntur.

Non diſcrepant monumenta veterum Chriſtianorum. In vaſe argenteo, quod repertum in cœmeteriis urbis eſt, (3) cujuſ-

1 Confer Muſeum Florentinum *tom.* II. *Gemmar. tab.* LXI. *num.* 21. quo loco Sardæ inſculpti exhibentur milites duo, quorum qui præſtantior videtur eſſe, is dexteram ſocii tenens, lævam occupat. In Dactylotheca Camilli Maximi Gemma Neronem figura Apollinis dextera neſcio quid porrigentis Marſiæ, ſiniſtrum refert. *Gemm. Antich.* di Leonard. Agoſtini *tom.* II. *fig.* 3. *edit. Rom. ann.* 1702. Confer Maffejum *tom.* II. *delle Gemm. tabul.* 43. *edit. ann.* 1707.

2 Ut in lapide apud Maffejum *Muſ. Veron. pag.* CXXVI. *fig.* 2. qui dignior, excellentiorque eſt, extendens dexteram, latus ſiniſtrum tenet. Vide etiam Montfauconum *tom.* IV. *ſupplem. Antiq. explicat. pag.* 50. *edit. Pariſ. an* 1724. quo loco lapidem affert exhibentem virum ſtantem ad genuflectentis lævam. Sed de excellentioribus, præſtantioribuſque ſive diis ethnicorum, ſive hominibus, ejus, quam dixi, rei cauſſa lævam occupantibus, confer Gruterum *tom.* I. *pag.* LXXVIII. *edit. Amſtel. an.* 1707. Sponium *Miſcellaneor. Eruditor.* apud Polenum *ſupplem. Theſaur. Antiq. Gravii, & Gronovii vol.* IV. *edit. Veneta an.* 1737. *pag.* 1272. & Montfauconum *tom. indic. tab.* XXXI. Sed hæc obiter. Nam omnes collectores antiquitatum, qui ſimilia produxerint, perſequi longum eſt.

3 Conſule Fogginium *Exercit.* XX. *de Rom. D. Petri Itin. & Apoſtol. pag.* 473. Bianchinium *in not. ad Anaſtaſ. Bibliothecar. in vita s. Urbani p.* 178 *ſeq. tom.* II. *edit. Rom. Salvioni*. Bonarrotium *Oſſerv. ſopra alcun. Framm. di vetro &c pag.* 95. *edit. Florentia an.* 1716. & Bottarium *tom.* I. *delle Sculture, e Pitture ſagre eſtratte da' Cimiterj di Roma. Tab.* XLI. *p.* 180. *& p.* 185. Fieri autem potuit, ut majores noſtri, qui data dextera in ſocietatem Apoſtolatus adſcitum fuiſſe Petro Paulum in epiſtola ad Galatas legiſſent *cap.* II. *v.* 9. id ut ſignificarent (cum pingi excellentiores virorum, ſculpique imagines ad eorum lævam ſolere cognoſſent, quibus dexteram, concordiæ indicandæ cauſſa, excellentiores illi darent) Petrum ad lævam ponere conſueſſent Pauli. Nam habuiſſe Petrum, ſalva auctoritate ſua, hunc honorem Paulo, oſtendit Epiphanius in *Anchorato n.* XI. *p.* 16. *tom.* II. *edit. Pariſ. an.* 1622. ἅγιος, *inquit*, Παῦλος, ᾧ δεξιὰν ἔδωκεν ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων Πέτρος, ὁ καταξιωμένος ἔχειν τὴν κλεῖν τῆς βασιλείας. *S. Paulus, cui dexteram dedit Petrus, dignus factus habere clavem regni.* Vide *& n.* IX. *p.* 14. *&* 15. Ad claves quod attinet, animadvertendum eſt, Petrum interdum in antiquis monumentis cum una tantum clave exhiberi, ut in muſivo s. Agathæ in Subura apud Ciampinum *t.* I. *p.* 271. *tab.* LXXVII. In ſignis duobus, quorum alterum eſt Victoris II. ann. 1054. alterum Alexandri II. qui paullo eſt Victore recentior, apud Alemannum *de Parietinis Lateran. cap.* IX. *p.* 61. Ciampinum *loc. ind.* & Johannem Michaelem Heineccium *antiq. Goslarienſ. tab.* I. *lib.* I. *fig.* 7. *&* 8. *edit. an.* 1707. Prioris autem hæc eſt Inſcriptio: TV P. ME NAVEM . LIQVISTI SVSCIPE CLAVEM. Alterius vero: QVOD NECTES NECTAM QVOD SOLVES IPSE RESOLVAM. In nummo præterea, quem Baronius Lælium Paſquallnum ſequutus ad *ann.* 461. *n.* XI. *ſeq.* Leonis primi, contra Alemannus *loc. ind. p.* 61. *& cap.* XII. Leonis tertii eſſe putat, in quo Petri eſt imago humero clavem unam geſtans; in Strozziano argenteo vaſe, ut paullo ante animadvertimus; & in lapide quoque Ticinenſis Baſilicæ ſancti Michaelis, Longobardorum regum juſſu, inſculptæ Pauli ad Chriſti dexteram, Petri ad lævam clavem unam ab Servatore ipſo ſuſcipientis imagines cernuntur. Confer Alemannum *cap.* IX. *p.* 68. ut & in Sarcophago Ravennatenſi apud Ciampinium *tom.* II. *veter. monum cap.* III. *tab.* III. *litt. B. p.* 6. Contra duæ cernuntur claves in vetuſtiſſimo muſivo opere s. Leonis I. juſſu in arcu Baſilicæ s. Pauli perfecto; Vide Ciampinium *tom.* I. *cap.* XXIV. *p.* 231. *tab.* LXVIII.

& in

cujusque ectypon in museo Strozzio, ut est Johannes Bottarius auctor, servatur, Christus Petro claves tradens lævum, Petrus eas accipiens dexterum latus tenet. Sinister quoque in vase eodem Christus est cæco dextera restituens oculorum lucem

& in Sarcophago marmoreo in Vaticana Basilica reperto apud Aringhium *l.* II. *t.* I. *cap.* X. *Rom. subterr.* & in Musivo Triclinii Vaticani, in quo Christus exhibetur duas tradens Apostolo Petro claves apud Alem. *p.* 56. *cap.* IX. & apud Ciampinium *tom.* II. *veter. monument. cap.* XXI. *tabul.* XL. *pag.* 128. & apud Rasponum *loco indicando* plurimisque in aliis monumentis, quæ numerare longum esset. Nonnunquam etiam tres a Petro claves annulo inclusas deferri videmus: ut in musivo tursus Triclinii Vaticani apud Alemannum *ibid. cap.* X. *p.* 70. & apud Ciampinium *ibidem*, & apud Rasponum *Basil. Lateran. lib.* IV. *cap.* XI. *p.* 331. *edit. Rom. an.* 1656. ut in pictura, quam in vetustissimo codice græco Bibliothecæ Vaticanæ pertx. Alemannus vidit, quod ipse testatur *ibid. cap.* X. *p.* 85. *seq.* ut in musivo opere, quod in Othonis II. sepulcro erat, translatumque porro ex atrio Vaticanæ Basilicæ in cryptas Vaticanas fuit, apud Alemannum *ibid. p.* 88. & Ciampinium *de sacr. ædific. tab.* XXIV. *fig.* 2. *cap.* IV. *p.* 75. & in Remigiani antiqui Codicis pictura apud Mabillonium *Annal. lib.* XVI. *ad an.* 679. §. XCI. *p.* 507. *edit. Lucensis*. Quæ autem majores nostros impulerit caussa, ut modo unam, modo duas, modo tres claves tenentem exhiberent Petrum, conjectura fortasse assequi quisquam poterit, certa autem ratione vix, ac ne vix quidem, ni fallor, poterit. Ex iis autem, quæ dicta hactenus sunt, quæque mox dicentur, facile lectores intelligent, satis nos Protestantibus, qui Bullis Pontificiis, veteribusque imaginibus abuterentur, ut de principatu Petrum dejicerent, imprimisque Thomæ Ittigio, fecisse, qui *in Dissertatione de Origine Controversiæ circa æqualem Petri, & Pauli Primatum &c. operi de Hæresiarchis insertam edit. an.* 1690. *num.* XLV. *pag.* 411. postea quam varias ejus consuetudinis explicandæ rationes, quas nostri sequuti essent, breviter explicavit, deridens ait: *p.* 411. *Videant*, inquit, *qui vel solius Petri Primatum defendunt .... quomodo istam controversiam componant*. Neque vero, quia discrepantes in eo pictorum, sculptorum, cælatorumque sive errore, sive usu exponendo sunt scriptorum orthodoxorum sententiæ, idcirco labefactari principatus Apostoli tanti potest. Nulla enim ferme controversia est, in qua explicanda aliqua in re Theologi non dissideant, tametsi summa sit omnium in dogmate orthodoxo propugnando consensio. Itaque temperare sibi Ittigius potuisset, quin scriberet: §. XII. *p.* 408. *mirum quantum eorum sententiæ varient, qui Petri Primatum defendunt*. Non enim ut explicata ea de Petro ad Pauli lævam quæstio fuerit a Matthæo Parisio *ad an.* 1237. *p.* 302. *edit. Paris. an.* 1644. qui Paulum ad dexteram positum dixit, proptèrea quod in Christum post ascensionem crediderit, aut a Theophilo Raynaudo, qui Petrum majorem, factum monito Christi *humilitatis* caussa *minorem* censuit, aut diremta ab aliis fuerit, sed ut omnes in supremo Petri Principatu statuendo consenserint, considerandum est. Sed ad vas quod attinet, cujus servati ectypon, in Museo Strozzio diximus, ut lector videat cujusmodi fuerit, quamque egregie elaboratum, ejus figuram hic apponendam judicavimus. Est autem difficile creditu, eum, qui fecit, cum tam eleganter, diligenterque fecerit, casu Christum ad Petri, ac cæci lævam collocavisse. Itaque aliqua eum caussa impulerit, atque ratio necesse est, id ut faceret. Quæ vero hæc fuerit, nisi ea, quam indicavi, nempe, ut ne quid distorti, violenti, minusque apti in illius imagine appareret, qui esset dignior, ne suspicari quidem possum. Quod si Leo Allatius vir eruditissimus, & civis meus probare rationem Moroni egregii adolescentis non potuit, quem Moronum sequutum sententiam fuisse constat similem meæ (Vide Allat. *lib.* I. *cap.* VI. *de Eccl. Occid. & Orient. Perpet. consens. p.* 104.) aliam debuit, quæ veri saltem similior haberetur. Sed cum ad eothola, atque ad copyla templa confugerit, quæ ipsi præsidii fortasse parum, argumentorum autem, quibus ejus rei caussa imagines, quæ templis affixæ non essent, sic fuisse coloratas ostendat, nihil afferre videantur, quid est, quod me dejici quisquam illius auctoritate de sententia posse putet.



lucem. Quinetiam in Sarcophagis tribus apud Aringhium (1) Chriſtus dexteram attollens, prædicenſque fore, ut negetur a Petro, ad lævam eſt; Petrus ad dexteram.

Atque ut in ſculptis, ita in pictis monumentis Chriſtus ad lævam eorum, quos aut alloquitur extenſa dextera, aut ſanat, conſpicitur (2): quemadmodum Joſephus, qui primas in Ægypto poſt regem obtinebat partes, dum extenſa dextera quæri in ſaccis fratrum ſcyphum jubet, ad eorum lævam exhibetur in pictura vetuſtiſſimi Codicis Bibliothecæ Vindobonenſis apud Lambecium (3)? Quid ſi in eodem Codice Melchiſedechus rex ad lævam eſt pictus Abrahæ (4)? In plumbis præterea Petrus populum, ut Chriſtianam religionem amplectatur, monens ad lævam cernitur (5).

Ex his autem intelligitur: Petrum, quaſi aut benedicat, aut doceat, aut loquatur, dexteram extendentem, ejus rei, quam dixi, cauſſa fuiſſe interdum a ſculptoribus, pictoribuſque ad lævam Pauli collocatum. Niſi enim factum errore eſt, ut Imperatores, Reges, ipſeque Chriſtus dextera aliquid agentes in ſculptis, pictiſque tabulis lævum latus tenere videantur: aliam certe conſuetudinis illius originem non mo-

1 Confer Bottarium *tom. eod. tab.* XXIII. *pag.* 90. quo loco Sarcophagum ab Aringhio ante *l.* II. *Rom. ſubterr. c.* X. *p.* 297. *t.* I. publicatum exhibet, in quo Chriſtus quaſi Petrum primum, tum Samaritidem alloquens, dexteramque extendens, poſtremoque dexteram ipſam mulieri porrigens, ſemper ad lævam locatus cernitur. Conſule præterea Aringhium *l.* II. *c.* X. *Rom. Subterr. p.* 291. *tom.* I. quo loco ſarcophagum producit referentem Chriſtum ad Petri, quem dextera monet, lævam; ut etiam Chriſtum ipſum virgam dextera tenentem ad lævam item alterius Apoſtoli: & *cap.* X. *pag.* 293. ubi ſarcophagum alterum exhibet, in quo Chriſtus dextera claves dans Petro, deinde Petro prædicens fore, ut magiſtrum neget, ad Petri lævam proponitur: & *pag.* 319. in qua ſarcophagus eſt exprimens Chriſtum ad lævam mulieris fluxu ſanguinis laborantis. Similia exempla videre licet in altero ſarcophago apud eumdem *pag.* 329. & *lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 613. & *pag.* 615. & *pag.* 623.

2 Conſule Aringhium *ibid. lib.* III. *cap.* XXII. *pag.* 557. *tom.* I. & *lib.* IV. *c.* XXXVII. *pag.* 299. & *pag.* 331. *tom.* II.

3 *Tom.* III. *Bibl. Vindob. tab.* XXXVIII. *pag.* 10. & 11. & *tab.* XLIV. *p.* 11. 12. 13.

4 *Ibid. tab.* VII. *pag.* 2. & 3.


5 Conſule Franciſcum Ficoronum *Sigilli antichi di piombo cap.* XX. *tabul.* XX. *num.* 1. *pag.* 64. *edit. Rom. ann.* 1740. Id vero plumbum refert *ſignum communis Antiochiæ*, quod argumento eſt, illud non admodum vetus eſſe. Antiochia namque an. 1097. in Latinorum crucigerorum ditionem venit, expugnataque a Barbaris ann. 1296. fuit. Quare eo intervallo temporis perfectum id *Sigillum* fuiſſe arbitramur.

modo non indicare, ſed ne fingere quidem poſſumus. Atque errore contigiſſe interdum, ut qui dexter in archetypo monumento eſſet, idem inciſorum, quos vocant, oſcitantia, imperitiaque ſiniſter proponeretur, cum ex iis, quæ ſupra, dum de vitreorum calicum fundis diſputaremus, animadverſa ſunt, tum ex hoc ipſo, quod ſubjicimus, exemplo liquet. Boldettus enim, imagines ſanctorum Apoſtolorum, quæ in fundo vitrei calicis a Chriſto coronatæ proponuntur, editurus; in artificem imprudens incidit, qui, ut ex inverſis litteris cognoſcitur, Petrum, qui ad dexteram in vitro eodem eſſet, ad lævam poſuit (1). Sed quum incre-

1 Adeundus Boldettus *lib.* II. *delle Osservazioni sopra i Cimiterj de' Santi Martiri cap.* XIV. *pag.* 514. Eam nos, qua ipſe uſus eſt, tabulam damus, in qua primo dimidium eburneum ovum exhibetur, cui inſcalptæ imagines duorum conjugum Chriſtianorum ſunt, uxoris quidem ad dexteram, viri autem ad ſiniſtram, quibus Chriſti monogramma imminet. Secundo: Perſona marmori inſculpta. Tertio: In vitrei calicis fundo delineatæ imagines Apoſtolorum Petri, & Pauli. Quod ſi hoc errore minime evenit, ut Petrus interdum ad Pauli lævam exhiberetur; conſulto certe evenerit, neceſſe eſt, ut ad lævam Abrahæ Sodomorum rex, & rex Salem proponerentur in veteri Codice *Biblioth. Vindob.* Vide Lambecium *pag.* 1008. & 1009. *tom.* II. Uxorque Caroli Magni ad lævam militum poneretur in pictura *Codicis sacror. Bibl.* qui Codex in ſacrar. Baſil. s. Pauli ſervatur. Confer *Inscript. Antiq. Basil. s. Pauli edit. Rom. ann.* 1654. *pagin.* XXXVII. cui picturæ ſuppoſiti hi leguntur verſus.

Rex cæli Dominus ſolita pietate redundans
Hunc Carolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officii, ut compos potuiſſet haberi
Tetraſti implevit virtutum quatuor almo.
Imminet hic capiti de vertice cuncta refundens.
Denique ſe primum, tunc omnia rite gubernat
Prudenter, juſte, moderate, fortiter, atque
Hinc inde angelico ſeptus tutamine ſacro
Hoſtibus ut cunctis exultet pace repulſis.
Ad dexteram armigeri prætendunt arma miniſtri.
Eccleſiam Chriſti invictus defenſor in ævum
Armipotens magnis quis ornet ſæpe triumphis.
Nobilis ad lævam conjux de more venuſtat,
Qua inſignis proles in regnum rite paretur.

Atque ut cetera, quæ ſupra deſcripſi exempla prætercam, conſulto evenerit, oportet, ut in numiſmate aureo maximi moduli ſub Sixto quarto anno Jubilæi cuſo, Chriſtus ſiniſter, Petrus dexter conſtitueretur. Affert id numiſma præter ceteros Begerus *numismatum modernorum Cimeliarchii Regii Electoral. Brandeb. pagin.* 9. *edition. ann.* 1704. Neque ulla erat cauſſa cur Lambecio Ittigius *loco supra indicato pag.* 410. objiceret imaginem s. Johannis Apoſtoli ad Presbyteri dexteram conſidentis, ut proponitur in antiquo Bibliothecæ Vindobonenſis Codice apud Lambecium *tom.* II. *pag.* 570. & 571. Non enim negamus ad dexteram poni ſolitos fuiſſe eos, qui auctoritate aliis, dignitateque præſtarent; ſed qui factum fuerit quærimus, ut interdum ad lævam etiam collocarentur.



incredibile ſit, tot in nummis, totque in monumentis, quot numeravimus, errore hominum contigiſſe, ut qui excellentiores eſſent, ſi quid dextera agerent, ad lævam conſtituerentur, factum id fuiſſe conſulto ob agentis commodum, ne quid in actione contorti appareret, confitendum eſt. Ac Petrum, cum ad lævam Pauli a veteribus poneretur, dextera aut benedicentem, aut aliquid agentem exhiberi ſolitum fuiſſe, iiſdem monumentis, quæ alio loco deſcripſimus, demonſtrari poteſt. Sive enim marmori inſculpta (1), ſive

1 Ego vero in ſarcophago marmoreo Junii Baſſi ex Vatic. Cœmet. effoſſo, quem proponit Aringhius *lib.* II. *cap.* x. *p.* 277. *t.* I. ut etiam in Probi *ibid. pag.* 281. aliiſque in Vaticano, ut *pag.* 293. 295. 297. 301. 307. 311. 311. vel in Cœmeterio Lucinæ, ut eſt apud eumdem *lib.* III. *cap.* III. *pag.* 425. vel alibi repertis, ſi ea forma conjicere fas eſt, Petrum ad dexteram eſſe locatum video. Quod ſi qui ad dexteram eſt, is Batello Paulus videtur eſſe, parvi id quidem refert. Neque vero, quia ſiniſter qui eſt, is in quibuſdam ejus generis monumentorum crucem defert, idcirco habendus eſt Petrus. Etſi non deeſſe monumenta fateor, quæ Petrum aut crucem, aut loco crucis monogramma Chriſti deferentem oſtendant, velut e Ravennatenſi ſepulchro, apud Ciampinum *veter. monument. t.* II. *cap.* III. *p.* 6. & Bottarium *tom.* 1. *delle Pittur. e Sculture tab.* XXIV. *pag.* 95. eaque exigua s. Petri ſtatua in Cœmeterio urbis reperta, quæ exhibetur *in Collect. Lucernar.* Bartholi a Bellorio illuſtratarum *tab.* XXVII. *part.* III. *edit. Rom.* cujuſque ego in extrema hac adnotatione ectypon afferam, plane conſtat; non ſequitur tamen, ut qui crucem defert, is ſtatim Petrus exiſtimandus ſit. Nam in Veronenſi ſepulchro, ut eſt apud Bottarium loco modo indicato, crucem deferens Paulus eſt, cum is, qui ſine cruce altera ex parte eſt, cum proximum habeat columnæ inſiſtentem gallum, Petrus eſſe omnino debeat. Non is tamen ſum, qui Petrum ad lævam in Sarcophagis interdum videri negem. Nam ut mittam de iis dicere, quæ *p.* 487. *ſeq. hujus vol.* commemoravi, negari certe non poteſt, quin is ad lævam ſit in Sarcoph. e cœmeterio Calliſti effoſſo: apud Aringhium *lib.* IV. *cap.* XLVII. *pag.* 399. At in his monumentis quaſi dextera aut agens, aut innuens aliquid exhibetur. Vide ſupra *p.* 487. *hujus vol.* Quemadmodum autem diſtingui poſſit imago Petri ſive ad lævam ſit, ſive ad dexteram, præter Bottarium, alioſque, oſtendit etiam Papebrochius in Paralipomenis *ad Conatum in Catalog. Pontif. pag.* 51. quo loco ectypon inſignis, vetuſtique Anaglyphi ex Johannis Jacobi Chiffletii, quaſi teſtamentario, (ut *loco indicato* Ittigius ſcribit) *variarum hujuſmodi curioſitatum legato* exhibet. Idem addit Ittigius Boemundum Antiochenum principem in Bullis ſuis imaginem Petri ad lævam imaginis Pauli poſuiſſe, idque conſtare ex diplom. quod an. 1190. datum eſt. Verum quid actum poſt Petri Damiani tempora a Pontificibus, Principibuſque Chriſtianis fuerit, non inquirimus. Horum enim multis Damianus perſuaſerat, ut paullo poſt demonſtrabitur, fas eſſe Paulum ad Petri dexteram collocare, propterea quod meritis par Petro, atque e ſtirpe Beniamini fuerit.


27

ſive muſivo opere perfecta (1), ſive depicta (2), ſive quacumque ratione conflata, compoſita, facta (3) ſint, Petrum fere ſemper dextera aliquid aut agentem, aut innuentem referunt. Quumque in diptycho Richardiano, ut auctor eſt Fogginius (4), etſi ad lævam eſt Petrus, ita proponatur tamen, ut dextera benedicere latinorum more videatur, nemo erit opinor, qui id eſſe monumentum nobis opponendum putet.

Eoque id mihi videtur, quod de Petro ad lævam commodi cauſſa a pictoribus, ſculptoribuſque collocato dixi, ad veritatem propenſius, quo Petrum non modo benedicentem interdum, ſed etiam inter Paulum, & Johannem medium exhiberi quandoque, quod indicium ſuperioris dignitatis eſt, ſciam, ut ex noſtro præſertim, exque Benedicti XIV. Pontificis Maximi triptychis intelligitur.

At eſt nonnumquam in veteribus monumentis ad lævam Petrus, etſi non extendat ad aliquid aut agendum, aut innuendum dexteram. Fateor. Sed ſunt ejuſmodi monumentorum genera omnino duo. Alterum enim ad priorem Chriſtianæ religionis ætatem, alterum ad mediam, infimamque pertinet. Prioris autem generis illa eſt lamina ærea, quam in Cœmeteriis inventam diximus. Sed in ea ita Petrus, Pauluſque exhibentur, ut ſeſe mutuo, quaſi colloquantur, aſpiciant. Solebant autem veteres imagines etiam Principum ita diſponere, ut ſi converſis ad ſe mutuo vultibus proponerentur, lævam interdum ei tribuerent, qui eſſet dignitate præſtantior. Quonam conſilio factum id fuerit, neſcio, etſi factum conſtet. Commodius fortaſſe viſum id artificibus eſt. Quinetiam eſſe aliquos audio, qui

1 Confer apud Ciampinum muſiva Leonianum s. Pauli *tom.* I. *veter. Monumentorum cap.* XXIV. *pag.* 231. Ricimerianum s. Agathæ in Subura *cap.* XXVIII. *pag.* 24. Paſchalia in s. Cæciliæ *apud eumdem cap.* XXVII. *pag.* 160. s. Mariæ Novæ IX. ſec. *apud eumdem cap.* XXVIII. *pag.* 163. *tab.* LIII. qua in tabula Petrus ad lævam exhibetur, Jacobus ad dexteram. Confer quod ſcripſi ſupra *pag.* 491. *not.* 3. *ſeq. hujus vol.*

2 Vide apud Aringhium figuram Petri ad lævam *lib.* IV. *pag.* 412. *ſeq.* & apud Lambecium *tom.* IV. *Biblioth. Vindob. p.* 316. *edit. an.* 1671. & quæ ſcripſi *pag.* 489. *ſeq. hujus voluminis not.* 5. *ſeq.*

3 Confer Ficoronium loco ſupra indic. *pag.* 64.

4 *Exercit.* XX. *de Rom. D. Petri Itinere, & Apoſtol. pag.* 471.

qui dexterum, aut finiſtrum alteri non eſſe hominem, qui converſo vultu eum inſpiciat, quicum manet, aut loquitur. Nam Macrini Imperatoris filium Diadumenianum aſpicientis imago ad lævam exhiberi videtur in gemma, ut eſt apud Gorium in II. Muſei Florentini volumine (1). Atque in nummis plurima cernere generis ejuſdem exempla licet (2). Itaque quod Petrus interdum Paulum aſpiciens ad ſiniſtram locatus cernatur, ſi errore factum non eſt, argumento tamen eſſe omnino nequit, fuiſſe Paulum parem poteſtate Petro. Atque eſt illud etiam, atque etiam animadvertendum, in plumbis Notariorum veterum, Presbyterorumque Romanæ Eccleſiæ, ſi Petrus Paulum non inſpiciat, Petrum eſſe ad dexteram, ut in plumbo Theodori Presbyteri (3), & Sergii Notarii (4), & Stephani Presbyteri (5), & Theodoſii item Presbyteri (6), & Marini (7): contra ſi Petrus Paulum, Pauluſque viciſſim intueatur Petrum, Paulus ad dexteram eſt, Petrus ad lævam, ut in ſignis Grethinoti (8), Quadrageſimi (9), & Victoriani (10) Notariorum.

Quæ vero monumenta inferiorum temporum afferuntur,

1 *Exſcalpt. Jaſpid. Chalced.* apud Gorium *tom.* II. *Muſei Florent. tab.* XVI. *fig.* 1.

2 *In numiſm. Muſ. Reginæ Svecor. tab.* XLVI. eximiæ raritatis præſtantiæque nummus eſt, in cujus poſtica parte Auguſti figura Cajum, Luciumque inſpicientis ad lævam exhibetur cum inſcriptione ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ *Alabandenſium*. Alabanda autem urbs fuit Cariæ. Confer Havercampium *Numophylac. Reg. Chriſtinæ edit. Hagæ Comit. ann.* 1742. *pag.* 296. *ſeq.* Confer etiam Tiberii nummum apud eumdem *tab.* XLVII. *fig. ult. & pag.* 305. *ſeq.* & Vitelliani numiſmatis poſticam partem apud eumdem *tab.* LI. *pag.* 331. *num.* XXXIV. Sed non eſt opus omnia omnium Imperatorum numiſmata, quæ Vaillantius, Pedruſius, Patinus, Gorius, Begerus, Liebeus, aliique collegerunt, numerare, quibus hæc noſtra confirmari poſſit ſententia. Quod ſi quis dexteram numiſmatis eam eſſe dixerit, quam Auguſtus in nummo Alabandenſium occupat; huic ego facile reponam, multa item reperiri numiſmata, gemmaſque multas, in quibus imperatores oppoſitum latus teneant. Itaque ſi ea, quæ adduximus præſidio nobis eſſe nequeunt, erunt quidem certe alia perplura adjumento. Quod ſi eorum hæc reſpondendi ratio valere poterit, valebit quoque, ut Petrum in plumbis, inque laminis æreis dexteram occupare dicamus partem.

3 Apud Ficoronum *tab.* X. *pag.* 35. *num.* 3.

4 *Ibid. n.* X.

5 *Ibid. tab.* XV. *num.* 6. *pag.* 50.

6 *Ibid. n.* XII.

7 *Ibid. tab.* XX. *pag.* 64. *n.* 8.

8 *Ibid. tab.* XIII. *n.* 8. *pag.* 44.

9 *Ibid. tab.* XV. *n.* 11. *pag.* 50.

10 *Ibid. tab.* XVI. *n.* 7. *p.* 53. Quamquam fateor me conjectura uti. Non enim ſatis diſtincte, certoque cognoſci ex effigie poteſt, num in hoc plumbo, qui dexter eſt, is ſit Paulus.

tur, ad rem non pertinent. Nam XI. ſeculo, quo Petrus Damianus (1), ſequentibuſque, quibus alii (2) rationes excogitarunt, ut pingi, ſculpique Pauli imaginem ad Petri dexteram myſterio conſueſſe oſtenderent; mirabile videri non debet, pleroſque artifices extitiſſe, qui illis aſſenſi, Principem Apoſtolorum ad lævam Doctoris gentium in ſculptis, pictiſque tabulis, atque in bullis ipſis Pontificum ponendum arbitrarentur. Eſtque illud ſane perſpicuum, etſi plumbeæ extant permultæ Pontificum Romanorum (3) Bullæ, nullam tamen adhuc eſſe repertam (4), quæ ante ſeculum XI. perfecta fuerit, exhibueritque ad Pauli lævam Petrum. Immo vero poſt undecimum ſeculum multa & Pontificum nu-

1 Nam Petrus Damianus Gregorii VI. Clem. II. Leonis IX. Victoris II. Nicolai II Alexandri II. ſeq. Pontificum ætate floruit. Is cum Monachus adhuc eſſet, opuſculum ad Deſiderium Abbatem de picturis Principum Apoſtolorum ſcripſit. Gregorii VI. ne, an Leonis IX. vel ſeqq. Pontificum temporibus, non ſatis conſtat. Hoc certum eſt, ortam fuiſſe eam circa Leonis tempora diſputationem. Sed vetuſtiſſima omnium bulla, quam Heineccius ſe vidiſſe teſtatur, in qua Petri ad lævam imago ſit, non eſt Leone IX. antiquior. Quamquam ut ſupra animadverti *p. 504. n. 2.* poſt Leonem IX. conſuetudinem fingendarum ejuſmodi imaginum in plumbeis Pontificum bullis invectam fuiſſe Mabillonius arbitretur. Quid vero mirum ſi poſt opuſculum Petri Damiani, quod extat *t. III. opp. ed. Pariſ. a. 1664. p. 365. ſeqq.* quodque Innocentius III. aliique ſequentium temporum ſcriptores probarunt, non in throno Baſilicæ s. Petri, quem muſivis idem Innocentius ornari curaverat, neque in valvis ejuſdem Baſilicæ, Eugenii IV. ætate perfectis, ſolum, ſed etiam in Bullis Petrus ad lævam locatus fuerit?

2 Vide *pag. 515. hujus vol. not. 4.*

3 Dominicus Raynaldus, qui cuſtos Bibliothecæ Vaticanæ fuit, *apud Allat. lib. de Eccl. Occid. & Orient. conſenſ. I. cap. VI. pag. 87. edit. Colon. ann. 1648.* Polydorum Virgilium refellens, qui Stephanum III. & Hadrianum I. primos omnium plumbo obſignare tabulas Apoſtolicas cœpiſſe dixerat, eam conſuetudinem repetit a Silveſtro I. Pontifice, cujus bullam plumbeam in tabulario Aretino ſervari narrat (Quod vereor, ne falſum ſit, cum nobis, quæ in eo tabulario vetuſtiora ſunt monumenta, ſingulari humanitate oſtenderit vir clariſſimus Paulinus Giannerinus Eccleſiæ Aretinæ Canonicus; id vero plumbum haud oſtenderit), contenditque extare etiamnum Bullas Leonis I. & Gregorii I. in Tabulario Caſtri s. Angeli obſignatas plumbo. Qua de re, etſi dubitat Mabillonius *l. II. de re Diplom. cap. XIV. pag. 129. edit. an. 1681.* nihil tamen ſtatuit. Franciſcus Baldinus *in Honor. I. not. in tom. IV. Anaſtaſii edition. Romana an. 1735. pag. 29.* nullum ſe vetuſtius noſſe plumbo Deusdedit Pontificis ſcribit, quod plumbum editum primum a doctiſſimo viro Antonio Franciſco Gorio Florentinæ Eccleſiæ s. Johannis Baptiſtæ præpoſito fuit *Inſcript. Donianar.* ut eſt apud Baldinum *ibid.*, deindeque a Ficoronio *tab. XXIII. n. 3. p. 7.* cui illud dono Philippus Stoſchius Baro dederat. Ficoronius autem *tabul. XXI. XXII. & ſeqq.* tres plumbeas bullas Leonis, neſcio cujus, exhibet, unam Theodori, Johannis tres, duas Benedicti, tres Gregorii, Deuſdedit unam, Honorii unam, Vitaliani unam, Sergii duas, Gregorii rurſum unam, Leonis alterius unam, Zachariæ unam, Stephani unam, Paſchalis unam. Mitto eas, quæ a Mabillonio, a Ciacconio, aliiſque commemorantur.

4 Vide *pag. 504. n. 2. hujus vol.*

numismata (1), & sigilla (2) quæ vocant, conflata scimus, in quibus Petrus ad dexteram Pauli cerni solet.

At enim Imperatores in veteribus monumentis sive Latinorum, sive Græcorum, Christusque ipse in majorum imaginibus, etsi aut inspicientes in eum, quocum versantur, aut dextera aliquid agentes exhibeantur, lævam tamen non occupant persæpe partem. Quasi vero dexteram non occupet in vitris, plumbis, marmoribus, musivis, pictisque tabulis persæpe Petrus. Quod si dignitati, auctoritatique Imperatorum, Christique ipsius Servatoris nil officit, esse eos interdum, cum agant, aut in quemquam inspiciant, ad lævam, qui demum Petri & auctoritati officiet, & dignitati? Quis autem credat, Romanos imprimis, qui tanti Petrum facere solerent, ut solum sæpissime (quod Christo in cælum assumto, Pontificium in terris munus sustineret) nominandum (3) solumque pictis, sculptisque imaginibus (4) exhibendum arbitrarentur, eum postponere voluisse

 Pau-

1 Vide numismata Eugenii IV. P. M. apud Benedictum Floravantem *Antiq. Denar. Rom. Pont. edit. Rom. an.* 1738. *pag.* 107. *num.* 3. 4. 5. Nicolai V. apud eumdem *pagin.* 115. *n.* 2. 3. Callisti III. *pag.* 121. *n.* 3. Pii II. *n.* 2. Pauli II. apud eumdem *pag.* 131. *n.* 1. 3. 4. Sixti IV. *pag.* 137. *n.* 3. Innocentii VIII. *pag.* 145. *n* 5. Alexandri VI. *pag.* 153. *n.* 1. 5. Julii II. *tab.* I. *pag.* 158. *n.* 3. (quamquam *n.* VI. *&* *tab.* II. *n.* X. Petrus ad lævam in nummis duobus exhibeatur) Leonis X. *pag.* 192. *num.* VI. (etsi *numero* V. Pontifex, & *numer.* IV. Sanctus Paulus ad Petri dexteram in denariis duobus cernatur) *&* *pagina* 206. *num.* 1. Hadriani VI. *pag.* 208. *num.* 2. Sed in denario, quod post Sede vacante cusum est, apud eumdem *pag.* 211. *num.* 1. inque duobus Clem. VII. P. M., apud eumdem *pag.* 212. *num.* 8. 9. quamvis Petrus, Paulusque non conversis mutuo vultibus, sed stantes exhibeantur; Petrus tamen ad lævam Pauli conspicitur. Casu ne, atque errore, ut videtur (nam apud eumdem *pag.* 212. *tom.* III. *num.* 16. nummus est, in quo Joh. Baptista ad sinistram s. Hilarii, sed ipsum intuens Hilarium, videtur) an ob eas, quæ sunt a Petro Damiano, Innocentio III., s. Thoma, aliisque adductæ, caussas, nescio. Numisma præterea generis ejusdem Alex. VI. in quo Petrus ad dexteram Christi est, cernere licet apud Begerum: *Numism. Modern. Cimeliarchii Brandeburg. Contin. Numism. Pontif. Rom. edit. Colon. Brand. an.* 1704. *p.* 12.

2 Signorum ejusmodi exemplum, ut cetera prætermittam, videas lector apud Johannem Michaelem Heineccium *Antiquit. Goslariens. lib.* 1. *tab.* II. *edit. Francof. an.* 1707.

3 Sæpe enim in litteris Romanorum Pontificum solus nominatur Petrus, sedesque Romana Petri sedes appellatur, nulla facta Pauli mentione. Confer *epist.* XIV. *s. Damasi p.* 571. *num.* 1. *epistolar. Romanor. Pontif. tom.* 1. *collect. Coustantii edit. Paris. an.* 1721. Siricii *epist.* 1. *ad Himerium Tarraconensem pag.* 623. *num.* 1. *epist.* 651. *&* *epist.* 1. Innocentii I. *num.* 2. *pag.* 747. & ejusdem epistolas reliquas, ceterorumque Pontificum *p.* 849. *seqq.* Sed hac de re multa jam ante diximus.


4 In Sarcophagis Petrus cum Christo solus interdum cernitur aut claves accipiens, aut promittens, magistrum numquam se negaturum. Vide supra *p.* 518. *sq. n.* 3 *seq.* Idipsum exhibetur

Paulo, quem vix aliquando solum pingendum (1), commemorandumque putarunt? salva potiore Petri dignitate, ac potestate. Atque de Petro ad lævam Pauli a majoribus collocato satis dictum est.

CA-

betur in vasis veterum Christianorum. Vide *pag. 519. seq. hujus vol.* In nummis etiam ac plumbis. Confer Josephi Garampii eruditissimi viri, & Canonici Basilicæ sancti Petri egregiam *de nummo Benedicti III. Dissertationem pag.* 160. quo loco exhibet nummos Sergii II. in quorum postica parte legitur: *Sanctus Petrus*: & nummos *num.* 2 & 8. & 9. & 10. & 11. & 12. & 13. & 14. & 15. in quibus nummis, qui sunt *Benedicti III. seqq. Pontiff.* unius est Petri nomen. Similia exempla cernere apud Ficoronum in plumbis licet *lib. supra indic.*

1 Extat interdum Pauli solius imago in monumentis veterum Christianorum. Vide Aringhium *Rom. subterr. lib.* IV. *c.* XXXVII. *p.* 273. Similis autem est hujus, quam affert Bolderrus, quamque hic damus. Exhibet ea, ut cernis, Paulum extensis brachiis orantem. Extat in museo eruditissimi, nobilisque viri Commend. Victorii ἐγγλύφων, quod carneolæ insculptas Petri quidem ad lævam, Pauli vero ad dexteram imagines, in medio autem monogramma Christi circulo comprehensum arborisque trunco impositum exhibet; Vide *figuram pagina seq.* Sed eo fortasse figura Petri ad lævam est, quo uti quisquam ἐγγλύφοις pro signo potuisset. Nam in signo ad lævam ea figura esse debet, quam in cera, cui imprimitur, volumus esse dexteram.



C A P U T III.

De Titulis honorum B. Petri .

HIs autem explicatis rebus, quæ ad ſummum Petri in Chriſtiana republica principatum demonſtrandum pertinent , ſequitur ut iis titulis honorum fuiſſe illum a Majoribus ornatum doceam , qui ex excellenti illa , præcipuaque dignitate proficiſcerentur . Vocatus ergo a Majoribus Petrus eſt

§. I.

Κορυφαῖος τῶν ἀποςόλων , *Coryphæus Apoſtolorum , & Princeps .*

Atque κορυφαῖον *Coriphæum* , ſeu verticem Athanaſius (1) , Johannes Chryſoſtomus (2) , Iſidorus Peluſiotes (3) , *Principem* autem ac *ducem* Apoſtolorum ſeu ἀρχηγὸν, vel ἄρχον , vel ἄρχοντα , Sophronius Hieronymi interpres , Chryſoſtomus (4) , Leo (5), aliique appellaverunt (6) .

X x x 2 §. II.

1 Vide *pag.* 135. *hujus vol. not.* 1.

2 *Pag.* 94. *ſeq.* quibus locis vocari a Chryſoſtomo Petrum vidimus *Chori* Apoſtolici *Coryphæum* , & *Coryphæum Apoſtolorum* .

3 Vide *pag.* 140. *hujus vol. not.* 3. reliquorum teſtimonia conſule *pag.* 147. 149. 150. 155. 182. 300. *hujus vol.*

4 Johannes Chryſoſtomus *Homil.* 11. *in Act. pag.* 23. *tom.* IX. *edit. Pariſ.* τοῦ χοροῦ πρῶτος καὶ πρότερος ἄρχοντας τοῦ λόγου . Sophronius *de Viris Illuſtr. c.* 1 . *pag.* 814. *opp. Hieron. cap.* 1. *edit. Veron. Vallarſi* .

5 Vide *pag.* 141. *ejuſd. vol. ſeqq.*

6 Confer *pag.* 145. *ſeqq.* 148. 150. 151. 188. *&c.*



ʃ. II.

Et Præfectus Orbis terrarum : Principatum , ſeu Primas inter Apoſtolos obtinens : Fratrum præfecturam conſequutus : in Apoſtolorum ordine primus:Primus electus: Prælatus ceteris Apoſtolis: Præſul Apoſtolici Chori : Præpoſitus Apoſtolis : Principaliter regens omnes : & Apoſtolorum omnium ſummus princeps .

Præfectum porro orbis totius Chryſoſtomus Petrum vocat (1),recipientemque a Magiſtro , ac Servatore generis humani Chriſto *τὴν προστασίαν τῶν ἀδελφῶν præfecturam fratrum* (2). De *præeminentia* autem , principatu , partibuſque primis , quas Petrus obtinet , præclara ſunt Auguſtini teſtimonia , quæ cum ſupra deſcripta ſint (3) , prætermitti poſſunt . Idem Petrum in *Apoſtolorum ordine* primum dicit (4) . *Primum* autem electum Cyprianus (5) , appellat , ut etiam Prælatum ceteris Apoſtolis Baſilius (6) , & præſidem Apoſtolici chori Iſidorus Peluſiotes (7),& præpoſitum Apoſtolis omnibus , vocationi gentium univerſarum , cunctiſque Eccleſiis (8) , omneſque *principaliter regentem* (9) Leo I. Pontifex , qui eumdem ſummi omnium Apoſtolorum principis (10) ornat nomine .

ʃ. III.

1 *Pag. 95. hujus vol.*
2 *Ibid. not. 7.*
3 *Pag. 97. 137. hujus vol. not. 1.* Confer etiam Cypriani *pag.* 134. Hilarii Diaconi *ibid. pag.* 98. & Chryſoſt. *pag. 95. loca .*
4 Vide *pag. 97. hujus vol. & pag. 139.*
5 *Pag. 134. hujus vol. not. 1.*
6 *Pag. 136. hujus vol.*
7 *Pag. 140.*
8 *Pag. 141.*
9 *Ibidem .*
10 *Pag. 142.*

§. III.

Et Perfectiorum perfectior gubernator : & Apostolorum Antesignanus : & sublimis bis seno in agmine Apostolorum · & summus Apostolorum vertex : & πρώταρχος primus princeps : & πρωτοκορυφαῖος, primus Coryphæus.

Jam vero *perfectiorum gubernatorem* Ambrosius appellandum duxit, propterea quod non modo cura illi Christianorum reliquorum, sed etiam pastorum credita a Christo fuerit (1). *Antesignanum* vero Isidorus Pelusiotes (2). *Sublimem* autem bis seno in agmine Apostolorum Paulinus (3). Κορυφαίαν τῶν ἀποστόλων ἀκρότητα *summum verticem Apostolorum* Synodi sextæ Patres in ea, quam ad Agathonem scripserunt epistola (4). Πρώταρχον porro τῶν λοιπῶν ἀποστόλων *principem primum ceterorum Apostolorum* Theodorus Studites (5), & Tharasius Episcopus Constantinopoleos (6). Protocoryphæum denique Ecclesia Græca in Euchologio (7).

§. IV.

Et primogenitus Clavigerorum : & προστάτης præpositus : & pastoralis principatus dignitate præstans : virgam pastoralem tenens: & κορυφαιότατος, augustissimusque vertex Apostolorum : magnus, & supremus Princeps Apostolorum: unusque omnibus præeminens.

Τῶν κλειδούχων autem πρωτότοκον *primogenitum Clavigerorum* ab Ephræmio Syro video appellatum (8). Προστάτην

1 Vide Ambrosii locum *pag.* 138. *hujus vol.*
2 *Pag.* 140. *hujus vol.* 3 *Pag.* 141. *h. v.* 4 *Pag.* 148. *h. v.*
5 *Pag.* 150. *num.* 3. *h. v.* 6 *Pag.* 149. *h. v.* 7 *Pag.* 155. Vide *p.* 422. *n.* 8.
8 *Pag.* 149. *hujus vol.*

στάτlω τῶν Χριστοῦ μαθητῶν *Primatem* seu *Præpositum discipulorum Christi* a Basilio Seleuciensi (1). *Pastoralisque principatus dignitate* illustrem a Theodoro Studite (2) Κορυφαιότατον τῶν ἀποστόλων, *supremum* seu *summum verticem Apostolorum* ab Ignatio Constantinopolitano (3). *Augustissimum* vero ab Niceta Paphlagone (4). Μέγαν *Magnum* a Theodoro Studite (5) *Supremumque principem Apostolorum* ab Græcis in Tropario (6). *Unumque omnibus præeminentem* ab Leone I. & Nicolao I. Pontificibus (7).

§. V.

Et πρωτοστάτης *primus præses : & pastor totius orbis : & caput : & Exarchus : & unus de toto mundo electus : & superlaudabilis Apostolus : maxime honorandus : & percelebris : & abundantiore gratia unus, & idem primus Apostolus, & summus Discipulus Dei.*

Πρωτοστάτlω vero τῶν ἀποστόλων *hoc est primum præsidem* Apostolorum, vel principem nominat Cyrillus Hierosolymitanus (8) ab Gregorio Nysseno haud dissentiens (9). Pastorem Ambrosius (10). Ποιμένα τῆς οἰκουμένης ἁπάσης *pastorem universi orbis* Nilus Johannis Chrysostomi auditor (11), *Caput, ut Schismatis tolleretur occasio*, Hieronymus (12) *Apostolorum omnium caput*, Optatus (13), & Synodi Ephesinæ Patres (14). Unum de toto mundo electum Leo I. Pon-

1 *Pag.* 150. *hujus vol.* 2 *Ibidem*.
3 *Ibid. pag.* 151. Et multo ante ab Epiphanio in Ancorato *n.* 11. *pag.* 16. *tom.* II. *opp. edit. Paris. Petav. an.* 1622. quo loco: *Paulo*, inquit, δεξιὰν ἔδωκεν ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων Πέτρος ὁ καταξιωμένος ἔχειν τὴν κλεῖν τῆς βασιλείας „ Paulo dexteram de- „ dit summus vertex Apostolorum Petrus, qui dignus habendi clavem regni factus est „.
4 *Pag.* 152. *n.* 1. 5 *Ibid. pag.* 150.
6 *Pag.* 156.
7 *Pag.* 182. *seq.*
8 Vide *pag.* 137. *hujus vol.*
9 *Ibid. pag.* 149.
10 *Ibid. pag.* 138. *n.* 1.
11 *Ibid. pag.* 418. *n.* 3. Confer Epiphanium *in Ancor. num.* 11. *pag.* 15.
12 *Ibid. pag.* 138. *n.* 2.
13 *Ibid. pag.* 139. *n.* 2.
14 *Ibid. pag.* 140. *not.* 2.

Pontifex (1). *Superlaudabilem Apostolum* Constantinus Augustus in epistola Divali sacra ad Hadrianum Pontificem (2). *Maxime honorandum* Ignatius Episcopus Constantinopolitanorum(3),& *ἔνδοξον, καὶ πανεύφημον gloriosum,& percelebrem* ecclesia Græca *in Euchologio* (4): *& abundantiore gratia unum, atque eumdem primum Apostolum* Augustinus (5): *& summum discipulum Dei* Prudentius (6).

§. VI.

Et beatissimus, atque omni laude dignus: & carissimus omnium discipulorum: antelatus proinde discipulis: continens omnes: major ceteris, & fortissimus Apostolorum: & princeps Episcopalis corona: & nominis episcopalis & honoris auctor.

Hæc vero ab Synodo Chalcedonensi (7) a Gregorio Nazianzeno (8), ab Origene (9), ab Ambrosio (10) rursumque ab Origene (11), qui Petrum majorem Apostolis ceteris fuisse confirmat, ab Eusebio Cæsariensi (12), ab Imperatoribus Theodosio, & Valentiniano (13), ab Siricio, & Innocentio, & Zosimo, & Sixto Pontificibus Maximis (14), atque ab aliis pluribus dicta, litterisque consignata sunt, quos equidem libens prætereo.

§. VII.

1 *Ibid. pag.* 141.
2 *Ibid. pag.* 149.
3 *Ibid. pag.* 151. *n.* 2.
4 *Ibid. pag.* 155.
5 *Ibid. pag.* 191.
6 *Ibid. pag.* 289. *not.* 6.
7 *Ibid. pag.* 142. *not.* 2.
8 *Ibid. pag.* 131. *not.* 2.
9 *Ibid. n.* 1. ubi προκεκρίσθαι, ait, τὸν Πέτρον τῶν λοιπῶν μαθητῶν *antelatum fuisse Petrum ceteris discipulis.*
10 *Ibid. not.* 4. ubi Ambrosius *post Christum in Petro omnes contineri scribit.*
11 *Ibid. pag.* 134. *not.* 1.
12 Qui *fortissimum, & maximum Apostolorum* vocat *Petrum. Ibidem pagin.* 134. *not.* 1.
13 Ii de Petro agentes: *Ibid pag.* 142. *n.* 1. *principem eum episcopalis corona* vocant.
14 *Ibid. pag.* 139. *not.* 3. *seqq.*

§. VII.

Et os discipulorum: Orbis terrarum piscator: Ecclesiæ figura: Apostolus inconcussæ auctoritatis: Candelabrum: Discipulorum lingua: Prædicantium vox: In Apostolicæ dignitatis culmen adscitus prædicator summus: Apostolicæque princeps dignitatis, atque Magister orbis: a Deo omnium beatissimus pronunciatus: primusque, ac celsior gradu in agmine Apostolorum ipsum superans Paulum.

Discipulorum deinde os, principem in ecclesia primum piscatoremque orbis terrarum Johannes Chrysostomus appellavit Petrum (1). Ecclesiæ vero figuram Augustinus cum alias sæpe, tum præcipue in septuagesimo, ac sexto sermone (2). Principem vero Apostolorum inconcussa præditum auctoritate Gregorius secundus Pontifex (3). Candelabrum Ephræmius Syrus (4): ut & linguam discipulorum (5), prædicantiumque vocem (6); virumque adscitum in Apostolicæ dignitatis culmen, electionisque primitias Latina ecclesia in Sacramentario, quod Leonianum vocant (7). Prædicatorem summum Cyrillus antistes Hierosolymorum (8). Apostolicæ principem dignitatis Latina ecclesia in Sacramentario Leoniano (9) τῆς οἰκουμένης διδάσκαλον *Magistrum*, seu *Doctorem universi Orbis* Johannes Chrysostomus (10), a Deo omnium beatissimum pronunciatum Agatho Pontifex (11). Primum in agmine Apostolorum Arator (12), celsioremque Venantius Fortunatus (13), ipsum superantem Paulum Pelagius secundus Pontifex (14).

§. VIII.

1 *Ibid. pag.* 94.
2 *Ibid. pag.* 139. *not.* 1.
3 *Ibid. pag.* 148. *not.* 2.
4 *Ibid. pag.* 149. *not.* 5.
5 *Idem ibidem.*
6 *Ibidem.*
7 *Ibid. pag.* 455. *not.* 2.
8 *Ibid. pag.* 299. *not.* 3.
9 *Ibid. pag.* 455. *not.* 2.
10 *Hom.* LXXXVIII. *al.* 87. *in Joh. t.* VIII. *opp. n.* 1. *p.* 527.
11 *Ibid. pag.* 421. *not.* 4.
12 *Ibid. pag.* 419. *not.* 2.
13 *Ibid. not.* 4.
14 *Ibid. pag.* 420. *not.* 10.

§. VIII.

Et petra ecclesiæ: & ædificandæ ecclesiæ petra: & ædificationi ecclesiæ subjacens: & ædificationem ecclesiæ in seipsum recipiens: & στερεὰ πέτρα firma petra: & petra, quam non vincunt inferorum portæ: & petra solidissima, cui dominus sui nominis communionem indulsit.

Petram porro ecclesiæ Hilarius Pictaviensis (1), Gregorius Nazianzenus (2), Ambrosius (3), innumerabilesque alii. Ædificandæ autem ecclesiæ petram Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Firmilianus (4). Ædificationi ecclesiæ subjacentem (5) & ædificationem ecclesiæ in se ipsum recipientem Basilius (6): & στερεὰν πέτραν *firmam petram* Epiphanius (7): & petram, quam non vincunt superbæ inferorum portæ (8) Augustinus, ac Leo (9) Pontifex: & petram solidissimam (10) Origenes, aliique appellaverunt. Indultam vero Petro ab Christo fuisse sui nominis communionem, Maximus Taurinensium antistes scribit (11).

§. IX.

Et secundum fundamentum, ac magnum ecclesiæ: confessionisque fundamentum: fundans ecclesiam sua firmitate: ac super fundamento primus.

Jam vero secundum, seu posterius fundamentum Gregorius

1 Vide *pag.* 135. *hujus volum. not.* 1. Illustrari autem hæc, confirmarique etiam, atque etiam insigni Epiphanii loco possunt ex *Ancor. n.* IX. *pag.* 14. *tom.* II. *opp.* qui sic habet: ἴδει τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὴν πέτραν τὴν στερεάν, ἐφ' ἣν ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ᾠκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύουσιν αὐτῆς. πύλαι δὲ ᾅδου αἱ αἱρέσεις, καὶ οἱ αἱρεσιάρχαι. κατὰ πάντα γὰρ τρόπον ἐν αὐτῷ ἐστερεώθη ἡ πίστις, ἐν τῷ λαβόντι τὴν κλεῖν τῶν οὐρανῶν &c. „ Decebat enim primum Apostolorum, petram firmam, super quam ecclesia Dei „ ædificata est, & cui portæ inferi non prævalebunt &c. Portæ autem inferi hæreses, & hære- „ siarchæ. Omnibus enim modis in ipso firmata est fides, qui recepit clavem regni cælorum, „

2 *Ibid. pag.* 197. *not.* 5. 3 *Ibid. pag.* 154. *not.* 4.

4 *Ibid. pag.* 133. *not.* 1. & *pag.* 134. *not.* 1. 5 *Ibid. pag.* 136. *seq. not.* 2.

6 *Ibid. pag.* 136. *not.* 2. 7 *Ibid. pag.* 137. *not.* 2.

8 *Ibid. pag.* 139. *not.* 1. 9 *Ibid. pag.* 141. *not.* 2.

10 *Ibid. pag.* 140. *not.* 2. 11 *Ibid. pag.* 142. *not.* 4.

gorius Nazianzenus (1). Magnum autem fundamentum Origenes (2). Caput, & fundamentum, seu θεμέλιον Latini in libris Liturgicis (3), Patres synodi Ephesinæ (4), Ambrosius (5), & Pseudo-Clemens (6). Fundamenta ecclesiæ in se recipientem Gregorius Nazianzenus (7): & fundantem suapte firmitate ecclesiam Petrus Chrysologus (8) & primum super fundamento Paschasius Ratbertus (9) dixerunt.

§. X.

Et firmamentum ecclesiæ, atque Apostolus, in quo est ecclesiæ firmamentum, & firmamentum fidei, & columna fidei, & crepido ecclesiæ.

Sed firmamentum ecclesiæ ab Ambrosio (10), ut etiam Apostolum, in quo est ecclesiæ firmamentum (11): Firmamentum vero fidei a Chrysostomo (12): Columnam autem a Patribus Ephesinæ synodi (13): & crepidinem ecclesiæ ab iis fuisse appellatum liquet, qui ad Chalcedonense (14) Concilium convenerunt.

§. XI.

1 *Ibid. pag.* 156. *not.* 1. Atque huc sane pertinet Theophanis Ceramei Archiepiscopi Tauromeniæ in Sicilia locus, quem ex Codice Vaticano xxv. descripsit Arcudius, transtulitque in *pag.* 317. *tract. de Purg. Igne edit. Romæ an.* 1637. Πέτρος ὤν, πέτρα γενέσθη τῆς κατὰ λόγον πίστεως, ἢ τῆς ἐδραιουμένης ἐκκλησίας θεμέλιος, ἢ πρῶτη τῆς τοῦ πνεύματος οἰκοδομῆς ἀφορμή „ Tu cum sis Petrus, petra fis secundum rationem fidei, & fundandæ Ecclesiæ fundamentum, & prima spiritualis ædificii caussa.

2 *Ibid. pag.* 166. *not.* 2.

3 *Ibid. pag.* 154. *not.* 6. Vide *Sacramentar. Gallic. apud Mabillonium tom.* 1. *Mus. Ital. pag.* 343. *edit. Paris. an.* 1724. ubi hæc habentur: „ Beatum Petrum in fundamentum Ecclesiæ collocasti, cujus fide in omnium discipulorum tuorum gaudio confortasti „. *Et lect. in Cath. s. Petri*: „ Deus qui .... B. Petrum, post te, dedisti caput Ecclesiæ &c. „

4 *Ibid. pag.* 140. *not.* 2.

5 *Ibid. pag.* 142. *not.* 3.

6 *Ibid. pag.* 319. *not.* 1.

7 *Ibid. pag.* 197. *not.* 5.

8 *Ibid. pag.* 140. *not.* 4.

9 *Ibid. pag.* 276. *not.* 2.

10 *Ibid. pag.* 138. *not.* 1.

11 *Ibid. pag.* 294. *not.* 2.

12 *Ibid. pag.* 94.

13 *Ibid. pag.* 140. *not.* 2.

14 *Ibid. pag.* 142. *not.* 2.

§. XI.

Et summam rerum de pascendis ovibus obtinens : & peccatorum porta : & Beatus , resque maximas in fidem accipiens : & πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθέντης *primus in negotio auctoritatem habens : & etherea custos aulæ : & ecclesiæ retinens cacumen : & pater , doctor , atque magister totius mundi , a quo omnium fortitudo munitur .*

Summam autem illi, de pascendis ovibus, creditam fuisse curam , scribunt Chrysostomus (1) , & , qui Chrysostomo longe antiquior fuit, Origenes (2). Peccatorum vero portam appellat Ephræmius Syrus quarti seculi celebris imprimis auctor (3) . Res porro maximas in fidem accipientem Gregorius Nazianzenus (4) , & πρῶτον τοῦ πράγματος αὐθέντην *primum in negotio auctoritatem habentem* Chrysostomus (5) : & etheréæ custodem aulæ , retinentemque ecclesiæ cacumen Arator (6) : & patrem , atque doctorem totius mundi Stephanus Larissensium antistes (7) , magistrumque disciplinæ Ambrosius (8) . Estque Leo I. auctor , muniri a Petro omnium fortitudinem (9) .

 §. XII.

1 *Ibid. pag.* 320. *not.* 2. *In Melod. Canticis Græc. Eccles. cant.* IV. hæc habentur τῷ τριττῷ τῆς ἐρωτήσεως, τῷ Πέτρε φιλεῖς με , τὸ τριττὸν τῆς ἀρνήσεως ὁ Χριστὸς διωρθώσατο , διὸ καὶ πρὸς τὸν κρυφιογνώστην, ὁ Σίμων , σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε . ὅθεν πρὸς αὐτὸν , ὁ σωτὴρ , ποίμαινε τὰ πρόβατά μου , ποίμαινε τὴν ἐκλεγάδα μου , ποίμαινε τὰ ἀρνία μου , ἃ τῷ ἰδίῳ αἵματι περιεποιησάμην εἰς σωτηρίαν ,,, Terna interrogatione, scilicet: Petre amas me, ,, ternam negationem Christus correxit . Idcirco & Petrus ad abscondita cordis scrutan- ,, tem : *Domine* , inquit , *tu omnia nosti* , *tu scis* , *quia amo te* . *Unde ad eum Salva-* ,, *tor* , *pasce oves meas* , *pasce selectos meos* , *pasce agnos meos* , *quos proprio sanguine in* ,, *salutem acquisivi* .

2 *Ibid. pag.* 166. *not.* 2. Pastorem autem per totum orbem , quo munere summus sit, Petrum appellat Arator *ibid. pag.* 419. *not.* 2.

3 *Ibid. pag.* 149. *not.* 5.

4 *Ibid. pag.* 136. *not.* 2.

5 *Ibid. pag.* 201. *not.* 3.

6 *Ibid. pag* 419. *not.* 3.

7 *Ibid. pag.* 291. *not.* 9.

8 *Ibid. pag.* 138. *not.* 1.

9 *Ibid. pag.* 316. *not.* 2.

§. XII.

Et bono unitatis electus: & unitatis origo: & princeps clave: & recludens creditas æternitatis januas: κατ' ἐξουσίαν, potestate agens: & consequutus potestatis judiciariæ, & regni cælorum claves: & arbiter ligandorum, & solvendorum: & solus claves obtinens ceteris communicandas: & janitor cæli: & cælum, in terra positus, aperiens: & κλειδοῦχος claviger: & exactor judicis Christi: & custos cælorum: & in terreno judicio judex cæli.

Bono denique unitatis electum dicit Optatus (1). Unitatis originem Cyprianus (2). Principem clave Venantius Fortunatus (3): & recludentem creditas æternitatis januas Prudentius (4): & κατ' ἐξουσίαν *secundum potestatem*, seu, ut nonnulli interpretantur, *potestative* ligantem, atque solventem Sergius Episcopus Cypri (5): & regni cælorum, judiciariæque potestatis claves consequutum Tertullianus (6), Origenes (7), ac Beda (8): & arbitrum ligandorum, & solvendorum S. Leo Pontifex (9): & solum claves ceteris communicandas obtinentem Optatus (10): & janitorem cæli Hilarius (11), atque Leo (12): & cælum, etsi positus sit in terra, aperientem Ambrosius (13): & κλειδοῦχον τῶν οὐρανῶν *clavigerum cælorum* Cyrillus episcopus Hierosolymorum (14): & exactorem judicis Christi Basilius (15): & cu-

1 *Ibid. pag.* 461. *not.* 2. 2 *Ibid. pag.* 114. 3 *Ibid. pag.* 419. *not.* 4.
4 *Ibid. p.* 396. *not.* 4. s. Damasus *Carm.* XXXVII. *p.* 241. *ed. opp. s. Damas. Rom. an.* 1754.
" Non hæc humanis opibus, non arte magistra,
" Sed præstante Petro, cui tradita janua cæli est,
" Antistes Christi composuit Damasus.
" Una Petri Sedes, unum verumque lavacrum.
" Vincula nulla tenent, Achanthius votum solvit.
5 *Ibid. pag.* 421. *not.* 2. 6 *Ibid. pag.* 200.
7 *Ibidem.* 8 *Ibid. pag.* 272. *not.* 2. 9 *Ibid. pag.* 161. *not.* 1.
10 *Ibid. pag.* 139.
11 *Ibid. pag.* 135. *seq.*
12 S. Leo *ibid. pag.* 141. *not.* 1.
13 *Ibid. pag.* 138. *not.* 1.
14 *Ibid. pag.* 137.
15 *Ibid. pag.* 136.

& custodem cælorum Ephræmius Syrus (1): & in terreno judicio cæli judicem Hilarius ipse Pictaviensis (2). Scio multas appellationes usurpari a Patribus consuesse, ut, quæ Petri potestas, auctoritas, dignitas esset, quamque summus Apostolus ceteris præstantior haberetur, ostenderent. Sed omnes colligere, atque in hunc locum transferre longum est. Hoc autem breve dico, nullum fuisse in numero Christi auditorum, qui tam multis, tamque magnis laudibus celebratus a majoribus nostris fuerit. Quæ res singulari esse argumento debet, ut, omnium veterum Christianorum consensione, principatu in ecclesia summo fuisse potitum Petrum constituamus.

C A P. I V.

Petrum Romam venisse, in eaque Urbe martyrio fuisse perfunctum, veterum Christianorum auctoritate constat.

ETsi nonnihil me de Petri in Urbem adventu dixisse memini in altero Antiquitatum Christianarum libro (3), tamen, ut ordine agerem, ostenderemque, quemadmodum in Pontifices Romanos auctoritas tanta manaverit; iis explicatis, constitutisque rebus, quæ ad ejus præcipuam post Christum in Ecclesia dignitatem, potestatemque confirmandam spectarent, revertendum ad eam quæstionis partem judicavi, qua plene, cumulateque perfecta, munirem mihi ad episcopatum summi Apostoli Romanum statuendum viam, efficeremque, successionis jure, eo principatus honore in republica populi Christiani, iisque privilegiis Romanum Antistitem gaudere, quibus auctum fuisse a Christo Petrum multis & sacrorum Bibliorum locis, & testimoniis majorum demonstratum est. Quod ut recte, distributeque fiat, numerandi principio sunt, qui Petrum iter suscepisse Romanum

1 *Ibid. pag.* 149. *not.* 5.
2 *Ibid. pag* 156.
3 *Tom.* 1. *hujus operis pag.* 316. *seqq.*

manum negant, tum ii, qui affirmant, commemorandi; ut cognitis auctoribus, utri acumine, doctrina, veri a falso distinguendi facultate, animo a studio partium vacuo, ac libero, vetustateque præstiterint, intelligatur; propositisque argumentis certa illa, quæ diuturnitate temporis confirmata est, atque una cum seculis, hominumque ætatibus inveteravit, constabiliatur, maneatque sententia.

§. I.

Quinam Petrum Romam venisse, aut Romæ decessisse negaverint.

Itaque primum omnium, uti mihi quidem videtur, qui Petri Romanum iter negaverit, Marsilium Patavinum (1) fuisse certum est: qui cum magnas cum Pontifice inimicitias exercuisset, ad Ludovicum Bavarum Imperatorem Johanni XXII. infestum transfugit. Huic (qui in pernicioso, quem de Jurisdictione Imperiali, & Pontificia ad Ludovicum Imperatorem dederat, defensoremque pacis (2) inscripserat, libro, Paulum, non Petrum, episcopum videri Romanorum dixit, propterea quod Lucas Pauli adventus in Urbem meminerit, Petri non item) assensum Johannem de Janduno fuisse ferunt. Sequuti deinceps sunt ii, qui cum male in Romanam Ecclesiam animati essent, eversumque Pontificis Maximi summum in Christiana republica principatum vellent, quod cuperent, facile sese consequuturos existimarunt, si quam Mar-

1 De Marsilio vide quæ scripsi *p.343.sq.hujus vol.* Hunc, quem hæreseos fuisse a Pontifice damnatum ostendimus *ibid.p.* 344. Rusconius in *Triumph. Catholicæ veritatis p.* 124.*edit. Ven. an.*1619. eumdem atque Marsilium Carrariensem esse defendit, qui principatu Patavii post Ubertinum potitus est. Quod esse falsum, atque absurdum constat. Johannes autem Pozzolus *Rational. Roman Pontif. lib.*1. *part.* IV. *in Proleg. ad c.* 1. *edit. an.*1716. *p.* 83. & Thomas Ittigius *Hist. Eccl. sec.* 1. *c.* IV. *n.*3.*p.*217.*edit. an.*1709. Marsilium Ficinum appellant. Sed Patavinum multo ante Ficinum vixisse liquet. Marsilius autem Patavinus idem atque Marsilius de Menandrino fuit, qui *lib. defensorem pacis* inscriptum edidit. Extat id opus apud Goldastum *t.* II. *Monarch. Imperii p.*155.*seqq. edit. Francof.an.*1614. De Marsilio confer Joh. Villanium *lib.* IX. *Hist. cap.* CCLXV. *pag.*490. *edit.Flor. an.*1587. & Fogginium *de Rom. D. Petri Itin. & Apost. Exercit* 1.*pag.* 3.*seq.*

2 *Defensor pacis p.*II. *cap.*XVI. *pag* 245. *apud Goldastum ibid. tom.*II. *edit. an.* 1614. De Janduno vide quæ scripsi *p.*143.*seq. hujus vol.*

Marsilius inierat, eamdem terere perrexissent viam. In his Johannes Aventinus, qui Annales edidit Bojorum (1), Udalricus Velenus (2) homo de secta Lutheranorum, Johannes Calvinus (3), Johannes Funccjus (4), Johannes Baleus (5), Magdeburgenses (6), Johannes Henricus Ottius (7), Matthias Flacius Illyricus (8), Claudius Salmasius (9), Fridericus Spanhemius (10), Joachimus Langius (11), Franciscus Turretinus Pseudo-Ecclesiæ Genevensis (12) ψευδοδιδάσκαλος ab auctore sectæ Calvino non dissentiens, Auctor opusculi anglice de Petri itinere, atque episcopatu Romano, editi 1687. Londini (13), alterque Auctor item anonymus, qui a Petro ad Benedictum XIII. Pontificem Antistitum Romanorum Historiam (14) publicavit, aliique haud pauci e numero Protestantium. Johannes autem Harduinus is, qui vetera monumenta fere omnia, quasi a novis inventa, fraudeque antiquis scriptoribus attributa essent, rejecit, non modo mortuum fuisse in Urbe Petrum inficiatus est, verum etiam ita est de summi Apostoli itineribus loquutus, ut mansisse eum perpetuo apud Palæstinos statuisse videretur.

§. II.

1 In Annal. l. III. p. 131. *seq. edit. Francford. an.* 1554. de Romano Petri itinere falso, atque inepte scribit. Vide Baron. *ad an.* DCCLXXII. *n.* XXII. & Fogginium *ibid. p.* 6.

2 Veleni hac de re opus extat apud Goldastum Monarch. t. III. *p.* 1. *sq. edit. an.* 1617.

3 *Lib.* IV. *Institut. c.* VI. §. XV. *p.* 297. *sq. tom.* IX. *opp. edit. Amstelod. an.* 1667. dubitare ostendit se, num Petrus Romam venerit. In comment. autem ad epistolam Petri omnino negat. *In c.* V. *p.* 33. *sq. t.* VII. *edit. ejusd.* Confer Balduinum *in præf. ad Optat. Milevit. opera edit. ann.* 1676. & Christianum Lupum in scholiis ad Tertulliani *lib. de Præscription. p.* 571. *In cap.* XXXVI. *edit. Bruxell. an.* 1675.

4 *In Chronico lib.* V. *n.* 44. *edit. an.* 1601.

5 *In Act. Rom. Pontif. p.* 19. *edit. Lugd. Batavor. an.* 1615.

6 *In Histor. Ecclesiast. centur.* 1. *lib.* II. *cap.* X. *p.* 562. *edit. an.* 1560.

7 *Exam. Perpet. Theologic. in Annal. Baron. p.* 393. & 451. *seqq. edit. an.* 1670.

8 *De Primatu Papæ*, ut est apud Fogginium *ibid.*

9 Claudius Salmasius *in Apparatu ad libros de Primatu Papæ p.* 13. 14. 15. *seq. edit. Lugd. Batav. an.* 1645.

10 *Dissertatione de temere credita Petri in urbem Romam profectione, quæ est prima in Dissertationum historici argumenti quaternione p.* 3. *seqq. edit. Lugd. Batav. an.* 1679.

11 *Histor. Eccl. edit. Halæ Magdeburg. an.* 1722. Vide Fogginium *ibid.*

12 *Instit. Theologicar. loco* XVIII. *quæst.* XVIII. *p.* 188. *seqq. edit. Trajecti ad Rhenum ann.* 1701.

13 Probabilius ibi esse scribit, Petrum numquam venisse Romam. Confer Fogginium *loco ind. p.* 6.

14 *Tom.* 1. *edit. Hagæ Comitum an.* 1732. Accedit Georgius Hornius *Hist. Eccl. part.* 1. *art.* 1. *n.* XVI. *pag.* 120. *seq. edit. an.* 1687.

§. II.

Quinam venisse Petrum Romam, ibique mortuum fuisse crediderint.

Contra sunt qui Petrum ipsum sui adventus Romam testem vocent. Nam Babylonem (1), qua ex Urbe suam se priorem scripsisse epistolam testatur, ipsam esse Romam defendunt. Romam enim in Apocalypsi (2) ab Johanne appellari Babylonis nomine. Atque si non Papiam, at alios tamen veteres, qui ita sint interpretati (3) locum illum postremi capitis epistolæ prioris Petri, commemorant (4). His autem & magni nominis viris, & antiquis, quorum aliqui proxime attigerint ætatem Apostolorum, fidem haberi par esse. Prudentem enim, ac sanum, qui hos negligat, ut novis quibusdam, iisque aut Sedis Apostolicæ inimicis, aut absurdo ingenio præditis assentiatur, reperiri posse omnino neminem.

Clemens deinde is, qui Petri auditor fuit, in epistola, quam ad Corinthios, post sedatam tempestatem, quæ commota ab Domitiano in Christianos fuerat, perscripsit; cum res ab hominibus martyrio, non multo ante, Romæ perfunctis gestas persequeretur, Petri, ac Pauli (5) mentionem fecit, ut, quibus institutoribus ecclesia tanta gloriaretur, ostenderet.

Hunc porro sequutus Ignatius vir sane celebris, discipulusque Apostolorum, in epistola, quæ est ad Romanos, non tanta se auctoritate, neque tanta virtute præstare, dixit, ut eos, quemadmodum Petrus, ac Paulus, docere auderet (6). Qua ex re intelligitur, ut Paulum, ita

Ignatio

1 *Epist. 1. cap. ult. v. 13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.*

2 *Apocalypseos cap. XVII. v. 5. seqq.*

3 Apud Eusebium *lib. II. Historia cap. XV. edit. Taurin. p. 59.*

4 Confer Hieronymum *Catal. viror. illustr. tom. IV. opp. cap. 1. p. 102. edit. Martianæi.* Sed de hac re alias.

5 *Epist. ad Corinth. n. V. p. 12. tom. 1. Collect. epistolar. Romanor. Pontificum edit. Constantii.*

6 *Epist. ad Rom. n. IV. p. 205. edit. Londin. tom. 1. Apostolic. PP. an. 1746.*

Ignatio teste , Petrum advenisse Romam , cives docuisse, ecclesiamque constituisse .

Neque minus est illustris Papiæ episcopi Hierapoleos de Petri in Urbem adventu locus (1) . Hunc autem , qui ab Johanne Presbytero synchrono Apostolorum institutus fuerit , etsi ob tarditatem ingenii dogmata quædam assequutus non sit , res tamen quæ facile intelligi , perspicique (ut est iter Petri Romanum) possent , ignoravisse , ac secus atque contigerant , memoriæ tradidisse , quis credat ?

Accedit auctoritas Dionysii Antistitis Corinthiorum , qui Romanos a Petro accepisse disciplinam , Petrumque Romæ (2) obiisse testatus est . Vixit autem seculo Christiani nominis secundo . Quo quidem seculo Irenæus (3) de Petri & mora , & martyrio in Urbe , quæ a majoribus acceperat , litterarum mandavit monumentis .

His assentiuntur Clemens Alexandrinus vir incredibili eruditione (4) , Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter (5) , Tertullianus (6) , Auctor Carminum contra Marcionem (7) , qui certe scriptores partim secundo Ecclesiæ seculo , partim ineunte tertio ; Origenes (8) Cyprianus Carthaginiensis Episcopus (9) , Firmilianus Cæsariensis (10) , qui ter-

1 Apud Eusebium *lib. eodem* 11. *cap.* xv. *p.* 59.

2 Apud Eusebium *lib.* 11. *cap.* xxv. *p.* 76. „ Ambo illi , *inquit* , In urbem nostram Co-„ rinthum ingressi , sparso evangelicæ doctrinæ semine nos instituerunt , & In Italiam simi-„ liter profecti , cum vos (Romanos) perinde instituissent , eodem tempore ἐμαρτύρησαν *martyrio* functi sunt .

3 Vide Irenæi locum *pag.* 387. *hujus vol. not.* 3.

4 Clemens Alexandrinus *in* iv. *Institutionum* seu ὑποτυπώσεων *libro* apud Eusebium *lib.* 11. *cap.* xv. *pag.* 36. *edit. Taurin.* Vide *pag.* 394. *hujus vol. not.* 1.

5 Cajus Eccl. Rom. Presbyt. in eo libro , quem *adversus Proclum Cataphrygam* scripsit apud Eusebium *l.* 11. *Hist. Eccl. c.* xxv. *p.* 76. *edit. ejusd.* Vide *p.* 393. *n.* 1. *hujus vol.*

6 Confer *pag.* 391. *hujus vol. n.* 1.

7 Vide *pag.* 386. *hujus vol. n.* 1.

8 Apud Eusebium *lib.* vi. *Histor. Eccl. cap.* xxv. *pag.* 251. *edit. Taur.* quo loco Clementis Alexandrini narrationem de Marco Instituto Romæ a Petro probat . Idem sic scribit *apud Eusebium lib.* 111. *cap.* 1. *pag.* 79. „ Petrus per Pontum, Galatiam , Bithyniam, Cap-„ padociam , atque Asiam Judæis , qui in dispersione erant , prædicasse existimatur : qui ἐν „ ῥώμῃ γενόμενος *Romam veniens* ad extremum cruci suffixus est capite deorsum demisso.

9 Vide *pag.* 394. *hujus vol. not.* 1.

10 *Epistola inter Cyprianicas* Lxxv. *p.* 220. *edit. Oxon.* Adversus Stephanum disputans (qui doctos fuisse Romanos ab Apostolis Petro, ac Paulo , ne baptizatos ab hæreticis rursum baptizare auderent , ajebat) docuisse Petrum , ac Paulum Romæ non negat ; at illud, quod Stephanus de hæreticis dixerat , docuisse, errans negat .

tertio; Arnobius, Lactantius (1), Athanasius (2), Eusebius (3), Julius Pontifex (4), Synodi Sardicensis Patres (5), Damasus Pontifex (6), Gregorius Nazianzenus (7), Ambrosius (8), qui quarto: Hieronymus (9), Chrysostomus (10), Augustinus (11), Orosius (12), Optatus Milevitanus (13), Theodoritus (14), Epiphanius (15), Paulinus (16), Petrus

1 Lactantius *lib. de vera Sapientia cap.* xxi. *pag.* 332. *edit. Paris. opp. ann.* 1748. „ Petrus, & Paulus Romæ prædicaverunt. Eadem fere scribit Lucius Cæcilius auctor illius *lib.* qui *de mortibus persecutorum* inscribitur *c.* 11. *p.* 184. *t.* 11. *opp. Lactantii*: Cumque „ Nero imperaret, *inquit*, Petrus Romam advenit, & editis quibusdam miraculis, quæ „ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad justitiam, „ Deoque templum fidele, ac stabile collocavit „. Arnob. *loc.* vide *p.* 412. *hujus vol.*

2 Vide Petri Episcopi Alex. & Martyris *loc. pag.* 413. *hujus vol. not.* 1. & Athanasii *Apolog. de Fuga sua edit. Paris. an.* 1698. *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 331.

3 Vide Eusebii testimonia *pag.* 394. *seq. hujus vol. n.* 1.

4 Julius Pontifex sequutus Stephanum ceterosque episcopos Romanos, qui ipsi præcesserunt, Petrum Romanos docuisse ostendit. Vide locum indicatum *p.* 136. *hujus vol. not.* 1.

5 *Canon* III. *Synodi Sardic. tom.* 1. *Concilior. edit. Hard. pag.* 641. Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, καὶ γράφεσθαι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων κ. τ. λ. *Petri Apostoli memoriam honoremus, & scribatur ab his, qui causam judicarunt Julio Episcopo Romæ, vel etiam ab aliis* (Episcopis) *qui in provincia proxima morantur &c.* Cum autem Canonibus synodi subscribendo assensi fuerint Episcopi Itali, Galli, Hispani, Thraces, Macedones, Achivi, Daci, Asiani, Thessali, Dardani, Pannonii, Palæstini, Arabes; hanc eam fuisse sententiam, *traditionemque* propagatam credendum est. Cur vero hæc dixissent de Petro tot Præsules Ecclesiarum, nisi Petri Romanum credidissent iter?

6 Damasus Pontifex Liberium sequutus, qui apud Athanasium *Histor. Arianor. ad Monachos n.* 37. *tom.* 1. *opp. edit. Montfaucon. an.* 1698. & apud Coustantium *tom.* 1. *Collect. epistol. Rom. Pontif. pag.* 431. Traditiones Romanam ecclesiam a Petro accepisse scribit, Damasus inquam, ut *pag.* 92. *hujus vol.* demonstratum est, Petrum Romæ sedisse affirmat. De Catalogo Pontificum Liberiano & dictum alio loco est, & dicetur, cum tempus monuerit capite mox. seq. opportune.

7 Jamb. 1. *de Præsidio Adv. Invidos pag.* 188. *tom.* 11. *edit. Colon. an.* 1690.

Ῥώμῃ δὲ Παῦλος, καὶ Πέτρος νικηφόροι

Romæ autem Paulus, ac Petrus ferentes victoriam.

8 *Lib.* 1. *de Interpellatione Job cap.* 1. *pag.* 760. *tom.* 1. *opp. edit. Veneta ann.* 1748. *& sermone contra Auxentium de Basilicis tradendis class.* 1. *epistolar. epist.* xxi. *p.* 918. *tom.* III. *edit. ejusd.* Consentit Cyrillus Hierosolymitanus. Confer *pag.* 395. *hujus volum. not.* 1.

9 *Lib. de viris illustr. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *opp. edit. Martianai.*

10 Chrysostomus *homil.* xxxii. *in epist. ad Roman. n.* 1. *pag.* 757. *tom.* IX. *opp. edit. Paris. Montfauc.*

11 *Serm.* ccxcvii. *In Natal. Apostolor. Petri, & Pauli al. de divers.* cvii. *pag.* 840. *&* 842. *& alibi sæpe.*

12 *Lib.* vii. *Histor. cap.* vi. *pag.* 466. *edit. Haverc. an.* 1738.

13 Vide Optati locum *p.* 347. *seq. hujus vol. not.* 2. *seqq.* & Prudentii *p.* 396. *not.* 4.

14 Theodoriti locum indicavi *pag.* 397. *not.* 2. *hujus vol.*

15 De Epiphanio vide quæ scripsi *pag.* 395. *hujus vol. not.* 2.

16 Paulini locum descripsi *pag.* 397. *hujus volum. not.* 1.

trus Chryſologus(1),qui extremo quarto,quintoque ineunte, innumerabileſque alii, qui ſequentibus ſeculis ſuis operibus Eccleſiam illuſtraverunt: quorum ſane multorum locos de Petri in Urbem adventu (2) indicavi, cum de Petri ejuſdem ſummo in Chriſtiana republica principatu diſſererem. Quum autem omnes non modo ſexti, ſeptimi, octavi, atque inſequentium, ſed quinque etiam priorum eccleſiæ ſeculorum Patres, cœtuſque omnes, qui Chriſtiano nomine gloriantur, & Latinorum, & Græcorum, & Barbarorum, ſive doctrinæ ſocietate conjuncti nobiſcum, ſive a ſacris, inſtitutiſque noſtris abhorrentes (3), odioque in Romanos incenſi ſint, facile Romanum iter Petri confiteantur; nemoque umquam aut prima ætate, aut poſterioribus temporibus ad quartum ac decimum ſeculum inventus fuerit qui negandum arbitraretur; cumque ii, qui poſt decimum, ac quartum ſeculum illud ipſum in controverſiam revocaverunt, non veritatis amore permoti, ſed malevolentia in Sedem Apoſtolicam incitati ad ſcribendum fuerint, inque reprehenſionem proinde inciderint ſociorum ſuperſtitionis, & erroris ſui; quis tam erit audax, atque impudens, qui ſumma & veterum, & novorum ſcriptorum, univerſarumque eccleſiarum conſenſione contemta, novis quibuſdam, iiſque & paucis, & inimicis Pontificum Romanorum auctoritatem adjungendam putet? Quæ vero ars critica feret, ut in Hiſtoria non teſtibus aut æqualibus, aut fere æqualibus tempo-

1 Vide epiſtolam Petri *Chryſologi inter epiſt. s. Leon. tom. II. opp. pag.* 112. *edit. Rom. Cacciari*.

2 Confer *pag.* 133. *ſeqq* & 397. *ſeqq. hujus vol.*

3 Vic *Renaudot. Perp. de la Foy &c. l. x. c.* 1 v. *p.* 784. *ed. Pariſ. an.* 1711. In Synaxario Copititarum ad d. v 11. Meſre, qui dies Kalendis reſpondet Auguſti menſis, hæc leguntur: „Eadem „ die item feſtum celebramus Beati Apoſtoli Petri, quia ea die in medio diſcipulorum confeſ- „ ſus eſt, quod Chriſtus ſit filius Dei vivi, quando eductis extra Cæſaream Philippi, uti „ refert ſanctum Evangelium, interrogavit, quid de ipſo dicerent... Beatum eum prædi- „ cavit Dominus, eique tradidit claves regni cælorum, poteſtatemque abſolvendi, & li- „ gandi. Ex hoc die Petrus factus eſt princeps ſuper diſcipulos, ejuſque ſucceſſori Romæ „ datus eſt principatus ſuper omnes principes univerſi „. Ebedjeſu *in collect. Canonum* (ut ad me Aloyſius Aſemanus amicus meus ante aliquot menſes ſcripſit) *cap.* 1. quo loco de „ Patriarcharum numero quæſtionem inſtituit, habet hoc modo: „ Magnæ Romæ conceſſus „ fuit, propter duas columnas in ea poſitas, Petrum dico principem Apoſtolorum, & Pau- „ lum „. Confer *Ecchelenſ. Eutych. Vindic. P.* II. c. XXIV. *p.* 243. *ſqq. edit. Rom. an.* 1661.

rum illorum, non hiſtoricis, qui non multo poſt iter a Principe Apoſtolorum ſuſceptum ſcripſerunt, non viris qui nullo ſtudio partium ducerentur; non omnium eccleſiarum incredibili conſenſu, temporiſque diuturnitate firmatæ ſententiæ; ſed inanibus conjecturis, quæ fere uno ſilentio veterum quorundam nitantur, ſed novis aliquot ſicophantis, ſed invidis nonnullis, impotentique ingenio præditis hoſtibus Apoſtolicæ Sedis aſſentiatur? Atque novos hæreticos, qui (1) plus

1 In his ſunt Ioſephus Scaliger *In Chronicon Euſebii p.* 197. *edit. an.* 1658. Sethus Calviſ. In *Nerone p.* 451. *Chronolog. edit. Francof. an.* 1650. Daniel Chamierus *Panſtrat. t.* II. *lib.* XI. *c.* XIX. *p.* 444. *ſq. edit. an.* 1626. Balthasar Bebelius *antiq. Eccl. p.* 21. *edit. an.* 1669. Blondellus *de Primatu Papæ ſect.* 1. *p.* 14. *ſeqq.* Hammondus *Diſſertat.* v. *de Epiſcopis &c. cap.* 1. *pag.* 254. *ſeq. edit. ann.* 1651. Peartonus *oper. Poſthum. pag.* 27. 32. 43. *edition. ann.* 1688. Patricius Iunius *in not. ad epiſt. s. Clementis ad Corinthios apud Labbeum tom.* 1. *Concilior. edit. Veneta pag.* 172. Ioannes Pappus *epit. Hiſt. Eccleſ. edit. Francof. an.* 1661. *pag.* 22. *ſeq.* M. Henricus Kippingus *in not. ad Pappi Epitomen.* Thomas Ittigius *Hiſt. Ecc. ſec.* 1. *cap.* IV. *pag.* 216. *ſeq. edit. Lipſ. an.* 1709. Johannes Clericus *Hiſtor. Eccl. duor. primor. ſeculor. ad an.* LXVIII. *pag.* 447. *edit. an.* 1716. Samuel Baſnagius *Annal. Polit. & Eccl. ad an.* LXIV. *n.* IX. *ſeqq. edit. an.* 1706. Guillelmus Caveus *Hiſt. Eccl. Litter. part.* 1. *pag.* 4. *& part.* II. *pag.* 2. *ſeq. edit. an.* 1699. Hugo Grotius *In* 1. *Petri c.* V. *v.* 13. *p.* 1112. *opp. Theologic. t.* II. *vol.* II. *edit. an.* 1679. Uſſerius ad an. Chriſti LXVII. *ſeqq. pag.* 692. *edit. an.* 1654. Iſaacus Newtonus *cap.* 1. *obſervat. in Apocalypſ. edit. Amſtelod. ann.* 1737. Quique epiſtulas *ad Roman. s. Ignatii* adnotationibus illuſtrare conati ſunt. Iohannes Henichius *Hiſtor. Eccl. & civil. part.* 1. *ſeculo* 1. *c.* V. *p.* 167. *ſeq. edit. Rinthelienſis an.* 1669. Iohannes Albertus Fabricius *Bibl. Græca lib.* IV. *cap.* V. *p.* 164. *tom.* III. *edit. Hamburg. an.* 1717. Ioh. Laurentius Moshemius *de rebus Chriſtianor. ante Conſtantinum Magnum ſec.* 1. §. XXXIV. Chriſtianus Matthæus Pfaffius *Inſtit. Hiſt. Eccl. ſec.* 1. *cap.* V. §. III. *pag.* 22. *edit. Tubing. an.* 1721. Samuel Mareſius *In Concord. Diſcord. lib.* II. *cap.* III. *pag.* 89. *edit. Amſtelod. an.* 1642. Johann. Ernestus Grabius *annot. in cap.* 1. *lib.* III. *s. Irenæi t.* II. *opp. edit. Ven. an.* 1734. aliique prope innumerabiles. De Luthero nil ſtatuo. Nam *in reſolut. De Poteſt. Papæ p.* 306. *Lucubrat. P.* 1. *edit. Baſil. an.* 1520. etſi Petrum epiſcopum fuiſſe Romanum negat, Romam tamen veniſſe non negat. Verum Jodocus Coccius *lib.* VII. *Theſauri Catholici Art.* V. *p.* 814. *edit. Colon. an.* 1619. *tom.* 1. „ Martinus Lutherus, inquit, in colloquiis ad menſam habitis: *cap. de Antichriſto* ait: omnes hiſtoriæ teſtantur Petrum primum Romæ fuiſſe epiſcopum; ſed meræ ſunt fabulæ „. Mihi vero hæc colloquia videre non licuit. Non enim reperi. Magdeburgenſes *Centur.* 1. *lib.* II. *capit.* X. *pagin.* 561. *edit. Baſil. an.* 1560. Non ſatis demonſtrari poſſe arbitrantur, fuerit ne; annon fuerit Romæ Petrus. Si quid tamen aſſequi legendo potui, in eam propenſiores eſſe videntur ſententiam, quæ negat veniſſe. Hoc idem Tilenus In *Diſp. Robert. Bellarm. lib.* II. *De Rom. Pontif. cap.* II. *p.* 167. *t.* III. *edit. an.* 1619. & Lambertus Danæus *in* III. *Controv. Bellar. ad cap.* III. *p.* 285. *edit. Genev. an.* 1596. & Johannes Henricus Heideggerus *Hiſtor. Papatus pag.* 3. *edit. ann.* 1684. Catholicorum autem, qui in hoc genere argumenti verſati fuerint, Proteſtanteſque illos, qui contra pugnarunt, accurate refellerint, maximum eſſe numerum video. Adeundi autem, præter Baronium, Bellarminum, Natalem Alexandrum, & Fugginium, quos *p.* 317. *vol.* 1. *hujus oper. not.* 4. commemoravi, Emanuel Schelestratius *t.* II. *Antiquit. Eccleſiaſt. p.* 148. *ſeq. edit. Rom. an.* 1697. Tillemontius *tom.* 1. *Monum. Hiſt. Eccleſiaſt. Art.* XXVIII. *p.* 70. *edit. Bruxell. an.* 1732. Feraſdentius

plus ceteris eruditione, doctrinæ laude, criticæque facultatis peritia excelluerint, Romanum concessisse Apostolorum Principis iter; tam certum, tamque exploratum est, ut qui dubitet, haud sciam, cur non idem sit ne sol, an nullus sit, dubitandum putet.

At enim adversarii multis se tam inveteratam, tamque late patentem repellere sententiam putant posse. Principio namque ostendi sibi sacrorum Bibliorum auctoritate, non testimoniis veterum Christianorum volunt, Babylonis nomine, cujus est a Petro in priore epistola facta mentio, non Babylonem, sed Romam intelligi oportere. Secundo loco, nihil se eorum dictis moveri, dicunt, qui a Papia viro imprimis inepto, rerumque Christianarum imperito acceperint, quæ de itinere Petri Romano tradiderunt. Accepisse autem a Papia veteres illos, quorum meminimus, veri esse maxime simile. Tertio, id se iter in rebus veris numeraturos vehementer negant, de quo Claudii ne, an Neronis ætate contigerit, magna veterum, novorumque historicorum dissensione certetur. Ejusmodi autem iter Apostoli Romanum esse. Quod enim Eusebius in annum Claudii secundum, id alios in Neronis tempora conjiciendum putare. Sanum autem hominem, atque prudentem, qui cum statuat rem aliquam evenisse; tum indicare annum, quo contigerit, nequeat inveniri posse omnino nullum. Quarto, incredibile esse, si Petrus Romam venisset, id Lucam, ac Paulum, qui in Urbe aliquandiu constitissent, fuisse prætermissuros. Lucam autem in Actis Apostolorum, Paulum vero in iis, quas Romæ scripsit, epistolis nullam umquam commemorationem fecisse aut laborum Romæ susceptorum, aut adventus in Urbem Petri.

Sed qui sic disputant, non animadvertunt, fore, ut (si ea Apostolorum temporibus contigisse negent, quæ aut ab Lu-

tius *in not. in Iren. lib.* III. *c.* I. *p.* 267. *t.* II. *opp. Irenæi edit. Veneta an.* 1736. Jodocus Coccius *Thesaur. Cathol. lib.* VII. *Art.* V. *p.* 814. *seqq. edit. Colon. an.* 1619. *tom.* I. Franciscus Blanchinius *in not. ad Anast. Biblioth. t.* II. *pag.* 7. *seq edit. Rom. Salvioni an.* 1723. ut ceteros prætermittam, quorum certe aliquorum sunt a Roccabertio in Pontificiam Bibliothecam translata opera.

Luca, aut a Paulo, aut ab Johanne prætermiſſa ſint) res imprimis certas, atque teſtatas repellere cogantur. Quis enim Chriſtianos una cum Judæis, quibuſcum de religione contendebant, Roma a Claudio Auguſto pulſos, ſævitumque anno LXIV. in noſtros ab Nerone fuiſſe, negaverit? At hujuſmodi rerum nullum umquam ſcriptorum ſacrorum meminiſſe conſtat. Quod ſi Suetonio (1), atque Tacito (2), qui hæc litterarum mandarunt monumentis, credunt, quid eſt quod Clementi auditori Petri, quod Ignatio diſcipulo Apoſtolorum, quod Irenæo, qui a Polycarpo accepit diſciplinam; quod Papiæ Johannis æqualis fidem habendam inficientur, Petrum & veniſſe Romam, & ibi deceſſiſſe ſcribentibus? An Ethnicis, quos rerum fuiſſe Chriſtianarum ignaros liquet, plus eſt adjungendum auctoritatis, quam Chriſtianis, quorum etſi minus acutis ingeniis fuiſſe aliquos facile concedam, quæ geſta tamen a noſtris fuiſſent, aut ignoraſſe, aut mendaciis involvere voluiſſe, numquam concedam? Traditum autem ab Euſebio in Hiſtoria eſt, ſi minus Papiam, atque Clementem Alexandrinum, at veteres ſaltem Chriſtianos a Petro Romam fuiſſe indicatam Babylonis (3) nomine. Quæ vero cauſſa eſt, cur ſilentio Scriptorum ſacrorum, non Suetonii, neque Taciti, ſed horum ſit Chriſtianorum omnis contemnenda narratio? Equidem dum mecum hæc cogito, in eam facile ſententiam inducor, ut arbitrer, partium illos ſtudio metiri omnia, non veritatis, qui niſi quod

1 Suetonius in Claudio *cap.* XXV. *pag.* 198. *edit. Lugd. an.* 1669. „ Judæos impulſore „ Chreſto aſſidue tumultuantes Roma expulit „.

2 *Lib.* XV. *Annal. pag.* 528. *ad an.* DCCCXVII. *C. Lecanio*, & *M. Licinio Coſſ. edit. Antuerp. ann.* 1574.

3 Nam etſi a Papia fuiſſe hæc de Petro dicta Rufinus interpretetur, tamen negat Valeſius. Euſebii autem hæc eſt ſententia *lib.* II. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* XV. *edit. Taur. pag.* 59. „ Refertur id (*de probato a Petro evangelio Marci*) a Clemente in ſexto Inſtitutionum „ libro, cui teſtis etiam accedit Papias Hierapolitanus Epiſcopus. Τοῦ δὲ μάρκου μνημονεύειν τὸν Πέτρον ἐν τῇ προτέρᾳ ἐπιστολῇ, ἣν καὶ συντάξαι ἐπ' αὐτῆς ῥώμης σημαίνειν τε τοῦτ' αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον βαβυλῶνα διὰ τούτων προσειπόντα. ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ, καὶ μάρκος ὁ υἱός μου. *Marci autem meminiſſe Petrum in priore epiſtola, quam, ajunt, compoſitam ab eo in ipſa Roma. Id (Petrum) ipſum ſignificare Urbem appellantem tropice Babylonem. Salutat vos, quæ in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.* Quinam vero hi ſunt, qui φασὶν, *ajunt*, niſi forte ii, quorum ἀμέσως ante meminerat, nempe Clemens, atque Papias? Sed fac non fuerint, at veteres ſaltem aliquot fuerint, neceſſe eſt.

quod placeat, nihil verum putant. Quod si adversarii rerum, temporisque, quibus Petrus scripsit, rationem habendam existimassent, facile quidem certe intellexissent, Babylonis vocabulo, præter Romam, urbem tunc nullam indicari ab Apostolo aliam potuisse. Ac Romam quidem Babylonem ab Johanne fuisse in Apocalypsi appellatam, ostensum paullo ante est. Quare nil impedit, quo minus Babylon a Petro etiam vocari Roma potuerit. At potuisse ne adversarii quidem negant. Recte sane. Igitur si vocatam negant, quæro, quæ illa sit Babylon, cujus est ab Coryphæo Apostolorum facta mentio? Nam Babylonas ab antiquis Geographis nominari video omnino duas. Harum altera in Chaldæa, altera in Ægypto erat. Neutram autem harum Petrus nominat. Nam quod Ludovicus Cappellus (1) Hierosolymorum urbem Babylonem, Millius (2) contra mulierem nescio quam συνεκλεκτὴν fuisse a Petro appellatam statuunt, inane atque absurdum est (3). Atque Ægyptia (4) quidem Babylon exiguum ea ætate oppidum erat, vix proximarum regionum: dissitarum (5) autem, ut Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, Asiæ incolis, ad quos prior est a Petro scripta epistola, ne vix quidem notum; in eo ullus

1 *Histor. Apostolic. ut est tom.* VIII. *Critic. sacror. pag.* 515. *edit. Amstelod.*

2 *In epist.* 1. *Petri cap.* V. *v.* 15. Fuisse præterea aliquos certum est, eosque jam ex Oriente scriptores, qui Rhodem in actis Apostolicis nominatam a Petro, cujus illa aut uxor, aut filia esset συνεκλεκτὴν appellari arbitrarentur. Vide Barhebræum *apud Assemannum Bibl. Orient. part.* II. *tom.* III. *pag.* 7. *edit. Rom.* Immo vero Barhebræus idem in absurdiorem labitur opinionem. Nam cœtum Apostolorum συνεκλεκτῆς nomine a Petro vocari ait, *Babylonis* autem appellatione *cœnaculum*. Sed nugas ab antiquis ne auditas quidem relinquo.

3 De Hierosolymis agam paullo post.

4 Ægyptiam significari Babylonem a Petro auctor est præter ceteros Pearsonus *opp. Posthum. pag.* 54. 56. Non discrepat Hornius *loc. supr. indic.* Cosmæ Indicopleustæ Monachi, qui sexto seculo floruit, in Chaldæorum Babylonem apte cadere videtur posse sententia. *Lib.* II. *Christianor. opinion. de Mundo pag.* 148. *tom.* II. *collect. veter. PP. edit. Paris. Monfaucon. an.* 1706. Quamquam est ea quidem obscura, atque implicata. Discrepat autem is fabulator ab antiquis scriptoribus ceteris, quorum longe major est existimatio, & auctoritas.

5 A Persis, qui cum Cambyse Ægypto potiti fuerant, eo in loco, in quo Lithus oppidum erat, Babylonem hanc conditam Josephus scribit. *Lib.* XXI. *Antiquitat. cap.* V. Confer Fogginium *exercit. pag.* 192. *de Itiner. & Episc. Rom. Petri*, & Cellarium *Geogr. Ant. tom.* II. *lib.* 2. *cap.* 1. *sect.* V. *edit. Lips. an.* 1732. Exiguum autem illam ea ætate, qua Petrus scripsit, castellum fuisse ostendit ex XVII. Strabonis libro Fogginius *ibid. pag.* 191.

ullus ne tunc Judæus, aut Chriſtianus fuerit, traditum a nemine veterum fuiſſe (1) video. Quid? ſi nullus umquam majorum fuit, qui Petrum, non dico in id oppidum, ſed in Ægyptum contendiſſe ferret? Quis autem tam eſt impotenti ingenio, qui in hiſtoria, quod ne fando quidem auditum ſit, credendum: rejiciendumque contra quod a graviſſimis ſcriptoribus fuerit monumentis (2) commendatum putet? Age vero cum multæ urbes, eæque jam ſatis magnæ in Ægypto reperirentur, in quibus noſtri augere numerum chriſtianorum, amplificareque chriſtianæ reipublicæ opes potuiſſent; qui demum credibile fuerit, Petrum cæteras prætergreſſum in caſtellum munitum Babylona (3) conſtituturum eccleſiam contendiſſe, ubi præter legionarios milites, vix quiſquam incolarum eſſet? Denique ſi Petrus Babylonem Ægypti venit, cur id nemo umquam fuit Ægyptiorum, qui ſcriberet? Nam Ægyptii a Marco ſe accepiſſe diſciplinam fatentur; a Petro non item. Ac Petrus ſi hanc indicaſſet, monuiſſet certe Aſianos, Galatas, Cappadoces, &c. ad quos ſcribebat, de Ægypti ſe Babylone agere; ne decepti eum in Chaldæa cum Marco una verſari arbitrarentur (4).

Etſi vero Chaldæorum Babylon multo illuſtrior (5), majo-

1 Chryſtophorus Harembergius *Diſſert. de Miraculo Pentecoſtali* §. 1x. *part.* 11. *p.* 582. *Theſauri novi Theologico-Philologici &c.* Editi ex Muſeo Theodori Haſæi, & *Conrad. Ikeni Leidæ, & Amſtelod. an.* 1732. & Foggin. *ibid.*

2 Confer (præter Euſebium *loc. indic.*) Hieronymum *de Vir. Illuſtr. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *opp. part.* II. *edit. Martian. Pariſ.* & Johannis Chryſoſtomi locum, ut ex Catena vetere a Fogginio refertur, *ibid pag.* 190. habet enim hoc modo: *βαβυλῶνα οὖν τροπικώτερον τὴν ῥώμην ὀνομάζει. συνειλεκτὴν δὲ τὴν ἐν αὐτῇ τῇ ῥώμῃ συστᾶσαν χριστοῦ ἐκκλησίαν. Babylonem igitur tropice Romam nominat: coelectam autem Eccleſiam Chriſti in ipſa conſiſtentem Roma.*

3 Strabo *lib.* VII. *pag.* 807. *edit. Pariſ. ann.* 1620.

4 Eſt vero ridiculum, quod Pearſonus de Ægyptia Babylone ſcribit. Petrum enim in hac ait fuiſſe, quod Marci in extremo epiſtolæ 1. verſu meminerit. Quaſi vero in Creta Inſula Paulus epiſtolas ſcribere debuerit, aut Philippis, cum Titi, aut Epaphroditæ mentionem fecit. Indigna hæc ſunt, quam ut viris doctis ad explicandum proponi aut debeant, aut poſſint.

5 Babylonem Chaldæorum indicari a Petro cenſent Joſephus Scaliger *in not. ad Chronicon Euſebii pag.* 189. *edit. an.* 1658. Salmaſius *de Primatu Papæ pag.* 14. *edit. an.* 1645. Samuel Baſnagius *ad an. Chr.* XLVI. *n.* 27. *pag.* 561. *tom.* 1. *Annal.* Guillemus Caveus *Hiſt. litt. part.* 1. *pag.* 4. *col.* 2. *edit. Genev.* aliique de Proteſtantium quidem ſectis; & ex iis, qui nobiſcum ſocietate communionis eſſent conjuncti, Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imperii part.* 1. *lib.* VI. *cap.* 1. *n.* 4. & Dupinius *tom.* 1. *Biblioth. pag.* 68. & 70. *edit. ann.* 1693. Confer Fogginium *ibid. pag.* 187.

majoreque in celebritate erat, tamen eversa jam ante, ab incolisque deserta fuerat, quam Petrus priorem epistolam scripsisset. Apostoli autem in urbes frequentia civium illustres, propagandi nominis Christiani caussa, sese, non in vicos, atque deserta oppida conferebant.

Qui vero provinciam Babyloniorum a Petro fuisse nominatam censent (1), non minus turpiter labuntur. Petrus enim ecclesiæ meminit coactæ in Babylone, non in Babyloniam provinciam dispersæ. Babylon autem non provinciæ fuit, sed urbis nomen. Atque ostendant ii, qui silentium nobis opponunt sacrorum Bibliorum, quis umquam scriptor sacer adventus Petri in Ægyptum, aut in Chaldæorum regionem meminerit? At ostendere nullum non sacrum modo, sed ne veterem quidem historiarum scriptorem possunt.

Qua igitur confidentia aut in Ægyptum pervenisse Petrum, aut transmisso Euphrate Babyloniam provinciam peragrasse, dicent, quod a nemine est veterum memoriæ traditum; negabunt autem contra fidem veterum, gravissimorumque historicorum Romam, quæ Babylonis nomine indicata ab Johanne est, fuisse item a Petro appellatam Babylonem in priore epistola? At enim cur Babylonem vocavit, quam appellare in epistola Petrus potuisset Romam? Quasi vero caussæ omnes, quæ veteres impulerunt, ut hoc potius, quam alio modo scriberent, compertæ nobis esse omnes, atque exploratæ possint. Atque ex iis, qui sic percuntantur, quæro, cur Ignatius leopardos in epistola ad Romanos dixerit, quos dicere milites potuisset (2)? Exempla hujusmodi ex epistolis Pauli permulta in promptu essent. Sed non est opus, ut proferam.

1 Perraro namque a scriptoribus provincia Babylonica Babylon appellatur. Confer Fogginium *ibid. pag.* 204. *seq.* Deinde nemo est veterum, qui in provinciam illam venisse umquam Petrum tradiderit. Contra Petrum ipsum Romæ una cum Marco fuisse summa consensione Patres testantur. Quod mox videbimus. Quid ergo obstabat, quo minus in priore epistola salutari a Marco, atque a coelecta, quæ in Babylone erat, Cappadocas, Galatas &c. scribens, Romam Babylonis indicaret Petrus nomine?

2 S. Ignatius *epist. ad Rom. n.* v. *pag.* 204. *tom.* II. *opp. edit. Londin. an.* 1746.

. De muliere, quæ coelecta, ut aliqui somniarunt, nominaretur, nihil attinet dicere. Est enim hæc eorum non nugatoria modo, sed etiam absurda sententia (1). Nam etsi in plerisque fere omnibus græcis exemplaribus voci *coelecta* addita vox *Ecclesia* non legatur, tamen addita in latinis, in syriacis, in cæteris denique orientalibus est: ut qui *coelectam* uxorem fuisse Petri, aut aliam quampiam mulierem arbitrantur, per summam injuriam communi omnium ecclesiarum, quæ libris sacris etiam contineatur, sententiæ suspiciones anteponant suas. Atque in Græcis fere omnibus, dixi: propterea quod in exemplari, quo Oecumenius utebatur, sic erat: *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι ἐκκλησία συνεκλεκτή*.

Quod si explicatum ab Irenæo, a Tertulliano, ac si placet etiam a Papia, non est, quam Petrus urbem Babylonis nomine indicarit: tamen illi, cum Marcum Petri ejusdem auditorem fuisse, Romæque una cum eo versatum dixerint; Petrum, qui Marci, cum de Babylone loquutus esset, meminerit,

1 Nugas agit Capellus, qui Hierosolymam a Petro fuisse Babylonem vocatam scribit. Principio enim cum Petrus epistolam dedit, superstitio idolorum Hierosolymam haud invaserat. Multa ibi Judæorum millia numerabantur. Quinetiam Ecclesia Christianorum sub Jacobo illustris erat. Quemadmodum autem vocari Babylon poterat, cum id nomen usurpatum a Petro fuerit, indicandæ idololatriæ caussa, quæ in ea, ex qua scribebat, urbe mortalium animos occupaverat? Neque vero quisquam fuit scriptorum aut sacrorum, aut aliorum, qui Babylona Hierosolymam appellaverit. Ac Cyrilli quidem Alexandrini, Procopiique Cyrillum sequentis rejecta a doctis viris, explosaque sententia est, qui ab Isaia datum Hierosolymis fuisse arbitrantur Babylonis nomen. In Capelli errorem incidit Harduinus. Confer illius *Commentar. in 1. Petri cap. v. v. 13. pag. 701. edit. Amstel. an. 1741.* Idem multa eadem de re in Commentariis in Apocalypsim turbat, quæ a sensu communi hominum longe discrepant. *In cap. xi. v. 9. pag. 760. & in cap. xvii. v. 5. seqq. pag. 772.* Sed de Harduino erit paullo post opportunus disserendi locus. Ad Millium quod attinet, qui *in not. ad cap. v. epist. 1. Petri pag. 718. edit. Nov. Testamenti Græc. an. 1707.* ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴν *coelectam in Babylone* uxorem fuisse Petri augatur, hoc breve dico: Eo illius mihi absurdam sententiam videri, quo a nemine probetur veterum. Quod enim commenticium, atque ab antiquorum communi interpretatione alienum est, absurdum & haberi, & esse debet. Quod si quis cum Harduino roget, cur *Ecclesiam, quæ est in Babylone &c.* Hieronymus a Petro memorari dixerit, cum in Græco epistolæ Petri textu nihil sit simile? Huic equidem facile respondebimus idem ἐκλέγειν eligere, atque ἐκκαλεῖν evocare videri. Quamobrem ἐκλεκτὴν, atque ἐκκλησίαν esse omnino synonima. Nam Christiani ut *evocati* ita *electi* appellari solent. Quare τὸ συνεκλεκτὴν Ecclesiam unam coelectam indicare. Atque hæc quidem Hammondo probantur. *Comment. in Nov. Testament. ad cap. v. epistolæ 1. Petri v. 13. Oecumen. in 1. Petri cap. v. v. 13. pag. 166. edit. Veron. an. 1532. & edit. Paris. an. 1631. pag. 525.* Quo loco Babylonis nomine idem Oecumenius τὴν Ῥώμην *Romam* appellari scribit.

nerit, Babylonis vocabulo Romam potius, quam (1) aliam quamque urbem indicasse, confessi sunt. Quamobrem miror Harduinum, qui magnopere auctoritate Romanæ Ecclesiæ moveri se diceret, ita fuisse animo institutum, ut Capellum sequutus, contra omnium Patrum summam in asserendo itinere Romano Petri consensionem, Petrum neque solum (2), neque cum Marco Romam venisse defenderet, idque decus metropoli universi orbis tollendum arbitraretur, quo sublato, successio primatus vix in Pontificibus Romanis, episcopatus autem ne vix quidem potest consistere. Nam majores nostri eam ob caussam Romanos Pontifices principatu in Christiana republica summo potiri affirmarunt, quod Petrus caput, princepsque Apostolorum Romanæ Ecclesiæ, quam condiderat, instituerat, auxerat, præfuisset (3). Ac si traditione majorum, Pontificum præcipua auctoritas nititur, hac confidenter eversa, quid erit reliqui, quo demonstrari Ecclesiæ Romanæ principatus posse videatur?

At is Petrum Romæ decessisse negat, venisse autem Romam non negat. Fundatam namque ab eo Apostolo Romanam Ecclesiam fuisse, ait initio Commentariorum in Epi-

Aaaa 2

1 Confer Eusebium *lib.* II. *cap.* XV. *Hist. Eccl. pag.* 59. *edit. Taurin.* quo loco sententiam Papiæ, atque Clementis Alexandrini proponit. Et *lib.* VI. *cap.* XIV. *pagin.* 237. *seq.* ubi, quid Clemens idem eadem de re sentiat, ostendit: & *capit.* XXV. *pagin.* 252. ubi Origenis locum de Marco Evangelii, ut a Petro acceperat, scriptore, & a Petro in priore epistola commemorato, exhibet. Mutuatus autem Origenes a Clemente videtur fuisse, quæ de hoc genere argumenti scribit. Irenæus vero *lib.* III. *contra Hæres. cap.* 1. *p.* 174. *tom.* 1. *opp. edit. Venet. ann.* 1734. τοῦ Πέτρου, inquit, καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. μετὰ δὲ τούτων, ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς, καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. „ Quum Petrus, & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam (Matthæus „ scripsit). Post vero horum excessum, Marcus discipulus, & interpres Petri, & ipse, quæ „ a Petro prædicata erant, perscripta nobis tradidit „. Vide ejusd. *libri cap* X. *p.* 187. & Tertulliani *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* V. *pagin.* 426. *edit. Venet. opp. ann.* 1744. & Eusebii *lib.* III. *Demonstr. Evang. cap.* VII. *pagin.* 120. *seq. edit. Colon. ann.* 1688. Hieronymi, Epiphanii, Chrysostomi hac ipsa de re locos indicat Fogginius *exercit.* XI. *pag.* 217. *seq. De Rom. D. Petri Itiner. & Apost.* At repugnat, dicet quispiam, Irenæus cum aliis Patribus, ut qui post excessum Apostolorum Petri, ac Pauli scriptum a Marco evangelium fuisse ferat. Sunt qui post *discessum* legant. Ego sic statuo: De adventu Petri, Marcique Romam veteres convenire: quamobrem iis assentior; quod si aliis de rebus dissident; parvi refert. Dissidentium enim id probo, quod esse reor ad veritatem propensius.

2 Vide locum Harduini, quem adduximus *pag.* 117. *hujus vol. not.* 4.

3 Quod paullo post videbimus.

in Epiſtolam priorem Petri (1). Ego vero quorſum hæc ſpectent, quoque ſint modo cum iis, quæ Harduinus in Commentariis in Evangelium Matthæi (2) dixerat, componenda, nullo modo prorſus intelligo. Nam hoc loco, neceſſe non eſſe, ſcribit, Petrum Romam veniſſe. Summum enim Pontificem non eſſe *proprie* Epiſcopum Romanum. Quare dubitat, venerit ne Romam Princeps Apoſtolorum, an non venerit. Quamquam propenſior eſſe videatur ad eorum errorem, qui negant veniſſe. Itaque epiſcopatu Romano Pontificem multandum ſtatuit. Quod non feciſſet, ſi veniſſe Petrum, Romanamque Eccleſiam per ſe ipſum conſtituiſſe veri eſſe ſimilius judicaſſet. Quamobrem reſtat, ut vel minus explicate expoſuerit, quæ ſentiret: vel conſulto rem implicare conatus ſit: vel delectum fuiſſe a Chriſto Petrum exiſtimarit, qui opera non ſua eccleſiam in principe orbis Romani Urbe conderet: vel mutandam ſententiam judicarit, ut quod veri eſſe ſimilius ante putaverat, poſt vix cuiquam probari poſſe arbitraretur. Sed patiar, nihil fuiſſe conſtitutum ab Harduino, quod pugnet cum itinere Romano Petri. Quid? de mortuo Hieroſolymis Petro quod dicit, id, cum contra veterum omnium ſcriptorum, diſcipulorumque ipſorum Petri (3) fidem dicat, quiſquam ne erit orthodoxorum, qui ferendum credat? Atqui, inquit, Chriſtus prædixerat, fore ut Petrus Hieroſolymis interiret. Namque apud Johannem capite primo ac viceſimo Evangelii, Petrum eſſe cruci affigendum demonſtrarat. Capite autem tertio ac viceſimo Evangelii Matthæi, dixerat: ſe ad Judæos miſſurum prophetas, ſapientes, ac ſcribas, quos ipſi eſſent affixuri cruci. Præter Petrum vero, dum Hieroſolyma conſtiterunt, cruci fuiſſe affixum Chriſtianorum omnino neminem. Petrum igitur Hieroſolymis deceſſiſſe. Non eſt multis opus, ut quam ſit hoc argumentum

1 *Ad v. 1. pag. 690. Commentar. in Nov. Teſt. edit. Amſtel. an. 1741.*

2 Vide *pag. 117. ſeq. hujus vol. not. 4.*

3 Vide Clementis Romani, Dionyſii Corinthii, Caii, Tertulliani, Origenis, aliorumque, quos paullo ante indicavi, Patrum locos. Conſule præterea Cyrillum Hieroſolymitanum *Catech. 12. pag. 53. ſeq. edit. Pariſ. an. 1640.*

tum inane, pateat. Quis enim auctor Harduino fuit, ut præter Petrum neminem fuisse Christi discipulorum cruci affixum, idque Hierosolymis, judicaret? Cum autem concitatæ ab Judæis tam sæpe in Christianos tempestates fuerint, credibile ne est, nullum fuisse nostrum, cum plerique omnes quærerentur ad necem, ab eisdem affixum cruci? Deinde suorum aliquos cruci ab Judæis affigendos Christus dixit: Hierosolymis vero in crucem agendos non dixit. „ Ecce (1), *inquit*, ego ad vos (mitto) prophe-
„ tas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, &
„ crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris,
„ & persequemini de civitate in civitatem „. Judæorum igitur caussa eos, quos mittere decrerat, occidendos, & cruci affigendos, & de civitate in civitatem ad supplicia quærendos, prænunciat; nulla facta mentione Hierosolymorum. Judæorum autem caussa tot in Christianos ortas tempestates fuisse (2), quæ necem demum Apostolis, Petroque ipsi attulerint, traditum ab antiquis ecclesiæ scriptoribus est, quibus vehementer assentior. Atque ut Christus ostenderet, se, quod de affigendis suis discipulis cruci dixerat, non dixisse, quo Hierosolymis id futurum vellet; versu septimo ac tricesimo conversa ad eam urbem oratione loquutus sic est: *Hierusalem, Hierusalem*, inquit, *quæ* (3) *occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. Si enim, quod de cruci affigendis affirmarat, Hierosolymis futurum prædixisset, cur Hierusalem alloquens, *occidendorum, lapidandorumque* meminit; *cruci* vero *affigendorum* non item? Itaque Hieronymus etsi de Petro, quod est a Christo de *crucifigendis*

1 Matth. *cap.* XXIII. *v.* 34.

2 Justinus Martyr *Dialogo cum Tryphone n.* CVIII. *pag.* 213. *edit. Venet. an.* 1747. Judæum alloquens: „ Non modo, inquit, pœnitentiam non egistis, postquam illum ex
„ mortuis resurrexisse, didicistis. Sed etiam, ut jam dixi, delectos homines constituistis,
„ ac per eos in totum terrarum orbem missos prædicastis, impiam quamdam, & exlegem se-
„ ctam a deceptore quodam Jesu Galilæo excitatam esse .... Quinetiam docuisse illum ad-
„ didistis impia illa, & nefanda, ac detestabilia facinora, quæ adversus eos, qui illum Chri-
„ stum & doctorem, & filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis „. Consule *n.* CXVIII. *pag.* 222. & quæ fuse persequitur *n.* XVII. *pag.* 122. *seq.* Eadem fere scribit Origenes in VI. *contra Celsum libro cap.* XXVI. *tom.* I. *opp. edit. Paris. Monach. Congr. s. Mauri*.

3 Matth. *cap.* XXIII. *v.* 37.

dis dictum, intelligit, Petrum tamen Hierosolymis obiisse vehementer negat.(1) Sed Harduini mirari satis rationem non queo, qui Patres pugnare inter se scribit, cum Petrum Romæ fuisse martyrio perfunctum narrant. Non enim de loco, deque martyrii genere orta unquam est inter majores nostros, sed de tempore solum dissensio. Quod si obstat id quidem, quo minus martyrium obierit Petrus Romæ, vereor ne adduci eo Harduinus disputando possit, ut Hierosolymis cruci affixum fuisse Christum inficietur, quod anni, quo id contigit, neque Evangelistæ, neque ita Patres meminerint, ut concors eorum esset, constansque in eo stabiliendo sententia.

Quod Spanhemius (2), ejusque similes mentiuntur, a Papia accepisse veteres, quæ de itinere s. Petri Romano scripserunt, falsum est. Clementem enim Petri auditorem (3), virum

1 Hieronymus in *Matth. cap.* XXIII. *pag.* 112. *tom.* IV. *opp. edition. Martian. Paris. part.* I. Petri martyrium commemoravit, quasi prædictum a Christo *ibid.* fuerit. At Petrum Romæ fuisse affixum cruci capite deorsum verso, idem est auctor Hieronymus cum alibi sæpe, tum *cap.* I. *libri de Viris Illustribus*; *seu de Scriptor. Eccles. cap.* I. *pagin.* 101. *tom. eod.* IV. *p.* II.

2 *Dissertat. de temere credit. Petri in urbem Romam profectione c.* I. *pag.* 5. & *c.* III. *pag.* 75. *edit. Lugdun. Batavor. an.* 1679.

3 Negat quidquam fuisse traditum a Clemente Spanhemius, quod ad iter Petri Romanum spectet. Agi enim ab eo in epistola ad Corinthios de Petri, Paulique laboribus, sed Petri iter in occidentem, locumque martyrii non indicari; contra Pauli indicari & profectionem in occidentem, & martyrium in Urbe. Eadem fere turbat Salmasius *de Prim. Papæ in Apparatu pag.* 48. *seq.* At Clemens satis perspicue martyrio Petrum Romæ fuisse perfunctum demonstrat *epist.* I. *cap.* V. *pag.* 12. *edit. Coustant. tom.* I. *collect. epistolar. Rom. Pont.* ut qui negare audent, oculis captos esse oporteat. Nam Roma ad Corinthios scribens, missa ab se fieri vetera exempla, atque ea afferri dicit, quæ ipsum proxime attingerent, atque propinqua essent. Ἀλλ' ἵνα τῶν ἀρχαίων ὑποδειγμάτων παυσώμεθα, ἔλθωμεν ἐπὶ τοὺς ἔγγυτα γενομένους ἀθλητάς. Memorat vero τοὺς ἔγγιστα γενομένους, qui non ætate modo, sed loco etiam ipsi fuissent propinqui. Alioqui cur Petrum solum, ac Paulum, & mulieres quasdam, quæ Romæ affectæ supplicio fuerant, meminisset, præterisset vero, ut reipsa præterit, Jacobum Johannis fratrem, Stephanum, aliosque, qui cum Hierosolymis, tum aliis in urbibus aut capite plexi, aut lapidibus obruti fuerunt? Mox autem addit: „ Propter æmulationem, atque invidiam, qui ecclesiæ erant fideles, & justissimæ columnæ, persecutionem etiam usque ad mortem passi sunt. Accipiamus præ oculis nostris bonos Apostolos. Πέτρος διὰ ζῆλον, ἄδικον οὐχ ἕνα, οὐδὲ δύο, ἀλλὰ πλείονας ὑπέμεινεν πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. *Petrus per invidiam injustam non unum, neque duos, sed multos sustinuit labores, atque ita martyr effectus abiit ad debitum gloriæ locum*. Sequitur porro: „ Paulus patientiæ præmium obtinuit, cum catenas septies portasset, virgis cæsus, ac lapidatus esset: præco factus in oriente, & occidente, eximium fidei suæ decus accepit. Cum totum mundum docuisset justitiam, & ad occidentis terminum venisset, καὶ μαρτυρήσας

ἐπὶ

virum & antiquiorem Papia, e multo etiam doctiorem, Igna-

„ ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, & *martyrium sub ducibus*, seu *principibus* passus esset, ita e mundo „ migravit, & in locum sanctum abiit summum patientiæ exemplar effectus. „ Ubi de his est loquutus, statim adjungit. „ His viris, qui divinam vitam duxerunt, ingens aggre„ gata est multitudo electorum, qui multas contumelias, multaque tormenta propter æmu„ lationem passi, pulcherrimo ἐν ἡμῖν *in nobis*, vel *apud nos* exemplo extiterunt. „ Cur autem ἐν ἡμῖν dixit, nisi quod Romæ hi passi, subsequutique Apostolos illos duos fuerint? Atque ex hac multitudine duas commemorat Martyras mulieres Romæ vexatas, Danaiden, ac Dircen, ostendens certe eos, quorum ante meminerat, eadem in Urbe martyres decessisse. ἡ ἐκκλησία vero τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα ῥώμην *Ecclesia Dei incolens Romam*, cujus nomine ad Corinthios Clemens scripsit, quaque initio epistolæ συμφορὰς, καὶ περιπτώσεις calamitates, casusque adversos, qui sibi non multo ante acciderant, commemoravit, missis ne martyribus, qui ipsam calamitatum tempora illustravissent, alios conquisisset, qui ad se minime pertinerent? Credat id quidem Judæus Appella, non ego. At urbis, in qua passus est Petrus, Clemens non meminit. Ridiculum! Quasi vero necesse fuisset Urbis mentionem facere, cum de iis ipsum egisse intelligeretur; qui Romæ martyrio fuissent perfuncti. Quid? cum de Paulo disserit, an explicate Romæ fuisse supplicio affectum tradit? Minime. Cur autem? Scilicet, quia de Martyribus Romanis loquebatur Clemens, quare non erat opus, ut Urbis mentionem faceret, cum quo de loco ageret, ex narrationis serie constaret. Sed venisse Petrum in occidentem non scribit Clemens, scribit autem venisse Paulum. Quid hoc fingi potest argumento obtusius? An Romæ pati Petrus potuisset, nisi ex oriente in occidentem venisset? Cum igitur Clemens satis indicasset, mortuum Petrum fuisse Romæ, supervacaneum certe fuisset ei, qui obiter rem attigisset, adventum Petri ex oriente in occidentem commemorare. At enim dicet quispiam, Pauli adventus in occidentem Clemens meminit. Recte sane. Sed quam ob caussam? Proposuerat sibi Clemens Pauli itinera, quo quidem in genere Apostolos ceteros superavit, in memoriam revocare Corinthiorum. Itaque ut quam is late Evangelium propagasset, significaret, non commemorata Roma, ex oriente profectum ad terminos eum pervenisse occidentis scripsit. Itaque non magis explicate indicavit, si adversariorum dictis insistendum est, Paulum obiisse Romæ, quam in Hispania, aut in Britannia, quæ tunc loca potius, quam Urbs, occidentis termini dici commode poterant. Pearsonus enim Hispaniam intelligit Diss. 10. *De successi. Primor. episc.* cap. VIII. §. IX. Britanniam Stillinfleetus *orig. Britann. cap.* I. Quibus ergo argumentis ex hac Clementis epistola adversarii mortuum fuisse Paulum Romæ efficient? Mihi sic videtur (nisi de Romanis Martyribus egisse Clementem, adeoque mortuum Paulum fuisse Romæ concludant) eos numquam, quod de Paulo ipso Romæ martyrio functo statuunt, ostensuros. Veruntamen hoc si dixerint, confiteantur item, auctore Clemente, qui de Martyribus Romanis ageret, Petrum decessisse Romæ, necesse est. At instant Spanhemius, atque *Salmasius*, negantque generis illius supplicii, quo Petrus affectus est, fuisse a Clemente mentionem factam. Quid hoc sit nescio. Nam si concludi hinc putant posse, ignorasse Clementem, quo genere supplicii Petrus martyr obierit, adeoque Petrum mortuum non fuisse Romæ, idipsum illis de Paulo concedendum erit, quod certe non concedant. Etenim ne supplicium quidem, quo Paulus est affectus, memoravit Clemens. Pergunt autem, urgentque Paulum sub *principibus passum* a Clemente dici. Sed caveant, ne qui reperiantur, qui sumant: *ergo non Roma*. Si enim ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, igitur ea in regione, eaque in urbe, in qua plures, non unus principatu potiretur. Romæ autem tunc unus imperabat Nero, unusque ἡγούμενος erat non ἡγούμενοι plures erant. Ac ridiculi profecto sunt Junius, Colomesius, Fellus, qui τὸ ἐπὶ τῶν ἡγουμένων *sub Imperatoribus*, sub *Nerone nimirum* Salmasium sequuti vertunt, quasi unus Nero multos Imperatores faceret. Itaque rectius alii sub *Præfectis* verterunt, usi Cypriani ex epistola ad Successum loco, qui sic habet: „ Sed & huic persecutioni quoti„ die insistunt præfecti in urbe, ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur „. Consule si licet *Adnot. in epist. Clem. n.* V. *pag.* 27. *edit. Lond. an.* 1746. *tom.* I. *Apostolic. PP.* & Pearsonum *de serie & successi. primor. episcopor. cap.* VIII. §. IX. *Opp. Posthum. pag.* 61. *edit. London. an.* 1688. Verum, ut ajebam, sive de præfectis, sive de principibus Clementis lo-

Ignatiumque (1) quem cum Petro ipso, & Johanne egisse ferunt, a Papia, qui Apostolos non viderat, fuisse, quæ de magistro litteris commendarunt, mutuatos, quis credat? Rursum si a Papia accepit Irenæus, non a Polycarpo Johannis discipulo, quo usus perinde institutore fuerat, cur aliis in locis Papiam,

tis locus accipi debeat, numquam ex hac epistola efficiemus Paulum martyrem obiisse Romæ, nisi Clementem ipsum de martyribus Romanis agere fateamur. Denique ostendi sibi adversarii volunt, cur Petrum episcopum Romanum, Pontificemque Maximum Clemens Petrum non appellarit, quo genere Paulo superior erat? Ego vero quod Clemens scripserit, quæro, non caussas, quæ plurimæ esse potuerunt, quamobrem quædam non scripserit. In epistola vero, qua hæc obiter, ut dixi, complexus est, non fuit opus tot res, tamque magnas commemorare. Tametsi Petrum, Paulumque non multo post *celeberrimos*, *seu præclaro testimonio celebres* nominavit *num.* XLVII. *pag.* 32. περὶ αὐτοῦ, inquit, ϗ Κηφᾶ, ϗ Ἀπολλώ . . . . προσεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, ϗ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς *De se ipso* (hoc est Paulo) *& Cepha*, *& Apollo . . . . propendebatis enim in Apostolos testatæ sanctitatis*, *& in virum ab illis probatum.* Hoc vero testimonio refelli quoque Harduinus potest, qui ante Clementem Alexandrinum neminem fuisse putat, qui diceret Cepham eumdem, aut non eumdem fuisse ac Petrum. Nam præter Irenæum, cujus nos locum supra descripsimus, Clemens Romanus, ut vides, Paulum, ac Cepham Apostolos testimonio celebres dicit fuisse, Apollo autem virum utrique Apostolo probatum. Atque de Clementis epistola ad Corinthios I. satis dictum esto.

1 Spanhemius *l. ind. cap.* III. *n.* IV. Primo: Epistolam ad Romanos Ignatii esse negat. Labitur. Vide *tom.* IV. *hujus operis pag.* 396. *seqq.* Secundo: Hac usos non fuisse Baronium, Allatium, Valesium scribit, cum de Petri adventu in Urbem agerent. At est id certe levissimum. Non enim omnia illi scriptores animadverterunt. Tertio: In Epistolis genuinis, quæ dicuntur Ignatii, esse quædam, quæ cum Actis pugnent Apostolorum. In ea enim, quæ est ad Magnesianos *acquisisse Antiochenos Christianum nomen dicit Petro & Paulo Ecclesiam fundantibus n.* X. *p.* 107. Verum mala agit Sphanhemius fide. Id enim in interpolata est, non in sincera ad Magnesianos epistola. In genuina quippe *n.* X. *p.* 137. *seqq. ed. Lond. an.* 1746. *tom.* II. *Apost. PP.* nihil simile extat. Possem tamen multis demonstrare, ut componi ea sententia cum Actis Apostolorum queat. Sed non est opus, cum non sit illa Ignatii. Quod vero ex Epistola ad Philadelphenses opponit, *Petrum, Paulumque fuisse nuptiis sociatos*, quæ res epistolis Pauli adversatur, ejusdem momenti est. Nam hoc in vitiata ad Philadelphenos epistola *n.* IV. *pag.* 129. ex III. Clementis Alexandrini *Stromateon* libro desumtum extat; in genuina *n.* IV. *pag.* 151. *tom. eod.* non extat. Quarto: Si interpolatæ hæ sunt epistolæ, inquit, cur non item ea, quæ est ad Romanos? At nos extare item interpolatam Ignatii ad Romanos epistulam, ultro damus: sed genuinis epistolis ad Magnesios, ad Philadelpheos, ad Romanos, quæ perinde extant, utimur. In genuina autem est, quod de Petro diximus. Neque necesse est, ut si una, altera, tertiaque epistolæ Ignatii vitiatæ sint, omnes esse vitiatas oporteat. Quinto: Etiamsi genuina hæc esset ad Romanos epistola, tamen ex eo quod Ignatius scripserit, non sicut *Petrus*, *& Paulus præcipio vobis*, consequens esse negat, Petrum advenisse Romam. Respicere enim Ignatium ad Apostolicam auctoritatem ait. *Pari enim ratione*, inquit, *scripsisse potuit: non sicut Christus*, *non sicut ceteri Apostoli præcipio vobis*. Potuerit: per me licet. Sed non scripsit. Solum enim scripsit, *non sicut Petrus*, *& Paulus*, quod certe ad Philadelphenos, ad Magnesios, ad Smyrnæos, &c. non scripsit. Id vero argumento est, venisse ut Paulum, ita Petrum Romam, Romanosque docuisse. Atque hoc mirum est, Clementem, Ignatium &c. qui ad Romanos, vel de Romanis quidquam scripserunt, Petri, & Pauli meminisse casu, non meminisse autem, cum ad alios scriberent. Hoc nisi indicium adventus eorum Apostolorum Romam sit, quid esse possit, non video.

piam, cum ejus aliis de rebus dicta usurparet, nominavit; de Petri vero adventu disserens, nullo modo? Alexandrinum autem Clementem, qui Clementis Romani epistolam ad Corinthios legerat, non hunc, sed Papiam fuisse sequutum, persuaderi mihi, si minus demonstratione, quam vocant, at opinione saltem vellem. Nam Cajum, qui monumenta commemorat Apostolorum, quæ sua ætate extabant Romæ, quis putet Papiam habuisse suæ sententiæ auctorem? Nihil de Dionysio Corinthiorum episcopo dico. Hunc enim libros Papiæ vidisse, nescio; vidisse autem epistolam Clementis certo scio. Neque vero is, quæ ab exteris acceperat, sed quæ traditione ecclesiæ, cui præfectus erat, didicerat, ad Soterem scripsit. Mitto recentiores. Hi namque cum Papiam negligerent (1) quæ de Petri adventu, deque illius martyrio, & episcopatu Romano tradiderunt, ea non ex Papiæ, sed ex aliorum scriptis, quos plurimi pendere solerent, in sua transtulerint opera necesse est.

Argumento autem chronologico, quo adversarii abuti consueverunt, nihil fingi potest obtusius. Concedam enim definiri vix, immo vero ne vix quidem posse, Claudione, an Nerone Imperatore Petrus Romam pervenerit. Quid? An concludendum continuo est, eum numquam venisse Romam? Hoc si Spanhemius, si Salmasius, si Turretinus concludant, fateantur necesse est, nihil Marcionem contra religionem orthodoxam ausum fuisse Romæ, nihil ab Athenagora umquam pro christianis scriptum, nihil ab Herode in infantes Bethlehemitas crudeliter imperatum, nihil denique a Christo prædicatum in Palæstina, propterea quod his de rebus, quo tempore aut cœperint, aut evenerint, magna chronologorum dissensione certetur, aliis quidem ocius, aliis paullo tardius contigisse pugnantibus. Quid? si concludendum sit, numquam Athanasium decessisse, Christumque ipsum Servatorem nonfuisse affixum cruci, propterea quod de tempore, quo ille decessit, deque anno,

1 Nempe Eusebius *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXXIX. *pag.* 119. *Edit. an.* 1746. Hieronymus *t.* IV. *opp. edit. Martian. part.* II. *lib. De Vir. Illustr. c.* XVIII. *pag.* 109. aliique Papiam *simplicem* virum, minusque acutum fuisse memoriæ tradiderunt.

menſe, ac die, quo Chriſtus actus in crucem eſt, magna ſit inter chronologos veteres, novoſque contentio? Age vero cum hiſtorici veteres, Claudio Imperatore, Petrum Romam primum adveniſſe ſcripſerint, quæ demum cauſsa eſt, quamobrem negandum id eſſe videatur? Perſpicua autem in hoc genere eſt non Hieronymi (1) ſolum, ſed etiam Euſebii (2) graviſſimi certe, diligentiſſimique ſcriptoris ſententia. Juſtinus (3) autem martyr, qui altero eccleſiæ ſeculo ineunte floruit, atque alii porro nonnulli Patres, qui Simonem Magum, cum Claudius imperio potiretur, Romam navigaſſe ferunt, qui tandem componi cum Clemente Alexandrino (4), cumque aliis poterunt, qui Petrum coercendi, reprimendique Simonis cauſſa, in Urbem eamdem fuiſſe profectum ſcribunt, niſi Petrum id iter fuiſſe Claudio Imperatore adgreſſum confiteamur?

At Lactantius tum primum Petrum adveniſſe Romam ſcribit, cum jam Nero imperium obtineret. Quis hic eſt, rogo, Lactantius (5)? Nam adverſarii jure neſcio quo ſuo, quaſi certum ſumunt, quod aut falſum omnino eſt, aut dubium. Etſi enim Balutius, Cuperus, Dufreſnius, aliique (6) Lactantium eumdem eſſe atque auctorem libri de Mortibus perſecutorum cenſent; negat tamen Nicolaus Nourrius, a quo, nulla eſt gravis cauſſa, quamobrem eſſe pugnaciter diſſidendum putem. Sed fac is auctor idem atque Lactantius ſit: ubinam *tum primum*, cum Nero imperio potiretur, Petrum adveniſſe Romam ſcripſit? Atque is, cum *Nero imperaret* Petrum veniſſe narrat: *tum* vero *primum veniſſe*, non item. Quæ igitur hæc tam perverſa ratio adverſarios impulit, ut rebus falſis, quæ recte conſtituta ſunt, convellere

1 *Lib. De Scriptoribus Eccleſ. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *part.* II. *edit. Pariſ. Martianai*.

2 *Lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 58. *edit. Taurin. an.* 1746. Et in Chronico *ad an.* II. *Claudii pag.* 44. *edit. Amſtelod.* 1658.

3 *Apologia* I. *n.* XXVI. *pag.* 60. *edit. Veneta an.* 1747.

4 Apud Euſebium *lib.* II. *Hiſt. Eccl. cap.* XV. *pag.* 59. *ſq. edit Taurin.*

5 Lucius Cæcilius *De mortibus perſecutor.* II. *p.* 184. *tom.* II. *opp. Lactantii edit. Pariſ. an.* 1748.

6 In notis ad eumdem locum Cæcilii, ut videre eodem *tom. opp. Lactantii* licet.

lere conarentur? An non satius fuisset Lactantium, seu potius Lucium Cæcilium (nam auctori libri de Mortibus persecutorum id nomen erat) cum ceteris scriptoribus antiquis componere, statuereque Petrum sub Claudio primum venisse in Urbem, inde autem discessisse, reversumque rursum eodem fuisse, cum summam rerum obtineret Nero? Atque de hoc secundo itinere Lactantium agere putandum est, cum primum iter Petri ad illius scriptoris institutum minime pertineret, qui eorum imperatorum mentionem facere decrevisset, qui crudeliter in christianos sævierant. Sed concedam Cæcilium, qui idem atque Lactantius sit, de primo adventu Petri loqui; nam hoc item liberaliter adversariis permitti poterit: Quid? hujusne unius auctoritatem illi tot scriptorum, tamque illustrium, ut Eusebii, ut Hieronymi, ut Leonis (1), ut aliorum auctoritati anteponendam defendent? Lactantium enim in historia christianorum diligenter fuisse versatum nescimus; eos autem, quos nominavi, & diu fuisse, & diligenter, summaque cum ecclesiæ utilitate versatos scimus. Scilicet hoc adversarii faciunt (2), ut quum contra catholicos agant,

 mul-

1 *Serm.* 1. *in Natali SS. Apostolor. Petri. & Pauli*, qui sermo in Quesnelliana editione est *num.* LXXX. in Caccianiana vero *num.* LXXXII. *cap.* IV. *pag.* 235. *tom.* 1. *opp. edit. Caccetar. Rom. an.* 1753. quo loco quasi alloquens Petrum: „ Nec mundi dominam times Romam, *inquit*, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut sævitia Iudæorum minor erat vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? „ Guillelmus Caveus, qui notam Leoni fuisse ecclesiæ Romanæ historiam perspiciebat, Leonem oratorem egisse scripsit: itaque Petri virtutem, fortitudinemque animi celebraturum, contemptum ab eo Claudium christianis infestum dixisse, etsi Petrus, dum Claudius imperavit, nunquam sese contulisset Romam. *Tom.* II. *Histor. Litter. pag.* 4. *edit. Colon. Allobrog. an.* 1699. Sed oratori amplificare quidem res, de quibus agit, fortasse licet, mentiri autem non licet. Quamobrem fas sibi putasse Leonem virum gravissimum, atque sanctissimum, quod nemini fas esse sciret, non credam. Mentitus vero fuisset, si de eo, quem Claudio imperante Romam non venisse existimasset, ita fuisset loquutus, quasi Romanum suscepisset iter. Quæ autem fortitudo animi Petri fuisset, si Claudium contemsisset & absentem, & in Christianos non modo sævi quidquam non imperantem, sed ne cogitantem quidem? Nam etsi Claudius christianos Roma una cum Iudæis pellendos duxit, non religionis christianæ, quam delere constituisset, sed quasi Hebræi essent, concitati tumultus caussa pellendos duxit. Quamobrem si vera Leo prædicat, venerit Petrus Romam Claudio imperante, necesse est.

2 Non eo hæc dico, quo a Protestantibus solum Lactantium testem adventus Petri Romam tum primum, cum Nero imperio potiretur, vocari putem. Nam esse aliquos scio ex numero catholicorum, qui vocent. In his Stephanus Balutius in *Adnot. ad lib. de mort. persecut. capit.* II. *pagin.* 281. *sqq. tom.* II. *opp. Lactant. edition. Paris. ann.* 1748.

Pagina

multos ſibi afferri teſtes, eoſque æquales temporum illorum, de quibus eſt ſermo, velint; ipſi vero cum novos afferant, repu-

Pagius *ad an.* XLIII. *n.* II. *ſq. pag.* 39. *ſq. Critic. Baron. edit. Pariſ. an.* 1689. Ludovicus du Four in obſervationibus *ad Chronolog. Pontificum*, ut idem eſt auctor Pagius *ibid.* Quamquam is labitur, dum Danielem Papebrochium ſibi eſſe ſcribit conſentientem. Nullum enim in *Conatu Chronico*, aut *in Appendicibus* locum invenimus, ex quo intelligi queat, negatum ab eo Petri adventum Romam ſub Claudio primum, deindeque ſub Nerone, aut in controverſiam fuiſse revocatum. Immo vero *in eod. Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum p.* 12. *n.* IV. *edit. Antuerp.* bis Petrum ſub Claudio in urbem ſeſe contuliſſe Papebrochius narrat. Jam vero Balutius, eumque ſequutus Pagius, inde communem, ut ipſi jactant, errorem de epiſcopatu Romano annorum XXV. Petri, ortum defendunt, quod Cæcilius dixerit ipſis poſt Chriſti aſcenſum XXV. annis religionem fuiſſe late ab Apoſtolis propagatam, poſtque hos annos XXV. Petrum, cum Nero imperaret, veniſſe Romam. In eamdem fere ſententiam, conjecturis inanibus ſuo more indulgens, ac veluti ſomnians, multa Dodwellus turbat. *Diſſert. ſingulari de primæva ſucceſſ. Rom. Pont. c.* III. *p.* 113. *ſq. adjuncta operibus poſthumis Pearſoni edit. Londin. an.* 1688. Sunt autem Cæcilii verba hujuſmodi: *Cap.* II. *pag.* 184. *edit. ejuſd. opp. Lactant. tom.* II. „ Diſcipuli undecim .... „ adſumtis in locum Judæ proditoris Matthia, & Paulo, diſperſi ſunt per omnem terram „ ad Evangelium prædicandum, ſicut illis magiſter dominus imperaverat, & per annos XXV. uſque ad principium Neroniani imperii, per omnes Provincias, & Civitates „ Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit „. Quibus ex verbis plane liquet, non negari a Cæcilio priorem Petri in urbem adventum ſub Claudio. Immo cum is auctor *per omnes Provincias, & Civitates* Imperii præſertim Romani *per annos* XXV. a Chriſti aſcenſu in cælum, adeoque ante initium imperii Neronis propagatam fuiſſe religionem confiteatur, ſatis indicat, inlatam eam religionem in Urbem fuiſſe eo XXV. annorum ab aſcenſu Chriſti intervallo. Alioqui *per omnes Provincias, & Civitates* numquam Cæcilius dixiſſet, ſi in caput orbis Romam inlatum evangelium eo ſpatio temporis non fuiſſet. Si ergo ab Apoſtolorum aliquo, ut Cæcilii oratio poſtulat, inducta in urbem Chriſtiana religio fuerat, a Petro inducta fuerit, neceſſe eſt; cum præter hunc, alium quemquam indicare, qui intulerit, nequeamus. Cur ergo, dicet quiſpiam, Cæcilius addit: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit?* Scilicet inſtituerat Cæcilius de *Perſecutoribus, mortibuſque perſecutorum ſcribere*. Itaque breviter deſcriptis, quæ geſta ante illatam primam *perſequutionem* fuerant, miſſis iis, quæ ad propoſitum non pertinerent, ad rem venit, atque hoc initium cohortæ in noſtros tempeſtatis fuiſſe affirmavit. Petrum Romam Nerone Imperatore, perveniſſe, miraculaque edidiſſe. Nunciatum id fuiſſe Neroni. Hunc idolorum cultum minui ægre ferentem in noſtros acriter ſæviiſſe. Non tamen habuiſſe impune. Confer Nicolaum le Nourry *tom.* II. *Appar. in Bibl. PP. diſſ.* VI. *in Cæcil. cap.* I. *tit.* IV. *pag.* 1683. *ſq. edit. Pariſ. an.* 1715. Quæ cum ita ſint, quid hine demum extundi contra communem, pervulgatamque ſententiam queat, non video. Sed fac ita ſeſe res ipſa, ut Balutius, Pagiuſque putant, ab Cæcilio deſcripta fuerit. Quæro cur potius ex dictis Cæcilii de annis XXV. ortus error Euſebii in *Chronico ad an.* II. *Claud. pag.* 44. *edit. Amſtel. an.* 1658. Hieronymi *lib. de Vir. Illuſtr. cap.* I. *p.* 101. *t.* IV. *part.* II. aliorumque fuerit, quam ex dictis Euſebii, Hieronymique error Cæcilii, qui XXV. annos epiſcopatus Romani Petri fecerit annos XXV. prædicationis Apoſtolorum? Ac facilius profecto eſt ex dictis multorum unius errorem, quam ex unius dictis proficiſci errorem multorum. Deinde quis credat hujus libelli auctorem erroris occaſionem aliis præbuiſſe, quem libellum Hieronymus fortaſſe numquam, Euſebius certe nunquam legerat, qui ſi non vetuſtior, at æqualis ſaltem fuit temporum illorum, quibus Cæcilius floruit. Fortaſſe autem dixi, propterea quod Nicolaus Leſtoquius Doctor ac ſocius Sorbonicus *Diſquiſit. de Auctor. lib. de Mort. Perſeq. n.* 2. *pag.* XLIX. *tom.* II. *opp. Lactant. edit. ejuſd.* librum de *Perſecutione* a Lactantio ſcriptum, & Hieronymo memoratum hunc ipſum defendat eſſe, qui *de Mortibus Perſecutorum* inſcribitur.

repugnari sibi nullo modo velint (1). At enim feram id quoque. Vera, ut lubet, prædicarit Cæcilius. Dandum ergo est venisse Petrum Romam. Nam hoc illi cum ceteris antiquis scriptoribus convenit. Quamquam cum equidem a veteribus primum institutorem ecclesiæ Romanorum, primumque qui christianam religionem in Urbem intulerit, Petrum dici intelligam, atque non ex historicis modo, sed etiam ex libris sacris cognosci, perspicique facile posse videam christianos Romæ perplures imperante Claudio fuisse; iis auscultare malo, qui Petrum sub Claudio ipso advenisse Romam, quam uni Lactantio venisse ajenti, cum imperio potiretur Nero.

Sed

bitur. *Hieron. De Vir. Illustr. cap.* xxxx. *pag.* 322. *tom.* iv. *par.* II *opp. edit Martianai Paris.* Neque vero ab Eusebio, & Hieronymo solum, sed ab aliis quoque scriptoribus, iisque vetustissimis xxv. anni episcopatus Romani Petri numerantur. Auctor Catalogi Liberiani (qui si minus ab Anthero Pontifice, ut visum Enschenio (*tom.* I. *Act. ss. Mensis Aprilis p.* I I. *sq. n.* 8. *edit. Antuerp.*) Papebrochioque est (*Propyl. ad Act. ss. Maii p.* 2. *sq. ejusd.*) at Liberii saltem tempore perscribi ab aliquo cœpit, ut ostensum contra Dodwellum ab Schelestratio est: *Differt. De Antiquis Romanor. Pontific. Catalogis cap.* II. *num.* x. *sq. tom.* II. *Anastasii Bibl. De Vit. Pontif. edit. Rom. Salvioni pag.* xxix. *sqq.* ab iisque, qui Schelestratio præiverant, ut a Bucherio, qui Catalogum eumdem post Cuspinianum *Commentar. ad Canon. Paschalem* publicavit, a Petavio *lib.* v. *Rationar. Tempor. cap.* v. a Pearsono *Diss.* I. *De success. Primor. Rom. Episcopor. cap.* xIII. *num.* 2. animadversum est) auctor, inquam, Catalogi Liberiani sic de Petro statuit: „ Petrus annis xxv. mense „ uno, diebus novem, fuit temporibus Tiberii Cæsaris, & Caii, & Tiberii Claudii, & „ Neronis a Consulatu Vinicii, & Longini, usque Neronis; & Veteris (MS. cod. Bucherii apud Blanchinum *tom.* II. *Anastas. pag.* vII. & *pag.* LXXXVII. habet: *Nerva*, & *Veri*: legendum puto *Nerva & Vestini*, qui an. 65. consules fuerunt). Passus autem cum „ Paulo die III. Kal. ss. Jul. Coss. imperante Nerone „. Quæ verba non eo spectant, ut Petrum indicent ab an. 30. quo Vinicius, & Longinus Coss. fuerunt, ad 55. vitam produxisse; sed vixisse Tiberio, Cajo, Claudio, & Nerone Imperatoribus, atque annis viginti quinque Romanam Ecclesiam administrasse, obiisseque Nerva, & Vestino Coss. hoc est anno 65. æræ vulgaris. Quamquam vero ab anno 2. Claudii ad an. 65. anni eucurrerint viginti tres, non vigintiquinque, non primus tamen is auctor vetus fuit, qui haud recte instituerit annorum supputationem. Addita vet. Pictur. Basilicæ S. Pauli inscriptio legitur hujusmodi: *Petrus sedit an.* xxv. *m.* II. *d.* vII. Confer Francisci Blanchinii *Opusc.* Ix. *Præfix. t.* II. *Anastas. edit. Salv. Rom. pag.* LXIII. *sqq. Differt. De Antiquitat. Romanor. Pontific. Catalog. pag.* LXXXVIII. Picturas inscriptionesque, quæ in Basilica eadem cernuntur, tempore Leonis I. perfectas Blanchinius *ibid.* demonstrat. Non discrepat Catalogus Felicis IV. qui sic habet: *An* 25. *m.* 2. *d.* 3. Conveniunt, quod ad numerum annorum attinet, Catalogi *Bergomensis*, *Cavensis*, *Farfensis*, *Lucensis*, *Belgicus Papebrochii*, *Colbertini* 1.2.3 4.5.6.7. De ceteris autem scriptoribus, qui Eusebio, Hieronymoque recentiores sunt, non æque inquirendum puto. Sunt enim maximo numero.

1 Clamat enim Johannes Fellus Pseudo-episcopus Oxoniensis *Præfat. in L. Cæcilii lib. edit. Oxon* „ Hujus tractatus interventu ab inveterato errore nos liberari de S. Petri 25. „ annorum pontificatu „. Similia fere jactant Burnetius Pseudo-antistes Sarisburiensis *Præfat. in version. Anglicam ejusdem libri*. Paulus Baudrius *in Notis ad cap.* 11. *libri de Mortibus Persecutor. pag.* 554. *edit Paris. an.* 1643. *tom.* II. *opp. Lactantii*, Dodwellus *loco indic.* Caveus *loco indic.* aliique.

ullus ne tunc Judæus, aut Christianus fuerit, traditum a nemine veterum fuisse (1) video. Quid? si nullus umquam majorum fuit, qui Petrum, non dico in id oppidum, sed in Ægyptum contendisse ferret? Quis autem tam est impotenti ingenio, qui in historia, quod ne fando quidem auditum sit, credendum: rejiciendumque contra quod a gravissimis scriptoribus fuerit monumentis (2) commendatum putet? Age vero cum multæ urbes, eæque jam satis magnæ in Ægypto reperirentur, in quibus nostri augere numerum christianorum, amplificareque christianæ reipublicæ opes potuissent; qui demum credibile fuerit, Petrum cæteras prætergressum in castellum munitum Babylona (3) constituturum ecclesiam contendisse, ubi præter legionarios milites, vix quisquam incolarum esset? Denique si Petrus Babylonem Ægypti venit, cur id nemo umquam fuit Ægyptiorum, qui scriberet? Nam Ægyptii a Marco se accepisse disciplinam fatentur; a Petro non item. Ac Petrus si hanc indicasset, monuisset certe Asianos, Galatas, Cappadoces, &c. ad quos scribebat, de Ægypti se Babylone agere; ne decepti eum in Chaldæa cum Marco una versari arbitrarentur (4).

Etsi vero Chaldæorum Babylon multo illustrior (5), majo-

1 Chrystophorus Harembergius *Dissert. de Miraculo Pentecostali* §. IX. *part.* II. *p.* 582. *Thesauri novi Theologico-Philologici &c.* Editi ex Museo Theodori Hasæi, & *Conrad. Ikeni Leidæ, & Amstelod. an.* 1732. & Foggin. *ibid.*

2 Confer (præter Eusebium *loc. indic.*) Hieronymum *de Vir. Illustr. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *opp. part.* II. *edit. Martian. Paris.* & Johannis Chrysostomi locum, ut ex Catena vetere a Fogginio refertur, *ibid pag.* 190. habet enim hoc modo: Βαβυλῶνα οὖν τροπικώτερον τὴν Ῥώμην ὀνομάζει. συνεκλεκτὴν δὲ τὴν ἐν αὐτῇ τῇ Ῥώμῃ συστᾶσαν Χριστοῦ ἐκκλησίαν. *Babylonem igitur tropice Romam nominat: coelectam autem Ecclesiam Christi in ipsa consistentem Roma.*

3 Strabo *lib.* XVII. *pag.* 807. *edit. Paris. ann.* 1620.

4 Est vero ridiculum, quod Pearsonus de Ægyptia Babylone scribit. Petrum enim in hac ait fuisse, quod Marci in extremo epistolæ I. versu meminerit. Quasi vero in Creta Insula Paulus epistulas scribere debuerit, aut Philippis, cum Titi, aut Epaphroditæ mentionem fecit. Indigna hæc sunt, quam ut viris doctis ad explicandum proponi aut debeant, aut possint.

5 Babylonem Chaldæorum indicari a Petro censent Josephus Scaliger *in not. ad Chronicon Eusebii pag.* 189. *edit. an.* 1658. Salmasius *de Primatu Papæ pag.* 14. *edit. an.* 1645. Samuel Basnagius *ad an. Chr.* XLVI. *n.* 27. *pag.* 561. *tom.* 1. *Annal.* Guillelmus Caveus *Hist. litt. part.* 1. *pag.* 4. *col.* 2. *edit. Genev.* aliique de Protestantium quidem sectis; & ex iis, qui nobiscum societate communionis essent conjuncti, Petrus de Marca *de Concord. Sacerd. & Imperii part.* 1. *lib.* VI. *cap.* 1. *n.* 4. & Dupinius *tom.* 1. *Biblioth. pag.* 63. & 70. *edit. ann.* 1693. Confer Fogginium *ibid. pag.* 187.

majoreque in celebritate erat, tamen eversa jam ante, ab incolisque deserta fuerat, quam Petrus priorem epistolam scripsisset. Apostoli autem in urbes frequentia civium illustres, propagandi nominis Christiani caussa, sese, non in vicos, atque deserta oppida conferebant.

Qui vero provinciam Babyloniorum a Petro fuisse nominatam censent (1), non minus turpiter labuntur. Petrus enim ecclesiæ meminit coactæ in Babylone, non in Babyloniam provinciam dispersæ. Babylon autem non provinciæ fuit, sed urbis nomen. Atque ostendant ii, qui silentium nobis opponunt sacrorum Bibliorum, quis umquam scriptor sacer adventus Petri in Ægyptum, aut in Chaldæorum regionem meminerit? At ostendere nullum non sacrum modo, sed ne veterem quidem historiarum scriptorem possunt.

Qua igitur confidentia aut in Ægyptum pervenisse Petrum, aut transmisso Euphrate Babyloniam provinciam peragrasse, dicent, quod a nemine est veterum memoriæ traditum; negabunt autem contra fidem veterum, gravissimorumque historicorum Romam, quæ Babylonis nomine indicata ab Johanne est, fuisse item a Petro appellatam Babylonem in priore epistola? At enim cur Babylonem vocavit, quam appellare in epistola Petrus potuisset Romam? Quasi vero caussæ omnes, quæ veteres impulerunt, ut hoc potius, quam alio modo scriberent, compertæ nobis esse omnes, atque exploratæ possint. Atque ex iis, qui sic percuntantur, quæro, cur Ignatius leopardos in epistola ad Romanos dixerit, quos dicere milites potuisset (2)? Exempla hujusmodi ex epistolis Pauli permulta in promptu essent. Sed non est opus, ut proferam.

Tom.V. Aaaa De

1 Perraro namque a scriptoribus provincia Babylonica Babylon appellatur. Confer Pogginium *ibid. pag.* 204. *seq.* Deinde nemo est veterum, qui in provinciam illam venisse umquam Petrum tradiderit. Contra Petrum ipsum Romæ una cum Marco fuisse summa consensione Patres testantur. Quod mox videbimus. Quid ergo obstabat, quo minus in priore epistola salutari a Marco, atque a ecclesia, quæ in Babylone erat, Cappadocas, Galatas &c. scribens, Romam Babylonia indicaret Petrus nomine?

2 S. Ignatius *epist. ad Rom. n.* v. *pag.* 204. *tom.* II. *opp. edit. Londin. an.* 1746.

De muliere, quæ coelecta, ut aliqui somniarunt, nominaretur, nihil attinet dicere. Est enim hæc eorum non nugatoria modo, sed etiam absurda sententia (1). Nam etsi in plerisque fere omnibus græcis exemplaribus voci *coelecta* addita vox *Ecclesia* non legatur, tamen addita in latinis, in syriacis, in cæteris denique orientalibus est: ut qui *coelectam* uxorem fuisse Petri, aut aliam quampiam mulierem arbitrantur, per summam injuriam communi omnium ecclesiarum, quæ libris sacris etiam contineatur, sententiæ suspiciones anteponant suas. Atque in Græcis fere omnibus, dixi: propterea quod in exemplari, quo Oecumenius utebatur. Sic erat: *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν βαβυλῶνι ἐκκλησία συνεκλεκτή.*

Quod si explicatum ab Irenæo, a Tertulliano, ac si placet etiam a Papia, non est, quam Petrus urbem Babylonis nomine indicarit: tamen illi, cum Marcum Petri ejusdem auditorem fuisse, Romæque una cum eo versatum dixerint; Petrum, qui Marci, cum de Babylone loquutus esset, meminerit,

1 Nugas agit Capellus, qui Hierosolymam a Petro fuisse Babylonem vocatam scribit. Principio enim cum Petrus epistolam dedit, superstitio idolorum Hierosolymam haud invaserat. Multa ibi Judæorum millia numerabantur. Quinetiam Ecclesia Christianorum sub Jacobo illustris erat. Quemadmodum autem vocari Babylon poterat, cum id nomen usurpatum a Petro fuerit, indicandæ idololatriæ caussa, quæ in ea, ex qua scribebat, urbe mortalium animos occupaverat? Neque vero quisquam fuit scriptorum aut sacrorum, aut aliorum, qui Babylona Hierosolymam appellaverit. Ac Cyrilli quidem Alexandrini, Procopiique Cyrillum sequentis rejecta a doctis viris, explosaque sententia est, qui ab Isaia datum Hierosolymis fuisse arbitrantur Babylonis nomen. In Capelli errorem incidit Harduinus. Confer illius *Commentar. in 1. Petri cap. v. v. 13. pag. 701. edit. Amstel. an. 1741.* Idem multa eadem de re in Commentariis in Apocalypsim turbat, quæ a sensu communi hominum longe discrepant. *In cap. xi. v. 9. pag. 760. & in cap. xvii. v. 5. seqq. pag. 772.* Sed de Harduino erit paullo post opportunus differendi locus. Ad Millium quod attinet, qui *in not. ad cap. v. epist. 1. Petri pag. 718. edit. Nov. Testamenti Græc. an. 1707.* ἐν βαβυλῶνι συνεκλεκτὴν *coelectam in Babylone* uxorem fuisse Petri nugatur, hoc breve dico: Eo illius mihi absurdam sententiam videri, quo a nemine probetur veterum. Quod enim commenticium, atque ab antiquorum communi interpretatione alienum est, absurdum & haberi, & esse debet. Quod si quis cum Harduino roget, cur *Ecclesiam, quæ est in Babylone &c.* Hieronymus a Petro memorari dixerit, cum in Græco epistolæ Petri textu nihil sit simile? Huic equidem facile respondebimus idem ἐκλέγειν eligere, atque ἐκκαλεῖν evocare videri. Quamobrem ἐκλεκτὴν, atque ἐκκλησίαν esse omnino synonima. Nam Christiani ut *evocati* ita *electi* appellari solent. Quare τὸ συνεκλεκτὴν *Ecclesiam unam coelectam* indicare. Atque hæc quidem Hammondo probantur. *Comment. in Nov. Testament. ad cap. v. epistolæ 1. Petri v. 13. Oecumen. in 1. Petri cap. v. v. 13. pag. 166. edit. Veron. an. 1532. & edit. Paris. an. 1631. pag. 525.* Quo loco Babylonia nomine idem Oecumenius τὴν ῥώμην *Romam* appellari scribit.

nerit, Babylonis vocabulo Romam potius, quam (1) aliam quamque urbem indicasse, confessi sunt. Quamobrem miror Harduinum, qui magnopere auctoritate Romanæ Ecclesiæ moveri se diceret, ita fuisse animo institutum, ut Capellum sequutus, contra omnium Patrum summam in asserendo itinere Romano Petri consensionem, Petrum neque solum (2), neque cum Marco Romam venisse defenderet, idque decus metropoli universi orbis tollendum arbitraretur, quo sublato, successio primatus vix in Pontificibus Romanis, episcopatus autem ne vix quidem potest consistere. Nam majores nostri eam ob caussam Romanos Pontifices principatu in Christiana republica summo potiri affirmarunt, quod Petrus caput, princepsque Apostolorum Romanæ Ecclesiæ, quam condiderat, instituerat, auxerat, præfuisset (3). Ac si traditione majorum, Pontificum præcipua auctoritas nititur, hac confidenter eversa, quid erit reliqui, quo demonstrari Ecclesiæ Romanæ principatus posse videatur?

At is Petrum Romæ decessisse negat, venisse autem Romam non negat. Fundatam namque ab eo Apostolo Romanam Ecclesiam fuisse, ait initio Commentariorum in Epi-

1 Confer Eusebium *lib.* II. *cap.* XV. *Hist. Eccl. pag.* 59. *edit. Taurin.* quo loco sententiam Papiæ, atque Clementis Alexandrini proponit. Et *lib.* VI. *cap.* XIV. *pagin.* 237. *seq.* ubi, quid Clemens idem eadem de re sentiat, ostendit: & *capit.* XXV. *pagin.* 252. ubi Origenis locum de Marco Evangelii, ut a Petro acceperat, scriptore, & a Petro in priore epistola commemorato, exhibet. Mutuatus autem Origenes a Clemente videtur fuisse, quæ de hoc genere argumenti scribit. Irenæus vero *lib.* III. *contra Hæres. cap.* I. *p.* 174. *tom.* I. *opp. edit. Venet. ann.* 1734. τοῦ Πέτρου, inquit, καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων, καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. μετὰ δὲ τούτων, ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς, καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. „ Quum Petrus, & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Ecclesiam (Matthæus „ scripsit). Post vero horum excessum, Marcus discipulus, & interpres Petri, & ipse, quæ „ a Petro prædicata erant, perscripta nobis tradidit „. Vide ejusd. *libri cap* X. *p.* 187. & Tertulliani *lib.* IV. *contra Marcionem cap.* V. *pagin.* 416. *edit. Venet. opp. ann.* 1744. & Eusebii *lib.* III. *Demonstr. Evang. cap.* VII. *pagin.* 120. *seq. edit. Colon. ann.* 1688. Hieronymi, Epiphanii, Chrysostomi hac ipsa de re locos indicat Fogginius *exercit.* XI. *pag.* 219. *seq. De Rom. D. Petri Itiner. & Apost.* At repugnat, dicet quispiam, Irenæus cum aliis Patribus, ut qui post excessum Apostolorum Petri, ac Pauli scriptum a Marco evangelium fuisse ferat. Sunt qui post *discessum* legant. Ego sic statuo: De adventu Petri, Marcique Romam veteres convenire: quamobrem iis assentior; quod si aliis de rebus dissident; parvi refert. Dissidentium enim id probo, quod esse reor ad veritatem propensius.

2 Vide locum Harduini, quem adduximus *pag.* 117. *hujus vol. not.* 4.

3 Quod paullo post videbimus.

in Epistolam priorem Petri (1). Ego vero quorsum hæc spectent, quoque sint modo cum iis, quæ Harduinus in Commentariis in Evangelium Matthæi (2) dixerat, componenda, nullo modo prorsus intelligo. Nam hoc loco, necesse non esse, scribit, Petrum Romam venisse. Summum enim Pontificem non esse *proprie* Episcopum Romanum. Quare dubitat, venerit ne Romam Princeps Apostolorum, an non venerit. Quamquam propensior esse videatur ad eorum errorem, qui negant venisse. Itaque episcopatu Romano Pontificem multandum statuit. Quod non fecisset, si venisse Petrum, Romanamque Ecclesiam per se ipsum constituisse veri esse similius judicasset. Quamobrem restat, ut vel minus explicate exposuerit, quæ sentiret: vel consulto rem implicare conatus sit: vel delectum fuisse a Christo Petrum existimarit, qui opera non sua ecclesiam in principe orbis Romani Urbe conderet: vel mutandam sententiam judicarit, ut quod veri esse similius ante putaverat, post vix cuiquam probari posse arbitraretur. Sed patiar, nihil fuisse constitutum ab Harduino, quod pugnet cum itinere Romano Petri. Quid? de mortuo Hierosolymis Petro quod dicit, id, cum contra veterum omnium scriptorum, discipulorumque ipsorum Petri (3) fidem dicat, quisquam ne erit orthodoxorum, qui ferendum credat? Atqui, inquit, Christus prædixerat, fore ut Petrus Hierosolymis interiret. Namque apud Johannem capite primo ac vicesimo Evangelii, Petrum esse cruci affigendum demonstrarat. Capite autem tertio ac vicesimo Evangelii Matthæi, dixerat: se ad Judæos missurum prophetas, sapientes, ac scribas, quos ipsi essent affixuri cruci. Præter Petrum vero, dum Hierosolyma constiterunt, cruci fuisse affixum Christianorum omnino neminem. Petrum igitur Hierosolymis decessisse. Non est multis opus, ut quam sit hoc argumentum

1 *Ad v. 1. pag. 690. Commentar. in Nov. Test. edit. Amstel. an. 1741.*

2 Vide *pag. 117. seq. hujus vol. not. 4.*

3 Vide Clementis Romani, Dionysii Corinthii, Caii, Tertulliani, Origenis, aliorumque, quos paullo ante indicavi, Patrum locos. Consule præterea Cyrillum Hierosolymitanum *Catech. vi. pag. 53. seq. edit. Paris. an. 1640.*

tum inane, pateat. Quis enim auctor Harduino fuit, ut præter Petrum neminem fuisse Christi discipulorum cruci affixum, idque Hierosolymis, judicaret? Cum autem concitatæ ab Judæis tam sæpe in Christianos tempestates fuerint, credibile ne est, nullum fuisse nostrum, cum plerique omnes quærerentur ad necem, ab eisdem affixum cruci? Deinde suorum aliquos cruci ab Judæis affigendos Christus dixit: Hierosolymis vero in crucem agendos non dixit. ,, Ecce (1), *inquit*, ego ad vos (mitto) prophe-
,, tas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, &
,, crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris,
,, & persequemini de civitate in civitatem ,,. Judæorum igitur caussa eos, quos mittere decrerat, occidendos, & cruci affigendos, & de civitate in civitatem ad supplicia quærendos, prænunciat; nulla facta mentione Hierosolymorum. Judæorum autem caussa tot in Christianos ortas tempestates fuisse (2), quæ necem demum Apostolis, Petroque ipsi attulerint, traditum ab antiquis ecclesiæ scriptoribus est, quibus vehementer assentior. Atque ut Christus ostenderet, se, quod de affigendis suis discipulis cruci dixerat, non dixisse, quo Hierosolymis id futurum vellet; versu septimo ac tricesimo conversa ad eam urbem oratione loquutus sic est: *Hierusalem, Hierusalem*, inquit, *quæ* (3) *occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt*. Si enim, quod de cruci affigendis affirmarat, Hierosolymis futurum prædixisset, cur Hierusalem alloquens, *occidendorum, lapidandorumque* meminit; *cruci* vero *affigendorum* non item? Itaque Hieronymus etsi de Petro, quod est a Christo de *crucifigendis*

1 Matth. *cap.* XXIII. *v.* 34.

2 Justinus Martyr *Dialogo cum Tryphone n.* CVIII. *pag.* 213. *edit. Venet. an.* 1747. Judæum alloquens: ,, Non modo, inquit, pœnitentiam non egistis, postquam illum ex
,, mortuis resurrexisse, didicistis. Sed etiam, ut jam dixi, delectos homines constituistis,
,, ac per eos in totum terrarum orbem missos prædicastis, impiam quamdam, & exlegem se-
,, ctam a deceptore quodam Jesu Galilæo excitatam esse.... Quinetiam docuisse illum ad-
,, didistis impia illa, & nefanda, ac detestabilia facinora, quæ adversus eos, qui illum Chri-
,, stum & doctorem, & filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis ,,. Consule *n.* CXVIII. *pag.* 222. & quæ fuse persequitur *n.* XVII. *pag.* 132. *seq.* Eadem fere scribit Origenes in VI. *contra Celsum libro cap.* XXVI. *tom.* I. *opp. edit. Paris. Monach. Congr. s. Mauri*.

3 Matth. *cap.* XXIII. *v.* 37.

virum & antiquiorem Papia, e multo etiam doctiorem, Igna-

„ ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, & *martyrium sub ducibus*, seu *principibus* passus esset, ita e mundo „ migravit, & in locum sanctum abiit summum patientiæ exemplar effectus. „ Ubi de his est loquutus, statim adjungit. „ His viris, qui divinam vitam duxerunt, ingens aggre- „ gata est multitudo electorum, qui multas contumelias, multaque tormenta propter æmu- „ lationem passi, pulcherrimo ἐν ὑμῖν *in nobis*, vel *apud nos* exemplo extiterunt. „ Cur autem ἐν ὑμῖν dicit, nisi quod Romæ hi passi, subsequutique Apostolos illos duos fuerint? Atque ex hac multitudine duas commemorat Martyras mulieres Romæ vexatas, Danaiden, ac Dircen, ostendens certe eos, quorum ante meminerat, eadem in Urbe martyres decessisse. ἡ ἐκκλησία vero τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Ῥώμην *Ecclesia Dei incolens Romam*, cujus nomine ad Corinthiam Clemens scripsit, quaque initio epistolæ *συμφορὰς*, καὶ *περιπτώσεις* calamitates, casusque adversos, qui sibi non multo ante acciderant, commemoravit, missisne martyribus, qui ipsam calamitatum tempore illustravissent, alios conquisisset, qui ad se minime pertinerent? Credat id quidem Judæus Appella, non ego. At urbis, in qua passus est Petrus, Clemens non meminit. Ridiculum! Quasi vero necesse fuisset Urbis mentionem facere, cum de iis ipsum egisse intelligeretur, qui Romæ martyrio fuissent perfuncti. Quid? cum de Paulo disserit, an explicate Romæ fuisse supplicio affectum tradit? Minime. Cur autem? Scilicet, quia de Martyribus Romanis loquebatur Clemens, quare non erat opus, ut Urbis mentionem faceret, cum quo de loco ageret, ex narrationis serie constaret. Sed venisse Petrum in occidentem non scribit Clemens, scribit autem venisse Paulum. Quid hoc fingi potest argumento obtusius? An Romæ pati Petrus potuisset, nisi ex oriente in occidentem venisset? Cum igitur Clemens satis indicasset, mortuum Petrum fuisse Romæ, supervacaneum certe fuisset ei, qui obiter rem attigisset, adventum Petri ex oriente in occidentem commemorare. At enim dicet quispiam, Pauli adventus in occidentem Clemens meminit. Recte sane. Sed quam ob caussam? Proposuerat sibi Clemens Pauli itinera, quo quidem in genere Apostolos ceteros superavit, in memoriam revocare Corinthiorum. Itaque ut quam is late Evangelium propagasset, significaret, non commemorata Roma, ex oriente profectum ad terminos eum pervenisse occidentis scripsit. Itaque non magis explicate indicavit, si adversariorum dictis insistendum est, Paulum obiisse Romæ, quam in Hispania, aut in Britannia, quæ tunc loca potius, quam Urbs, occidentis termini dici commode poterant. Pearsonus enim Hispaniam intelligit Diss. 10. *De success. Primor. episc. cap.* VIII. §. IX. Britanniam Stilinfleetus *orig. Britann. cap.* I. Quibus ergo argumentis ex hac Clementis epistola adversarii mortuum fuisse Paulum Romæ efficient? Mihi sic videtur (nisi de Romanis Martyribus egisse Clementem, adeoque mortuum Paulum fuisse Romæ concludant) eos numquam, quod de Paulo ipso Romæ martyrio functo statuunt, ostensuros. Verumtamen hoc si dixerint, confiteantur item, auctore Clemente, qui de Martyribus Romanis ageret, Petrum decessisse Romæ, necesse est. At instant Spanhemius, atque *Salmasius*, negantque generis illius supplicii, quo Petrus affectus est, fuisse a Clemente mentionem factam. Quid hoc sit nescio. Nam si concludi hinc putant posse, ignorasse Clementem, quo genere supplicii Petrus martyr obierit, adeoque Petrum mortuum non fuisse Romæ, idipsum illis de Paulo concedendum erit, quod certe non concedunt. Etenim ne supplicium quidem, quo Paulus est affectus, memoravit Clemens. Pergunt autem, urgentque Paulum sub *principibus passum* a Clemente dici. Sed caveant, ne qui reperiantur, qui sumant: *ergo non Roma*. Si enim ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, igitur ea in regione, eaque in urbe, in qua plures, non unus principatu potiretur. Romæ autem tunc unus imperabat Nero, unusque ἡγούμενος, non ἡγούμενοι plures erant. Ac ridiculi profecto sunt Junius, Colomesius, Fellus, qui τὸ ἐπὶ τῶν ἡγουμένων *sub Imperatoribus*, sub *Nerone nimirum* Salmasium sequuti vertunt, quasi unus Nero multos Imperatores faceret. Itaque rectius alii sub *Præfectis* verterunt, uti Cypriani ex epistola ad Successum loco, qui sic habet: „ Sed & huic persecutioni quoti- „ die insistunt præfecti in urbe, ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur „. Consule si licet *Adnot. in epist. Clem. n.* V. *pag.* 27. *edit. Lond. an.* 1746. *tom.* I. *Apostolic. PP.* & Pearsonum *de serie & success. primor. episcopor. cap.* VIII. §. IX. *Opp. Posthum. pag.* 61. *edit. Londin. an.* 1688. Verum, ut ajebam, sive de præfectis, sive de principibus Clementis lo-

Ignatiumque (1) quem cum Petro ipso, & Johanne egisse ferunt, a Papia, qui Apostolos non viderat, fuisse, quæ de magistro litteris commendarunt, mutuatos, quis credat? Rursum si a Papia accepit Irenæus, non a Polycarpo Johannis discipulo, quo usus perinde institutore fuerat, cur aliis in locis Papiam,

tis locus accipi debeat, numquam ex hac epistola efficiemus Paulum martyrem obiisse Romæ, nisi Clementem ipsum de martyribus Romanis agere fateamur. Denique ostendi sibi adversarii volunt, cur Petrum episcopum Romanum, Pontificemque Maximum Clemens Petrum non appellarit, quo genere Paulo superior erat? Ego vero quod Clemens scripserit, quæro, non caussas, quæ plurimæ esse poterunt, quamobrem quædam non scripserit. In epistola vero, qua hæc obiter, ut dixi, complexus est, non fuit opus tot res, tamque magnas commemorare. Tametsi Petrum, Paulumque non multo post *celeberrimos*, *seu præclaro testimonio celebres* nominavit *num.* XLVII. *pag.* 32. περὶ αὐτοῦ, inquit, καὶ κηφᾶ, καὶ ἀπολλῶ . . . . προσεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις μεμαρτυρημένοις, καὶ ἀνδρὶ δεδοκιμασμένῳ παρ' αὐτοῖς *De se ipso* (hoc est Paulo) *&* *Cepha*, *&* *Apollo* . . . *propendebatis enim in Apostolos testatæ sanctitatis*, *& in virum ab illis probatum*. Hoc vero testimonio refelli quoque Harduinus potest, qui ante Clementem Alexandrinum neminem fuisse putat, qui diceret Cepham eumdem, aut non eumdem fuisse ac Petrum. Nam præter Irenæum, cujus nos locum supra descripsimus, Clemens Romanus, ut vides, Paulum, ac Cepham Apostolos testimonio celebres dicit fuisse, Apollo autem virum utrique Apostolo probatum. Atque de Clementis epistola ad Corinthios I. satis dictum esto.

1 Spanhemius *l. ind. cap.* III. *n.* IV. Primo: Epistolam ad Romanos Ignatii esse negat. Labitur. Vide *tom.* IV. *hujus operis pag.* 396. *seqq.* Secundo: Hac usos non fuisse Baronium, Allatium, Valesium scribit, cum de Petri adventu in Urbem agerent. At est id certe levissimum. Non enim omnia illi scriptores animadverterunt. Tertio: in Epistolis genuinis, quæ dicuntur Ignatii, esse quædam, quæ cum Actis pugnent Apostolorum. In ea enim, quæ est ad Magnesianos *acquisisse Antiochenos Christianum nomen dicit Petro & Paulo Ecclesiam fundantibus n.* X. *p.* 107. Verum mala agit Sphanhemius fide. Id enim in interpolata est, non in sincera ad Magnesianos epistola. In genuina quippe *n.* X. *p.* 137. *seqq. ed. Lond. an.* 1746. *tom.* II. *Apost. PP.* nihil simile extat. Possem tamen multis demonstrare, ut componi ea sententia cum Actis Apostolorum queat. Sed non est opus, cum non sit illa Ignatii. Quod vero ea Epistola ad Philadelphenses opponit, *Petrum, Paulumque fuisse nuptiis sociatos*, quæ res epistolis Pauli adversatur, ejusdem momenti est. Nam hoc in vitiata ad Philadelphenos epistola *n.* IV. *pag.* 129. ex III. Clementis Alexandrini *Stromateon* libro desumtum extat; in genuina *n.* IV. *pag.* 151. *tom. eod.* non extat. Quarto: Si interpolatæ hæ sunt epistolæ, inquit, cur non item ea, quæ est ad Romanos? At nos extare item interpolatam Ignatii ad Romanos epistolam, ultro damus: sed genuinis epistolis ad Magnesios, ad Philadelpheos, ad Romanos, quæ perinde extant, utimur. In genuina autem est, quod de Petro diximus. Neque necesse est, ut si una, altera, tertiaque epistolæ Ignatii vitiatæ sint, omnes esse vitiatas oporteat. Quinto: Etiamsi genuina hæc esset ad Romanos epistola, tamen ex eo quod Ignatius scripserit, non sicut *Petrus*, *& Paulus præcipio vobis*, consequens esse negat, Petrum advenisse Romam. Respicere enim Ignatium ad Apostolicam auctoritatem ait. *Pari enim ratione*, inquit, *scripsisse potuit*: *non sicut Christus*, *non sicut ceteri Apostoli præcipio vobis*. Potuerit: per me licet. Sed non scripsit. Solum enim scripsit, *non sicut Petrus*, *& Paulus*, quod certe ad Philadelphenos, ad Magnesios, ad Smyrnæos, &c. non scripsit. Id vero argumento est, venisse ut Paulum, ita Petrum Romam, Romanosque docuisse. Atque hoc mirum est, Clementem, Ignatium &c. qui ad Romanos, vel de Romanis quidquam scripserunt, Petri, & Pauli meminisse easu, non meminisse autem, cum ad alios scriberent. Hoc nisi indicium adventus eorum Apostolorum Romam sit, quid esse possit, non video.

piam, cum ejus aliis de rebus dicta usurparet, nominavit; de Petri vero adventu differens, nullo modo? Alexandrinum autem Clementem, qui Clementis Romani epistolam ad Corinthios legerat, non hunc, sed Papiam fuisse sequutum, persuaderi mihi, si minus demonstratione, quam vocant, at opinione saltem vellem. Nam Cajum, qui monumenta commemorat Apostolorum, quæ sua ætate extabant Romæ, quis putet Papiam habuisse suæ sententiæ auctorem? Nihil de Dionysio Corinthiorum episcopo dico. Hunc enim libros Papiæ vidisse, nescio; vidisse autem epistolam Clementis certo scio. Neque vero is, quæ àb exteris acceperat, sed quæ traditione ècclesiæ, cui præfectus erat, didicerat, ad Soterem scripsit. Mitto recentiores. Hi namque cum Papiam negligerent (1) quæ de Petri adventu, deque illius martyrio, & episcopatu Romano tradiderunt, ea non ex Papiæ, sed ex aliorum scriptis, quos plurimi pendere solerent, in sua transtulerint opera necesse est.

Argumento autem chronologico, quo adversarii abuti consueverunt, nihil fingi potest obtusius. Concedam enim definiri vix, immo vero ne vix quidem posse, Claudione, an Nerone Imperatore Petrus Romam pervenerit. Quid? An concludendum continuo est, eum numquam venisse Romam? Hoc si Spanhemius, si Salmasius, si Turretinus concludant, fateantur necesse est, nihil Marcionem contra religionem orthodoxam ausum fuisse Romæ, nihil ab Athenagora umquam pro christianis scriptum, nihil ab Herode in infantes Bethlehemitas crudeliter imperatum, nihil denique a Christo prædicatum in Palæstina, propterea quod his de rebus, quo tempore aut cœperint, aut evenerint, magna chronologorum dissensione certetur, aliis quidem ocius, aliis paullo tardius contigisse pugnantibus. Quid? si concludendum sit, numquam Athanasium decessisse, Christumque ipsum Servatorem nonfuisse affixum cruci, propterea quod de tempore, quo ille decessit, deque anno,

 men-

1 Nempe Eusebius *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXXIX. *pag.* 119. *Edit. an.* 1746. Hieronymus *t.* IV. *opp. edit. Martian. part.* II. *lib. De Vir. Illustr. c.* XVIII. *pag.* 109. aliique Papiam *simplicem* virum, minusque acutum fuisse memoriæ tradiderunt.

menſe, ac die, quo Chriſtus actus in crucem eſt, magna ſit inter chronologos veteres, novoſque contentio? Age vero cum hiſtorici veteres, Claudio Imperatore, Petrum Romam primum adveniſſe ſcripſerint, quæ demum cauſsa eſt, quamobrem negandum id eſſe videatur? Perſpicua autem in hoc genere eſt non Hieronymi (1) ſolum, ſed etiam Euſebii (2) graviſſimi certe, diligentiſſimique ſcriptoris ſententia. Juſtinus (3) autem martyr, qui altero eccleſiæ ſeculo ineunte floruit, atque alii porro nonnulli Patres, qui Simonem Magum, cum Claudius imperio potiretur, Romam navigaſſe ferunt, qui tandem componi cum Clemente Alexandrino (4), cumque aliis poterunt, qui Petrum coercendi, reprimendique Simonis cauſſa, in Urbem eamdem fuiſſe profectum ſcribunt, niſi Petrum id iter fuiſſe Claudio Imperatore adgreſſum confiteamur?

At Lactantius tum primum Petrum adveniſſe Romam ſcribit, cum jam Nero imperium obtineret. Quis hic eſt, rogo, Lactantius (5)? Nam adverſarii jure neſcio quo ſuo, quaſi certum ſumunt, quod aut falſum omnino eſt, aut dubium. Etſi enim Balutius, Cuperus, Dufreſnius, aliique (6) Lactantium eumdem eſſe atque auctorem libri de Mortibus perſecutorum cenſent; negat tamen Nicolaus Nourrius, a quo, nulla eſt gravis cauſſa, quamobrem eſſe pugnaciter diſſidendum putem. Sed fac is auctor idem atque Lactantius ſit: ubinam *tum primum*, cum Nero imperio potiretur, Petrum adveniſſe Romam ſcripſit? Atque is, cum *Nero imperaret* Petrum veniſſe narrat: *tum* vero *primum veniſſe*, non item. Quæ igitur hæc tam perverſa ratio adverſarios impulit, ut rebus falſis, quæ recte conſtituta ſunt, convellere

1 *Lib. De Scriptoribus Eccleſ. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *part.* II. *edit. Pariſ. Martianai*.

2 *Lib.* II. *cap.* XIV. *pag.* 58. *edit. Taurin. an.* 1746. Et in Chronico *ad an.* II. *Claudii pag.* 44. *edit. Amſtelod.* 1658.

3 *Apologia* I. *n.* XXVI. *pag.* 60. *edit. Veneta an.* 1747.

4 Apud Euſebium *lib.* II. *Hiſt. Eccl. cap.* XV. *pag.* 59. *ſq. edit Taurin.*

5 Lucius Cæcilius *De mortibus perſecutor.* II. *p.* 184. *tom.* II. *opp. Lactantii edit. Pariſ. an.* 1748.

6 In notis ad eundem locum Cæcilii, ut videre eodem *tom. opp. Lactantii* licet.

lere conarentur? An non ſatius fuiſſet Lactantium, ſeu potius Lucium Cæcilium (nam auctori libri de Mortibus perſecutorum id nomen erat) cum ceteris ſcriptoribus antiquis componere, ſtatuereque Petrum ſub Claudio primum veniſſe in Urbem, inde autem diſceſſiſſe, reverſumque rurſum eodem fuiſſe, cum ſummam rerum obtineret Nero? Atque de hoc ſecundo itinere Lactantium agere putandum eſt, cum primum iter Petri ad illius ſcriptoris inſtitutum minime pertineret, qui eorum imperatorum mentionem facere decreviſſet, qui crudeliter in chriſtianos ſævierant. Sed concedam Cæcilium, qui idem atque Lactantius ſit, de primo adventu Petri loqui; nam hoc item liberaliter adverſariis permitti poterit: Quid? hujuſne unius auctoritatem illi tot ſcriptorum, tamque illuſtrium, ut Euſebii, ut Hieronymi, ut Leonis (1), ut aliorum auctoritati anteponendam defendent? Lactantium enim in hiſtoria chriſtianorum diligenter fuiſse verſatum neſcimus; eos autem, quos nominavi, & diu fuiſse, & diligenter, ſummaque cum eccleſiæ utilitate verſatos ſcimus. Scilicet hoc adverſarii faciunt (2), ut quum contra catholicos agant, mul-

1 *Serm.* 1. *in Natali* SS. *Apoſtolor. Petri*, *& Pauli*, qui ſermo in Queſnelliano editione eſt *num.* LXXII. In Cacciariana vero *num.* LXXXII. *cap.* IV. *pag.* 235. *tom.* 1. *opp. edit. Caccicr. Rom. an.* 1753. quo loco quaſi alloquens Petrum: „ Nec mundi dominam times Romam, *inquit*, qui in Caiphæ domo expaveras Sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati, aut ſævitia Iudæorum minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? „ Guillelmus Caveus, qui notam Leoni fuiſſe eccleſiæ Romanæ hiſtoriam perſpiciebat, Leonem oratorem egiſſe ſcripſit: Itaque Petri virtutem, fortitudinemque animi celebraturum, contemptum ab eo Claudium chriſtianis infeſtum dixiſſe, etſi Petrus, dum Claudius imperavit, nunquam ſeſe contuliſſet Romam. *Tom.* 1. *Hiſtor. Litter. pag.* 4. *edit. Colon. Allobrog. an.* 1699. Sed oratori amplificare quidem res, de quibus agit, fortaſſe licet, mentiri autem non licet. Quamobrem fas ſibi putaſſe Leonem virum graviſſimum, atque ſanctiſſimum, quod nemini fas eſſe ſciret, non credam. Mentitus vero fuiſſet, ſi de eo, quem Claudio imperante Romam non veniſſe exiſtimaſſet, ita fuiſſet loquutus, quaſi Romanum ſuſcepiſſet iter. Quæ autem fortitudo animi Petri fuiſſet, ſi Claudium contemſiſſet & abſentem, & in Chriſtianos non modo ſævi quidquam non imperantem, ſed ne cogitantem quidem? Nam etſi Claudius chriſtianos Roma una cum Iudæis pellendos duxit, non religionis chriſtianæ, quam delere conſtituiſſet, ſed quaſi Hebræi eſſent, concitati tumultus cauſſa pellendos duxit. Quamobrem ſi vera Leo prædicat, veniſſe Petrus Romam Claudio imperante, neceſſe eſt.

2 Non eo hæc dico, quo a Proteſtantibus ſolum Lactantium teſtem adventus Petri Romam tum primum, cum Nero imperio potiretur, vocari putem. Nam eſſe aliquos ſcio ex numero catholicorum, qui vocent. In his Stephanus Baluzius in *Adnot. ad lib. de mort. perſecut. capit.* 11. *pagin.* 281. *ſqq. tom.* 11. *opp. Lactant. edition. Pariſ. ann.* 1748.

Pagius

multos sibi afferri testes, eosque æquales temporum illorum, de quibus est sermo, velint; ipsi vero cum novos afferant, repu-

Pagius *ad an.* XLIII. *n.* II. *sq. pag.* 39. *sq. Critic. Baron. edit. Paris. an.* 1689. Ludovicus du Four in observationibus *ad Chronolog. Pontificum*, ut idem est auctor Pagius *ibid.* Quamquam is labitur, dum Danielem Papebrochium sibi esse scribit consentientem. Nullum enim in *Conatu Chronico*, aut *in Appendicibus* locum invenimus, ex quo intelligi queat, negatum ab eo Petri adventum Romam sub Claudio primum, deindeque sub Nerone, aut in controversiam fuisse revocatum. Immo vero *in eod. Conatu Chronico-Historico ad Catalogum Pontificum p.* 12. *n.* IV. *edit. Antuerp.* bis Petrum sub Claudio in urbem sese contulisse Papebrochius narrat. Jam vero Balutius, cumque sequutus Pagius, inde communem, ut ipsi jactant, errorem de episcopatu Romano annorum XXV. Petri, ortum defendunt, quod Cæcilius dixerit ipsis post Christi ascensum XXV. annis religionem fuisse late ab Apostolis propagatam, postque hos annos XXV. Petrum, cum Nero imperaret, venisse Romam. In eamdem fere sententiam, conjecturis inanibus suo more indulgens, ac veluti somnians, multa Dodwellus turbat. *Dissert. singulari de primæva success. Rom. Pont. c.* III. *p.* 113. *sq. adjuncta operibus posthumis Pearsoni edit. Londin. an.* 1688. Sunt autem Cæcilii verba hujusmodi: *Cap.* II. *pag.* 184. *edit. ejusd. opp. Lactant. tom.* II. „ Discipuli undecim . . . . „ adsumtis in locum Judæ proditoris Matthia, & Paulo, dispersi sunt per omnem terram „ ad Evangelium prædicandum, sicut illis magister dominus imperaverat, & per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii, per omnes Provincias, & Civitates „ Ecclesiæ fundamenta miserunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit „. Quibus ex verbis plane liquet, non negari a Cæcilio priorem Petri in urbem adventum sub Claudio. Immo cum is auctor *per omnes Provincias, & Civitates* Imperii præsertim Romani *per annos* XXV. a Christi ascensu in cælum, adeoque ante initium imperii Neronis propagatam fuisse religionem confiteatur, satis indicat, inlatam eam religionem in Urbem fuisse eo XXV. annorum ab ascensu Christi intervallo. Alioqui *per omnes Provincias, & Civitates* numquam Cæcilius dixisset, si in caput orbis Romam inlatum evangelium eo spatio temporis non fuisset. Si ergo ab Apostolorum aliquo, ut Cæcilii oratio postulat, inducta in urbem Christiana religio fuerat, a Petro inducta fuerit, necesse est; cum præter hunc, alium quemquam indicare, qui intulerit, nequeamus. Cur ergo, dicet quispiam, Cæcilius addit: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit?* Scilicet instituerat Cæcilius de *Persecutoribus, mortibusque persecutorum scribere*. Itaque breviter descriptis, quæ gesta ante illatam primam *persequutionem* fuerant, missis iis, quæ ad propositum non pertinerent, ad rem venit, atque hoc initium cohortæ in nostros tempestatis fuisse affirmavit. Petrum Romam Nerone Imperatore, pervenisse, miraculaque edidisse. Nunciatum id fuisse Neroni. Hunc idolorum cultum minui ægre ferentem in nostros acriter sævisse. Non tamen habuisse impune. Confer Nicolaum le Nourry *tom.* II. *Appar. in Bibl. PP. diss.* VI. *in Cæcil. cap.* I. *tit.* IV. *pag.* 1683. *sq. edit. Paris. an.* 1715. Quæ cum ita sint, quid hinc demum extundi contra communem, pervulgatamque sententiam queat, non video. Sed fac ita sese res ipsa, ut Balutius, Pagiusque putant, ab Cæcilio descripta fuerit. Quæro cur potius ex dictis Cæcilii de annis XXV. ortus error Eusebii in *Chronico ad an.* II. *Claud. pag.* 44. *edit. Amstel. an.* 1658. Hieronymi *lib. de Vir. Illustr. cap.* I. *p.* 101. *t.* IV. *part.* II. aliorumque fuerit, quam ex dictis Eusebii, Hieronymique error Cæcilii, qui XXV. annos episcopatus Romani Petri fecerit annos XXV. prædicationis Apostolorum? Ac facilius profecto est ex dictis multorum unius errorem, quam ex unius dictis proficisci errorem multorum. Deinde quis credat hujus libelli auctorem erroris occasionem aliis præbuisse, quem libellum Hieronymus fortasse numquam, Eusebius certe nunquam legerat, qui si non vetustior, at æqualis saltem fuit temporum illorum, quibus Cæcilius floruit. Fortasse autem dixi, propterea quod Nicolaus Lestoquius Doctor ac socius Sorbonicus *Disquisit. de Auctor. lib. de Mort. Perseq. n.* 2. *pag.* XLIX. *tom.* II. *opp. Lactant. edit. ejusd.* librum de *Persecutione* a Lactantio scriptum, & Hieronymo memoratum hunc ipsum defendat esse, qui *de Mortibus Persecutorum* inscribitur.

repugnari sibi nullo modo velint (1). At enim feram id quoque. Vera, ut lubet, prædicarit Cæcilius. Dandum ergo est venisse Petrum Romam. Nam hoc illi cum ceteris antiquis scriptoribus convenit. Quamquam cum equidem a veteribus primum institutorem ecclesiæ Romanorum, primumque qui christianam religionem in Urbem intulerit, Petrum dici intelligam, atque non ex historicis modo, sed etiam ex libris sacris cognosci, perspicique facile posse videam christianos Romæ perplures imperante Claudio fuisse; iis auscultare malo, qui Petrum sub Claudio ipso advenisse Romam, quam uni Lactantio venisse ajenti, cum imperio potiretur Nero. Sed

bitur. *Hieron. De Vir. Illustr. cap.* xxxx. *pag.* 122. *tom.* iv. *par.* II *opp. edit Martianæi Paris.* Neque vero ab Eusebio, & Hieronymo solum, sed ab aliis quoque scriptoribus, iisque vetustissimis xxv. anni episcopatus Romani Petri numerantur. Auctor Catalogi Liberiani (qui si minus ab Anthero Pontifice, ut visum Enschenio (*tom.* 1. *Act. ss. Mensis Aprilis p.* 1 1. *sq. n.* 8. *edit. Antuerp.*) Papebrochioque est (*Propyl. ad Act. ss. Maii p.* 2. *sq. ejusd.*) at Liberii saltem tempore perscribi ab aliquo cœpit, ut ostensum contra Dodwellum ab Schelestratio est: *Dissert. De Antiquis Romanor. Pontific. Catalogis cap.* 1 I. *num.* x. *sq. tom.* 1 I. *Anastasii Bibl. De Vit. Pontif. edit. Rom. Salvioni pag.* xx1 2. *sqq.* ab iisque, qui Schelestratio præiverant, ut a Bucherio, qui Catalogum eumdem post Cuspinianum *Commentar. ad Canon. Paschalem* publicavit, a Petavio *lib.* v. *Rationar. Tempor. cap.* v. a Pearsono *Diss.* 1. *De success. Primor. Rom. Episcopor. cap.* x1 1 1. *num.* 2. animadversum est) auctor, inquam, Catalogi Liberiani sic de Petro statuit: ,, Petrus annis xxv. mense ,, uno, diebus novem, fuit temporibus Tiberii Cæsaris, & Caii, & Tiberii Claudii, & ,, Neronis a Consulatu Vinicii, & Longini, usque Neronis; & Veteris (MS. cod. Bucherii apud Bianchinum *tom.* 1 I. *Anastas. pag.* v 1 1. *& pag.* LXXXV1 1. habet: *Nerva*, *& Veri*: legendum puto *Nervæ & Vestini*, qui an. 65. consules fuerunt). Passus autem cum ,, Paulo die 1 1 I. Kal. ss. Jul. Coss. imperante Nerone ,,. Quæ verba non eo spectant, ut Petrum indicent ab an. 30. quo Vinicius, & Longinus Coss. fuerunt, ad 55. vitam produxisse; sed vixisse Tiberio, Cajo, Claudio, & Nerone Imperatoribus, atque annis viginti quinque Romanam Ecclesiam administrasse, obiisseque Nerva, & Vestino Coss. hoc est anno 65. æræ vulgaris. Quamquam vero ab anno 2. Claudii ad an. 65. anni excurrerint viginti tres, non viginti quinque, non primus tamen is auctor vetus fuit, qui haud recte instituerit annorum supputationem. Addita vet. Pictur. Basilicæ S. Pauli inscriptio legitur hujusmodi: *Petrus sedit an.* xxv. *m.* 1 I. *d.* v 1 1. Confer Francisci Bianchinii *Opusc.* 1 2. *Præfix. t.* 1 I. *Anastas. edit. Salv. Rom. pag.* LX 1 1 1. *sqq. Dissert. De Antiquitat. Romanor. Pontific. Catalog. pag.* LXXXV 1 1 1. Picturas inscriptionesque, quæ in Basilica eadem cernuntur, tempore Leonis 1. perfectas Bianchinius *ibid.* demonstrat. Non discrepat Catalogus Felicis IV. qui sic habet: *An* 25. *m.* 2. *d.* 3. Conveniunt, quod ad numerum annorum attinet, Catalogi *Bergomensis*, *Cavensis*, *Farfensis*, *Lucensis*, *Belgicus Papebrochii*, *Colbertini* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. De ceteris autem scriptoribus, qui Eusebio, Hieronymoque recentiores sunt, non æque inquirendum puto. Sunt enim maximo numero.

1 Clamat enim Johannes Fellus Pseudo-episcopus Oxoniensis *Præfat. in L. Cæcilii lib. edit. Oxon* ,, Hujus tractatus interventu ab inveterato errore nos liberari de S. Petri 25. ,, annorum pontificatu ,,. Similia fere jactant Burnetius Pseudo-antistes Sarisburiensis *Præfat. in version. Anglicam ejusdem libri*. Paulus Baudrius *in Notis ad cap.* 1 I. *libri de Mortibus Persecutor. pag.* 554. *edit Paris. an.* 1643. *tom.* 1 I. *opp. Lactantii*, Dodwellus *loco indic.* Caveus *loco indic.* aliique.

Sed urget Spanhemius (1) fierique ullo modo potuisse negat, ut, si concedantur, quæ Actis Apostolorum, Paulique epistolis continentur, Petrus sese aut Claudio, aut Nerone imperium administrante Romam contulerit. Atque ex Apostolicis quidem Actis constare ait, quarto Claudii anno, qui æræ vulgaris quartus, atque quadragesimus fuit, Petrum egisse in Palæstina, conjectumque ab Herode fuisse in carcerem. Nam Herodis Agrippæ postremus annus, quartus Claudii annus fuit, ut visum Scaligero est; ut aliis quibusdam, tertius. Ante annum igitur quartum Hierosolymis Romam proficisci Petrum non potuisse. Eum enim, antequam contrusus in carcerem fuisset, in Palæstina constitisse. Rursus Petrum, tempore synodi Apostolicæ, in Palæstina adhuc fuisse versatum. Habitam autem synodum anno ab accessu Pauli ad sacra christianorum quarto, ac decimo, qui annus æræ christianæ tertius ac quinquagesimus fuerit, & tertius ac decimus Claudii necesse est. Quod si anno Claudii nono peracta synodus Hierosolymitana est, ut visum Baronio fuit, concedendum tamen esse, contendisse inde Petrum Antiochiam, ibique aliquamdiu mansisse, quumque ante una cum Græcis ad religionem christianam conversis egisset, post metu eorum, qui Hierosolymis ab Jacobo venerant, compulsum (missis Græcis) ad Judæos illos, qui Christum item colebant, accessisse, redargutumque proinde fuisse a Paulo. Quamobrem in eam inductum fuisse Salmasium opinionem, ut reprehensionem Petri in annum Claudii XII. rejiciendam arbitraretur. Septennium porro Antiochiæ degisse Principem Apostolorum, functumque episcopatu fuisse; cumque cathedras occupare nequiret duas, episcopum certe Romanum ad annum LIX. vulgaris æræ minime fuisse, quo tempore imperio Nero jam usque ab annis IV. potiebatur. Quamobrem dum Claudius vixit, nunquam Petrum advenisse Romam. Quid? si ne temporibus Neronis quidem, ut Salmasio placuit. Quamquam si venisset, perpaucis eum annis episcopatu Romano fuisse potiturum. Nam (ut Eutychii, quem tanti Arabes,

1 Spanhemius *cap.* II. *Dissert. ejusd. num.* XIX. *pag.* 50. *edit. an.* 1679.

rabes, Guillelmus Tyrius illustris auctor, Valesius, Ecchellensis, Seldenus, Salmasius, Pocockius, Hottingerus faciunt, mentio prætermittatur, qui Clementem sequutus extremis Claudii temporibus Petrum decessisse indicat) ex Bucheriano catalogo intelligi, eumdem Apostolum perfunctum martyrio fuisse primo imperii Neronis anno, hoc est LIV. christianorum æræ. Ac si superstes ad annum æræ christianæ LX. vel LXI. fuit, ut ex vetustissimo auctore, cujus extat scriptum in Arundeliana bibliotheca, cognosci potest, qui Justino, atque Irenæo assensus quinto post Petri obitum anno Paulum fuisse martyrio perfunctum testatur, haud certe diu illum perstitisse Romæ. Martyrio namque Paulum fuisse perfunctum anno LXV. vulgaris æræ christianorum. Quinetiam ann. LVII. vel LVIII. hoc est Neronis IV. vel V. Petrum non fuisse Romæ, ex epistola Pauli ad Romanos constare. Quinetiam ne VII. quidem Neronis, hoc est anno LX. quo Paulus agebat in Urbe. At eo tempore eminere Romana ecclesia cœperat. Non ergo opus fuisse, ut tam longum post iter Petrus aggrederetur, cum præsertim Simon Magus, cujus caussa a Petro id iter fuisse susceptum veteres tradiderunt, misere periisset.

Sed quam hæc sint levia, demonstrabo brevi. Principio, quod quarto Claudii anno Petrus Hierosolymis fuerit, non sequitur, contendere eum anno secundo nequivisse Romam. An est quisquam histricorum, qui cum apud s. Bonaventuram, B. Franciscum Ordinis Minorum institutorem an. 1219. diebus pentecostes Assisii; & apud Archidiaconum Spalatensem (1) anno 1220. ante Augustum mensem Bononiæ fuisse legat, continuo statuendum putet, eum anno 1219. & 1220. non in Palæstina, neque in Ægypto (2), sed in Ita-

1 Confer Wadiogum *Annal. Minor. tom.* II. *ad an.* 1219. & 1220. qui & S. Bonaventuræ, & Archidiaconi, aliorumque testimonia hac de re aut describit, aut indicat.

2 Confer Epistolam Jacobi de Vitriaco episcopi Aconiensis ad Magistrum *Johannem de Nivella an.* 1220. scriptam, quæ extat *tom.* II. *Gestor. Dei per Francos pag.* 1149. ubi „ Magister illorum (Minorum) Frater Franciscus nominatur, *inquit*, qui adeo amabilis „ est, ut ab omnibus hominibus veneretur. Cum venisset ad exercitum nostrum zelo fidei „ accensus, ad exercitum hostium nostrorum ire non timuit, & cum multis diebus Saracenis verbum Domini prædicasset, & cum parum profecisset, Soldanus Rex Ægypti ab „ eo

Italia fuiſſe verſatum? Innumerabilia producere generis ejuſdem ex vetere hiſtoria cum ethnica, tum eccleſiaſtica exempla licet. Sed eo uno contenti erimus, quo plane eſt conſequens, nihil obſtitiſſe, quin, ut Franciſcus, cui anguſtæ opes eſſent, tam brevi tempore Palæſtinam, Ægyptumque petere, atque in Italiam redire; ita Petrus proficiſci e Palæſtina anno ſecundo Claudii, Romamque venire, atque reverti anno tertio rurſum in Palæſtinam potuerit. Itaque manebit Euſebii, Hieronymique ſententia, Petrum anno Claudii II. Romam profectum ajentium. Cur autem tam cito reverterit, ne ſuſpicari quidem poſſum. Res enim a memoria noſtra remotas, ſilentibus antiquis hiſtoricis, explicare velle, hominum eſt otio, ac litteris abutentium. Interea hoc tenebo: Petrum, teſtibus Euſebio, atque Hieronymo, anno Claudii II. perveniſſe Romam (1): anno autem III. reverſum conjectum ab Herode in vincula fuiſſe, indeque Angeli ſubſidio ereptum, paulloque poſt Herodem ipſum Agrippam periiſse. Id anno III. Claudii, ut viſum Toinando (2), quarto autem, ut Spanhemio placuit (3), contigiſse. Quare Petrum aliquot menſibus anni II. & anni III. Romæ conſtitiſse. Fac autem is XXII. Februarii die in Urbem ingreſsus fuerit, ut ex *Bucheriano* calendario

„ eo in ſecreto petiit, ut pro ſe Domino ſupplicaſſet, quatenus religioni, quæ magis Deo „ placeret, divinitus inſpiratus adhæreret „. Agit autem Jacobus de tempore, quo capta eſt urbs Damiata. Capta vero fuit, eodem Jacobo teſte, nonis Novembris an. 1219.

1 At ne ante quartam quidem profectum e Palæſtina Romam fuiſſe Petrum defendit Spanhemius ibid. „ Ante Petri vincula, *inquit*, fuit conſtanter in Palæſtina Petrus, reverſus „ Cæſarea Hieroſolymam (Vide *Act.* IX. *v.* 26. 21. *v.* 2. *Gal.* 1. *v.* 18.) Actorum unde„ cimo, quo Paulus Damaſco profectus eſt *ἰεροῦσαν ἀνῆλθεν* tertio poſt converſionem anno „ haud longe poſt hujus herodiana vincula „. Sed hoc idem ipſe argumentum evertit *n.* XX. *pag.* 52. cum eſſe aliquos ſcribit, qui anno 1. vel 2. vel 3. ab aſcenſione, Paulum ad Chriſtum fuiſſe converſum putent, hoc eſt (juxta noſtros calculos, qui Chriſtum anno 30. æræ vulgaris in cælum aſcendiſſe cenſemus) anno Chriſti 31. vel 32. vel 33. atque horum ſententiam conjecturis oppugnari fatetor poſſe, teſtimoniis veterum non poſſe. Si ergo anno 33. converſus ad Chriſtum Paulus poſt annos tres ad Petrum venit, veneris aut anno 35. aut anno 36. neceſſe eſt. Verum ab anno 36. ad an. 42. quo Petrum adveniſſe ſub Claudio Romam dicimus, anni ſunt omnino ſex. Uſſerius anno XXXV. Chriſti Paulum ad Chriſtiana ſacra acceſſiſſe putat *pag.* 619. *ſeqq. Annal. part.* II. *edit. Londin. an.* 1654. Huic ſi aſſentiamur ann. 37. Paulus Hieroſolymam viſendi Petri cauſſa aſcendit. *Ibid. pag.* 629. Ab anno autem 37. ad ann. 42. anni ſunt quinque. Igitur plurimum intererat ſpatii, ut Petrus Romam contenderet.

2 In notis in Lactantium, ſeu in Lucii Cæcilii *librum de mortibus Perſecutorum c.* 11. *pag.* 397. *tom.* 11. *opp. Lactantii edit. an.* 1746. *Pariſ.*

3 Spanhem. *loc. ind.* Sequitur autem is Scaligerum, ut *ibid.* ſcribit.

dario intelligitur, quid impedit, quo minus ille ad januarium saltem anno tertio Romæ constiterit, indeque solverit, secundaque usus tempestate in Palæstinam paullo ante pascha appulerit, moxque comprehensus Agrippæ jussu, inque vincula conjectus fuerit? At nemo hujusce reditus meminit. Quasi vero Eusebius adventus Petri Romam anno secundo Claudii non meminerit, traditumque ab Luca non fuerit anno aut quarto aut tertio Apostolum eumdem contrusum in carcerem Hierosolymis fuisse. Quemadmodum enim qui Romam an. II. venit, Hierosolymis an. III. aut IV. esse potuit, qui Hierosolymam non esset reversus? Sed permitto Spanhemio Petrum non venisse anno Claudii secundo Romam. Quid? an ne post quartum quidem ad tertium ac decimum Claudii (1),

1 Ita quidem Spanhemius *ibid. n.* XX. *pag.* 52. qui assentiri sibi Valesium *ad* II. *Euseb. Hist. Eccl. librum p.* 24. *edit. Paris. an.* 1659. videtur dicere. Fallitur. Nam Valesius varias ea de re sententias auctorum describit, nec indicat, quam esse earum putet ad veritatem propensiorem. Nullam autem Spanhemius affert caussam, quare ne tertio quidem ab ascensu in cælum Christi Servatoris anno accessisse Paulum ad sacra Christianorum defendat. Contra fuisse aliquos veterum intelligo, qui illo ipso, quo Christus actus in crucem est, anno Stephanum lapidibus obrutum, Paulumque nostris fuisse sacris initiatum arbitrarentur. In his auctor *Excerptor. Chronologicor.* quæ cum Eusebii Chronico edidit Scaliger: *edit. Amstelod. an.* 1658. *pag.* 82. Quibus etsi non consentit Syncellus, tamen non admodum repugnat. Anno enim a morte Christi tertio Paulum, narrat, Christianæ religioni dedisse nomen. *Chron. pag.* 329. *ad an. Christi* XXXVII. *edit. Paris. an.* 1652. Horum opiniones, quemadmodum (contra Eusebii, Hieronymique scriptorum & notorum, & gravissimorum fidem) refelli Pseudo-Evodii auctoritate (confer *Nicephor. lib.* II. *Histor. Eccl. cap.* III. *p.* 134. *tom.* 1. *edit. Paris. an.* 1630.) queant, qui septimo a Christi Servatoris morte anno fuisse in Stephanum ab Judæis sævitum censet, assequi nullo modo possum. Neque vero vis major Chronico Paschali (quod scriptum seculo septimo est) atque ἐπιτομῇ χρόνων *compendio temporum* (cujus est auctor ignotus) inest, Stephani mortem in annum Claudii primum, Pauli vero conversionem in secundum conjicientibus. *Chron. Pasch. pag.* 231. *edit. Paris. an.* 1688. *Epit. Temper. apud Scaliger. ad Chron. Euseb. pag.* 265. At res sane plures a Christi in cælum ascensu ad tempus, quo colere Paulus religionem christianam cœpit, contigerunt; quas proinde Lucas ipsis octo capitibus complexus est. Ego vero mihi facile persuadeo, quæ octo primis Actuum Apostolicorum capitibus comprehendit Lucas, duorum annorum intervallo evenire potuisse; multo autem magis trium. Auctum enim majorem in modum jam usque a priore post mortem Christi Servatoris anno numerum fuisse christianorum, satis est ex Actis Lucæ perspicuum. Festo namque Pentecostes die tria hominum millia τρισχίλιαι apposita sunt. *Act.* II. *v.* 41. Quinetiam eo ipso anno & restituta per Petrum, atque Johannem claudo salus fuit, & Petri oratione permoti Judæi, ad quinque millia, Christo nomen dederunt, *ibid. cap.* IV. *v.* 4. & adducti Petrus ipse, atque Johannes ad Sacerdotum concilium, & credentes communibus bonis usi, & prodigio Ananias, illiusque conjux Saphira, ob scelus, sacrilegiumque extincti, & umbra Petri miracula patrata, & adducti rursum ad concilium Apostoli, propterea quod Pontificibus, ne de Christo orationem ad populum haberent, jubentibus minime paruissent *cap.* V. *v.* 5. *seqq.* & eodem fortasse anno, aut sum-

qui quinquagesimus ac tertius annus fuerit christianæ æræ? Equidem quemadmodum, qui anno fere uno contendere Romam, reverti que in Palæstinam potuit; proficisci e Palæstina, venire Romam, revertique rursum in Palæstinam novem annorum intervallo nequiverit, nullo modo prorsus intelligo. Ac adferre Spanhemius caussam debuerat, quamobrem putaret, Romam hoc tam longo spatio temporis petere nequivisse Petrum.

summum seqaente dissensionum inter Græcos, Judæosque ortarum caussa instituti diaconi, & Stephanus, qui Spiritu Sancto plenus de Christi laudibus, virtuteque apud populum agere non desinebat, lapidibus obrutus *cap.* VI. *&* VII. & statim in proximas provincias profecti dispersique *fideles*, non Apostoli, quod Spanhemius errans scribit (nam Lucas *cap.* VIII. *v.* 1. *omnes dispersi sunt*, inquit, *per regiones Judææ, & Samariæ* πλὴν τῶν ἀποστόλων *præter Apostolos*) & civitatibus Samariæ nunciatum evangelium a Philippo, & Simon Magus prodigiis a Deo Philippi prece perfectis commotus, baptismo tinctus, & Apostoli de suscepta a Samaritis religione Christiana certiores facti, cum finitima Judææ Samaria esset, & missi ad eos Petrus, atque Johannes, & Hierosolymam reversi, & profectus in locum Gazam propinquam Philippus, & baptizatus Eunuchus, & Philippus a Spiritu translatus Azotum, quæ urbs erat Philistinorum haud longe ab Judæa distans, & Paulus cum Damascum peteret, a Christo, ut sævire in nostros desineret, monitus, sacrisque Christianorum initiatus est *cap.* VIII. *&* IX. Hæc enim cur anno primo, & secundo a morte Christi contingere omnia nequiverint, ne suspicari quidem possum. Sed Paulus baptizatus anno tertio fuerit. Longiore certe tempore non egeremus. Verum hæc illa sunt, quæ prioribus octo capitibus continentur. Quamobrem non erat, cur Spanhemius (non enumeratis rebus, quæ comprehensæ capitibus iisdem essent) octo nobis opponeret capita, ut horum nos numero perterrefaceret, quasi tot capitibus res paucorum annorum intervallo gestas comprehensas credere nefas esset. *At ex omnium consensione Paulus* anno circiter CII. Claudii, tertioque a sua conversione Hierosolymam Petrum visurus contendit. Ita ne vero? Qua Spanhemii tanta confidentia esse potuit, ut quod perspicue falsum est, id nobis objicere auderet? Ac nego, quod jactat de *omnium consensione*. Baronius ecce anno secundo a *Domini ascensione* Paulum Baptismo fuisse initiatum *ad an.* XXXVI. *n.* III. Paulumque ipsum I. Caji Hierosolymam videndi Petri caussa venisse credit. *Ad an.* XXXIX. *n.* IV. Calmetius id iter Pauli Hierosolymitanum conjicit *in an.* XXXVIII. æræ vulgaris, qui Caligulæ secundus fuit *Tab. Chronolog. pag.* 501. *tom.* II. *Differt. edit. Lucens. an.* 1729. Basnagius in *an.* XL. qui tertius Caji Caligulæ annus fuit. *Ad an.* XL. *n.* XV. Usserius in *ann.* 3. Caligulæ *Annalium part.* II. *pag.* 629. *edit. Londin. an.* 1654. Huic assentitur Pearsonius. *In Annalibus Paulinis pag.* 2. *seq. edit. Londinensis opp. Posthum. an.* 1687. Sed longus essem, si omnes persequi, qui a Spanhemio dissident, scriptores vellem. Vix enim ille perpaucos, eosque jam novos, numerare potest, qui ab ipso non discrepent. Jam vero si Paulus, ut nos arbitramur, anno secundo, vel tertio ab ascensu Christi in cælum nostris est sacris initiatus, hoc est anno æræ Christianorum vulgaris XXXI. vel XXXII. vel XXXIII. (nam Christum anno XXX. passum diximus in priore hujusce operis libro) cum post annos vel a sui conversione, vel a priore itinere Hierosolymitano XIV. Hierosolymam venerit ad Concilium, sequitur, ut venerit an. XLV. vel XLVI. vel XLVII. hoc est V. vel VI. vel VII. Claudii, si a conversione sumatur quatuordecim annorum initium: sin a primo itinere, an. XLVIII. vel XLIX. hoc est VIII. vel IX. vel X. Claudii anno. Baronius IX. venisse censet *ad ann.* LI. *num.* VI. *seq.* Huic assentitur Pearsonius *Annal. Paulin. pagin.* 8. *seq.* Qui triennio post, nempe ann. XXXIII. æræ vulgaris Christum fuisse passum defendunt, ii cum annorum XIV. initium a primo itinere ducendum putent, anno LII. æræ Christianorum, sive XII. Claudii Paulum ad Concilium accessisse pugnant. Ita Usserius, *ad an.* LII. *pag.* 654. *tom.* II. *Annal. edit. Lond. supra indic.* Sed modum faciam, ne plus lectori afferam molestiæ.

trum. Sed nullam attulit. Deinde illud item dabo: an. IX. (1) habitam fuisse synodum Hierosolymis, eique præfuisse Petrum. Verum a quarto ad nonum intercesserant anni omnino quinque. Itaque Petrus eo temporis spatio contendere in urbem quiverat. Post synodum autem venisse Principem Apostolorum Antiochiam facile patior. Ab anno vero IX. ad annum XII. Claudii, imo vero ad Neronis tempora Antiochiæ mansisse Petrum, ibique functum episcopatu fuisse, id sane est, quod mihi non inanibus verbis, sed veterum auctoritate ostendi volo. At quod attinet ad annum IX. Salmasius animadvertit; neque negat, quod est de septem annorum episcopatu, Panvinius. Ego vero Panvinium (2) non monumentis, sed conjecturis pugnantem, nihil moror. Multo minus Salmasium (3). Igitur non erat, cur nos Spanhemius derideret, quasi eodem tempore duas a Petro fuisse occupatas sedes fateri cogamur. His constitutis, sequitur, ut evinci ab adversariis nequeat, ad Neronis usque tempora mansisse Petrum Antiochiæ. Miror autem nominari a Spanhemio Eutychium (4) hominem & no-

1 Vide *notationem superiorem*.

2 In *Platinam pag. 9. edit. an.* 1572.

3 Salmasius *Appar. De Primat. Papæ pag.* 47. Sed fac an. XII. Claudii orta inter Cepham, seu Petrum, Paulumque fuerit contentio de ceremoniis legis, Antiochiæ. Quid? Annum primum Petrus venit Antiochiam, episcopatumque Antiochenum constituit? Hieronymus certe, qui anno 2. Claudii episcopatum geri a Petro Romæ cœptum *lib. de viris Illustr. cap.* 1. *pag.* 101. *tom.* IV. *part.* II. *opp.* scribens, statuensque ante fuisse Antiochena Cathedra potitum, satis ostendit, constitutam fuisse a Petro sedem Antiochenam ante an. II. ejusdem Imperatoris, occupatamque a principe Apostolorum. At non est a Scriptoribus Sacris memoriæ traditum. Quasi vero omnia Sacri Scriptores complecti constituissent. Hieronymi verba sunt *Ad. cap.* II. *epist. ad Galat. pag.* 244. *edit. Paris. Martian. opp. tom.* IV. *par.* II. „ Primum episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit „. Confer Eusebium *Chron. pag.* 204. *edit. Amstelod. Scaligerana an.* 1658.

4 Eutychium, qui ab his scriptoribus laudatus fuerit, commemorat *ibid. pag.* 56. Spanhemius. At Guillelmus Tyrius, qui *Seith Filium Patricii Alexandrinum* Patriarcham se sequi scribit in *Prologo Hist. a Tempore Successor. Mahumetis initio tom.* II. *Gestor. Dei per Franc.* non ab Apostolorum ætate, sed ab Heraclio exordium narrandi sumit. Neque vero usquam Chronotaxim Eutychii in omnibus probandam Ecchellensis dixit. Eutychium pugnantia hoc in genere præsertim loqui demonstrat Pearsonius *contra Salmasium* disputans. *De Success. Primor. Episcopor. Diss.* 1. *cap.* VIII. *pag.* 64. *opp. Posthum. edit. ejusd. Lond.* Ac mirabile sane est, Salmasium, Spanhemiumque adversus iter Petri Romanum agentes, ausos esse præsidium ab Eutychio petere, qui omnium Ecclesiarum traditionem conculcatus, Petrum Romæ Nerone imperante cruci fuisse affixum dixit, *pag.* 336. *edit. Procockii Oxon.*

novum, & non historiæ scriptorem, se collectorem ineptiarum. Nam ab eo, qui Eusebium negligat, quisquam ne laudari Eutychium feret? Atenim sunt, qui Eutychio plurimum tribuendum putent. Fateor, si de rebus, quæ non multo ante illius ætatem contigerint, sermo sit; sin autem de iis, quæ multo ante, ut est iter romanum, martyriumque Petri, nunquam animum inducam, ut fatear. Quod de Bucheriano calendario idem scribit Spanhemius, falsum est. Nerva (1) enim, & Vestino Coss. hoc est an. LXV. æræ Christianorum qui XII. Neronis fuit obiisse martyrem Petrum tradit, ut supra est demonstratum. Non me movet vetusti illius auctoris sententia, qui anno post martyrium Petri quinto, Paulum decessisse affirmat (2). Quis enim sit, ignoramus. Ego Dionysio Corinthio (3) assentior, qui utrumque Apostolum eodem ann. martyrem obiisse scribit. Ignoto enim, misso scriptore & noto, & vetere, nemo ex me, ut assentiar, extorquebit. Quod Petrus Neronis quarto, quinto, septimoque anno Roma abfuerit, non laboro. Modo octavo, aut nono, aut decimo, aut undecimo, duodecimoque fuerit. Non fuisse autem opus ut Romam post annum Neronis septimum reverteretur, id vero sibi quo jure adversarii sumant, nescio.

Oxon. an. 1658. Omnium dixi Ecclesiarum, cum id non monumenta solum Ecclesiarum Latinæ, atque Græcæ, ut visum hactenus est; sed etiam Orientalium quarumque ferant. Horum aliqua recenset Ecchellensis *Eutych. Vindic. cap.* XXIV. *sqq. pag.* 242. *sqq. edit. Rom. an.* 1661. quem consulere lector poterit.

1 *Vide pag.* 561. *hujus vol.*

2 Spanhemius *ibid. pag.* 56. „ Plane sic vetustissimus Auctor, quem ex Harundeliana Bi-
„ bliotheca profert Patricius, tradidit, ut ex Justino, & Irenæo, Paulum ἐφ' ὅλοις ἔτεσι
„ πέντε *totis annis quinque* excepisse martyrio Petrum „.

3 Dionysii locum adduximus *pag.* 545. Sed cum non ita somus interpretati, at Valesius voluit, qui ob acceptam aliorsum, atque græca postulent verba, tanti scriptoris sententiam, a Pearsonio *De Success. primor. Rom. Episc. Diss.* I. c. VIII. n. III. p. 34. *sq.* reprehenditur. Græca enim Dionysii apud Eusebium *lib.* II. *cap.* XXV. sic habent: καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν: quæ latine ad verbum reddi possunt hoc modo: *Etenim ambo & in nostra Corintho* (non ait Dionysius venisse utrumque eodem tempore) *plantantes nos* (adde *in fide*) *similiter docuerunt; & similiter in Italia audacter docentes martyrio functi sunt eodem tempore* „. Quamobrem Gelasius Pontifex & doctior, & harum rerum peritior, & antiquior Eutychio *In Concil. Rom. an.* 494. *pag.* 938. *tom.* II. *concilior. edit. Hard.* „ Petro, *inquit*, data est societas beatissimi Pauli Apo-
„ stoli vasis electionis, qui non diverso, sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eo-
„ demque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coro-
„ natus est „.

ſcio. Nam etſi celebritas tunc Romanæ eccleſiæ magna erat, tamen Petro eccleſiam, quæ ipſius cauſſa tantam conſequuta fuiſſet celebritatem, inviſere opus erat. Tametſi permultæ rationes Apoſtolorum principem, ut Romam peteret, impellere potuiſſent, quæ ut ipſi perſpectæ erant, ita nos propter vetuſtatem prætereunt. Sed ne multa perſequar, & operis brevitas, & feſtinatio, ut de epiſcopatu Petri Romano diſſeram, ſunt impedimento. Hoc certum eſt: veterum teſtimonio Principem Apoſtolorum anno XI. atque XII. ac XIII. Neronis Romæ fuiſſe, quo anno martyrio functus eſt. Id adverſarii numquam refellere poterunt.

Quod ſi perierat Simon Magus ſub Claudio, ſunt autem, qui poſt periiſſe (1) putent, nihilo ſecius cauſſæ eſſe multæ Petro, ut dixi, Romam revertendi poterant. Harum fuit una epiſcopatus, quo ſuſcepto, nunquam ſummus Apoſtolus commiſiſſet, ut ſi facta ipſi redeundi poteſtas eſſet, alibi ſibi eſſe perpetuo manendum judicaret (2). Summa eſt, Petrum anno Claudii ſecundo, Februario menſe veniſſe Romam (3), idque

1 Objicit hæc Spanhemius *c.* II. *n.* XXII. *p.* 57. *ſeq.* Itaque aſſentiri Euſebio videtur, Simonem ſub Claudio mortuum ajenti, a quo tamen de Petri itinere agente diſſidet. Quamobrem non quod ratio poſtulat, ſed quod lubet, imprudens ſequitur. Quamquam non tam eſt, quam ipſe putat, perſpicua Euſebii de tempore interitus Simonis ſententia. Confer *lib.* II. *Hiſtor. Eccl. c.* XV. *p.* 59. *edit. Taurin.* Valeſius autem argumentando effici ex eo Epiſcopi Cæſarienſis loco poſſe concludit, Simonem imperante Claudio periiſſe. *In adnot. ad idem* XV. *Euſebii Hiſtor. Eccl. caput, pag. eadem*. Verum etſi Patres, ut Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* VI. §. XV. *pag.* 96. *edit. Pariſ. an.* 1720. Sulpicius Severus *lib.* I *in Hiſtoria p.* 160. *edit. Veron. an.* 1754. *tom.* II. Maximus Taurinenſis *Homil.* V. *de ſ. Apoſtolis p.* 355. *edit. Veneta an.* 1741. aliique, quos Tillemontius *tom.* I. *monum. Hiſtor. Eccl. vit. ſ. Petri art.* XXXIV. *pag.* 76. *ſeq. edit. an.* 1732. & Touteeus *in adnotatione ad locum modo indicatum Cyrilli*, Baronius *ad an.* LXVIII. *n.* XVI. *& ſeqq.* numerant, ita de Simone diſſerant, ut eum Nerone Imperatore deceſſiſſe, ſtatuere videantur; tamen aſſentiar Euſebio. Quid tum? an quia Simon ante perierat, prærepta Petro revertendi in Urbem poteſtas fuit? Ego vero ſatis Petro ob ſuſceptum epiſcopatum fuiſſe defendo, non modo ut ſemel, ſed etiam ut toties rediret, quoties ſeſe illi opportunitas obtuliſſet. Conſule Tillemontium *Vita ſ. Petri art.* XXXI. *pag.* 71. *tom.* I. *monum. Hiſt. Eccl. edit. Bruxell. an.* 1732.

2 Tillemont. *ibid. & art.* XXXIII. *pag.* 75.

3 Calendar. Liberianum a Bucherio, Blanchinio, aliiſque editum ad d. VIII. Kalen. Martias habet: *Natale Petri de Cathedra*. Vide *tom.* II. *Anaſtaſ. Bibliot. Vit. Roman. Pont. Opuſc.* II. *pagin.* IX. *edit. Rom. Salvioni ann.* 1723. Hoc Toinardus loco diem adventus Petri in urbem indicari cenſet. Nec enim adventus indicatur Antiochiam. Romæ enim olim, qui ejus eccleſiæ [illegible] qui aliarum proprii erant, feſti dies celebrabantur: Toinard. *loc. citat.* At Franciſcus Blanchinius Cathedræ Antiochenæ conſtitutionem refert in XXII. Februarii diem, nempe ad d. VIII. Kal. Martias, Romanæ autem ad XXV. Aprilis diem,

idque non ex Eusebio, Hieronymo (1), Orosio (2), calendario Bucheriano (3), catalogis Pontificum Romanorum (4) sive antiquis, sive recentibus modo, sed etiam (5) ex

diem, idque ex notis annorum, mensium, atque dierum colligit, quibus Petrus in Catalogis quibusdam fertur Sedem occupasse Romanam. Etsi enim non negat a Petro episcopatum Romanum fundatum fuisse xv. Kal. Febr., primatum tamen ei ecclesiæ ante diem xxv. Aprilis datum negat. Sed est id argumentum levissimum. Nam Catalogi, ut in annis conveniunt, ita in mensibus diebusque indicandis discrepant. Etenim Liberianus mensem numerat I. dies IX. Cavensis I. d. V. Colbertinus primus m. I. d. VIII. Colb. quartus m. I. d. VII. Colbertinus sept. m. III. d. VII. Ceteri etsi in mensibus duobus indicandis, congruant; in diebus tamen dissident. In picturis enim Basilicæ s. Pauli dies sunt scripti VII. ut etiam in Farfensi catalogo, in Lucensi, & in Belgico Papebrochii: At in Bergom. dies VIII. ut in Colbertino tertio, & quinto. Quin etiam in Colbertino secundo dies numerantur III. Cum igitur tanta sit in notis mensium, dierumque diversitas, non est cur quisquam retrocedendo, comperire se ex Catalogis mensem, diemque, quo Petrus Romam attigit, speret posse. Longius autem petitum argumentum est, quod ex Litaniis, quæ ante Gregorium Magnum xxv. Aprilis die haberi solebant, concludit Blanchinius; plures enim earum supplicationum esse caussæ poterant, ut perdifficile sit ostendere, eas ob adventum Petri fuisse institutas. Blanchin. *in not. ad Anastas. sect.* I. *n.* VI. *pag.* 8. *seqq. tom. eod.* II. Adeundus Fogginius *de Roman. D. Petri Itiner. & Apostolat. exercitat.* XIX. *pag.* 446. *seq.*

1 Confer Eusebii, & Hieronymi testimonia indicata *supra pag.* 562. *hujus vol.*

2 *Hist. lib.* VII. *cap.* VI. *p.* 466. *seq. edit. Haverc.* „ Claudius ab Augusto quartus regnum „ adeptus est, mansitque in eo annos quatuordecim. Exordio regni ejus Petrus Apostolus „ Domini Nostri Jesu Christi Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli „ verbo docuit, potentissimisque virtutibus adprobavit. Exinde Christiani Romæ esse „ cœperunt.

3 Ex Calendario Bucheriano, ut paullo ante ostensum est, Petrus Romam venit XXII. Februarii mensis die: ex Catalogo vero, ut *pag.* 565. *in adnotation.* constitit annis XXV. m. I. d. IX. Romæ mansit. Obiit autem Nerva, & Vestino Coss. d. III. Kalen. Jul. hoc est an. 65. vulgaris æræ. Petrus Franciscus Fogginius Nervæ, & Vestini consulatum nostro arbitratu Catalogo Liberiano, non veritate, apponi ait. *Exercit.* XVI. *pag.* 38. Ac de Paglo quidem loquens: *ex libidine*, inquit, *non secus ac Bollandus legit Nerva, & Vestin. Coss. nomina, ubi codex, unde illum Catalogum Bucherius edidit, habebat nomina Nerva, & Veri.* At Nerva consul sane aliquando fuit; Verus autem cum Nerva numquam. Novi, inquit; *Sed cur potius non substituuntur nomina Neronis, & Veteris, ut fecit Bucherius?* Verum quis Fogginium docuit *Nerva* nomen converti in nomen *Neronis*, & nomen *Veri* in *Veteris* nomen posse; nomen autem *Ver.* in *Vest.* nomen non posse? An enormem tot litterarum immutationem feram; exiguam contra unius, duarumve litterularum non item? Neque me movent Consulum nomina *Saturn.* & *Scip.* sub quibus auspicatum fuisse Linum Pontificatum Catalogus indicat. Nam aliquos errores ejusmodi legi solere in Catalogo, idem fatetur Fogginius. Quare Catalogum sequor, cum consentit ceteris: cum a ceteris discrepat, nullo modo.

4 Vide *pag.* 565. *hujus vol. in adnot.* Ex his autem Catalogis, Petrum XXV. an. episcopatum Romanum gessisse intelligitur. Quod si annus XXV. inchoatus, non completus fuit, Petrusque, ut in priore volumine diximus, an. LXVI. æræ vulgaris cruci suffixus est, jam an. XLII. Æræ vulgaris Petrus Romam venire potuit. Nam a Februarii mensis XXII. die an. XLII. ad XIX. Junii ann. LXVI. anni numerantur XXIV. m. IV. d. VII. Adeundus Fogginius *exercit.* XVI. *pag.* 742. *seqq.* quo quidem loco multorum hac de re systemata proponit, ac rejicit, quodque est de Petri martyrio in annum LXVI. rejiciendo, facile probat.

5 Vide *pag.* 572. *hujus vol. not.* 3. Is autem ut Corinthiam, ita Romanam ecclesiam *fundatam* ab Apostolis scribit. Fundata autem a Paulo non est, qui Christianos invenit Romæ. Itaque a Petro fundata fuerit, necesse est.

ex Dionysio Corinthio, ex Irenæo (1), ex vetustissimo auctore Prædicationum (2) Petri, ex Papia (3), ex Clemente Alexandrino (4), ex Tertulliano (5), Origene (6), Cypriano, aliisque (7) intelligi, qui in Urbem primum doctrinam Evangelii a Petro illatam tradiderunt. Nam eos, qui aut ab Andronico, & Junia (8), aut ab Urbano Pauli adjutore aut

1 Confer *p.387. sqq. hujus vol. not.2. seqq.* Multa adversus Irenæum Spanhemius jactat c.III.n.2 a 1a. p.99. Fabulas illius ætate permultas fuisse in ecclesiam invectas scribit. A Papia eum fuisse institutum, qui absurda consectatus esset. Factum ab eo seniorem Christum, quam fuerit. Sed quam hæc sint levia, nemo non videt. Nam si eorum scriptorum rejicienda in omnibus testimonia essent, quorum ætate permultæ jam fabulæ invaluissent, quique aliqua in re lapsi essent, institutique a magistris, qui res difficiles assequi nequivissent, nullum jam historicum, scriptorem nullum haberemus, quem sequi liceret. At fundatam, *inquit*, fuisse Irenæus non a Petro solum, sed a Petro, & Paulo ecclesiam Romanam scribit. Ridiculum! Cum enim initia, progressusque Romanæ ecclesiæ Irenæus persequeretur, satis futurum arbitrabatur, si utrumque Apostolum commemoraret, quorum quidem alter, ut Petrus, fundarit, alter eam una cum Petro ædificaverit. Sed in hujusmodi Spanhemii nugis refellendis diutius tempus conterere non vacat.

2 Haud post longe initium 2. seculi scriptum Pearsonius putat κήρυγμα τοῦ Πέτρου *Prædicationem Petri*, qua usus interdum Clemens Alexandrinus fuit *l.v. Stromateon.* Pears. *Diss.* 1, *cap.* VIII. *pag.* 34. *de Success. Primor. Rom. Episcopor.* Ejus *Prædicationis* locum indicat Lactantius *lib.* IV. *cap.* XXI. *Institut. edit. Paris. pag.* 332. *tom.* 1. *opp.*
„ Sed & futura aperuit iis omnia, *inquit*, quæ Petrus, & Paulus Romæ prædicaverunt, & ea
„ prædicatio in memoriam scripta permansit &c „.

3 Vide *pag.545. hujus vol. not.* 3.

4 Vide *pag 545. hujus vol. not.* 4.

5 Vide *pag.391. hujus vol. not.* c.

6 *Pag.545. hujus vol. not.* 8.

7 *Ibid. p.394. h.v. n.1. Sulpic. Sever. l.* II. *Hist. p.158. edit. an.*1754. Cum autem ii aut Episcopum Romanum fuisse Petrum, aut ab eo institutam ecclesiam Romanam tradant, satis ostendunt, ante Petrum, qui Romæ Apostoli munere fungeretur, extitisse neminem. Summam autem hac de re gravissimorum virorum consensionem prudens quisque conjecturis anteponet Spanhemii scriptoris & novi sane, & in sedem Romanam male animati.

8 Hos nobis primos religionis christianæ propagatores in Urbe Spanhemius objicit *cap.* II. §. III. *pag.* 36. „ Erant, *inquit*, in Romana Ecclesia professi christianam fidem
„ Andronicus, & Junias, qui ante Paulum γεγονότες ἐν Χριστῷ id est calculo Baroniano an-
„ te annum a Passione II. Tiberii XII. revera ante Caji Caligulæ ultimum, quo conversus est
„ Paulus. Quo tempore si jam Romam illatum fuit Christi nomen, non utique per Petrum
„ agentem tum in Palæstina &c „. Ita is, quæ a nemine dicta, scriptave unquam fuerint, probat: quæ vero dicta, scripta, posterorum memoriæ commendata a discipulis Apostolorum, a viris doctissimis, ac sanctissimis, a diligentissimis, antiquissimisque historicis sunt, longa verborum circuitione explicanda, contorquenda, extenuanda, rejicienda, neganda censet, modo ne Petrus venisse Romam videatur. Et hunc tamen sycophantam omnia turbantem, atque miscentem Baudrius in *Luc. Cæcil. c.* II. *lib. de Mort. Persecut. p.*556. *tom.*II. *edit. Paris. an.*1748. consulendum statuit, una cum Salmasii opere de Primatu Papæ, si veritatem quisquam *penitus* perscrutari velit. Sed ubi est veritas? In commentis credo innumerabilibus, inque inanibus conjecturis, quæ nullo teste, nullo vetere monumento, nulla gravi conjectura nituntur. Atque Andronicum, & Juniam (Junium fecit Spanhemius contra fidem Codicum mss.) γεγονότας ἐν Χριστῷ nominat. At Juniam Chrysostomus mulierem dicit fuisse.

Ho-

(1), aut a Barnaba (2) primum inlatam putant, cum nullis idoneis testibus uti soleant, nihil moror.

Neque

Hom. XXXI. *n.* II. *p.* 747. *t.* IX. *opp.* Hos vero christianos factos non modo triennio ante ultimum Caligulæ annum; sed jam etiam usque a Tiberii temporibus, facile equidem patior: ἐπισήμους quoque ἐν τοῖς ἀποστόλοις *nobiles in Apostolis* non patior solum, sed etiam libens concedo: venisse autem eos ante Petrum Romam, id vero est, quod mihi demonstrari scripturarum, quas noster hic Aristarchus jactat, nec sequitur, aut veterum saltem auctoritate volo. Nam ex verbis Pauli XVI. *c. ep. ad Rom. v.* 7. οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν χριστῷ, *qui & ante me fuerunt in Christo*, descendere quisquam ad Andronici, Juniæque *conversionem* in annum aliquem Tiberii, aut in annum II. ante postremum Caligulæ conjiciendam fortasse potest; a *conversione* autem ad adventum eorum, prædicationemque ante Petrum in urbem Romam, qua demum confidentia, quibusque argumentis potest? Præcipitare illuc quidem est, non descendere. Paulus namque factos illos ante se Christianos affirmat; statim vero, atque Christo dederunt nomen, in Urbem fuisse profectos, non item. Immo vero cum συναιχμαλώτους *concaptivos* eosdem appellet suos, dilucide sane, perspicueque demonstrat, eos aliquamdiu in Oriente constitisse, ut una capi cum cognato Paulo, plectique causa religionis possent. Alioqui dici commode nequiret, eos πολλῶν αὐτῷ κεκοινωνηκέναι κινδύνων *consortes ipsi multorum periculorum fuisse*. Vide Chrysost. *ibid.* Atque hoc sensu Paulus *in epistol. ad Coloss. c.* IV. *v.* 10. ἀσπάζεται, *inquit*, ὑμᾶς Ἀρίσταρχος ὁ συναιχμάλωτός μου. *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus*. *Concaptivum* enim vocat, quo cum una simul aliquid acceperat calamitatis. Neque enim *concaptivum* licet proprie dicere, qui longe cum distet, tum aliquid perpessus fuerit mali. Nisi forte velimus omnes, qui tum erant, aut plerosque saltem Christianos concaptivos fuisse Pauli, quod nulli fere essent, qui sæpe *non inter medios versarentur hostes, hastasque viderent, & acutos gladios, acresque pugnas*, ut inquit Chrysostomus explicans quod illud fuerit genus captivitatis Pauli: *Ibid.* Ac nisi ita res esset, cur hos solum *concaptivos* Paulus appellavisset, non Aquilam, & Priscillam, qui pro *anima Pauli suam ipsorum cervicem posuerunt*? *Cap.* XVI. *epistol. ad Rom. v.* 4. Hos namque συνεργοὺς ἐν χριστῷ *cooperatores* suos in Christo appellat, quod simul cum ipso laborassent; quod autem non una capti essent, συναιχμαλώτους *concaptivos* minime appellat. Cur vero Tryphænam, & Tryphosam κοπιώσας laborantes in domino vocat, συνκοπιώσας *collaborantes* non vocat? *Ibid. v.* 12. Cum igitur nulla ratio sit, cur Andronicum, Juniamque ante Petrum Romam venisse statuendum sit; contra vero tot gravissimorum, antiquissimorum, diligentissimorum & Patrum, & Historicorum auctoritate liqueat primum omnium fuisse Petrum, qui religionem christianam in urbem intulerit, quid est, quod hunc Spanhemius, aut non venisse omnino, aut si venit, post Andronicum, Juniamque Christi nomen in Urbe prædicasse putet? Basnagius, qui longe hoc cautior fuit, a quo primum jactu Romæ religionis fundamenta fuerint, definiri nullo modo posse arbitratur. *Ad ann.* XLII. *n.* XI. *pag.* 515. Scilicet etsi Petrum Romam venisse concedit, tamen quod Protestantes solent, contra veterum fidem, negandam ei inlati in Urbem nominis christiani gloriam putat, ne omnia catholicis dedisse videatur. Confer Fogginium *Exercit.* V. *pag.* 88. *seq.*

1 Urbanum Paulus *in epist. ad Rom. cap.* XVI. *v.* 9. συνεργὸν *cooperatorem* suum vocat, sed quo primum tempore Urbanus idem sese in Urbem contulerit nusquam indicat. Vide Fogginium *ibid. pag.* 89.

2 Fabulator ille *Recognitionum Petri* scriptor *lib.* I. *num.* VII. *tom.* I. *Apostolicorum Patrum edit. Amstel. an.* 1724. *pag.* 494. Pseudo-Dorotheus in Synopsi *tom.* III. *Biblioth. Patr. pag.* 427. *edit. Lugd.* & Pseudo-Hippolytus *de Discip. Christi pag.* 41. *tom.* I. *opp. edit.* 1716. Barnabam aut Mediolanensibus christianam religionem aut Romanis explicuisse, primumque fortasse eorum fuisse videntur dicere. Ego vero antequam Petrus Cornelium ad sacra perduxisset Christianorum, quemquam fuisse discipulorum Christi, qui ethnicis decreta nostra, mysteriaque exponeret, non modo non concedere, sed ne suspicari quidem possum. Adeundus Fogginius *ibid. pag.* 98. *seq.*

Neque me Tertulliani (1) locus movet, quem contorquet Basnagius (2), ut efficiat christianos jam usque a Tiberii temporibus floruisse Romæ. Nam Tertullianus cautum a Tiberio fuisse scribit, ne quis christianos ob religionem vexare auderet; christianos autem Romæ ullos fuisse, Tiberio Imperatore, numquam scribit (3).

Extremum est argumentum adversariorum e silentio Lucæ, ac Pauli conclusum. Huic autem tantam vim inesse Spanhemius clamitat (4), ut (mirare hominis acumen) non

1 *Apologet. cap. v. pag. 21. seqq. edit. Haverc. ann.* 1744. „ Tiberius ergo cujus tem„ pore nomen christianum in seculum introivit, annunciata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic „ veritatem illius divini declarant, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Sena„ tus quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit comminatus periculum ac„ cusatoribus christianorum „. *Cap.* xxi. *pag.* 78. „ Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse „ jam pro sua conscientia christianus, Cæsari tum Tiberio nunciavit. Sed & Cæsares cre„ didissent super Christo, si aut Cæsares non essent seculo necessarii, aut si & christiani „ potuissent esse Cæsares. Discipuli quoque diffusi per orbem ex præcepto magistri Dei „ paruerunt, qui & ipsi a Judæis insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia veritatis „ libenter Romæ postremo per Neronis sævitiam sanguinem christianum seminaverunt „. Descripserunt locum priorem Eusebius *lib.* II. *Hist. cap.* II. *pag.* 44. *sq. edit. Taurin.* & Orosius *l.* VII. *Hist. c.* IV. *p.* 460. *seq. edit. an.* 1738. Negavit factum Tanaquillus Faber Calvinianus *Ep.* XXI. *l.* II. *p.* 32. *sq. edit. Salmur. an.* 1665. *p.* I. Ab eo autem non ad unum dissident Havercampius in *not. ad eumd. Tertull. loc. p.* 21. *n.* 1. & Samuel Basnagius *Ad an.* XXII. *num.* CXCII. *pag.* 433. *sq.* Contra factum defendunt præter ceteros Baronius ad *an.* XXXIV. *num.* CCXXIV. *sq.* Huetius *Demonstr. Evang. prop.* III. *num.* XXII. *pag.* 43. *edit. Lipf. an.* 1722. Tillemontius in *Vit. Petr. Art.* XIX. *pag.* 62. *sq. & not.* XVI. *sq. tom.* I. *Mon. Hist. Eccl. edit. Bruxell.* Fogginius *ibid. pag.* 95. *sq.* & e protestantibus Pearsonius *Lect.* IV. *in Acta num.* XIV. *pag.* 63 *sq. edit. Londin. opp. Posthum. an.* 1688. Adnotatores ad *cap.* II. *libri* II. *Hist. Eccl. Euseb. pag.* 713. *edit. Taurin.* Theod. Hasæus *lib. singul. de Decreto Tiberii, quo Christum referre voluit in numerum Deorum: edit. Erfurt. an.* 1715. & Auctor *Dissert. Gallica* de hoc eodem argumento, quæ extat *Tom.* XXII. *Biblioth. Germ. pag.* 147. *& tom.* XXIII. *pag.* 12. Mitto ceteros, ne sim longus.

2 Basnagius ad *an.* XLII. *n.* XI. *p.* 524. Si Tertulliano, *inquit*, credimus, regnante Tiberio, Romæ Christi discipuli *fuerunt*. Udalricus Velenus, qui Villelmum magistrum Wiclefi sequutus (confer Thomam Valdensem *lib.* II. *art.* 1. *c.* VII. *p.* 81. *edit. an.* 1532. *tom.* I.) Petrum Romam venisse negavit *lib. supra indic. pag.* 12. apud Goldastum *Tom.* III. *Monarch. edit. an.* 1617. præter Tertullianum, Orosium etiam suæ de Christianis sub Tiberio consistentibus opinionis testem vocat. Ab iis autem non omnino dissentit Spanhemius *ibid. num.* VIII. *pag.* 36.

3 Confer modo descriptum Tertulliani locum. Ad Orosium quod attinet, adeat illius quod paullo ante adduximus, testimonium lector, perspicietque, ante Petri in Urbem adventum inlatam a nemine Romam fuisse Christianam religionem. Quamobrem mirum est, Velenum tanta impudentia esse potuisse, ut auctorem erroris sui appellare renitentem, obluctantemque veterem Historicum auderet. Orosio vero consentiunt Auctor Historiæ *Arabicor. Concilior. quæ omnibus Orientalium synodicorum editionibus* præfigi solet. Confer Ecchellensem *Eutych. Vindic. cap.* XXIV. *p.* 243. Salamonem Metropolitam Euphratis Misanis Nestorianus *in Compendio vitar.* XII. *Apostolor apud eumd. pag.* 249.

4 Spanhemius *Dissert. ead. cap.* II. *num.* III. *pag.* 25. *sqq.*

negativum, sed *positivum* esse arbitretur. Est vero hujusmodi. Quod Lucæ memorandum omnino erat, si evenisset, id Lucas silentio non præterisset. Memorandum autem Lucæ omnino erat Romanum, si susceptum a Petro fuisset, iter; sive finem constituendi caput christianæ reipublicæ; sive peragratarum ante Syriæ, Cappadociæ, Galatiæ, Ponti, Bithyniæ, Græciæ, Illyrici, Siciliæ rationem; sive res gestas, ut gentes ad christianam religionem adductas, ut provincias salutatas, ut collectas ecclesias, ut patriarchatus institutos, spectes. Igitur cum ejus itineris nulla fuerit ab Luca facta mentio, susceptum id iter numquam a Petro fuisse credendum est. Quid? si illius commemorandi occasio Lucæ non defuit? Quum enim Simonem in Samaria a Petro acriter reprehensum: quum Apostoli ejusdem profectiones Lyddam, Joppem, Cæsaream, &c. quum res Antiochiæ a viris primo Cypriis, & Cyrenæis, tum a Paulo, & Barnaba perfectas: quum in vincula Principem Apostolorum conjectum: quum illius in Hierosolymitana synodo dicta: quum appellatum a Paulo ad Cæsarem: quum huic Romam advenienti obviam processisse fratres, narraret; nonne nactus erat itineris illius commemorandi opportunitatem? Aut enim aderat Petrus, cum Paulus advenit Romam, aut aberat. Si aderat, nominandus ipse; si aberat, caussa, cur abesset, indicanda erat. Adjungit mox Spanhemius, errare vehementer eos, qui *negans* id esse argumentum censent, si Lucas rem tantam præterire neque debuerit, neque potuerit. Quamquam ne contemnendum quidem esse arbitretur, tametsi *negans* habeatur. Eusebium enim *negante* argumento niti quoties apocrypha respuit. Idipsum Baronium, Allatiumque de Marcellino Pontifice, deque Johanna Papissa disputantes facere.

Pergit Spanhemius, ac si potuit, inquit, Lucas: Paulus certe ad Romanos scribens iter Petri tacere, si susceptum fuisset, non potuit. Datam enim epistolam ad Romanos a quibusdam dici anno octavo & quinquagesimo, qui secundus Neronis fuerit. Id sibi minime probari, quod vix ante VII. Neronis annum scriptam arbitretur. Petrum autem non fuis-

fuiſſe Romæ,cum Paulus ſcriberet.Eum namque, ut ceteros, ſalutaſſet, ſi Romæ eo tempore verſatus eſſet. Quin etiam ne ante quidem in Urbe Petrum fuiſſe. Paulum enim,qui eos commemoret, quorum opera propagata in Urbe religio fuerat,fuiſſe item Petrum commemoraturum. Id cum non fecerit, argumento, & quidem ſatis magno eſſe, Petrum numquam ante vidiſſe Urbem. Jam vero Doctorem gentium, qui iis eccleſiis,quas Apoſtolorum aliquis inſtituerat,ſuperædificare quidpiam nolle ſe iiſdem in litteris ad Romanos dicit, venturum nunciandæ religionis cauſſa Romam,ſi huc Petrus ſe contuliſſet,incredibile videri. Deinde Petrum Apoſtolum fuiſſe Judæorum: quamobrem in Urbem venire non debuiſſe, in qua perpauci ex ea gente homines verſabantur. Romanam autem eccleſiam ex ethnicis potiſſimum coaluiſſe, qui ad chriſtianam rempublicam ſe aggregaverant. Denique in epiſtolis omnibus, quas Paulus Romæ ſcripſerit, ut in iis, quæ ſunt ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Epheſios, ad Philemonem, ad Hebræos, ad Timotheum II., nullam fieri Petri mentionem, cum tamen Clementis, Lucæ, Timothei, Marci, Ariſtarchi, Demæ, Epaphræ fiat. In epiſtola autem ad Coloſſenſes Ariſtarchum ab eo, Marcum, Jeſum,ſuos ex *circumciſione συνεργοὺς laboris ſocios* nominari. Queri præterea Paulum in poſteriore ad Timotheum epiſtola, ſeſe ab omnibus eſſe deſertum. Hæc vero eo ſpectare, ut efficiant, Petrum, cum hæc Paulus ſcriberet, aut non fuiſſe Romæ, aut ſi fuit, eſſe vel perfidiæ, vel ignaviæ accuſandum.

Ego vero memorandum omnino Lucæ iter Petri Romanum fuiſſe vehementer nego. Non enim committam, ut quod prætermiſſum eſt, id fuiſſe ab illo aut oſcitantia, aut errore prætermiſſum vel credam, vel ſuſpicer. Atque hiſtoricum ſane, qui ea ſolum ſibi ad ſcribendum propoſuiſſet, quæ a Petro geſta in Judæa, proximiſque provinciis fuerant; ſilentio ea premere potuiſſe, quæ eſſent a Petro ipſo in reliqua Syria (1), inque aliis regio-

1 Conſtat id quidem ex prioribus *capitibus*, exque *cap.* xv. *Actor. Apoſtolicor.* Nihil enim

gionibus perfecta, tam est perspicuum, ut ne oratione quidem egere videatur. Quamobrem etsi Petrum Antiochiam descendisse, reprehensumque fuisse, propterea quod dimissis christianis e gentibus, ad Hierosolymitas judæos metus caussa accessisset, Paulus narret (1), id tamen tacitus prætermisit Lucas, quod ad suum institutum non pertineret. Rursum Pontum, Galatiam, Cappadociam peragrasse Petrum, quamquam est ab antiquis (2) scriptoribus traditum, omissum nihilo minus ab Luca est. Quod si neganda sunt, quæ silentio prætermissa a scriptoribus antiquis cum fuerint, tum memorari debuisse videantur; vereor ne futuri aliquando sint, qui res certas, atque testatas non modo revocent in controversiam, sed etiam confidenter negent. Atque vocabitur fortasse in periculum Matthæi (3) fides, qui Herodis jussu infantes Bethleemitas fuisse propter Christum interemptos scribit. Rem enim (cujus meminisse Josephus debuit, si evenisset) ab Josepho ipso prætermissam, numquam evenisse defendent homines similes Anabaptistarum,

enim continent aliud, quam itinera Petri in urbes Judææ, proximarumque Judææ provinciarum. Itineris autem Petri Antiocheni, cujus Paulus mentionem fecit, in Actis iisdem ne vestigium quidem extat. Atque ut intelligant ii, qui silentium nobis opponunt Lucæ, quam levi utantur argumento, eloquantur, si possunt, ubinam is Evangelistes Titi ut comitis Pauli meminerit, cum itinera Pauli ejusdem persequetetur? Quid ergo? Negabunt socium fuisse Pauli interdum Titum? Minime vero. Confer Epist. *Pauli* II. *ad Cor. cap.* II. *v* 12. *cap.* VII. *v.* 6. 13. *sq. c.* VIII. *v.* 6. 16. *&* *v.* 23. ubi *socium suum* appellat Titum & *c.* XII. *v.* 18. *& ad Gal.* II. *v.* 1. ubi: *post quatuordecim annos sese ascendisse Hierosolymam cum Barnaba, assumto Tito*, affirmat, & v. 3. quo loco negat fuisse circumcisum Titum, qui cum ipso tunc erat Paulo. *Et ep. ad Titum. cap.* 1. *v.* 4 *sq.* Quid est igitur, quod silentio Lucæ confici ab se rem omnem adversus iter Petri Romanum existiment?

1 *Epist ad Galatas cap.* II. *v* 11. *sqq.*

2 Origenes, apud Eusebium *lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* 1. *pag.* 79. *edit. Taurin.* Πέτρος, inquit, ἐν πόντῳ, καὶ γαλατίᾳ, καὶ βιθυνίᾳ, καππαδοκίᾳ τε καὶ ἀσίᾳ κεκηρυχέναι τοῖς ἐν διασπορᾷ Ἰουδαίοις ἔοικεν. ὃς καὶ ἐπὶ τέλει ἐν ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολοπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. „ Petrus in Ponto, & Galatia, & Bithynia, „ Cappadocia, & Asia prædicavit Judæis qui in dispersione erant. Qui demum Romæ exi„ stens, (vel *Romam veniens*) cruci affixus fuit, capite deorsum verso, cum ipse sic pe„ tiisset pati „. Erunt fortasse, qui omnia consectati, hoc item Origenis loco abutantur, pugnentque extremis Neronis temporibus Petrum sese contulisse Romam, quod *demum*, vel ad *extremum* ἐπὶ τέλει cum venisse Adamantius confiteatur. Sed Origeni, qui compendio agebat, satis fuit, tunc illius Apostoli adventum Romam commemorare, cum de martyrio narraret, ne sæpius de eadem Urbe loqui cogeretur. Atque ex Origenis loco nihil concludi contra nos posse, ex Eusebio intelligitur, qui tanti Presbyterum illum Alexandrinum facere consuerat, ut sibi ab illius sententiia recedendum non putaret.

3 *Matth. cap.* II. *v.* 16. *sqq.*

rum , e quorum laqueis ut ſe expedire Spanhemius queat, non video. Nam hoc illi argumentabuntur modo. Qui indicia crudelitatis Herodis multo minora perſequutus eſt, is maximum, atque graviſſimum, ſi ullum fuiſſet, ſilentio non præteriſſet. Fuiſſet vero nex infantium Bethleemitarum maximum, atque graviſſimum Herodianæ ſævitiæ, crudelitatiſque indicium. Eam igitur Joſephus, ſi contigiſſet, ſilentio minime præteriſſet. Prætermiſit autem. Non igitur contigit. Quid ad hæc Spanhemius? Scilicet aut nobis argumentum *negans*, ſi contra *poſitiva* in promptu ſint, contemnendum ajentibus, aſſentiatur; aut Matthæo adimat auctoritatem, & fidem, neceſſe eſt.

At non defuit Lucæ itineris Petri commemorandi occaſio. Quaſi vero Joſepho defuerit opportunitas faciendi Herodiani illius facinoris mentionem. Immo vero multo opportunior Joſepho oblata occaſio fuit, quam Lucæ. Quum enim ille vi in hippodromum (1) optimates Judæorum coactos, ut poſt ejus regis interitum, perimerentur, diceret; quid erat cauſſæ, quare de infanticidio dicendum non arbitraretur? Quodſi Macrobius (2) caſu de nece filii Herodis loquens, multos tunc Herodis ejuſdem ſcelere fuiſſe infantes interfectos narrat; cur non item narrat Joſephus, cum fuiſſe ſcribit ab eo rege in Antipatrum filium animadverſum? Nam quod Lucas Simonem (3) in Samaria vendi ſibi Spiritum Sanctum rogantem repulſum a Petro fuiſſe tradiderit, ſatis non habuit opportunitatis, ut ſtatim adderet, fuiſſe deinde Petrum coercendi Simonis ejuſdem cauſſa profectum Romam. Multo eſt levius, quod Spanhemius adjungit, de inſtitutis a Petro itineribus Joppen (4), Lyddam, ac Cæſaream. Ecquis enim ſit horum cum itinere Petri Romano nexus, aſſequi ne conjectura quidem poſſum. Quod mox animadvertit, nuſquam fuiſſe ab Luca ſcriptum primum

1 Joſephus *Antiquit. Judaicar. lib.* XVII. *cap.* VI. *pag.* 846. *tom.* I. *opp. edit. Havercampi.*

2 Macr. *Saturnal. lib.* II. *c.* IV. *p.* 332. *edit. an.* 1670. Joſephus *ibid. cap.* VII. *pag.* 847.

3 *Act. Apoſtolic. cap.* VIII. *v.* 14. *ſq.*

4 *Actor. Apoſtolic. cap.* IX. *v.* 32. *ſqq.* & *cap.* X. *v.* 1. *ſqq.*

mum omnium Petrum intulisse Christianam religionem Antiochiam, illi quidem exhibere negotium poterit, non mihi. Ab Luca enim, etsi actum de *legalibus* est, nullibi tamen scriptum quidquam video de Petri adventu aut ante, aut post synodum, Antiochiam. At Petrum Antiochiam aut ante, aut post synodum venisse, cumque dimissis christianis e gentibus, ad circumcisos transfugisset metu, gentesque *ad judaizandum* cogere visus esset, redargutum publice a Paulo fuisse, idem est testis in litteris ad Galatas (1) Paulus. Ac si Lucæ silentium non efficit, Petrum saltem post synodum non petiisse Antiochiam; qui tandem efficere contra veterum omnium fidem, & auctoritatem poterit, eum non venisse multo ante synodum Antiochiam, indeque iter non instituisse Romam? Sed tunc Petri meminisse debuit, cum Romam advenienti Paulo fratres obviam processisse (2) narraret. Ineptum id quidem. Quid enim? An Petrum nos dicimus perpetuo constitisse Romæ? Aberat tunc ille profecto. Itaque nominatus ab Luca non fuit. Quamquam illud etiam quærendum ex adversariis est, quemnam nominarit eorum, qui Paulo occurrerunt, Lucas, ut Petrum una nominare debuerit? Cum autem nominarit neminem, quid est, quod censeam nominari ab eo omnino debuisse Petrum? Neque indicanda caussa ab Luca erat, quamobrem Petrus non aderat. Absurdum enim esset ab Josepho caussam omissæ ab se mentionis Herodiani infanticidii petere. Non potuisse autem, neque debuisse Lucam iter Petri Romanum, si institutum fuisset, omittere, tam demonstrare Spanhemius poterit, quam nec potuisse, nec debuisse Josephum tacitum præterire necis infantium Bethleemitarum memoriam. Itaque si argumentum ex Josephi silentio petitum *negans* est, *negans* item erit, quod Spanhemius ex Luca repetendum duxit.

Exemplum Eusebii de Apocryphis (3) non est ad rem.

Valet

1 *Cap. II. epist. ad Galatas v. 11. sqq.* Nihil tale habet Lucas *cap. xv. sq. Act. Apostolicorum*.

2 *Actor. Apostolicor. cap. xxviii. v. 15. sq.*

3 Confer præter cetera Eusebii *cap. III. lib. III. Hist. Eccl. pag. 80. seq. edit. Taurin.*

Ego

Valet enim apud nos etiam argumentum *negans* plerumque, si contra *positiva* monumenta desint. Nobis vero permulta sunt, eaque gravissima monumenta in promtu, quibus iter Petri Romanum demonstrari possit. Simile est illius exempli, quod idem addit de lapsu (1) Marcellini a Baronio negato Spanhemius. Rem enim a Donatistis productam, neque ab Augustino, aliisve scriptoribus probatam, quis umquam in veris numerari ferat? Johannæ Papissæ fabulam etsi fuerunt XIII. sequentibusque seculis historici, qui describserint, tamen non *negativis* solum, sed *positivis* etiam, iisque gravissimis argumentis repulit post Allatium, Lambecium, aliosque, eruditissimus juvenis Basilicæ Vaticanæ Canonicus, Custosque Tabularii Vaticani Josephus Garampius (2) ea, quæ est de nummo Benedicti III. Dissertatione.

Ve-

Eo enim in capite, quæ a majoribus admissa fuerunt, opera probat, quæ rejecta, rejicit, quæ ab aliquibus admissa, ab aliis contemta sunt, in dubiis ponenda statuit. Nos autem Petri Romanum iter ab omnibus antiquis adsertum cernimus. Itaque si regulam Eusebii, ad quam provocat Spanhemius, consectemur, Petrum Romam venisse fateamur necesse est.

1 Adeundus Baronius *ad an.* 853. *n.* LVI. & Norisius *Hist. Donat. part.* I. *c.* VII. *tom.* IV. *opp. pag.* 125. *seq. edition. Veronensis Ballariniorum.*

2 Leo Allatius *in Confutatione Fabulæ de Johanna Papissa ex monumentis Græcis edit. Coloniæ Agrippinæ an.* 1648 ex catalogis Romanorum Pontificum, quos hostes ipsi Romanæ Ecclesiæ, ut Photius, aliique laudarunt, sequutique sunt, Johannam Pontificem nullam umquam fuisse ostendit. Eodem sunt functi munere Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis vir maximus *ad an.* DCCCLIII. *n.* LVI. Onuphrius Panvinius *in vit. Rom. Pont. ed. an.* 1572. *p.* 103. *seq.* Petrus Lambecius *Bibl. Vindob. l.* II. *c.* VIII. *p.* 861. *tom.* II. *edit. an.* 1669. Philippus Labbeus *Cenotaph. Johann. Papissæ tom.* VIII. *Concilior. pag.* 154. *edit. Paris.* Antonius Pagius *in Critica Baroniana ad an.* DCCCLIII. *n.* XIV. Franciscus Pagius *Breviar. Rom. Pontif. p.* 72. *sq. tom.* II. *edit. Antuerp. an.* 1717. Natalis Alexander *Hist. Eccl. sec.* IX. *Dissert.* III. *edit. Lucens. an.* 1751. *tom.* VI. *pag.* 363. *seq.* Florimundus Remundus, ejusque filius Carolus Remundus *de error. Popular. seu Fabula Johannæ Papissæ edit. Colon. an.* 1618. & postremo Josephus Garampius Comes, & Canonicus Basilicæ Vaticanæ, & Tabularii Vaticani custos, quo ego discipulo olim meo, nunc amico gloriari merito possum, & vero debeo, in copiosissima, gravissimaque de nummo argenteo Benedicti III. *Dissertatione edit. Rom. ann.* 1748. qua Claudii Salmasii, Samuelis Maresii (*Joh. Papiss. restit. edit. Norinb. an* 1658.) Friderici Spanhemii (*de Joh. Papiss. Dissert.*) Jacobi Lenfantii *Præfat. de la Histoir. de la Papesse Jeanne fidelement tirée de la Diss. Latine de Monsieur Spanheim. tom.* 2. *edit. Hagæ an.* 1736.) Wagenseilii (*Dissert. pro Johan. Papiss. tom.* I. *Amœnit. Litterar. Schelhorn. pag.* 141.) aliorumque factionis ejusdem scriptorum inventa, inanesque conjectationes accuratissime refellit. Is extremo seculo XIII. primum eam fabulam fuisse excogitatam putat. Non enim viderat Stephani Borbonii, qui paullo post medium seculum XIII. floruit, fragmenta quædam, quæ Echardus *t.* I. *scriptor. Ordinis Prædic. descripsit p.* 194. & *p.* 367. *edit. Paris. an.* 1719. Sed parvi refert, medio ne, an extremo XIII. seculo ea nata fuerit fabula. Argumenta enim, quibus eam doctissimus Pontifex BENEDICTUS XIV. *lib.* III. *cap.* X. *num.* 3. *seq. de Serv. Dei Beatif. &c. tom.* III. *opp.*

pag.

Venio ad epistolam Pauli ad Romanos. Fateor Petrum abfuisse Roma, cum scripta est. Quid ergo mirum, si ejus est omissa a Paulo mentio? Meminisse autem Paulum iisdem in litteris virorum, quorum ante opera propagata fuisset Romæ religio, prætermisso Petro, id vero est, quod esse dilucide, diligenterque explicandum arbitror. Nam ita a Spanhemio proponitur, quasi numerare Paulus decrerit omnes, qui ante, quam ipse in Italiam pervenisset, religionem induxissent Romam. Quod falsum est. Nihil enim simile Paulo in mentem venit; qui cognatos quosdam suos, sodalesque, qui Romæ tunc erant, salutare statuerat, non autem numerare eos, qui etsi fuissent, tunc tamen non essent Romæ. Quare salutem dicit (1) Aquilæ, & Priscillæ *simul adjutoribus suis in Christo Iesu*: Epæneto *dilecto sibi, qui erat primitivus Asiæ in Christo*: Mariæ, *quæ multum*, inquit, *laboravit in vobis*: Andronico, & Juniæ *cognatis, & concaptivis suis, qui erant nobiles in Apostolis, qui & ante ipsum fuerunt in Christo*: Ampliato, Urbano, Stachy, Apelli, eisque, qui ex Aristoboli domo erant, Herodioni, eis qui ex Narcissi erant domo, Tryphænæ, & Tryphosæ, Persidi, Rufo, Asyncrito, Phlegonti, Hermæ, Patrobæ, Hermi, & fratribus, qui cum eis erant, Philologo, Juliæ, Nereo, sororique ejus, & Olympiadi. Hæc vero salutandi ratio, non est ejusmodi, ut viros, mulieresve, quas nominat Paulus, ante Petrum docuisse quemquam, ecclesiamque instituisse indicet. Itaque non erant hæc a Spanhemio ita describenda, ac si Paulus decrevisset texere Romanæ ecclesiæ Apostolorum historiam, Petrumque consulto prætermisisset. Qua sane in re fidem Spanhemii, diligentiamque desidero. Quod urget, Apostolum, qui

pag. 102. *sq. edit. Rom. an.* 1748. Garampiusque rejiciunt, tam solida, tamque perspicua sunt, nihil ut contra afferri ab hæreticis possit, quod accedere ad veritatis similitudinem videatur. Quod si David Blondellus, *Anacrys. Famosæ quæst. de Johanna Papissa edit. Amstel. an.* 1657. Leibnitius apud J. G. Echardum *Rer. Franc. orient. lib.* xxx. *c.* cxcx. ut est apud Garampium *ibid.* & Brownius *Error Popular. lib.* vii. *cap.* xvii. *pag.* 415. *edit. ann.* 1737. etsi nummum Benedicti III. non viderant, tamen coacti momentis rationum ab Allatio, Baronio, Labbeo adductis, sunt, ut quidquid scriptum pro Johanna Papissa est, id totum esse commenticium faterentur. Quid nunc viso Benedicti III. nummo dicerent? Sed hæc fusius fortasse, quam necesse erat.

1 *Epistola ad Rom. cap.* xvi. *v.* 2. *seqq.*

qui aliorum fundamentis superædificare nollet, numquam fuisse Romam, si Petrus eo se antea contulisset, venturum, ad rem profecto non pertinet. Nam doctor Gentium ad Romanos scribens, cum id affirmasset, continuo addidit: *ideo & impediebar plurimum venire ad vos* (1), quod alii ante ipsum prædicassent Romæ. Est autem ridiculum, quod Salmasius, Spanhemiusque ex apostolatu circumcisionis concludunt. Etsi enim Petrus judæorum Apostolus fuit, tamen & sub Claudio hebræos permultos invenit Romæ (2), & cum occasio oblata esset, sibi munus ethnicorum instituendorum (3) sumsit. Denique in

 epi-

1 *Epist. ad Rom. cap.* xv. *v.* 19. „ In virtute signorum, & prodigiorum, in virtute Spi-
„ ritus Sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum replevesim evange-
„ lium Christi. Sic autem prædicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne
„ super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est, quibus non est annuncia-
„ tum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & impediebar
„ plurimum venire ad vos, & prohibitus sum usque adhuc &c.

2 Nisi enim Judæi Romæ sub Claudio fuissent, qui demum edicto ejus Imperatoris iidem *impulsore*, ut Suetonius, quod supra vidimus, scribit, *Chresto*, ejecti ex urbe fuissent? Confer *Act. Apost. cap.* xviii. *v.* 2. *διὰ τὸ διατεταχέναι κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς ἰουδαίους ἐκ τῆς ῥώμης*. *Propter ordinasse Claudium discedere omnes Judæos a Roma &c.* vulgata sic habet: *eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma*. Vide Baronium *ad an.* xliii. *n.* xiii. *an.* li. *&* *n.* 1. & Tillemontium *in vit. s. Petri art.* xxxi. *pag.* 75: *tom.* 1. *memoir. Histor. Eccl. edit. Bruxell.* & ex Protestantibus Pearsonium, qui *Dissert.* 1. *De Success. Primor. Episcopor. in Gen. cap.* viii. §. 11. *pag.* 46. *seq. edit. Londin. an.* 1687. multis evincit Judæos Claudii, superiorumque Cæsarum ætate perplures fuisse Romæ. Ex libro autem lx. Dionis *p.* 669. *edit. an.* 1606. de initiis Imperii Claudii agentis, hæc affert verba: *τούς τε ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε καλεπῶς ἂν ἄνευ ταραχῆς, ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν τῷ δὲ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι.* „ Quum Judæi adeo iterum mul-
„ tiplicati essent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent arceri, non
„ ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam tolerantes vetuit convenire „.

3 Salmasius in *Appar. ad lib. de Prim. Papæ pag.* 14. capite secundo epistolæ Pauli ad Galatas *v.* 7. *seq.* abutitur, ut ostendat Petrum Romam non venisse prædicatum ethnicis evangelium. Sed is Hieronymi in cap. idem epistolæ Pauli locum non animadvertit, qui sic habet *t.* iv. *opp. part.* 1. *edit. Paris. Martianæi p.* 241. „ Occulta hic oritur quæstio. Quid
„ igitur? Petrus si invenisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex
„ circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum provocabat? Quæ ita sol-
„ vetur: ut dicamus principale singulis in Judæos, & gentes fuisse mandatum, ut qui de-
„ fendebant legem, haberent, quem sequerentur: qui legi gratiam præferebant, non de-
„ esset eis doctor, & prævius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex
„ cunctis gentibus ecclesiam congregarent. Legimus enim & a sancto Petro gentilem bapti-
„ zatum fuisse Cornelium, & a Paulo in Synagoga Judæorum Christum sæpissime prædica-
„ tum „. Quod si eo epistolæ ad Galatas capite quidquam se contra iter Petri Romanum agentem Salmasius proficere speret posse, caveat, ne Paulum, qui Apostolatum gentium consecutus esset, numquam Judæis prædicasse confiteatur, negareque cogatur auctoritatem Lucæ, *Act.* xiv. 1. xviii. 4. Petrus quidem *Act.* xv. *v.* 7. de se ipso loquens: „ Viri, *inquit*, fra-
„ tres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire
„ gentes verbum evangelii, & credere „.

epiſtolis Romæ a Paulo ſcriptis etſi Petri mentionem omitti video, id tamen argumento eſt, abſuiſſe tunc inde graves ob cauſſas Principem Apoſtolorum, ſemper autem abſuiſſe non item. Quamobrem nihil erat, cur iis epiſtolis adverſarii abuterentur, nobiſque eas opponerent, qui ut fuiſſe ante Petrum Romæ defendimus, ita tunc fuiſſe, cum Paulus ſcriberet, pernegamus.

At ſi magnus ea ætate numerus Hebræorum Babylone erat, qua in Chaldæorum urbe princeps adhuc erat captivitatis; quid cauſſæ eſſe potuiſſet, cur Petrus, qui ſortitus apoſtolatum circumciſionis fuerat, his dimiſſis, qui haud longe Antiochia diſtarent, Romam, ubi aut nulli, aut perpauci Judæi degerent, proficiſceretur?

Scio his delectari nugis Salmaſium loco ſupra indicato. Sed turpiſſime labitur, ſecumque vehementer pugnat. Nam etſi facile concedam Petrum ante deſcendiſſe Antiochiam (1), quam

1 Petrum, antequam Romam profectus eſſet, Antiochiam veniſſe, eccleſiamque conſtituiſſe Antiochenorum, functumque in ea epiſcopi munere fuiſſe, traditum ab antiquis Patribus eſt, quorum auctoritatem ſine ratione, documentiſque contemni non patiar. Confer Euſebium *lib.* III. *Hiſtor. Eccl. cap.* XXXVI. *pag.* 106. *edit. Pariſ. an.* 1659. ſcriptoreſque ceteros, quos laudant Nicolaus Sanderus *de Monarch. Eccl. lib.* VII. *pag.* 242. *edit. Lovan. an.* 1571. Baronius *ad an.* XXXIX. *num.* IX. *ſeqq.* Tillemontius *vit. s. Petri art.* XXVII. *pag.* 169. *tom.* I. *Mem. Hiſt. Eccl. edit. Pariſ. an.* 1693. Leo Allatius *de Eccl. occid. & orient. perpet. conſenſ. lib.* I. *cap.* II. *num.* 3. *pag.* 9. *ſeqq. edit. Colonienſis an.* 1648. Bollandiani *tom.* III. *menſ. Febr. ad d.* XXII. *pag.* 282. *ſeq. edit. Antuerp. & tom.* II. *menſis Julii tract. Hiſtor.-Chronolog. de Patriarchis Antiochenis pag.* 1. *ſeqq.* Schelestratius *tom.* II. *Antiq. Eccleſ. diſſert.* V. *cap.* I. *pag.* 317. *edit. Rom. ann.* 1697. Bencinius, atque Blanchinius *ad tom.* II. *Anaſtaſ. de vit. Pontif. pag.* 5. *ſeqq. edit. Rom. Salvioni*. Fogginius *de Rom. D. Petri Itiner. & Apoſt. exercit.* IX. *pag.* 156. *ſeqq. edit. Florent. an.* 1741. & e Proteſtantibus Hammondus *diſſert.* V. *de Epiſcopis cap.* I. §. XVII. *pag.* 258. Samuel Baſnagius homo de ſecta Calvinianorum Antiochenum epiſcopatum Petri commentum eſſe, & ex recognitionibus Clementis profectum putat. *Ad an.* XL. *n.* XX. At hoc oſtendere ante debuerat, recognitiones editas fuiſſe, priuſquam Euſebius Chronicon, Hiſtoriamque ſcripſiſſet. Ego enim cum eas ab Euſebio prætermitti videam, facile mihi perſuadeo, nondum ſcriptas, publicataſque fuiſſe, cum hiſtoricus ille ſcriberet. Neque veri eſſe arbitror ſimile, rem apocryphis libris, pleniſque fabularum contentam ita propagari, conſtabilirique potuiſſe, ut Patribus, qui libros illos aut vidiſſent numquam, aut neglexiſſent, magnopere probaretur. Joh. Ligtfooti *com. Hiſt. & Crit. in Act. Apoſtolorum pagin.* 831. & Nicolaii Vedelii *lib. de utroque* Petri epiſcopatu expendere non vacat. Interea, quod Grotius de adventu Petri Romam dicit, hoc ipſe repeto: ego veteribus aſſentior. Sed de epiſcopatu Petri Antiocheno ſatis dictum eſt. Quo autem anno conſtituerit, quamque diu Petrus epiſcopatum geſſerit Antiochenum, difficile eſt exiſtimare. Confer eoſdem quos ſupra nominavi ſcriptores, qui varias ea de re proponunt ſententias, unamque aliquam, quæ magis ipſis arriſiſſet, ſequuntur, atque defendunt:

quam Romam proficiſceretur, Babylona tamen ea etate, *externi imperii ſedem fuiſſe*, cum id nemo antiquorum tradiderit, numquam concedam. Sed fac etiam *externi* tunc imperii ſedes fuerit Antiochia. Quid? An ullus veterum geographorum, hiſtoricorum, ſcriptorum denique fuit, qui Petri tempore pene regnaſſe Babylone Judæos, ſuumque habuiſſe *ἀικμαλατάρχην* teſtaretur? Hæc ſi nemo umquam monumentis mandavit litterarum, qua confidentia Salmaſius afferre eſt auſus, ut demonſtraret Petrum cum Babylona contenderit, ibique perpetuo deinceps manſerit, inſtituere iter nequiviſſe Romam? Quo autem ille magiſtro didicit, ſummum Apoſtolum Babylone perpetuo conſtitiſſe, ſiquidem in eam ſe urbem contuliſſet? Quod ſi Babylon *ſedes erat externi imperii*, qui demum oſtendet, eo fuiſſe profectum Petrum, cum a nemine ſcriptum veterum auctorum fuerit, Petrum extra imperii Romani fines extuliſſe pedem? Commentis ne ſuis fidem adjungi, auctoritatemque oportere dicet; negari autem ſcriptoribus & gravibus, & vetuſtis Romam Petrum adveniſſe ſumma conſenſione pugnantibus? In hiſtoria vero, qui ſic ſtatuit, niſi vehementer erret, qui certe errare poſſit, non video. Pugnat denique ſecum Salmaſius, qui cum ſilentio Scripturarum Novi Teſtamenti nixus Petrum veniſſe Romam, contra veterum chriſtianorum ſententiam, inficietur; tum ſilentium nihili pendat non ſcriptorum ſacrorum modo, ſed etiam ceterorum, quorum nullus fuit, qui Babylonem Chaldææ aut caput fuiſſe externi imperii, aut ſedem diceret aliquamdiu fuiſſe principis Apoſtolorum.

Extremum eſt, ut iis reſpondeam, qui ex Johanne Baptiſta Poeta Mantuano Carmelita, exque Salmerone Societatis Jeſu Theologo præſidium repetunt erroris ſui. Etſi enim utrumque hoc in genere fuiſſe lapſum adverſariis darem, nihil tamen veritas detrimenti caperet. Sed injuriam facerem viris graviſſimis, qui Petrum ſatis dilucide, explicateque conſeſſi ſunt & fuiſſe, & ſupremum diem objiſſe Romæ. Atque Mantuanus quidem in eo, quem de ſacris die-

 bus

bus edidit, libro (1) de principe Apostolorum scribit hoc modo:

„ Mul-

1 Spanhemius *dissert. Histor. de temere credit. Petri in urbem profectione capit.* II. *p.* 22. *edit. Lugd. Batavor. an.* 1679. scriptores, qui falsum, aut dubium esse iter id Petri existimarunt, numerans: „ Eos inter, *inquit*, Claudius Salmasius ... post Ulricum Vele-„ num, Illyricum, Withakerum, Hospinianum, Sutlivium, Paræum, Sibrandum, & „ siqui plures. Sed quid protestantes induco? ... Prævere his siquidem J. B. Mantuanus, „ Michael Cæsenas, Marsilius Patavinus, Johannes Aventinus, Johannes Lelandus, Caro-„ lus Molinæus „. Jam de Cæsenate, de Marsilio, de Molinæo, de Aventino, de Lelando alias. Indicari autem mihi locum, in quo Mantuanus negarit advenisse in Urbem Petrum, volo. At non indicat Spanhemius. Quid? si ne Petrus quidem Zornius *vol.* II. *opuscular. sacror. edit. Altonaviæ an.* 1731. *pag.* 731. *cap.* I. *dissert. Histor. de Natalitiis Cathedræ S. Petri* §. IV. Nam is, ita ut fieri a permultis solet, verba Spanhemii descripsit, non æque curans, vera ne ille, an falsa tradiderit, modo oppugnasse Baronium videatur. Idem ab Johanne Wolfio *lect. memorab. centenario* I. *p.* 32. & Joh. Hoornbeekio *in exam. seu Scholio in Constit. Urban. VIII. pro observ. Festorum p.* 240. factum narrare videtur. Laudat item Thomam Ittigium *Hist. Eccl. sec.* I. *cap.* IV. §. I. *pag.* 227. Sed is Mantuanum non nominat, quamvis pro Patavino Marsilium Ficinum errans nominet. Baleus *lib.* I. *art. Rom. pag.* 19. *edit. Lugd. Batav. an.* 1615. hunc in eam, ut putat, sententiam Mantuani ex VI. Fastorum libro locum adducit.

„ Urbibus Assiris Christi post funera, postque
„ In cælum reditus, bis septem dicitur annos
„ Impendisse gravi vexans mala numina bello.
„ Mox maria ingressus, longaque ambage viarum
„ Circumlatus, iter vertit Bithynica versus
„ Littora, Cappadoces, Galatas, Pontumque peragrans.
„ Quotquot erant illic Iudæa ab origine regnis,
„ Edocuit Christum, veterique retraxit ab usu.

Sed quæ hominis tanta esse audacia potuit, tamque insignis temeritas, & impudentia, ut locum detruncaret, verbaque Mantuani, quæ statim sequuntur, iterque Petri Romanum demonstrant, omitteret? An nos oculis esse captos existimabat, ut ad fontes adire, resque, ut ab auctoribus expressæ essent, perspicere minime possimus? Adsint nunc sycophantæ Spanhemius, Zornius, Baleus, & qui sunt ex eadem sentina homines, qui cum res claras, atque perspicuas non videant, videre se, quæ sunt implicata, atque involuta obscuritate arbitrantur posse, adsint, inquam, cognoscant, animadvertant, quod ἀμέσως *immediate*, ut ajunt, post ea verba *retraxit ab usu*, Mantuanus scripserit:

„ Inde per Ægeum, per Cycladas, Joniumque,
„ Multa mari, & terris discrimina passus ad URBEM
„ ROMULEAM mundi dominam, rerumque potentem
„ VENIT, ubi æterni JACERET PRIMORDIA REGNI.
„ Tum magus Æneadas Simon, ipsumque Neronem
„ Præstigiis ludens sese jactabat iturum
„ Aerium per iter, volucresque æquare volatu.
„ Petrus ut a terris sublatum in nubila vidit,
„ Submissis genibus multa prece numina flexit,
„ Ut rueret. Præceps igitur quasi plumbea moles
„ Cum stridore ruit, fusisque attrita medullis
„ Ossa solo hæserunt &c.

Quinetiam paullo ante sic Mantuanus statuerat.

„ Jussit (Nero) Petrum, quo non insignior alter
„ Religione fuit, pedibus sublime levatis

„ Ore

,, Multa mari, & terris discrimina passus ad Urbem
,, Romuleam mundi dominam, rerumque potentem
,, Venit, ubi æterni jaceret primordia regni.

Salmero autem tomo operum quarto (1), dictum adversariorum *impudentissimum* appellat *mendacium ex summa affectata ignoratione depromptum, sive potius ex insigni malitia*. Hæc sibi Protestantes habeant, qui testimonia quædam aut fraude detruncata, ac vitiata, aut aliorsum, atque auctores voluerint, accepta proferunt; missis claris, atque perspicuis, quibus ipsorum funditus error evertitur. Lelandum (2), atque Molinæum homines Sedis Apostolicæ inimicos, hostesque nefarios nihil moror. Ac si novis scriptoribus pugnandum est, his egò duobus, quos nobis Protestantes exprobrant, Scholasticos primum omnes, duce Thoma Aquinate, opponam, tum Driedonem (3), Pighium (4), Copum (5), Johannem Roffensem, Thomam Stapletonum, Mel-

,, Ore in humum verso pendere patentibus ulnis;
,, Et Paulum rigido jugulum submittere ferro.

Lib. VI. *Fastor. de Martyr. ss. Petri, & Pauli fol.* N. *edit. Argentorat. an.* 1518. Abeant nunc Protestantes illi Petri itineris Romani oppugnatores, atque ex Mantuani carminibus Petrum neque martyrem obiisse Romæ, neque Romam venisse umquam, si possint, efficiant. Nec minus est subleste Balei fidei præsidium ex Hieronymi *lib.* IV. *Commentarior. in cap.* XXIII. *Matthæi pag.* 112. *edit. Martian. Paris. tom.* IV. *part.* I. petentis. Nam Hieronymus cruci quidem affixum Petrum ait, Hierosolymis vero cruci affixum, non item. Alioqui mortuum quoque Hierosolymis dixisset Paulum. Qua re quid fingi potest absurdius? Sunt enim hæc s. Doctoris verba: ,, Alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus ,, est Stephanus, PAULUS occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus Apostolorum ,, discipuli,,. Quid? si Lyranum quoque sui erroris testem appellet, qui Lyranus in *c.* XXIII. *Matth. pag.* 386. *tom.* V. *Biblior. edit. Lugd. an.* 1589. *ad verbum crucifigetis* hoc solam adnotat: *ut Petrum, & Andream fratrem ejus, & multos alios*. Id vero non indicat, cruci fuisse Hierosolymis affixum Petrum.

1 *Commentarior. in Evang. Histor. & Act. Apostolor. tom.* IV. *part.* III. *tractat.* V. *pag.* 429. *edit. Colon. Agrip. an.* 1604.

2 Johannem Lelandum, Carolumque Molinæum in eam sententiam, ut vidimus, laudant *pagin.* 22. Spanhemius, eumque sequutus Zornius. Lelandum autem, qui catholicus aliquando videri voluerit, sed junctus amicitia Henrico VIII. fuerit, nihili facio. Idipsum dico de Molinæo, cujus qui fuerit in Sedem Apostolicam animus plane constat.

3 *De Dogmatibus variis, & libris Apocryphis lib.* IV. *cap.* III. *part.* I. *seq. p.* 224. *seqq. tom.* I. *opp. edit. Lovan. ann.* 1550. Gregorium Cortesium singularem de Petri adventu in urbem perscripsisse librum testatur Zornius *ibid. pag.* 733.

4 *Hierarchia Eccl. lib.* III. *cap.* XIII. *seqq. pag.* 134. *seqq. edit. Colon. an.* 1558.

5 Alanus Copus *Dialogo* I. *cap.* IV. *pag.* 23. & *cap.* V. *pag.* 93. *edit. Antuerp. an.* 1556. Johannes Roffensis episcopus *Convulsione calumniar. Ulrichi Veleni... quibus Petrum numquam fuisse Romæ cavillatur pag.* 1299. *opp. edit. Wirceburg. ann.* 1597. Thomas Sta-

Melchiorem Canum, Nicolaum Sanderum, Nicolaum Coeffetau, Franciſcum Victoriam, Johannem Viguerium, Franciſcum Nauſeum, Gaſparem Contarenum, Pereſium, Titelmannum, Reginaldum Polum, Thomam Campegium, Remundum Rufum, Gaſparem Caſalium, Johannem Heſelium, Franciſcum Turrianum, Johannem Moronum Cardinalem, Jodocum Coccium, Abrahamum Ecchellenſem, Caryophylum, Leonem Allatium, Inchoferum, Petrum Arcudium, Baronium, Bellarminum, Petavium, Natalem Alexandrum, Harlæum, Andream Duvallium, Mauclerum, Hallerium, Habertum, Orſium, Fogginium, uno verbo omnes Catholicos (1) Doctores; Proteſtantes ipſos doctores (2), Neſtorianos (3), Eutychianos, ſeu Jacobitas (1),

Stapletonus *controv.* III. *de primo ſubjecto poteſt. Eccl. quæſt.* II. *art.* I. *ſeq. pag.* 683. *ſeqq. tom.* I. *opp. edit. Pariſ. an.* 1620. Melchior Canus *lib.* VI. *locor. Theolog. cap.* VIII. *p.* 201. *edit. Patav. an.* 1714. Sanderus *de Viſibili Monarch. Eccl. lib.* VI. *cap.* X. *p* 217. *ſq. edit. Lovan. an.* 1571. Oſii, Victoriæ, Vigueri, Nauſæi, Contareni, Pereſii, Titelmanni, Poli, Rufi, Caſalii, Heſſelii, Turriani, Moroni, aliorumque teſtimonia indicantur *ibidem ab Sandero lib.* VII. *pagin.* 582. *ſeqq.* Nicolaus Coeffetau *de Monarch. contra M. Anton. de Dom. libros de Republica part.* II. *lib.* IV. *cap.* V. *pagin.* 449. *ſeq. edition. Pariſ. an.* 1623. Caryophylus contra Nilum Theſſalonicenſem *p.* 55. *ſq. edit. Pariſ. an.* 1626. Leo Allatius *lib.* I. *de Eccleſ. occid. & orient. conſenſ. cap.* II. *n.* VII. *pag.* 143. *edition. Colon. an.* 1648. Inchofer *epiſt. ad Leonem Allatium lib. eodem Allatii cap.* VII. *p.* 139. *ſeqq.* Ecchelenſis *Eutych. vindic. cap.* XXIV. *ſeq. pag.* 242. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1661. Arcudius *de Purgat. pag.* 153. *ſeqq.* etſi id ex inſtituto non agat *edition. Rom. ann.* 1637. Petavius *lib.* XI. *de Doctr. Tempor. c.* XIII. *pagin.* 176. *tom.* II. *edit. Antuerp. ann.* 1703. Natalis Alexander *Hiſtor. Eccl. ſec.* I. *diſſert.* XIII. *pagin.* 147. *tom* III. *edit. Lucenſis ann.* 1749. Franciſcus Harlæus Archiepiſcopus Rothomag. *Apolog. Evang. l.* II. *p.* 228. *ſq. edit. Pariſ. an.* 1625. Schelestratius *tom.* II. *Antiquit. Eccleſiaſt. diſſ.* III. *pag.* 146. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1697. Mauclerus *de Monach. Eccleſ. lib.* II. *part.* II. *cap.* X. *edit. Pariſ. an.* 1622. *p.* 319. Bacchinius *lett.* V. *contro il Piccnino p.* 426. *ſeq. edit. Altoiſ. an.* 1738. Orſius *Hiſtor. Eccleſiaſtic. lib.* I. *n.* XLI. *pag.* 65. *ſeqq. edit. Rom. ann.* 1747. Fogginius loc. citat. Mitto Sirletum, Perronium, Gretſerum, Eudemon Johannem, Sotos, Marcam, Gottum, Redingum, innumerabileſque alios, qui idem adverſus hæreticos argumentum tractarunt.

1 Vide *notat. ſuperiorem*.

2 Confer præter eos, quos hujus capitis initio nominavi, Zornium, ſi licet, loco indicato, qui Proteſtantes noſtræ ſententiæ defenſores numerat, & Hanchium *de Scriptor. Roman. lib.* II. *pag.* 57. *ſeqq.* a quo multi in utramque partem ſcriptores recenſentur.

3 Confer Eutychium Alexandr. & Ægyptiorum Jacobitarum Martyrologium ad d. XXIX. menſis Athur, tertium officium Pentecoſtes, quod Jacobitæ adhibent, & *officium ss. Petri, & Pauli, quo utuntur Neſtoriani*. Apud Ecchelenſem *ibid. cap.* XXIV. *pagin.* 244. *ſeqq.* Vide præterea epiſtolam Neſtorianorum ad Pontificem Romanum, quam Andreas Maſius latinam fecit, cujuſque partem in ſuum *de Viſibili Monarchia opus lib.* VII. *pag.* 646. Nicolaus Sanderus tranſtulit. Sed omnia ejus generis monumenta perſequi non vacat.

(1), Photianos (2), gentes denique universas (3), quibus est quidquam de propagatione christianæ religionis intellectum.

CAPUT V.

S. Petrus non verbo solum, sed re etiam vera Episcopus Romanorum fuit.

SED Protestantes plerique omnes, qui iter Petri Romanum, coacti veterum auctoritate, confessi sunt, ne quid Catholicis concessisse viderentur, quod novis Lutheranorum, Calvinianorum, Zuinglianorum, Socinianorumque factionibus detrimento esset; nihil nos proficere dixerunt posse, nisi illustribus documentis demonstraverimus, summum illum Apostolum fuisse etiam Episcopum Romanum.

§. I.

Qui negent Petrum fuisse Romanæ Ecclesiæ Episcopum.

Id vero non modo non demonstrari, sed ne conjecturis quidem fieri cuiquam veri simile posse jactant. In his autem numerantur Martinus institutor ille, princepsque sectæ Lutheranorum (4) ejusque sectatores, ut ceteros omittam, quos, cum de itinere Petri Romano dissererem (5), nominavi, Johannes Henichius (6), Thomas Ittigius (7), Salomon

1 Nullum dubium est, quin Græci Photiani Petrum Romam venisse confiteantur. Id enim libri eorum Ecclesiastici postulant. Vide Menea ad d. XXIX. Junii *pag.* 15. *edit. Rom. an.* 1738. *& Menologium Basilii ad d.* XXIX. *Jun. edit. Urbin. ann.* 1727. *pag.* 145. *& seq.* At rem perspicuam, non est cur multis esse confirmandam putem.

2 Confer quæ scripsi *pag.* 300. *hujus vol. not.* 2. de Muhamedanis. Similia refert Ecchellensis de Arabibus sive Christianis, sive Muhamedanis, de Armeniis, de Syris variarum sectarum, de Chaldæis, *ibid. pag.* 243. *seqq.*

3 Id vero ne veteres quidem ethnici negare audebant. Consule Juliani Apostatæ testimonium apud Cyrillum Alexandrinum *lib.* 2. *contra Jul. pag.* 327.

4 Confer *pag.* 548. *hujus vol. not.* 1.

5 Vide *pag. eadem not. eamdem*.

6 *Loco indicato pag.* 548. *not.* 1.

7 *Histor. Eccl. sec.* 1. *cap.* IV. §. III. *pag.* 229. *edit. Lips. an.* 1709.

lomon Deylingius (1), Calvinianique, quorum paragrapho superioris capitis secundo meminimus (2) imprimisque Johannes Baptista Brusſetius in ea, quam præside Salomone Van Tilio defendit *de Petro Romæ martyre, non Pontifice, dissertatione* (3). Non discrepat ab his Dodvvellus homo alioqui da secta episcopalium (4). Sed modum faciam. Omnes enim numerare longum est.

§. II.

Petrum vere, proprieque Romanum episcopum fuisse, qui censeant.

Una autem omnium Catholicorum sententia est, fuisse non verbo solum, sed re etiam vera episcopatu Romano perfunctum (5) Petrum. Nam Harduinum, qui aut neget, aut dubitet (6), prætermitto. Notum est hominis ingenium, cui vix in historia quidquam, quod præ se speciem non ferret novitatis, placebat. Assentiri autem videntur nostris Britannorum ex ea secta nonnulli, quos episcopales, ob susceptam defensionem episcoporum dignitatis vocant. In horum sunt numero Pearsonus (7), Hammondus (8), aliique. §.III.

1 *Observat. sacrar. part.* IV. *exercit.* VI. §. IV. *pag.* 424. *edit. Lips. an.* 1747. Is posteaquam ostendi Christi verbis: *Pasce oves meas* &c. non posse dixit, supremum in Ecclesia principatum Petri, mox addidit: „ Alia igitur, & validiora argumenta ab adversariis ad- „ ferri debent, si probare volunt, Petrum visibile ecclesiæ caput, & Christi vicarium, & „ Monarcham in his terris fuisse. Hoc defuncti labore ulterius ostendere debent, Petrum „ fuisse episcopum Romanum proprie dictum, & per XXV. annos ibi, ut ajunt, sedisse &c „. Sed Petrum nos quidem caput, ac principem fuisse constitutum demonstravimus & scripturarum auctoritate, & traditione majorum. Restat alterum. Verum hoc prædico: etsi Petrum Romano episcopatu XXV. annis fuisse potitum existimem, Romani tamen episcopi summum in ecclesia principatum ostendi, nisi demonstrato XXV. annorum episcopatu Romano Petri, non posse, vehementer nego. Fac enim Romani Pontificis primatus ex episcopatu Apostoli ejusdem Romano omnino pendeat, an is continuo episcopatus Petri XXV. esse annorum debuit, non septem, aut trium, aut duorum?

2 *Pag.* 548. *not.* 1.

3 *Edit. Lugd. Batav. an.* 1710.

4 *Dissertat. singular. de Rom. Pontif. Primæv. success. cap.* XI. *pag.* 152. *seq. edit. opp. Posth. Pearson. Lond. an.* 1688.

5 Ita quidem scriptores illi omnes, quos extremo capite superiore *p.* 589. *sq.* numeravimus.

6 Vide *pag.* 117. *seq. n.* 4. *hujus vol.*

7 *Dissert.* 1. *de success. primor. Episcopor. Romæ cap.* VI. *pagin.* 27. *seqq. edit. Londin. opp. Posthum. an.* 1688.

8 *Loco sup. indic. not.* 1. *p.* 586.

§. III.

Quibus testibus Petrum Romam venisse, iisdem fere episcopum fuisse Romanorum efficitur.

Qui enim veteres Romam petiisse Petrum, Romanamque ecclesiam constituisse, iidem ipsum vere, proprieque Romanum antistitem fuisse affirmarunt. Venisse autem Petrum Romam adversarii tot, tantorumque testium auctoritate victi confitentur. Episcopum igitur Romanum eumdem fuisse, fateantur necesse est. Nam ut *facti*, quod ajunt, historici iter Petri Romanum est, ita est historici *facti* episcopatus Romanus Petri. In *facto* vero itineris statuendo mirifice valet, inimicis nostris fatentibus, veterum auctorum consensio. Quare valebit in adserendo etiam episcopatu Romano Petri.

I.

Cajus Presbyter, Auctor librorum contra Marcionem, Eusebius, Hieronymus, Optatus, Augustinus, Severus Sulpicius, Catalogique omnes Romanorum Pontificum Petrum verum fuisse Episcopum Romanum efficiunt.

Testes adventus Petri ab adversariis appellantur scriptores secundi, insequentiumque seculorum. Jam vero in scriptoribus secundi, tertii, quarti, quinti, insequentiumque seculorum, numerantur Cajus presbyter, auctor carminum contra Marcionem, Eusebius, Hieronymus, Optatus, Augustinus, Sulpicius, auctoresque Catalogorum Pontificum. Atque Cajus, seu quisquis ille est, qui contra Artemonem scripsit, floruitque extremo secundo, ineunteque tertio seculo, successionem Romanorum antistitum a Petro repetens, Petrum episcopum ostendit fuisse Romanorum (1).

1 Is autem auctor Romanæ ecclesiæ addictus erat. Itaque comperta, quæ ad eam pertinent, habebat. Eumdem atque Cajum fuisse, Photius putat *Bibliothec. codic.* XLVIII. *pag.*

Accedit autem carminum adversus Marcionem scriptor, quem æqualem Tertulliani temporum fuisse arbitror, cujusque hac de re illustrem produxi locum, cum contra Pauli episcopatum Romanum agerem (1). Quod si Tertulliani quoque auctoritate pugnandum esset, hujus item huc esse constaret propensiorem opinionem, qui in libro, qui est de Præscriptionibus, quamquam Petrum, ac Paulum Apostolos fuisse Romanorum testatur, ordinationem tamen Clementis ab uno Petro repetendam censet (2). De Eusebio satis dixi, quo loco episcopatu Romano numquam potitum fuisse Paulum demonstravi (3). De Hieronymo autem non est, cur esse multis agendum putem, cujus est præclara *in primo libri de Viris Illustribus capite* de Romano XXV. annorum Petri episcopatu sententia (4). Optatus porro primum Romanam Sedem occupasse Petrum scribit, atque ei successisse Linum, Lino Clementem &c. (5). Eadem persequitur Augustinus epistola tertia & quinquagesima (6). Nec dissentit Sulpicius Severus (7). Jam vero præter catalogos & multos, & veteres, quos cum de Paulo dissererem, indicavi (8), consuli item poterit, quem Dodwellus in extrema *singulari de successione Rom. Episc. Dissertatione* e Bodlejano Museo descripsit, qui sane catalogus ad tempora fere Theodori Pontificis, hoc est ad seculum ecclesiæ septimum pertinet (9). Nam in hoc etiam, ut in ceteris, primus in episcopis Romanis Petrus Apostolus, idemque episcopus ponitur. Romanos autem veteres, qui hosce catalogos ediderunt, origines suæ ecclesiæ ignorasse; eodemque in genere scriptores Africanos, Græcosque cæcutiisse; veritatem autem nunc primum Protestantibus, non mo-

pag. 35. edit. Rothomag. an. 1653. Sic vero habet apud Eusebium *lib. v. Histor. Ecclesiast. cap. XXVIII. p. 219.* de Victore: ὁ τρισκαιδέκατος ἀπὸ Πέτρου ἐν ῥώμῃ ἐπίσκοπος *tertius ac decimus a Petro fuit Romæ episcopus.*

1 *Pag. 366. hujus vol. not. 1.*
2 Confer *pag. 391. hujus vol. not. 1.*
3 *Pag. 394. seq. hujus vol.*
4 *Tom. IV. part. II. opp. edit. Martianæi pag. 101.*
5 Vide *pag. 386. hujus vol. not. 2.*
6 *Pag. hujus vol. 386. not. 3.*
7 *Lib. II. pag. 159. edit. an. 1714.*
8 *Hujus vol. pag. 386. not. 4. seqq.*
9 *Pag. 222. seq. opp. Posth. Pearsoni edit. Londin. an. 1688.*

modo nullo teste, documentoque, sed ne conjecturis quidem, pugnantibus patuisse, quis credat?

I I.

Idem testimoniis Patrum ostenditur, qui Petrum, non Paulum sedem occupasse Romanam dixerunt.

Sic enim auctor carminum contra Marcionem (1), Cyprianus (2), Optatus (3), Prudentius (4) aliique plures constituerunt, qui etsi Paulum Romæ & multis laboribus, & martyrio fuisse perfunctum scirent, tamen uni Petro cathedram, sedemque episcopatus attribuerunt. Idipsum etiam præter ceteros anno quingentesimo duodecimo testati sunt orientis episcopi in litteris ad Symmachum Pontificem (5). Cumque Petri cathedram catholici omnes primorum temporum sedem unitatis ecclesiasticæ esse defenderent, ut ex locis Cypriani (6), Optati (7), aliorumque intelligi plane potest, mirabile profecto non est, ejus cathedræ fortasse figuras non pictas solum, sed etiam gemmis majorum memoria insculptas (8) fuisse, cujusmodi sunt eæ, quas Aringhius, Bottarius, Gorius, atque Paſserius ediderunt.


 Ter-

1 *Pag. 386. hujus vol. not. 1.*
2 Vide *pag. 394. hujus vol. not. 1.*
3 *Pag. 386. hujus vol. not. 2.*
4 Prudentii locum descripsi *pag. 396. hujus vol. not. 4.*
5 *Pag. 398. hujus vol. not. 4.*
6 *Pag. 70. seqq. hujus vol. not. 3. seqq.*
7 *Pag. 347. hujus vol. seq. not. 2.*
8 Cathedrarum ejusmodi exempla sive pictarum, sive marmoribus insculptarum cernere aliqua licet apud Aringhium *lib.* VI. *cap.* XLVIII. *pag. 661. seqq. Rom. subterr. tom.* 1. Bottarium, aliosque. Sed de cathedris Pontificum, episcoporumque agam alio loco opportune, ac diligentius. Nunc throni episcopalis figuram Chalcedonio insculptam, exque Museo Bonarrotiano ab Antonio Francisco Gorio viro doctissimo primum *tom.* II. *Musei Florentini tab.* XCIII. *n.* 3. publicatam, & ab Johanne Baptista Passerio eruditissimo Legation. Urbinat. Auditore singulari Dissertatione, quæ inscribitur ἱερόθρονος, *sive de Throno sacro ad Johannem Bottarium* illustratam, Lectori exibendam putavimus, in qua tamen pro ΙΧΘΥΣ de qua voce *volum.* 1. *hujus operis pag. 54.* egimus, scriptum ΙΧΥΘ, errore ne, quod magis

Tertium peti argumentum ex iis Pontificum Maximorum, Patrumque veterum testimoniis potest, quibus episcopos Romanos Petri successores esse statuitur. At erit sequenti capite opportunior expendendorum eorumdem testimoniorum locus. Intelligo autem fuisse aliquos, qui Petrum, *ea ratione, qua omnes Apostoli habitu, & potestate totius orbis, actu vero illius urbis, & provinciæ, in qua Apostolico munere functi sunt*, episcopum fuisse defenderent (1), atque hoc sensu Patres intelligendos arbitrarentur, qui Romanum episcopatum susceptum fuisse ab eodem Apostolorum principe tradidissent (2).

Sed næ hi vehementer errant. Nam si ita Petrus episcopus Romanus fuit, cur is solum episcopus Romanus a Patribus dicitur, qui functus ante episcopatu Antiocheno fuisset, non Corinthius, etsi Corinthi, non Ponticus, non Cappadox, non Galata, etsi in Ponto, in Galatia, in Cappado-

magis credo, sculptoris, an consulto, viderint alii. Confer Passerium *ibid. n.* III. *pag.* 5. Est vero figura.



1 Marcus Antonius de Dominis *de Republ. Eccl. lib.* I. *cap.* VIII. *num.* V. *tom.* I. *opp. edit. Lond. an.* 1617. *pag.* 87. *& lib.* IV. *cap.* I. *num.* VIII. *pag.* 531. *tom. eod.* & Thomas Ittigius *Hist. Eccl. sec.* I. *cap.* IV. *n.* III. *pag.* 329. *edit. Lips. an.* 1709.

2 Dannhaverus *Christeid. pag.* 104.

padocia & fuerit, & religionem prædicarit, & ecclesias constituerit, auxeritque? Paulum præterea quisquamne antiquorum aut Corinthium, aut Ephesium, aut Thessalonicensem, aut Philippensem episcopum appellavit, quod his in urbibus gesserit munus Apostoli? Cum ergo Petrum episcopum Romanum fuisse Patres dixerint, non ea latissima, qua adversarii optarent, sed hac pressiore, quam volumus, significatione episcopum dixerint Romanum necesse est. Quod eo confirmari magis potest, quo videamus Petrum a majoribus ita omnino in catalogis Pontificum Romanorum poni, ut Clemens, ut Higinus, ut Urbanus poni consuerunt, quos vere, proprieque antistites fuisse Romanos liquet.

Multo est levius, quod idem Ittigius objicit: Hieronymum primum fuisse hujusce episcopatus inventorem, cui proinde opponi antiquior Lactantius debeat, sive auctor libri de Mortibus persecutorum, qui nusquam, Petrum episcopum fuisse Romanorum, scribit. Nam quidquid tandem Scaliger (1) jactitet, etiamsi adjecta ea de episcopatu verba Eusebii Chronico ab Hieronymo fuissent, tamen neque Hieronymi sententia ab Eusebiana (2) discrepat, neque primus Hieronymus fuit, qui episcopum fuisse Petrum Romanorum diceret. Longe sunt vetustiores Lucio Cæcilio, Lactantioque Cajus presbyter, auctor carminum contra Marcionem, & fortasse etiam Liberiani catalogi conditor, quam sit Lactantius idem Hieronymo. Atque hæc de episcopatu Romano Petri dicta sunto. Sequitur, ut doceam Romanos episcopos veros esse, & episcopatus, & primatus ratione successores Petri.

INDEX

1 *In Animadv. ad Chronicon Eusebii pag.* 189. *edit. Amstelod. an.* 1658. Ei assentitur Vedelius *lib.* 11. *de Petri Cathedra cap.* xv.

2 Vide *pag.* 562. *hujus vol. not.* 2. Nullo autem documento evinci potest, addita hæc fuisse Eusebiano chronico ab Hieronymo. Quod si exempla quædam Chronici Græci profert Scaliger, cur ea vitiata dicenda non sunt, ut vetustissimi, diligentissimique interpretis Hieronymi constet auctoritas?

FINIS.

D

E

F

Ga-

Mo-

N

O

P

Pro-

Q

R

S

T

V

Z

FINIS.

ADDENDA, ET CORRIGENDA.

Pag. VI. *lin.*4. egegeret *leg.* egeret, XVI. 24. oftendendumque *leg.* oftendendumque, 35. monarchiam *leg.* monarchicum, 1.2. christianum *leg.* christianunum, 4. 42. sibi *leg.* sibi, *p.* 6. *l.* 41. Ambrosii *leg.* Ambrosili, *p.* 11. *l.*6. §. II. *leg.* §. III., *p.*16. *l.* 34. Presbyrerliu *leg.* presbyteris, *p.* 23. *l.* 18. superstio *leg.* superstitio, *p.*28. *l.* 12. adversaris *leg.* adversariis *p.*34. *l.* 21. Deilinglus *leg.* Deylingius, *p.* 38. *l.* 9. sententententium *leg.* sententium, *p.* 41. *l.* 2. tum falsum est *leg.* tam falsum est, *p.*46. *l.* 10. Spuem *leg.* Spanhem, *p.*48. *l.* 4. nimis *leg.* minis, *p.* 49. *l.*13 Eeclecleslas *leg.* Ecclesias, *p.* 50. *l.*35. Rotomamagensem, *leg.* Roromagensem, *p.* 50. *l.* 40. Toletanum *leg.* Tolosanum, *p.* 53. *l.* ult. Spanhemius *ibid. leg.* (3) Spanhemius *ibid.*, *p.*66. *l.* 34. superstione *leg.* superstitione, *p.*72. *l.* 27. Fortutuuaro *leg.* Fortunato, *p.* 89. *l.* 4. Eatit *leg.* Exsiltit, *l.*20. *pag.* 737. *leg. pag.*837., *p.* 101. *l.* 30. eodem loco in *leg.* eodem loco, *p.* 107. *l.* 11. Antorchiæ *leg.* Antiochiæ, *l.* 19. sæpæ *leg.* sæpe, *p.* 117. *l.* 3. Christianis autem gentibus *leg.* Christianis autem e gentibus, *p.* 121. *l.* 11. omnis id, prioribus *leg.* omnis lo prioribus, *p.*131. *l.* 8. Curpharnuum *leg.* Cupharnaum, *p.* 134. *l.* 13. *tom.* XIV. *leg. tom.* XIII., *p.* 136. *l.* 5. Pilastrio *leg.* Philastrio, *p.* 140. *l.* 7. Pontifite *leg.* Pontifice, *p.* 144. *l.* 9. propagavarint *leg.* propugaverint, *p.*153. *l.*28. *sacramento leg. sacramentario*, *p.* 166. *l.* 9. non, illius opinione, fuisse Petrum *leg.* non fuisse, illius opinione, Petrum, *p.* 190. *l.* 12. intellegi *leg.* intelligi, *p.* 212. *l.* 1. §. III. *leg.* §. IV., *l.* 24. uilorumque *leg.* aliurumque, *p.* 221. *l.* 29. administruvi *leg.* administrari, *p.* 229. *l.*15. Imperatotatotem *leg.* Imperatorem, *l.* 28. scibenres *leg.* scribentes, *pag.* 236. *l.* 27. susupersedisse *leg.* supersedisse, *p.*241. *l.* 17. principes *leg.* princeps, *p.* 242. *l.* 19. constinaerit *leg.* constrinxerit, *p.* 261. *l.* 30. abutuntur. *leg.* abutuntur, quumquum non ad eam rem demonstrandam, quam Richerius voluit, *p.* 261. *l.*39. disputuium *leg.* disputatum. Ceterum ubinam Sarpius, & Courajerus ea dicant, quæ animadverti *pag.* 256, oescio. Sequutus enim sum auctorem dissertationis Polemicæ adversus Richerlstus *edit. Rom. an.* 1752. *pag.* 10. qui locum Sarpii, & Courajeri non describit, oeque indicat. Ac nollem mihi id evenerit, quod evenit vol. hujus operis IV. ubi *pag.* 26. Johanni Francisco Buddæo assensus Nicoluo Macchiavello, quem per me ipse consulere oequivissem, ea tribui, quæ, nisi fallor, non solum oon statuit, sed etiam refellere videtur, *p.*281. *l.* 11. arbitremur *l.* arbitrumur, *pag.* 283. *l.* 32. hæbruice *leg.* hebruice, *p.* 245. *l.* 4. Gregorius *leg.* Georgius, *p.*355. *l.* 27. anno anno *leg.* unno, *p.*356. *l.* 29. Marua *leg.* Marcu, *p.*361. *l.* 28. pereuntentur *leg.* pereuntetur, *p.* 366. *l.* 11. differem *leg.* differerem, *p.* 371. *l.* 6. Ignatiis *leg.* Ignatii, *p.*381. *l.* 8. Nicocnlaus *leg.* Nicolaus, *p.*387. lin. 21. onmqaum *leg.* numquam, *p.*398. *l.*35. claruisset *leg.* claruissent, *p.*399. *l.*28. antistites *leg.* antistes, *p.*400. *l.* 6. Michele *leg.* Michaele, *p.*416. *l.* 5. Vin- *leg.* Salv., *p.*433. *l.* 3. caistimasse *leg.* caistimassent, *p.*437. *l.* 4. ugumento *leg.* urgumento *p.* 438. *l.* 32. *pag.* 144. *leg.*, *p.*414. *p.* 445. *l.* 31. *pag.*410. *leg. pag.* 400. *p.* 455. *l.* 19. uversarii *leg.* udversarii *p.*465. *l.* 47. Lucii veri *leg.* Lucii Veri, *p.* 471. *l.*30. suam, quas *leg.* suum, quam, *p.* 472. *l.* 36. respenderi *leg.* responderi, *p.* 482. *l.* 2. poneodum Petrum *leg.* ponendum Paulum, *p.* 488. *l.* 29. ectypon hujusmodi *p.* 64. E. *leg.* Ectypon hujusmodi *pag.* 64. E. id ectypon *pag.* mox sequente exhibemus, *p.* 491. *l.* 34. Pauli ad lævum *leg.* Pauli ad dexterum, *p.* 498. *l.* 3. item sum *leg.* item sunt, *p.* 504. *l.* 20. Pucludius *leg.* Paeluudius, *p.*510. *l. ult.* heophanes *leg.* Thephanes, *p.*547. *l.* 25. Vie *leg.* Vide, *p.* 572. *l.* 10. qui XII. Neronis fuit *leg.* qui XI. ut vero Pagius in Criticis scribit, XII. Neronis fuit, *p.*573. 10. ac XIII. Neronis *leg.* ac XIII. Neronis, qui ex Pagio anno LXVI. æræ vulgaris respondet, quamvis revera annus XII. Neronis æræ sit Christianæ LXVI., *pag.* 585. *lin.*27. χαλεπῶι *leg.* χαλεπῶι.